B. 156. 123.

XXXVII.
C
10

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XXXVIII
C
10
NAPOLI

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE VITIIS SERMONIS, ET GLOSSEMATIS LATINO-BARBARIS, LIBRI QUATUOR,

Partim utiles ad purè loquendum, partim ad meliùs intelligendos posteriorum seculorum scriptores.

Editio ult. auct. & correctior.

CUM PRIVILEGIIS.

BIBLIOTECA NAZIONALE
NAPOLI
VITT. EMANUELE III

FRANCOFVRTI,
Sumptibus CASPARIS WÆCHTLERI,
Typis Balthasaris Christophori Wustii.
Anno M. DC. LXVI.

GERARDI IOANNIS VOSSII

VITIUS SER-
MONIS
CORRIGENDI
LATINOLABENSIS

Digitized by Google

Illustri, & Generosissimo juveni,

ERICO OXENSTIERNA,

magni AXELII Filio,

L.B. IN KIMITHO,

Domino in Fiholm, & Tideun, &c.

EO jam potentiæ provecta est Regni Suedici magnitudo, Illustris Baro OXENSTIERNI, ut ad pristinam illam Gothorum majestatem, pleno, rapidoque gradu ferri iterum videatur. Nec aliter esse potest, quin Excellentissimus & Illustrissimus Tuus Pater, AXELIUS OXENSTIERNIUS, Regni Senator, ac Cancellarius toto orbe inclytus, Deo gratias agat immortales quoties cogitat, labores, & consilia sua, & domi, & per Germaniam, & terris aliis, ita prosperè cessisse, ut nihil non beneverterit Suedis: Regnumque, licet antea etiam metuendum, nunc cò pervenerit fastigii, ut horrorem pepererit inimicis, pluribus invidiam, rovi verò

ti verò mundo ſtuporem & admirationem. Glorioſum certè naſci in tali populo : Sed quanto glorioſius naſci ex illo, cujus divina in Regnum merita honores merentur (abſit invidia dicto) iis proximos, quos vetuſtiſſimi illi Getæ Zamolxi, legislatori ſuo, decreverunt. Felix es itaque, quòd alterum Gothorum Zamolxim habeas parentem. Sed ſi ob hoc ſolùm fortunatum Te cenſerem, quàm ego propriis Tuis laudibus eſſem injurius ! Neque enim ſublimitas generis Tui, quam majorum potiùs laudem cenſes, tantum Tibi conferre poſſit, quantum Ipſe virtute Tuâ adquiris. A Te igitur incipiat, qui animi Tui dotes enumerare velit : ac ſic etiam habebit, quod perficere vix poſſit. Mihi animus non eſt, tale quid adgredi : & etiamſi ea mens foret, neque locus, neque tempus, neque ille, cui hæc ſcribo, iſtud patiatur. Sufficit illa dicere, quæ ipſemet, dum hic viveres, coram perſpexi ; quæque omnes norunt. Perſpexi ipſe inſignem Tuam comitatem ac humanitatem; quâ etiam minimis Te æquaſti ; quæque me admonet, ut gratias quomodocunque rependam. Alterum verò, nulli non cognitum, eſt illud, quod cum pauci admodum ſint, qui de generis ſublimitate tecum certare aut poſſint, aut velint : difficilius tamen ſit invenire, qui valeat Tecum contendere amore, quo literas, & literatos, proſequeris. Atque hæc duo tanti ego cenſeo, ut, quamvis de cæteris virtutibus Tuis maximis, paullìſper vellem cogitationem depo-

deponere; vel ſola tamen potuerint me impellere ad Illuſtri Nomini Tuo inſcribendum literarias haſce commentationes noſtras. Sunt illæ de duplici ſermone: uno veterum Romanorum; altero, poſtea conſecuto, earum gentium, quæ, quicquid penè in Occidente poſſederant Romani, in ſuam redegere poteſtatem; cumque imperio magnâ ex parte linguam ipſam transfuderunt. Nemo autem ignorat in iis, quas dicebam, nationibus, facilè primas ferre Gothos veſtros. Eoq; jucundius futurum, ubi in parte operis noſtri conſpicies tot veſtigia vocabulorum, quibus uſi Gothi, & finitimæ gentes, non tam linguâ, quàm ſola dialecto, diverſæ. Accedit, quòd non parum hinc lucis acceſſerit legibus, quas Gothi variis in terris tulerunt. Ut ante annos amplius centum ſupra millenos in Hiſpaniis, ac Galliis, (cujus pars Sidonio Apollinari Gothia vocatur) Euricus Rex, ut ex Iſidoro cognoſcimus. Item centum annis pòſt Leuvigildus; poſteaque alii, atque alii. In ipſa quoque Italia Theodericus, Wiſigothorum Rex: à quo leges Theodericianæ, ad inſtar Codicis Theodoſiani, ſic vocati à Theodoſio Juniore, qui non multò præceſſerat. Ejus Theoderici eſt edictum capitum CLIV, quod ipſe ſe dediſſe ait *de victis tam barbaris, quàm Romanis*. Nempe, dominus Romæ factus, loqui voluit pro more Romanorum; qui, ut Græci antea præter ſe cunctos vocarant barbaros; ita ipſi, præter ſe, & Græcos, omnes barbaros dixere. Nec

in barbari nomine convitium fuerit, si, ut propriè sonat, extraneum intelligamus; quomodo tam Romanus fuerit barbarus, si in lingua peccet Gothicâ; quàm Gothus in Romana. Totum enim hoc est ex genere eorum quæ relata, Græcis τὰ πρός τι nominantur. Itaq; videmus ab Arabibus in Asia quidem barbaros nominari Græcos, Syros, Persas, & Ægyptios: in Africa contrà sic dici Hispanicè, vel Latinè loquentes. Porrò partim ex illa loquendi consuetudine Romanâ; partim quoque (sic sanè, veterum more, toto etiam opere loqui liceat) barbarâ illâ; conflata est hæc commentatio nostra; quâ operam dedimus, ut tum eorum inserviremus commodis, quibus nihil in sermone gratum est, nisi auribus cognitum Romanis: tum illorum etiam, qui intelligere cupiunt scriptores lingua usos confusanea ac miscella ex veteri Romana, & illa imprimis nationum, quæ subegerunt Romanos. Dixerit aliquis, si non in alio desudâro, in re tenui hanc operam, ac tenuis quoque gloriæ fore: quia circa verba solùm, non res ipsas, versemur. Sed qui sic sapiunt, parum intelligunt, quantopere ad Romanam facundiam, & prudentiam universam, verborum conferat scientia, ac delectus. Nec enim absque delectu, quem Eloquentiæ originem esse Cæsar censebat, vel olim Elegantiam consequi Romanam fuit; vel nunc, in sermone Romano, ipsam effugere barbariem conceditur. Unde hæc sic dominatur temporibus nostris in monumentis virorum non è vulgo; ini-

inique publicis personat pulpitis, etiam eorum, qui se profitentur doctrinarum duces. Non dubium igitur, quin majus quiddam sit multorum opinione, cum ea pedem comminus conferre: etsi nimium sibi promittat, qui propterea speret, profligare se eam penitùs posse. Sufficit, si illis saltem utilis navetur opera, quibus de luto meliore præcordia finxerit Prometheus: quales nunquam literis dêrunt. Alia interim ratio est incunda seculo nostro; quàm olim Cæsaris Julii, & Augusti temporibus. Tum (quicquid alii contrà arbitrentur) meliùs loquebatur vulgus rude, & indoctum, quàm nunc (nisi duos tres excipere è numero non magno lubet) fortasse ipsi literarum principes solent. Cui felicitati veterum accedebat diligens exercitatio apud magistrum. Ad variæ etiam eruditionis laudem addiscebant elegantiores priscum ac desitum sermonem, non ad usum, sed ad intelligentiam scriptorum, qui uno altero seculo præcessissent. Nam puerorum instar sapere judicabant, nisi qui priorum etiam temporum memorias complecterentur. Utcunque verò ex notitia obsoletorum aliquis etiam ad nos fructus redundet; videlicet ad cognoscendam vocabulorum proprietatem, quæ ab iis originem ducunt: minutum tamen est hoc præ illis temporibus, quibus rancidi illius sermonis scriptores exstarent. Nunc, postquam nihil nisi laceras eorũ reliquias, velut è magno naufragio, habemus: pro illo desita dicendi, a-

lius

lius est subeundus labor, in cognoscendo sermonis, qualis multis seculis fuit, postquam à tot gentibus exteris discerptum est imperium Romanum. Nec tamen ab iis hoc exigo, qui nondum è barbariei cœno pedem posuere; sed iis sedulò lectis, qui dictionem formant. Scio, delicatulos multos hanc doctrinarum partem pejus odisse, quàm ululam fullones solent; sed defraudent illi animum, ut lubet, suavissimo tot rerum utilissimarum pastu. Cordatiores satis vident, quantum studiis decedat universis, si, ob solam dictionem, dispretui sit, quidquid penè scriptorum tempora nobis non inviderunt, jam inde ab Antoninis, vel Severi, filiorumque imperio, usque ad atavos, vel tritavos nostros. Itaque sic statuo; etsi multò augustius sit sapere, quàm dicere: esse tamen dignum sapiente, intelligere omnes, etiam barbaros; ac interim convenienter loqui auribus Romanis. Nec ita malè agitur cum studiis, ut non multi hac in re nobiscum sapiant. His igitur consultum ivimus gemino istoc labore nostro. Quem Tibi, Illustris Baro, comitem do reliqui itineris, ac opto, cupioque, esse pignus ac monumentum devotissimi affectus. Eò gratum, acceptumque, fore confido. Quid enim non mihi spondeam ab illo, cujus acre acri ingenio judicium junctum omnes mirabamur, priusquam Batavia discederes? Quid igitur nunc non promittamus nobis post aditas, & lustratas Gallias, Italiam, terrasque alias; post cognitas tot nationum leges, ac mores; post principum, summorumque virorum

rorum amicitias; imò cum divum propagine, de orbis negotiis sermones? Nec minus probatum iri confido exactissimo illi judicio Fratris Tui, D. Baronis JOHANNIS OXENSTIERN, Regni Suedici Senatoris, ac legati ad conventum Monasterienſem; ubi nunc permistus est tot magnorum Regum, ac Rerumpublicarum, caduceatoribus magnis, de hoc uno consultantibus, ut orbis Christianus, armis positis, tranquillitate fruatur longa, omnibus victoriis potiore: vel, si tantus est bellandi amor, arma convertat in communem nominis Christiani hostem. Et cur non persuadeam mihi, per inclytum hoc Fratrum par, nec sine laude nominandum, posse etiam labore nostrum impensius probari Parenti vestro Illustrissimo, incomparabili viro: qui nunquam defiit, aut desinet, animo meo obversari, ex quo præsentem in hac urbe vidimus, loquentem audivimus, omni ab eo comitate excepti sumus: Relucebat in vultu blanda severitas, & facilis majestas. In sermone certabant verborum dignitas, & animus nihil humile cogitans. Vbique ingenium, & eloquiū; Gratiæ, ac eloquentia, se exserebant. Imprimis in stuporem omnes trahebat cogitatio rerum maximarum, quas ab excessu Invicti Regis GUSTAVI per universā Germaniā gessisset. Sed ista melius dicent variarū gentiū annales quibus sic præterita narrabuntur, ut iterum, imò semper,

videantur geri; terminari nunquam. Mihi verò, cui non ea est facundia, ut rerum magnitudine vinci nesciat, propositum est, ne culpâ ingenii tantas deterere laudes pergam, eas potiùs cum silentio venerari; ac desinere hunc sermonem, simulac nõ ficto officio, sed voto ab imo pectore proficiscẽte, Tibi, Illustris Baro, totique familiæ OXENSTIERNIÆ, omnia fuero felicia comprecatus. Magno quidem PARENTI, ut vegetâ & diuturna fruatur senecta, diuque consiliis suis adjuvet SERENISSIMAM REGINAM. Phœben illam Septentrionis, illam invictam, & nunquam vincendam Amazona. Illustrissimo, & Excellentissimo FRATRI, ut in tam Illustri, & orbi tandiu exoptato cœtu, ejus quoque ope tandem aliquando Jani claudatur templum, & Musarum illud aperiatur. TIBI verò, Illustris Domine, ut id itineris, quod restat in patriam (quæ, quasi eminus conspicata, jam brachia protendit, gnara quãtum sibi de virtute Tua possit promittere) pari absolvas fortuna; quamque de Te universo Orbi spem fecisti, feliciter impleas. Amstelodami, cIↃ IↃC XLV Kalendis Sextilibus.

Illustris, ac generosissimi Nominis Tui

cultor devotissimus,

GERARDUS JOANNES VOSSIUS.

Venustè

BENEVOLE LECTOR,

Enustè apud scenicum philosophum Vlysses rogat in Cyclope:

Βύλει σι γεύσω πρῶτον ἄκρατον μέθυ;

Vin, ut meraci præbeam gustum prius?

Cui Silenus:

Δίκαιον, ἢν μὴ γεῦμα τλὴ ὠνὴν καλεῖ.

Æquum: emtioni gustus hic struet viam.

Mihi quoq; Vlyssem nunc imitari animus est: non quidem vilis emtionis gratiâ, de qua nihil est curæ Hippoclidi; sed ut Reip. literariæ, cujus bono de sudo, commendatiores sint labores nostri, ac denti eorum minùs obnoxii, qui vituperare solent, quorum usum non intelligunt. Si igitur grave non est, sistè paulisper, atque audi me pauca tecum loqui volentem de instituto nostro, totoque operis argumento. De quo, ut cuncta fiant planiora, rem, quod dicitur, ab ovo ordiar; ac primùm universè aliqua præmittam, de vetustissimis Europæ linguis. Tum particulatim dicã de linguæ Latinæ natalibus, ac quando præcipuè floruerit. Hinc paucis perstringam, quomodo ab eo vigore paulatim defciverit, donec tandem non Italia modò, sed Roma ipsa, facta est barbara. Iis expositis, memorabo, quomodo hoc opere mihi fuerit propositum bene mereri, tum de amantibus sermonis Romani, tum de legentibus scriptores barbaros. Deniq; non rationem modò reddam, cur multa nunc præterita sint nobis; sed referam etiam, quid ab aliis requirã, ut summa iis manus addatur, quæ exorsi sumus. Multa esse video, quæ pollicear; sed brevitatis studium faciet, ut ne longi nimis videamur.

Ex divino Mose cognoscimus, in divisione mundi, quæ post confusionem linguarum temporibus Heberi facta est, Orientem obve-

nisse posteris Semi; Meridiem iis, qui à Chamo descendissent; Septentrionem, & Occidentem, generi Iapheti, qui non alius est ab Iapeto poëtarum; utcumque illius omnia fabulis contaminarint. Iapetionidis istis primæ sedes fuere supra mare Ægeum, ac Syriam, imò & Assyriam: quippe ubi posteritas Madai ab eo Medorum sit nomine nũcupata. Postquam verò numerus eorum, qui à septem Iapheti liberis essent procreati, in tantum cepissent incrementa, ut assignata iis Asia portio non sufficeret: transfudere se in Scythiam Europæam, Thraciam, Græciam. Græcos descendere ab Iavane, Iapheti quarto natu filio, fidem fecerint Iones, qui integriùs Ἰάονες. Æolicè autem Ἴαονες. Minimus natu filiorum erat Thiras; à quo Thraces esse ortos, ex maxima nominis affinitate colligitur. Europæa autem Scythia terras, Tanai trajecto, occuparunt Cimmerii; quibus in Asia sedes ad Bosphorum Cimmerium, ac Mæotidem, erant. A Gomero illos, filiorum natu maximo, ab illis verò Cimbros genus ducere, vulgatior opinio est. Ex hisce locis, qua diximus, paulatim sunt profecti in terras alias, atq; alias. Communis verò lingua fuit Scythis, & Celtis; hoc est, Germanis & veteribus Gallis, Hispanis, Britannis. Sed hi postea multùm à primogenia recesserunt. Nam Britannica, ut de postrema primùm dicã Ὁ μηχιῶς, recepit innumera, priùs quidem Anglorum, & Frisiorum; postea verò Normannorum, Gallorumque recentiorum. Gallica itidem lingua admisit primùm Græca, occasione Massilienſium, colonia Græcanica; hinc Romana; exinde Francica, Gothica, Burgundica, & Normannica. Hispanica similiter plurimum à veteri Celtica degeneravit; primùm Phœnicibus eam obtinentibus, hinc Romanis, postea Gothis, inde Saracenis. Sed non sermo jam est nobis de recentioribus Europæorum linguis; verùm antiquissimis illis: quarum tres sunt, si non solæ, saltem potissima: una Macedonum, & Græcorum. Altera Illyrica, variarum in Sarmatia, & vicinis locis, mater; Sclavonicam nunc dicimus. Tertia Thracum, Dacorum, aliorumq; Getarum. Vnde illa non Phrygum modò, quos Thracum fuisse propaginem constat; utcumque de antiquitate satis futili de pueris argumento, cum Ægyptiis certare non dubitarint: sed Germanorum etiam, atque adeò Scytharum; quo vocabulo quandoq; & Thraciæ gens

olim

olim fuit nuncupata. Imò Scytharum nomine continentur quoq; Getæ, & Gothi: atq; appellationes istæ, uti & Iutarum, & Iutingorum, solâ differunt dialecto. Ad Græcos quod attinet, antiquissimi eorum Thessaliam obtinebant. Hic enim tum Pelasgi fuere, à quibus pars Pelasgiotis dicebatur; tum Phthiota, quales prius Graji, sive Græci, postea Hellenes vocati. Hi cùm occupassent loca inter Thessaliam, & Corinthiacum isthmum; inde etiam Peloponnesum invaserunt. Colonias verò duxere (ut de insulis taceam) partim in Asiam, ubi Ionia, Æolis, Doris: partim in sinistram Ponti ripam, quas colonias Getico sono Græcum corrupisse sermonem, ex Ovidio cognoscimus: partim in Italiam, cujus pars magna Græcia dicebatur, non quidem collata cum Græcia universa, sed antiquissima illa Phthiotica; cujus soli incolæ, vetustissimis temporibus, Graji, & Græci, vocabantur. Etiam in Latium pariter cum colonis se infuderunt: ac primùm Oenotrij, origine Arcades. Loca illi occuparant freto Siculo proxima, inde in Vmbriæ partem concessere. Postea Pelasgi, Æmonia, sive Thessalia pulsi, se Oenotriis junxere, ac, sociatis viribus, veteres Latij incolas, qui Siculi tum dicebantur, ejecerunt. Exin de Arcades, Euandro duce, à Latinis recepti fuerunt. Ab his tribus Græcorum commigrationibus in Latium est illud, quòd lingua Latina, si exceperis ea, quæ vel ex primogenia lingua retinuit, vel à vicinis Celtis accepit, tota penè fluxerit è Græca. Ac fortassè magis id fuisset, nisi eo etiam profugissent Trojani, duce, in volunt Ænea. Nam ut Teutones, & Scythæ, multa habent vocabula Græca, idque cum aliis de causis, tum præcipuè ex commercio cum coloniis Pontum accolentibus; ita & Latini accepere multa à Phrygibus, eoque Teutonicis similiora, quàm Græcis. Quid mirum, quando iidem Thraces, ut Teutonum partis, sic Phrygum, sunt parentes; sicut antea dicebamus? Vnde alteram etiam causam perspicimus, cur in plerisque vocabulis Latina lingua florente Româ, imò ante eam conditam, convenerit cum Germanica. Sed cur talium postea tanta sit facta accessio, ex Walafrido Strabone initio hujus operis exponimus. Singula horum, sì rationibus, præcipuéque testibus antiquissimis, adstruere velimus, (quod fortassè aliàs faciam) non epistola, sed

liber fiet. Quare potissimum de Latina nunc dicam; cujus ergo hic sermo instituitur. Cum Romana lingua, imò & aliis, comparatum est, uti cum homine. Habuit sermo Latinus ætatem crescentem, habuit decrescentem, habuit inter utramque vigorem suum. Crescentem divido in pueritiam, & adolescentiam. Ad priorem refero Saliares Numæ Pompilii, ac similes hymnos, quos ævo optimo vix sacerdotes sui intelligebant; item leges Regias, ac Decemvirales; nec non Pontificum leges, & Annales; ad hæc columnam rostratam Duillij, aliaq; his similia. Adolescentiam auspicamur à Livio Andronico; quem secuti inter alios Nævius, Ennius, Pacuvius, Attius; meliorq; his Porcius Cato, cujus libri de R. rustica perdurarunt: cæterorum fragmenta solùm habemus. Optimi verò in adolescētia hac Plautus, Terentiusq;. Vigorē verò, ac maturitatem, in prosa habent Cicero, Cæsar, Cælius, Sallustius, Cornelius Nepos, Livius, Vellejus, M. Seneca; in carmine, Lucretius, Catullus, Maro, Horatius, Tibullus, Propertius, Gratius, Ovidius, Pedo Albinovanus, & his æquales. Quod si ἀκμὴν eam ultra Tiberii principatum perducere est animus: per me licet, ut adjungātur ex iis, qui prosâ scripsere, Cornelius Celsus, Pomponius Mela, Columella, L. Seneca, Curtius, Plinius uterque, Rutilius Lupus, Quinctilianus, Suetonius, Tacitus. E poëtis Lucanus, Persius, Silius, Iuvenalis, Martialis, Papinius, Valerius Flaccus. Quamquam in horum aliquibus videas, jam paulùm remisisse vigorem antiquum. Ac liquidiùs hoc evēnit sub Divis fratribus: cæteris tamen melior Agellius: nempe se totum ad priora tempora composuerat. Nec aspernandus Iustinus, qui non multùm sibi à Trogi dictione deflectendum putavit. Compluribus quoq; Iurisconsultis opera puro est data sermoni, etiam paullò remotioribus; ut Æmilio Papiniano, qui sub Severo claruit, atq; à Caracalla est interemtus: item discipulis Papiniani, Vlpiano, Iulio Paulo, Pomponio, Modestino, qui sub Alexandro Mammeæ viguerunt. Horum cruda, ac viridi senectuti successit ætas decrepita. Videlicet à Severo Alexandro usq; ad irruptiones barbaricas in Italiam, amissumque à Momyllo Imperium. Quidam tamen tum quoq;, neglectâ sui seculi linguâ, non infeliciter se composuere ad veterum exemplum. Qualis

sub

sub Constantino Lactantius, sub Honorio Severus Sulpicius; ille Ciceronis, hic Sallustij æmulus. Ac Severo Claudianus æqualis, magni spiritûs poëta. Postea quam verò Roma, priùs sub Odoacro, mox sub Gothis, fuit; ac à variis gentibus, quas Romani barbaras vocarunt, miserè discerptum est imperium: sermonem Romanum, non jam quassi decrepitum, sed dixero moribundum, vel potiùs emortuum, magisque cadaveri, quàm vivo simili corpori: utcumq; in Boëthio, qui sub Theoderico, Gothorum rege, claruit, ac vivere etiam desiit, reluceat carminis genius verè Romanus, longéq; supra seculum suum enitescens. Sed nec vir ille se composuit ad suam ætatem; ac vix scio, ecquid à Varronis temporibus Roma eo habuerit undecunque doctius. Penè tribus pòst seculis Carolus Magnus, variis in locis scholas erigendo, præclarè est meritus de studiis universis; melius tamen de rerum doctrina, quàm lingua Romana qua cujusmodi ea fuerit ætate, è Constitutionibus Caroli ipsius, & filii Ludovici, ac nepotum, clare satis cognoscitur. Caroli genere exstincto, quod decimo à Christo seculo fuit, propè omnis eruditio ab orbe est profligata. Totisq; annis quadringentis delituit crudeli multata exilio. Itaque duos, vel neminem, dixeris, qui, quod Romanam quodammodo saperet dictionem, vel auderet, vel posset. Cæsaris Ludovici Bavari hæc felicitas fuit, quòd eo imperante, literarum studia, sed in Italia magis, quàm Germanica, vel terris aliis, duce imprimis Petrarchâ, bonis sint avibus revocata, melioribus reducta. Etsi enim tum quoq; infinitis partibus plures sic olido priorum seculorum veterno premerentur, ut neq; ad claram Solis lucem oculos attollerent: haut defuere tamen alij innumeri, qui, cùm jam aliquos id posse viderent, ipsi etiam mallent meliùs sapere, ac loqui. Atque hæc fusiùs diduximus, ut melius liqueret, quemadmodum hominibus, sic linguis, suam esse, ut dicebamus, infantiam, puritiam, adolescentiam, virilem ætatem, ac senectutem; eamque & viridem, & mediam, & decrepitam. Sed hoc videmus interesse, quòd ubi ad senium est homini deventum, recurrere ad infantiam quidem nolit; ad vigorem autem vellet, si posset. In linguis verò, etsi seculi vitio vel ipsa facundia penè facta esset elinguis; datur nihilominus

nus loqui, non cum illis in Romana dictione infantibus, sed cum iis temporibus, quibus viguit vis, & gratia Latini sermonis. Cujus rei ex exempla capere licet ex non paucis, qui licet viverent, non defloreſcente dico lingua Romana, ſed marcente prorſus, imo emortuâ: tamen grandius quid, puriuſq; ſonuere cateris ſuæ ætatis hominibus. Et tulere hi pretium operæ. Nam hodieq; majori cum voluptate, ac propterea diligentius, & ſæpius, leguntur. Nec iccirco putandum, prorſum negligendos eſſe ejuſce ætatis cæteros, qui ſive tamquam æſtu torrentis abrepti, ſive deſperatione quadam meliorum, contenti fuere plebejo, & idiotico ſermone, ſcripſereq;, non ut debuere, ſed ut potuerunt. Nam & tales non pauci Libitinam effugerunt: qui, modò rerum pondere commendentur, nunc etiam verſandi ſint nobis, partim propter tam multa, quæ variis in diſciplinis acutè obſervarunt: partim ne hiatus ſit multiplex in hiſtoria; ſine qua ſcire non poſſumus, vel qualis Eccleſiarum facies quibuſq; fuerit temporibus: vel cauſſas, modoſq;, quibus paullatim corruit imperium Romanum; & ex hujus ruinis aſſurrexere nova regna, ac Reſpublicæ; atque ea ipſa ſæpius formam imperii mutarunt.

Duplicem igitur eſſe verborum curam, colligimus. Vna meliorum eſt temporum, quorum ſermonem æmulari oportet. Vt enim conſuetudo vivendi eſt conſuetudo bonorum: ita conſuetudo ſermonis eſt conſuetudo doctorum; hoc eſt, eorum, qui in claſſicis ſibi ſcriptoribus jure ſuo depoſcunt locum. Altera cura ſeculorum eſt deterioris notæ, quorum linguam mixo barbaram ſatis eſt, ſi intelligamus. Eſtq; poſterius hoc tanto minoris negotii, quanto facilius eſt loquentes intelligere, quàm purè loqui, ac ſcribere. Quæ qui cogitârit, cauſas eadem perſpexerit, cur hoc in opere utrumq; ſuſceperim laborem; & illum, qui efficit, ut purè loquendo libentius audiamur, ac legamur; & alterum, per quem melius eos intelligimus, qui aliter ſcripſere. Ad priorem quidem magnopere me impulit, quod non abſq; dolore conſpicerem, multis etiam non infimi nominis in loquendo ſcribendoq; excidere tam multa, quæ veteres illi Romuli nepotes nunquam dixiſſent. Atque interdum hoc iis etiam uſu venire videbam, qui mirè ſtudent orationis le-

tûs, lenociniis, & calamistris; licet scribendi hoc genus multùm temporis cum rerum dispendio requirat; nec tam animum penetret, quàm demulceat. Verùm per me licet, ut suum quisq; in scribendo genium sequatur. Solum juventutem moneo, ne unâ orationis parte sic studeat ornatui, ut alia contrahat sordes. Atq; hoc eo justius facio, quia si jam sesquiseculo, & ultra, necdum satis sit profectũ salubribus & præceptis, & exemplis: difficile sit videre, quid, sine multorũ monitu, deinceps sit sperandum, succedentibus aliis temporibus, quæ sensum non tam ad sermonis applicent castimoniam, quàm inanes argutias, ac mox etiã ad veterẽ barbariẽ paratura esse viam videantur. Usq; adeo sordere cæpit omnis literaturæ honos; neq; id juventuti modò à labore ad otium proclivi; sed subinde etiam studiorum præfectis, qui sæpius hasce literas, tãquam canus Nilum, tantùm degustarunt; ac docẽdi alios provinciam suscipiunt, antequam didicerunt. Vtinam hæc magis ad animũ revocarent, qui ad clavum sedent Rerumpublicarũ. Non tantopere peccaretur magistrorũ insciti, pravaq; institutione. Quamquam aliud etiã est, quo gliscat hoc malum: videlicet quotidianus Latini sermonis usus cum iis, quibus studia literarum non maturuerunt. Nam assiduè tales audiendo, simili ad sueſcimus sermoni: ipsi, perperam loquẽtes, perperam discimus scribere. Vt mihi propemodum causſam suam probent, qui arbitrantur, Latinè loquendi morem, qualis quidem obtinet vulgò, non minus officere linguæ castimoniæ, quàm prodesse. Equidem de me ipso istoc dixero, sæpius mihi hoc obtigisse, ut cum semibarbaris cogerer βαρβαρίζειν, si intelligi vellem: quãdoq; etiam sciẽtem deterius locutum, ne exprobrare insciti aliis viderer, quibus minus otii tractandis hisce literis fuisset. Interdũ etiam, dum rerum momenta solùm attendo, video ex vulgari consuetudine adhæsisse illud verbi, quòd soleam improbare. Sed nunquam magis rideo, dicam, an indignor, quam si etiam in editis mihi videam pravo loquendi more abrepto, excidisse, quod serio ipse damnem.

——— Adeo in teneris consuescere multum est. 2. Georg.

Atq; hæc de me ipso eò lubentius consigno, ne quis fortè arbitretur, quia tam multa rejiciam, quæ in hominum doctissimorum libris occurrant, eo detrahere cujusquã nomini voluisse. Non possum inficiari, quãdoq; me, quo dictis facerem fidem, nomina eorum apposuisse, quibus hu-

 jusmo-

jusmodi excidissent. Sed parcè id egi, ac citra contum eliã: ut cui animus sit tractare ita literas, depreciem ut neminẽ. Itaq;, quantum recordor, superstitũ nominibus peperci sẽper, de vitiis solis dicere contentus. Nã quid ego, vel figurato sermone, tangere aliquem in animum inducerem? Malumne carperẽ & indoctum? At non tam seculi, ac rerum, sum ignarus, ut nesciã, quid sit crabrones excitare. Num igitur reprehenderẽ bene de studiis meritum, vel merentem? At, in hujusmodi quidem argumento, quid hoc foret, nisi in simpulo fluctus excitare? imò quid aliud, quam pipulũ aliis facere, fortasse me ipso longè melioribus? Errarunt aliqui? Commune hoc cum illis habeo: imò nec aliud mihi persuasero, quãdum homullus, si alicujus industriæ, at ingenij, ut puto, pusilli, spissis adeò occupationibus, domesticis etiã mortibus, ac malis distractus, tot jã annos, tam multa, tã disparis argumenti, scribo assiduè, non paullò sæpiũ me aliquid humanitus perpessum, quã alios permultos. Atq; ab hac diffidentia mea, simul malevolorum livore, proficiscitur, quòd ut cũq; à sapientia doctrina, sacra imprimis, avellar invitus: subinde tamen relabar ad adolescentia nostra studia; eoq; tetricã nunc senectæ soler operã, quòd sciam imbecillitatem meam, ac cogitẽ, in istiusmodi Grammatico argumento tutiùs aberrari; minusq; laborandum esse de omniscriolis quibusdam. Quemadmodum enim, ut ait poëta †,

† Juven. Sat. 1.

——— *nulli gravis est percussus Achilles:*

ita minus molestum iis fuerit, si cogitem de barbarie profligandâ. Quo etiam animo septem de arte Grammatica libros ante decennium Serenissimo Wallia Principi consecrabã. Nec alia mente cogito de divulgãdo grandi Originum opere, in quo agitur de verborum Significationib⁹. Imò, quò minùs diu adspexerit lucẽ, id solùm in causa est, quòd sic distinear, &, nescio quomodo, alia semper, atq; alia, prævertant. Sed nimis diu insisto priori sermonis curæ, quâ repastinamus barbarorum sentices, multásq; evellimus herbas, quæ non in Romanis sucrevere hortis, sed aliunde à barbaris, vel semidoctis, sunt illatæ.

Alteram verborum curam in eo collocabam, ut illos etiam intelligeremus, qui collabente, vel collapsa jam Latinitate, vivebant. Equidem memini, cùm primitus, aurum duntaxat tractare adsuetus, abderẽ me in hos seu ferreos, seu lutulentos scriptores; crebro evenisse, ut propemadum

dum non magis eos intelligerem, quàm si alium in orbẽ delatus forẽ. Ac interfui simili aliorum querimoniæ, qui eos jamdiu de manibus abjecerant, quia de assequenda eorũ mente desperarent; quando, ut dici solet, legere, & non intelligere, verius sit negligere. Horũ igitur studia adjutũ ire volui laboribus nostris, haut ignarus, nonnisi per notitiã vocabulorũ posse perviniri ad intelligentiam rerum. Verùm inquiunt nõnulli, damnosam videri operã hanc nostram, tam ratione vocabulorũ, quàm etiã rerum. Nam (ut de verbis eos priùs audiamus) cogitare jubẽt, si Pomponius Lætus, modò ipsi credimus, eò discere noluerit sermonem Græcum, ne Græca Latinis misceret, vel structurã Latinam cõmutaret Græca: lõgè justiùs abstineri à mixobarbaris, ne eorum lectione deteratur Romani sermonis nitor. Sed digna hæc pueris est oratio: quos ab ejusmodi scriptoribus ipsi etiã arcemus. Siquidem hos iis demum commendamus, qui jam subacti sint in optimis auctoribus, ac minimùm historiarũ disciplinarumq; rudimentis imbuti. Nec enim, jam ætate ac judicio firmatioribus, metuendum inde erit illud periculum, quod formidant. Atq; ut fortasse aliquid amitteretur de castimonia sermonis, pulcrè tum id cõpensabitur utilitate rerum præstantissimarũ, quas ex scriptoribꝰ iis addiscimus. Sed enim huic, quod de rebus dicimus, multo magis repugnãt. Neq; n. persuadere sibi possunt, non cordis fuisse plumbei, qui ferrea dictione uterentur. Quasi non & in horridè adeo locutis, locũ habere possit illud Varronis Bimargo: Avi, & atavi nostri, cum alliũ, ac cæpe, verba eorum olerent, tamen optimè animati erant. *Nec sanè quisquã, nisi qui nunquam legerit, diffiteri possit, permulta apud eos invenire, quibus non solũ doctiores, sed etiã prudẽtiores, &, quod caput est, meliores reddamur. Longũ fuerit, si per singulas ire scientias velim; ac referre nova, præclaraq; eorũ reperta: sine quibꝰ esset, defraudaremur magnã, ac perutili prope omniũ doctrinarũ parte; nobilissimaq; etiã studia manca, ac mutila esse, necesse foret. Quamobrẽ illud solùm dicam, quod antea etiã tangebã; si cui legere suffecerit tempera, quibus viguit sermo Romanus; nec adire eos sustineat, qui pura minus, vel etiam impura dictione posteà scripserunt: non posse eum in multis, ac maximis rebus, nisi alienis videre oculis, ac sapere ex juniorum compendiis, magnis sæpe veritatis dispendiis, dum propemodum quisque rem narrat, prout ipse factam esse cuperet. Si quem ejusmodi furfures,*

& lutosa fossa pascunt: quo pacto liquidò statuere possit de cunctis illis, quæ pertinent ad inclinationem, ac finem veteris imperij Romani: vel ortum, ac progressum tot novorum regnorum, ac Rerumpubl. quæ inde enascebãtur? Quid certi idem promet, de ingentium tot heroum virtutibus, & præclarè gestis? Ac, ne in civilibus consistam, quo pacto providentiam Dei contemplabitur in Ecclesia multis adeò seculis conservanda, augendaq; ? Qua fide referet vitas, mortesq; martyrum, confessorum, aliorumq; sanctorum? unde sciet, quæ doctrina fuerit omniũ temporũ? in quibus à se abierint doctores? ubi alii alios tolerarint? quando, & quâ occasione hæresis quæq; cæperit, & quibus argumentis adversus eam sit pugnatum? quæ conciliorum vel universalium, vel particularium, fuerint decreta? & id genus alia permulta. Mea proinde sic fert ratio: quisquis solidam sibi comparare doctrinam volet, eum per secula ambulare universa, & ab omnibus sapientibus, quales etiam sunt in illis semibarbaris, discere oportere. Quid enim illa nos barbaries terreat? Verba satis fuerit si intelligamus; res pulcras animo inscribemus: ut hic quoq; habeat locum illud Hebræorum proverbium: Malum granatũ inveni, interiora comedi, corticem adjeci.

Atq; ex his satis arbitror elucere, cur, cum nihil pulcrius ducerem, quàm non uno nomine bene de studiis mereri; priori verborũ curæ addiderim alterã hanc varia exponendi glossemata, ut eo pacto scriptores mixobarbari meliùs intelligerentur. Itaq; licet non legerem res propter verba; sed attenderem verba, ut res perciperentur; obiter tamen consideravi, quæ præ novis negligerent vetera; quæq; præ veteribus usurparent nova. Annotavi etiam pleraq;, ut liqueret, quæ posterioribus irrepserint temporibus, & quomodo sint locuti, dũ sermo viguit Romanus: atq; ubi voces forent obscuriores, quales imprimis illæ, quæ sunt originis barbaræ; ostendi, quomodo illa efferre soleant, qui meliori ævo vixissẽt. Vt posterior hæc cura quodãmodo quoq; contineat partem prioris: quia sic interpretor recentia, ut pariter indicem antiqua. Quod sicui aliqua videar injuria reposuisse in barbaris, aut quid barbara quædam significẽt, parum assecutus: ne propterea in eorum me numerum reponat, qui, cùm paucos solùm legerint, de omnibus judicium sibi permittant; sed cogitet potiùs, me exponere (ut Xenophanes Colophonius ait apud Varronem)

rem) quid putem; non quid contendam. Illos minus moror, qui conquerentur, multa adeo nobis praterita. Nam & alius post me cogetur dicere illud Columellæ: * In magna silva boni venatoris est indaganter teras quamplurimas capere: nec cuiquam culpæ fuit non omnes cepisse. *Et cur non ingenuè agnoscam, non omnia mihi lecta; ac in iis, quæ legerim, non sic ad omnia attendisse, ut conveniret: sæpè etiã legisse non incuriosè; sed dum cura hac magis in rerum pondere insumitur, pleraq; animi, & corporis oculos subterfugisse in iis, quæ ad vocum minutias pertinerent. Mitto, quod dũ olim observata horis colligo subsicivis, multa eò se minùs animo obtulere, quia semper nobiliorũ studiorũ ardor hinc revocaret; ac festinantiùs fortasse, quam res exigeret, deproperare juberet hunc commentarium nostrum. Accipe aliã præterea ejusce rei causam. Cùm, ante hos annos XXX, varia lectione non pauca in hoc argumento observâssem; posteaq; fierem certior de nobilissimi equitis Spelmanni instituto, ac simul conjunctissimi collega Ioannis Meursii, qui & ipse lexici sui Latino-barbari sæpe mihi, & amicorum aliis, spem faciebat; ac paullo pòst viderem, magno animo eundẽ laborem aggredi Guilielmum Noomsium, Arlandervenia Dominũ, tum tẽporis eto iamnum adolescentem, ing. Academia Leidensi, studiorum gratia, domi viventem mea: meliùs fore judicavi, si trigæ illi provincia hac cederẽ; quando sat supererat, in quo industriam exercerem. Ita factum, ut quæ scripsissem, in angulum bibliothecæ abderem; ac quanquam innumeros posteà scriptores versarem, unde non exigua huic argumento fieri posset accessio, non tamen, ut antea solebam, ejusmodi in chartas nostras referrem. Post luctuosam trium illorũ mortem, pœnituit intermissi hujus laboris, cùm aliis de causis, tum quia nunc in illo hiatu scriptorum, ex quibus adnotare ejusmodi neglexeram, definire non auderem, quis scriptorum superstitum, & hoc illove usorum vocabulo, foret antiquissimus. Quod tamen & utile fuisset, & considerationem habuisset non injucũdam. Sed quid agerẽ? Num idcirco multos adeo, quos legissem, præcipuè sacri argumenti, vel historiæ gratia, vel ob res alias, eorum ego lectionẽ repeterem propter ejusmodi verba? Hæc faciat aliquis, qui Mammotrecti dictionem, aut similium, amare possit, ipse μαμμόθρεπτος, καὶ ἰνδάτης, nec tribus sanabilis Anticyris.*

* lib. 5. cap. 1.

Sufficere igitur primò putavi, si duobus complecterer libris, quæ de vitiis sermonis, & falsò suspectis, jam olim observâssem. Sed libro primo penè ad finem perducto, in mentem venit, non inutile fore, si saltem ex schedis, quibus præcipuè de glossematis olim egissem, excerperem potiora, ut ne penitus vel mihi, vel bono publico, vetus labor deperiret. Mox glisciente hoc studio, pulcrius visum, si talia non manu sererem, sed propemodum sacco. Itaq; & plura ex nostris admisi, & ex scriptoribus antea necdum lectis mihi, haud pauca adjeci. Verùm quid moleste adeò causam attinet explicare, unde non consummatior sit labor noster? Malim videri, non quantum præteream, quàm afferam quantum; nec ejusmodi solum, quæ apud alios legantur, sed etiam quæ non legantur. Præsertim quando non quidquid operæ hujus paratum habeo, id nunc divulgo, sed partem duntaxat; ac ne illud quidem dicere habeo, an meliorem. Multa adeò alteri voluminiri reservavi. In quo & barbara commemoro longè plurima, quæ hoc volumine eo prætermisi, quòd initio, ut dixi, tantùm animus foret, dare specimen operis de vocibus Latino-barbaris; non verò ejusmodi, quod quodammodo Glossarii vicem præstaret. Præterea illo volumine prosequor, in quibus non voce totâ, sed sola significatione peccaretur: ut quando vocabulis Latinus non tam utimur, quam abutimur. Qualiũ nõ aspernanda ibidẽ nobis copia promitur; quæ cum ignorata fuerit auribus Romanis; meritò & esse debeat hodiè fastitidio hominibus eruditis. Atq; etiam egi de iis, ubi non in privis peccatur vocibus, sed plurium structura. Imo & tractandum putavi de vitio contrario, quale à nonnullis temeraria committitur censurâ; dum culpant ea in doctissimis viris, ubi à classicis scriptoribus minimè recesserunt. Credo, malit aliquis universa istæc hoc tempore à me publici esse juris facta. Ac præcipuè id dicent, quibus non injucundũ est, grande onus alienis imponere humeris; cùm digito etiã illud allevare, grave ducant. Ego verò non aliud potui in animũ inducere, quàm quod hoc tẽpore præstiti, sufficere omnino pro uno hoc homullo, nõ adeò naris obesæ, ut non sæpius ad istiusmodi argumentum nausearet, ac subinde castigaret seipsum dicto hoc Varronis, Est modus matulæ. *Quem ego modum implêsse nunc mihi hisce quatuor libris visus sum: saltẽ in tantum, ut licuerit mihi pauliſper inamœna hæc permutare, partim amœnioribus, quò animum lassum paullisper reficerem, ac recrearẽ; partim etiam*

etiam magis ſeculo profuturis; modò amicorum ſtare judicio liceat, qui aliũ mallent ἐξαναθιζειν; me verò roſas potiùs colligere, quàm ſpinas. Quid quod aliqui metuerẽt, ne, ultrà ſi progrediar, rem faciam gratiorem inimicis, quam amantibus noſtri? ut qui tetricis hiſce atteram magis mentem, quàm excitem. Horum ego monita tandem in animum admiſi non invitus: ſed ſic, ut interea hac etiam in ſtudiorum parte locum habere pertendam, quod in re alia ſcribit Quinctilianus:† Anideo, inquit, minor eſt M. Tullius Orator, quod idẽ artis hujus diligentiſſimus fuit, & in filio (ut in epiſtolis apparet) rectè loquendi, ac ſcribẽdi, aſper quoq; exactor? Aut vim C. Cæſaris fregerunt editi de Analogia libri? Aut ideo minus Meſſalla nitidus: quia quoſdam totos libellos non de verbis modò ſingulis, ſed etiam literis dedit? Equidem cum tantis viris nolim me vel ingenio, vel doctrina, comparare. At non propterea nihil ſimile habet cauſſa noſtra. Sic n. dum hac elaboro, colui Grammaticas tribus; ut frequentiã Academiam, Lyceũ, vel Porticum, cogitarem. Cauſam attuli, cur, quarto libro exacto, paullum ſiſtere voluerim. Illis, vero, qui è contrario, (quando quot capita, tot ſententiæ eſſe ſolent) nõ abruptum hunc laborem mallent; eo me ſatisfacere æquum eſt, quod, ubi melioribꝰ diffidero operam hanc moleſtam; animus ſit redire ad intermiſſa, orſaq; perficere: & ſicui id ſatis non ſit, etiam eorum, quæ hic vides, dare ἀνυλίγειν ἐκδοσιν, ſive repetitam prælectionem; ut veteres fuiſſe locutos, ex Vlpiani ad Sabinum ſcriptis docet Iuſtinianus*. Nam nunc quidem non ſemper liquebat, quam in trivio hoc inſiſterem viam. Sed dies multorum magiſtra eſſe ſolet: &, ſi ipſe non obſervârorit, credo, qui, Mercurii Enodii inſtar, intendat digitum ad veriora, qualem lubens ſequar. Fortaſſe adum hæc tam liberaliter promitto, admodum bellus homo videar, qui non cogitẽ vel ætatẽ hanc, vel occupationes varias, & quam multa habeam affecta, quæ præmitti ſatiꝰ ſit. Confiteor ſingula: interea accipe cõſilium meum. Sic cenſeo, quidquid de me erit, poſſe ab aliis, & aliter, publico conſulis in hoc argumẽto, utcumq; nõ diffundant ſe per omne propemodũ ſcriptorũ genus: quod laboris video eſſe planè Herculei. Ac primum operã non luſerit, ſi quis obſervationes Pithœi, Bignonii, Lindenbrogii, Colvenerii, Watſii, atq; aliorum, quos paſſim ad partes advoco, ac præcipuè Equitis Spelmanni (cujus utinam partẽ alteram hæredes nõ ulteriùs invideant nobis) unum in corpus cõpingat, nominibus cujuſq; appoſitis; partim ut de auctoritate dicentis melius conſtet, partim ne*

* ſpinas carpere

† lib. 1. cap. 7.

* §Supradictis. Conſtitut. de ſecunda Cod. edit

suâ quemquam gloria defraudet. Atq; hujusmodi glossariũ inserviet juvẽtuti, dum nihil habebit majus. Sed ne hic hæreatur, utinam & alterum exorare possim, tum eos, qui sequiorum seculorum scriptores, editos antehac sine glossariis, vel notis, conferre cum vett. codd. meliore q; in lucem dare cogitant: tũ illos etiã, qui ineditos prorsus, in q; bibliothecis publicis, vel privatis, adhuc delitescentes eruere scriptores parant. Utros q; horũ censeo melius posse de Rep. literariâ mereri, si non fuerint nudâ eorũ editione contenti; sed vestiant eos dẽ, tum luculentis operis argumentis, tum syllabo, sive indice eorũ, qua sui seculi magis, quàm veterũ more, extulerunt: præsertim ubi metus, ne lectori, nec stupido, nec supino animus hærere dubius possit. Ac velim, ut hoc fiat δακτυλοδείκτως†, *locis nempe indicatis, quibus sic loqui scriptor amet. Ulteriùs etiã si liceat expescere, illud erit, ut ne facile quisquã aliũ sibi scriptorem de sumat, quàm cujus & argumẽtum, & dictionẽ, præ multis intelligat. Sive n. materiẽ attendamus, nemo vel in uno studio, nedũ in tã diversis, ubiq; Argus esse possit: sive etiã dictionẽ cogitemus, cùm anus Attica in Theophrasto observârit quiddã peregrinũ, ac in Livio animadversa sit Patavinitas; quanto magis ex illis Latinobarbaris unusquisq; de linguæ suæ indole aliqua transfuderit in alienã! Quare satius sit, edi à quoq; gentis suæ scriptorem, quia is facilius, certiusq;, quid è suæ nationis genio proficiscatur, perspiciet. Quod si varij sic variè operã partientur; solum super sit, ut aliquis postea exsurgat, qui, pulcre adeò priorum adjutus laboribus, hũc judicio bono superaddat, ut ex iis condat corpus plenũ justũq;, vel ejusmodi saltẽ, quod à perfectione proxime abesse videatur. Nam, si aliquid in his studiis video, profecto qui unũ se perficere hoc omne posse speret; majora viribus aggredietur, tanquam Otus, & Ephialtes. Adeo multa hic etiã spissis obscepta sunt tenebris. In cujusmodi negotio semper habet locũ illud Strabonis lib. x:* ἅπαντα μὲν τὰ ἀινίγματα λύειν ἐπ' ἀκριβὲς, ὑ ῥᾴδιον *omnia obscura exactè solvere non est facile. Equidem non difficile modò, sed* ἀδύνατον*, dixero, Exposui libere, quid fieri ab aliis desiderem. Nec enim periculum esse puto, nequis hujusmodi quid à me exspectet; quando & senium, &*

† digito, intento.

* impossibile.

† Horat. lib. 1. od. 4.

Vitæ summa brevis, spem nos vetat inchoare longam.

Abunde igitur erit, si ætate hac ingravescenti, post non ita longũ intervallũ, promissa exsolvam, cũq; bono Deo, ex scriptoribus editis, vel ineditis, quos habeo, vel nanciscar, ad grandem ejusmodi substructionem, lapides, & materiem, tanquam unus è multis, deinceps quoq; suppeditẽ; atq; ita porrò exornem hanc etiam Spartæ literariæ partẽ. Neq; pro labore, qualem exhibeo, vel reliquo, qui fortasse consequetur, aliud præmii requiro, quàm ut ad tetricum hoc studium, sed Reip. literariæ, civili prudentia, ac Ecclesiastica antiquitati, mire utile, aliquid etiam aquis hominibus videar contulisse. Amstelodami, cIↃ IↃ CXLV. III. *Non. Sextiles.*



GERARDI JOANNIS VOSSII

DE VITIIS SERMONIS,

FALSOQUE SVSPECTIS

LIBER I.

CAP. I.

Operis scopus, agere tum de vocibus malè Latinis, tum de falsò suspectis. Duplex esse vitium sermonis, barbarum, & solœcum. An, quod Agellius voluit, sermo rusticus *idem sit, ac* barbarus. Barbarismus *unde dictus, ejusq; definitio: ubi Laërtius fortè emendatus. Secta quædam sic dicta Epiphanio. Barbarismus partim in vocibus singulis, partim conjunctis. Illum privarum vocum, vel esse in vocabulis prorsus peregrinis; vel licet originis sint Latinæ, auri tamen Latinæ ignotis. De posterioribus postmodo majoris operis parte dicendum. Hic actum de planè peregrinis: ut sūt* bagauda, garcio, culbicio, selbmundium, scuria, *& similia magno numero. Quandoq; & eo pertinere voces verè Latinas; sed ὁμωνύμους, diversa quippe tum originis, tum significationis: ut* squilla *pro* tintinnabulo, galea *pro* nave longa. *Vbi & de discrimine navis longæ, ac triremis; & triremim posteriùs inventam. Etiam planè peregrinis accenseri, quæ proximam à barbaris originem habeant; utcumq; remotior origo sit à Græcis, vel Latinis: ut* bursa, *quatenus à Gallis; non quatenus à Pœnis, & cōmento de origine Karthaginis præbuit occasionem. Item* culpa, raubare, *& similia; proximâ quidem origine venientia à Germanis; sed remotiori à Latinis. Eaq; occasione ostensum, multa etiam Germanos habere à Latinis, & Græcis; & unde hoc evenerit.*

CUm non ratione modò, sed etiam oratione, mutis præcellamus animantibus: operam nos dare oportet, ne sermo noster, vel hirtus sit, & obsoletus; vel peregrinus, & barbarus: sed talis planè, qualem aures Romanæ agnoscant pro suo. Propterea ingenti opere, sed hactenus inedito, egimus de vocum origine, & proprietate: publici verò juris jamdiu fecimus libros septem de arte

Grammatica: quibus hanc velut manu tantiſſam adteximus, tum de Latinitate eâ, quæ meritò; tum de illa, quæ injuriâ eſt ſuſpecta. Eſt quidem rectum, ut dici ſolet, index, & ſui, & obliqui. Non dubium tamen, quin aliud ſit ſcire aliquid † συγκεχυμένως, & ἐν τῷ πλάτει, aliud ὅλως, καὶ ἀκριβῶς *. Quod etiam Ariſtoteles tradit lib. 1. Analyt. Poſt cap. 1. Quare & idem non dubitavit agere de Sophiſticis Elenchis: ac tum idem, tum alii, cùm de civili doctrina ſcriberent, vitioſas etiam Reipublicæ formas magnâ curâ explicârunt. Horum igitur exemplo non defugiam laborem, ſeorſum etiam noſtram exponendi ſententiam, partim de vitiis ſermonis; partim quæ pro reiculis vulgo, ac vitioſis, ſed perperam, cenſeantur.

† *Confuſè, & latè, ſive generatim.*

* *Plenè, & accuratè.*

Omnis verò error ſermonis Romani (de hoc enim potiſſimùm loquar) duo ad genera revocatur, quorum prius Græcis βάρβαρον, veteribus Latinis, ſi Agellium † audimus, *ruſticitas* vocatur; credo, quia ruſtici duriùs, aſperiuſque, pronunciarent; hirta quædam, ac rancida, retinerent; nec valde folliciti eſſent de ſono cultiore, vel nitore, & elegantiâ ſermonis. Mihi non videtur vocabulum hoc adamuſſim exprimere, quod Græcis βάρβαρον dicitur: nam ut ruſtici inculiùs loquerentur; non tamen eadem, quæ exteri, vitia committebant. Quod quale ſit, quivis intelliget, qui ſecum cogitabit, quantò aliter loquantur ruſtici; aliter advenæ indigenam ſermonem diſcere aggreſſi. Sanè qui Auguſti ævo Romæ à populo diſcere linguam cœpiſſet Romanam, puto, non dixiſſet, *cujum pecus*. Nec enim tum ſic vulgò loquebantur. Latinum tamen erat, cùm Plautus ipſe, *cuja vox*, & ſimilia, dicat. Ruſtici verò ſermonis hoc genus retinuerant: unde quidam in Antibucolicis παρῳδίας *:

† *Lib. 13, cap. 16.*

* *Verbi in alium ſenſum commutatio.*

Dic mihi, Damœta, cujum pecus, anne Latinum?
Non, verùm Ægonis: noſtri ſic rure loquuntur.

Credo, homo malignìſſimus non hoc dicere voluit, Gallos, vel Hiſpanos, aut Afros advenas, cùm Latinè balbutiunt, ſic loqui ſolere: ſed illud potiùs, ſic fermocinari ruſticos, & his ſimiles, Oſcos, aut Volſcos. At βάρβαρον potiùs ad exteros, ac peregrinos, refertur: uti & vox indicio eſt. Nam בַּר valet, *extra, foras*. In βάρβαρον geminatur, quam dixi, ſyllaba ad majorem animi averſionem ſignificandam: ferè ut vox ſimilis ſignificationis in iſto,

—— ἐκὰς ἐκὰς ἔστε βέβηλοι·
——*procul hinc, procul eſte profani.*

Utcumque igitur *barbarum*, & *ruſticum*, promiſcuè ſumantur; propriè tamen *barbarum* non tam *ruſticum* notat, quàm extraneum, & pere-

peregrinum: quali sermone utentes nec intelligunt, nec intelliguntur. Unde Ovidius v. Trist. el. xi:

Barbarus his ego sum, quia non intelligor ulli.

Et Epops apud Aristophanem * ait, aves, antequam eas loqui docuisset, barbaras fuisse: quod Suidas exponit, *μὴ εἰδότας ἀνθρώπων τὴν φωνήν· nescientes humanam vocem.*

Epiphanio βαρβαϊσμὸς etiam est barbaricæ religionis nomen: eamque religionem obtinuisse ait ab Adamo usque ad diluvium: uti Σκυθισμὸν, à Scythis sic dictum, ab diluvio usque ad Abraham. Nempe quatuor illi sectæ sunt; βαρβαϊσμὸς, Σκυθισμὸς, Ἑλληνισμὸς, & Ἰουδαϊσμὸς. Quam sententiam collegit ex illo Pauli ad Colossenses III: ὁ βάρβαρος, ὁ Σκύθης, οὐχ Ἕλλην, οὐκ Ἰουδαῖος †. Sed argumento, si verum dicere licet, parum firmo.

Juxta Stoicos, ut apud Diogenem est in septimo, ὁ βαρβαϊσμὸς ἐστὶ τῆς λέξεως ἕξις παρὰ τὸ ἔθος τῶν ἰουδαμούντων Ἑλλήνων· *barbarismus est vitiosa dictio præter consuetudinem felicium Græcorum.* Ubi pro ἰουδαμούντων legere malim ἰουδοκιμούντων, h.e. *probatorum.* Sanè Suidæ definitur λέξις παρὰ τὸ ἔθος τῶν ἰουδοκιμούντων, *vox usurpata præter consuetudinem probatorum scriptorum.* Uti solœcismus, λόγος ἀκαταλλήλως συντεθειμένος, *oratio incongruè constructa.* Quam ipsam definitionem apud Laërtium legas. Unde colligi solet, babarismum vocibus inesse singulis; solœcismum, conjunctis. Sed discrimen hoc perpetuum non est. Quippe, ut inferiùs ostendam, non omnis error in vocibus conjunctis, *solœcismus* est dicendus: sed ille duntaxat, qui adversus structuræ ἀναλογίαν, sive canonas, peccat. Ut, *Pugio mea, profectus Lutetiæ, penes Romanis.* At non σόλοικα, sed βάρβαρα sunt, *mendicare de domo ad domum*, pro *domatim*, vel *ostiatim.* *Munera dare supra munera*, pro, *munera muneribus cumulare*, & sexcenta id genus.

Est igitur barbarismus, vel in privis vocibus, vel in conjunctis. Prius genus est duplex. Aliæ enim voces nec usu, nec ortu, sunt Latinæ, aut græcæ: aliæ verò ortu quidem, non tamen usu sunt tales.

Nec origine, nec usu Latinum, aut *Græcum*; sed *Gallicum* est, *baganda* pro latronibus, apud Prosperum in Chronicis, & Salvianum lib. v. *Bannus*, pro proscriptione; *bannire*, pro proscribere, sive interdicere aquâ & igni, in Legibus Longobardicis: *Advisare*, apud Clemangem de annatis non solvendis, pro consulere, vel deliberare; nempe ex *Gallico advi ser*: *Theada*, populus, leg. Sal. Tit. xlix. §. 1. unde *Theodericus*, populis dives. Perperam scribunt *Theodoricus*, quasi à Græcis

set, non Gotthis. Contrà *Toloneus*, pro vectigali, ut Belgis *tol*, Capit. Karoli lib. II. §. XIX. græca origo in prima secundam exigeret vocalem.

BAILLIVUS pervulgatum. Latini dixere prætorem peregrinum. Ab eadem gente est *garcio*. Nempe ex *garson*. Nunc nemo sic loquatur: sed superioribus seculis bonæ id notæ visum fuit. Itaque legas non in prosa modò; ut apud Petrum Blesensem epist. CII, & Rigordum de gestis Philippi Augusti: sed etiam carmine; ut apud Guilielmum Britonem lib. X:

Hunc præcedebat cum parma garcio.

Et lib. XI:

Circuit, atq; alias se garcio vertit ad arces.

Sic illis temporibus è Germanico **truffen**, etiam *truffare* dicebant, pro *delicias facere*. Ut apud Cæsarium Haisterbachensem lib. V, cap. XXIX: *Ego quoque in Suerbachio fui, & satis ibi trufavi.* Ab iisdem est *culbicio*, quod in veteribus glossis exponitur, σφαγὴ ἀειὰ. Nempe ex **coelpis**/quod aliis **calpis**. *Treuga* pro pace: ut *Treuga Dei*, apud Ivonem Carnotensem epist. XC. Similiter pro induciis, *Treugis*, Leg. Longob. lib. II †: ut hodie **treuis**.

† Pag. 65.

Multa id genus habes in capitularibus Caroli Magni: ac Legibus Alamannicis, Ripuariis, & Longobardicis. Ut *campus*, à **camf**, pro *certamine singulari*: *cloca*, pro *campana*, à **gloc**, vel **clok**: *helmum*, pro *galea*, ab **helm**: *muffula*, pro *manicis hibernis*, à **moffe**: *sala*, pro *atrio*, ex **sale**: *fuldasius*, pro *prætore*, ex **schultheis**: *selbmundia*, pro *sui juris*, seu potestate, à **selb**/& **mondig**: *scuria* pro *stabulo*, ex **schuer**: *tunicum*, vel *tunixus*, pro *horto*, ex **tuyn**: & trecenta id genus alia.

Sunt etiam voces peregrinæ, ac barbaræ; quas apud Latinos quidem habeas; sed aliâ origine, ac significatione. Ita *squilla* Latinis herba est: item piscículus, qui græcè κεφὶς: at illi infimæ Latinitatis sic tintinnabulum dixere, à germanico **schelle**: ut leg. *Salica* XXIX. §. Skella. Item Durando lib. I. de Divin. Off. cap. IV. *Notandum est esse genera tintinnabulorum, quibus in Ecclesia pulsatur; squilla, cymbalum, &c.* posteaque: *Squilla pulsatur in triclinio, id est, refectorio.* Sic *scalam*, & *scalas*, *vocavere* κλίμακα. Sed barbari pateram appellarunt *scalam*; non profectò ex græco κάλον, id est *lignum*, quia olim è ligno fieret, ut crédidit Isidorus lib. XX. cap. V: sed planè à germanico **schale**: ut quoque Paullus Warnefridi indicat lib. I. de gestis Longobardorum cap. XXVII: *In eo prælio Alboin Cunimundum occidit; caputq;*

putque illius ſublatum, ad bibendum ex eo, poculum fecit: quod genus poculi apud eos SCALA dicitur: linguâ verò Latinâ PATERA vocitatur.

Hujus etiam generis eſt *galea*, quo Latinis militare capitis tegumentum ſignificatur; ſic dictum, quia antiquitus ex pelle τῆς γαλῆς, ſive *muſtela* fieret. At poſteriori ævo *galéam* vocitarunt navigii genus, quod Belgis **galeie**; nec multum variante voce gallis, Italis, & Hiſpanis, dicitur. Chronicon Auguſtenſe in epiſtola Friderici I: *Convenire fecimus apud Piſas victoriosum ſtolium galearum.* Imò & ad Græcos γαλέας vox pervênit: ut ex Cedreno cognoſcere eſt, ac ſcriptore Etymologici magni, qui γαλέαν interpretatur εἶδος πλοίου λῃστικοῦ†. Sed etſi Græcis γαλέα proximam ab ultima corripiat: Latinis tamen erat porrecta. Ut apud Gotfridum Viterbienſem Chronici Parte VIII:

† *Genus navigii ad prædandum.*

Dum petit Italiam celeri vectante galéa.

Et quiſpiam apud Matthæum Pariſienſem, ad an. CIↃCCXLIII, ſic Regi ait jocabundus:

Interrigaleas, in aquis formido galéas,
Inter eas, & eas, conſulo tutus eas.

Imò *galeida* etiam in uſu erat: quod apud Godfridum Monachum in Annalibus. Sed valde errant viri doctiſſimi, qui pro *galea*, ſeu *galeida*, *triremem* dicere jubent. Favet quidem Phranzes lib. I. c. XXXVI: *Navibus piraticis, quas nunc galeas nominare conſueverunt, ſive triremibus pro triginta inſtructis.* Verùm longè meliùs Aſſer Menevenſis in vita Aelfredi Regis ad an. IↃCCCLXXXVII: *Tunc rex juſſit cymbas, & geleas, id eſt, longas naves fabricari, ut navali prælio hoſtibus adventantibus obviaret.* Multum ſanè differunt *navis longa*, & *triremis*. Prior illa triremim ſe habet, uti genus ad ſpeciem. nam & biremem, & triremem, & id genus naves longas, comprehendit. Sed hodiè iſtarum nulla obtinet, nec à multis retro ſeculis: ſola verò navium longarum in uſu eſt μονήρης, ſive illa unius remigum ordinis; quæ vulgò dicitur *galeia*. Hæc triremi eſt longè antiquior: quippe inventa ab Jaſone Argonauta; ſicut ait Plinius lib. VII. cap. LVI. At, ut ibidem legas, Thucydides prodidit, triremem primò factam ab Aminocle Corinthio; idque trecentis antequam ea ſcriberet annis. Id fuerit annis poſt Jaſonem ampliùs quadringentis. Diſcrimen verò inter eas tale, quòd in longa navi ordines remigum conſiderent in porrectum: in biremibus, triremib', quadriremibus, ac porrò cæteris, in ſublime. Quod Græcis εἰς τὸ ὕψος, non ſolùm εἰς τὸ μῆκος. Nempe hic tabulata plura conſurgebant, ut gradibus etiam differrent remiges; de quo & in primo de re poetica diximus.

Non desunt, qui vocem *galéa*, vel *galeida*, esse putent ex Latino *galea*, quasi *navim* dicas *galeatam*: quomodo B. Hieronymus dixit *prologum galeatum*; qui vulgari Bibliorum versioni præmitti solet. Et fortasse crebrò navis in prora παράσημον * habuit galeam : uti illa, quæ Corintho Ovidium vexit. Sic enim scribit lib. 1. Trist. eleg. x:

Est mihi, sitque precor, flava tutela Minerva,
Navis: & à picta casside nomen habet.

* *Insigne, sive tutelam.*

In puppi erat Minerva; in prora autem cassis : unde ei galeæ, vel cassidis nomen. Ac fortasse hoc παράσημον * frequens : ut inde extensa sit significatio, etsi παράσημον id non esset. Vel qui primæ navis longæ, quam vidissent, hoc παράσημον, & nomen scirent, inde omnes naves longas sic nuncuparunt.

* *Insigne.*

Sanè peregrina sunt quædam, quæ ἀμέσως † sint à gentibus iis, quas Romani dixere barbaras: ἐμμέσως * interim originem habeant à Romanis, vel Græcis. Ita à gallico *bourse* est *bursa*, pro *marsupio*: ut apud Augustinum T. x. ad fratres in eremo, serm. xxxiii, qui est de detestatione ebrietatis. Item Hincmarum epist. viii. c. iii, & Petrum Blesensem epist. lxxiv. Non dubium tamen, quin gallicum vocabulum sit à Græco βύρσα, *corium*, unde marsupia fiebant. Sanè & Græca hæc vox occasionem præbuit fabulæ, qua commenti, Didonem ab Afris emisse solum, quantum circumdare taurino possent tergo: &, ut Appiani utar verbis, ὅσον βύρσα ταύρου περιλάβῃ. Nimirum arcis Carthaginensis à Didone exstructæ nomen erat בָּצְרָה botsra : unde Græci, qui ץ non habent, fecere βύρσα: cum *botsra* non *corium*, ut βύρσα Græcis; verùm *arcem*, sive *munimentum*, atque, ut posteriores dixere, *burgum* notet. Sed de isto pluribus diximus alibi †.

† *Immediatè, sive proxima origine.*

* *Mediatè, sive remotè.*

† *Lib. 1. de Theologia gentili, & Physiologia Christ. c. 31.*

Addam paucula alia, quorum propinqua origo itidem à barbaris; remotior non item. Hujusmodi in Constitut. Karoli M. est *culpa canum*. Quod ex Germanico **coppel honden**. Sed **coppel** omnino est ex *copula*: In lege Salica est *raubare* à Germanico **rauben**. Sed **rauben** est corruptum ex Latino *rapere*. Hujusmodi cum dicimus à barbaris manare, proximam originem attendimus. Quare possis huc etiam referre, cum, vulgarem linguam sequentes, *squinantiam* multi dicunt pro *synancha*: vel (de quo inferiùs loquar) *sciaticam*, pro *ischiade*, sive *ischiaco dolore*. Ex bonis enim Latinis, aut Græcis, facta sunt mala linguæ vulgaris, indeque malè Latina.

Sed hoc non temere persuasero nonnullis eruditis Germanis, vel Belgis; qui injuriam sibi putant fieri, nisi fatearis, quibus

bus ipsi vocabulis utuntur, ea à sese obtinere: ut qui αὐτόχθονες* sint, vel saltem, ex quo terras suas tenuere, prœliis quidem non rarò, at bello non magis, quàm Parthi, à Romanis unquam, aut Græcis, sint devicti; unde colligunt, nihil causſæ esse, cur non credamus, vocabula ea, quæ habent communia, è veteri Lingua Celtica, qualis etiam est Germanorum, potiùs esse derivata ad græcos, & Latinos; quàm ut ab his illa devenerint ad Germanos. Itaque malunt, à **coppel** esse *copula*; à **rauben**/vel **rooven**/esse *rapio*; imò & ipsum Græcum ἁρπᾶ sive ἁρπάζω: ac par ratio in id genus sexcentis. Credo, hæc non dicerent, si scirent, longè aliam fuisse linguam Teutonum priscam, cujus bona pars deperiit: aliam postea receptam, quæ multa admisit exotica, & ita admisit, ut vetera paullatim venerint in oblivionem. E. G. **Vatter**/aut **Vader**/in usu est Germanis, ac Belgis; idque è Latino *pater*, Græcoque πατὴρ: sed prisci Germani pro eo dixere **atto**: ut est in oratione Dominicâ Gothicâ, quæ incipit, **Atta unsar thu in hemina**: pro quo **Atto** apud Walafridum Strabonem: hodieque in Frisia, veteris linguæ observantiores pro eo **haita** usurpant. Sic enim Dominicam hanc orationem ordiuntur: **We haita du derstu biste yne hymil.** Cantabri item ex veteri Lingua Celtica retinent *aita*. Unde sic eadem preces auspicantur: *Gure aita cerne tan aicena*. Longum esset alia in hanc rem adferre: etiam de lingua Persica, veteris Celticæ, vel Schythicæ propagine. Quærat aliquis, unde igitur sit, quòd Teutones, seu Theotisci, sive Germani, obliti linguæ propriæ, tandem ita receperint exotica. Hoc bellè nos docet Walafridus, ab oculorum vitio dictus Strabo, Abbas Augiensis; quo nemo hæc meliùs scire potuit, ob variam doctrinam, & non aspernandam antiquitatem: ut qui ante annos vixerit octingentos, temporibus Ludovici Pij. Hic lib. de rebus Ecclesiasticis, cap. VII. primùm docet, Theotiscos, hoc est, Teutones sive Germanos, multa accepisse ab Romanis, Græcisque; ut **kylch** à κύλιξ, seu *calix*: **vatter** à pater: vel πατὴρ: **mutter** ex *mater*, vel μήτηρ: **genes** à γυναικεῖον, sive *gynecæum*: **kyrch** à κυριακὸν: **bapst** à *Papa*: **heri** ab *heros*: **moon**/& **monath** à μήν. Quibus similia addere potuit innumera. Postea verò subjungit: *Si autem quæritur, quâ occasione hæc advenerint, dicendum & barbaros in Rep. Romana militâsse, & multos Prædicatorum Græca & Latinæ locutionis peritos, inter has bestias cum erroribus pugnaturos venisse: & eis pro causſis, multa nostros, quæ priùs non noverant, utilia didicisse; præcipuéque à Gothis; qui & Geta, cùm eo tempore, quo ad fidem Christi, licet non recto itinere perducti sunt,*

* *Indigenæ, vel potius Aborigines.*

sunt, in Græcorum provinciis commorantes, nostrum, id est, Theotiscum sermonem habuerint. Et, ut historia testantur, postmodum studiosi illius gentis divinos libros in suæ locutionis proprietatem transtulerint, quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur. Et fidelium fratrum relatione didicimus, apud quasdam Scytharum gentes, maximè Tomitanos, eâdem locutione divina hactenus celebrari officia. Utlicet ipse non inter Teutonas modò, sed & φιλοτεύτονας *, cupiam haberi: non possim tamen me illis aggregare, qui sic in animum inducunt, omnia nostra nos habere à nobis. Nec enim omnis sermo Teutonicus amplius indigena est; etsi longè pauciora debeamus Romanis, & Græcis, quàm inclytæ nationes, linguam quæ notholatinam usurpant. Atque hæc dicta sint de peregrinis, quæ barbariem sermoni affundunt Latiali.

* *Germanotum amantes.*

CAP. II.

Barbarorum numero eximi debere peregrina, quæ, florente Româ, facta sunt Romana. Cujus generis plusc̃la adferuntur. Ac primò quæ Gallis debeantur. Vt alauda, *nomen Romanis militibus impositum è lingua Gallica. Item* ambactus. *Sed hoc pro diversa significatione, vel est Gallicum, quomodo usus Cæsar; vel Romanum, qua significatione etiam pro eo dicitur* ambaxus. *Ab iisdem Gallis esse* benna; *à quo* combenno, *&* bennarius. *Item* bracca; *unde Narbonensi Gallia nomen* braccatæ. *Interea hoc tegumento etiam usos esse Germanos, Sarmatas, Bessos, Sacas, Persas. Adhæc* essedi, *vel* essedæ *nomen:* & gæsi, *vel* gessi, *unde* Κελταὶ Γαισάται, Γαισάτοι, *&* Γεσσάτοι. *Pollux emendatus. Item* materis, *& conjectura de ejus vocabuli origine. At de* peculio *falli viros doctos: non item de* petorrito: *quod tamen remotiori origine est à Græcis. Esse & à Gallis* rheda: *unde* ephirrhedium, *quâ formâ à* carro acerra. Rheno *etiam ab iisdem.*

NEc tamen omnia damnantur peregrina, tanquam barbara: sed illa duntaxat, quæ neque donata olim fuerunt civitate Romanâ, neque donari postea meruerunt. Illa igitur excipimus, tum quæ, à barbaro licet fonte derivata, florente nihilominus Româ sunt recepta ab inculpatis linguæ Latinæ auctoribus: tum etiam, quæ junioribus postea similis expressit necessitas. Ordiar à priori genere: ubi pluscula à Gallis venientia, quando hi proximi fuere Romanis, primo referam loco.

ALAUDA nomen legionis erat; in qua soli cives Romani; ut in auxiliis socii. Et tamen Cæsar hoc Gallicum imposuit nomen. Legionis ejusce meminit Cicero ad Atticum, & in Philippicis non semel.

Sic

Sic hi milites dicebantur, quòd galeis cristatis referrent avem, quam Galli *alaudam*; Latini à *galero*, sive *casside*, *galeritam*, & *cassitam*, nuncupabant. Plinius l. xi. c. xxxvii: *Galleritæ appellata quondã postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat alauda.* Marcellus Empiricus initio c. xxix: *Avis galerita, quæ Gallicè alauda dicitur.* Sane hodiéque Gallis vocatur *aloëtte*: & Belgis **leurik** ex *alaurik*. Scio, aliter longè Goropius Becanus lib. i. Gallicorũ. Sed eũ abunde refellunt, quæ diximus.

AMBACTUS Gallicum esse, auctor est Festus, sive Paullus. Pro servo usum esse Ennium, ait idem: & in glossis Philoxeni legitur, *Ambactus*, δοῦλος μισθωτός †. Et in Glossis Placidi: *Ambactus servus.* Sed hac significatione non arbitror esse Gallicum; verum origine Romanum. At Gallicum vicinâ admodum significatione pro ministris, sive, ut nunc loquimur, officialibus. Quomodo usurpat Cæsar, lib. vi. belli Gallici: *Equitum, ut quisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circũ se ambactos, clientesque habet.* Sanè hodieque plerisque Belgarum terris **ambacht** opificium; **ambachter** / vel **ambachsman** / opifex. Sic apud Otfridum Monachum, qui circa annum claruit nongentesimum, habes in Evangelio lib. i. cap. xxv. **ambachten** pro operari: & Willeramus abbas (ante annos ɔlxx) **Die ambachten themo luibe.** *Operabantur cibum vitæ.* Geterùm non de vilibus solùm opificiis, sed honestioribus etiam ministeriis, fuisse usurpatum: cognoscere est, non ex Cæsare solùm; sed etiam Kerone, monacho divi Galli: qui ministerium, & officiũ interpretatur. Sic enim in Glossario: *Minister*, **ambacht.** *Ministraverit*, **ambahtit:** *Officina*, **ambahti.** *Officio*, **ambahte.** *Officia*, **ambaht** Hodieque in Flandria sic præfecturas nuncupant; ut **Cassel-ambacht/ Bergen-ambacht/ Belle-ambacht/** atque, (primæ penè meæ pueritiæ sedẽ) **Vueren-ambacht.** Imò **ampt** / sive potiùs **ambte** / (quod adeò est generale, ut de principum munere sive officio utâmur) est ex **ambet** contractum; uti hoc ex **ambaht** factum. Hæc pluribus sum persecutus; quia Antonius Augustinus in Notis suis ad Festum negat, scire se, cur Festus Gallis hanc tribuat vocem. Imò & Josephus Scaliger, atque alij, arbitrantur, hæc Festo esse à Paullo adsuta. Hoc si est, saltem non fuerit absque judicio factum. Nam Longobardus ille non videtur vicinorum ignorâsse Gallorum linguam: & ex Cæsare potuit addiscere, qui *ambacti* dicerentur. Interim censeo, *ambactum* aliud fuisse Ennio, nempe servum. Qui *ambactus* vocabatur, (ut Salmasii etiam opinio est, in notis ad Flavii Vopisci Carum, Carinum, & Numerianum) quasi ὑπηρέτης, vel ὑπηρέτης:

† *Servus mercenarius.*

μπόλος: hoc est, ut Festus exponit, *circumactus*: quia, mercedis gratiâ, hac illa circumageretur, ac circumduceretur. Pro *ambactus* etiam *ambaxus* dixere, teste eodem Festo: nempe ab *axo* pro egero, ut *faxo* dicebant pro *fecero*. Ab *axo axites* dii, & *axiosa*, vel *axitiosa* mulieres Varroni apud Plautum. Vide, quæ fusè de eo dixi lib. III. de Analogia * cap. XLI.

* Sive lib. 5. de arte, Grammatica.

BENNA acceptum à Gallis. Festus: *Benna lingua Gallica genus vehiculi appellatur: unde vocantur combennones, in eadem benna ſ dentes.* Sanè **benne** hodieque Belgis orbis, cista, vehiculum vimineum quadratum duabus rotis volubile. Hinc *bennarius*, pro quo in Glossis Philoxeni, *benarius*, atque exponitur ἁμαξήλης. *Benna* vocabulo usus Cato de R. R. cap. XXIII. Ubi tamen ab Ausonio Popma editum est *mena*. Sed *benna* est in editionibus prioribus, etiam i Ii Roberti Stephani ac defendit clarissimus, & collega quondam amicissimus, Joannes Meursius.

Braccarum vocabulum meritò Gallis adscribitur à Diodoro Siculo lib. V. χρῶνται δὲ ἀναξυρίσι, ἃς οἱονεὶ βράκας προσαγορεύουσι. *Utuntur etiam vestimentis, quæ ipsi bracas appellant.* Quas & Viridomaro, Gæsatarum Gallorum duci, tribui videas à Propertio lib. IV. el. XI. Imò Galliæ pars hinc dicebatur, *braccata*: nempe Narbonensis; unde apud Tranquillum in Julii Cæsaris vita:

------ Iidem in curiâ
Galli braccas deposuerunt: latum clavum sumserunt.

Nempe ut *togata* Gallia Cisalpina: ita *braccata*, quæ *Provincia* nominatur, quia prima è transalpinâ est facta provincia: reliqua omnis *Comata*, quam Cæsar perdomuit. Ideo Hesychius voce Ἀναξυρίδες habet βράκια βαρβαρικά. In Gallis etiam usi his nostri Batavi; ut est apud Lucanum in primo. Nec soli tamen Galli; sed & in Germania nonnulli: ut Vangiones, in quorum solo Wormacia, Oppenheimium, Moguntia. Imò præter Gallos, & Germanos, usurparunt Sarmatæ. Conjunxit quippe hos Lucanus, loco memorato:

Et qui te laxis imitantur Sarmata braccis,
Vangiones, Batavique truces.

De Sarmatis, & Getis, imò & Bessis, ac Persis, idem Ovidius docet Tristium lib. III. eleg. X. lib. IV. eleg. VI. lib. V. eleg. VII. & X. Ac eâdem mente ἀναξυρίδας, Sacis, ac Scythis, tribuit Herodotus in VII. Paullò aliâ mente Pomponius Mela lib. II. cap. I: *Sarmatæ totum braccati corpus.* Nam hic videtur indumentum signari, quod thoracem, ventrem

ventrem, tibias, parteſque adverſas, pariter tegeret. Cùm verò non in Occidente modò, & Septentrione; ſed Oriente etiam, *braccas* dixerint: planè mihi perſuadeo, eſſe ex iis vocabulis, quæ ex Oriente, ac fortaſſe jam à linguis Babylone confuſis, in terras alias permearint. Sed hoc non impedit, quò minus Romani habeant à vicinis Gallis. Sanè hodiéque hi vocant *brayes*: uti Belgæ, **broek**. Nempe A, & O, facilè commutantur: Itaque pro *mater* pronunciabant barbari *moter*; unde noſtrum **moeder**.

Nec tamen contendero cum quoquam, qui malit, Gallos hanc vocem à Græcis accepiſſe. Nempe ut, ſicuti ex ῥάδιος eſt βράδιον, ita ex μάκρος ſit βράκκος: quomodo βράκκα apud Theocritum legas Idyllio K H *.

SAPO Gallis, quod Plinio, Græco vocabulo *ſmegma*. Sed & apud eundem eſt *ſapo*. Belgis hodiéque **ſeep**. Fortunati eſt in vita S. Radegundis lib. I: *Cum ſapone, à capite uſque ad plantam, membra ſua diluebat.*

Bvlga origine Gallicum eſſe ab eodem Feſto accepimus: qui & *ſaccuſum ſcorteum* exponit: uti Nonius *folliculum omnem, & ſaccuſum ad brachium dependentem.* Hodieque Galli, eliſo L, ut ſæpe, dicunt *bouge*, & diminutivo uſitatori *bougette*. Uſi *bulga* voce Lucilius, & Varro; teſte Nonio.

Esseda etiam eſt vehiculi vel currus genus, quo ſoliti ſunt pugnare Galli: ut ſcribit Junius Philargyrius in III. Georg. A Belgis præcipuè videtur; quando *Belgica eſſeda* ait Maro ibidem. Verùm à Belgis accepiſſe etiam videntur Britanni. Nam *Britanna eſſeda* dixit Propertius lib. II. eleg. I. Seneca in muliebri genere utitur epiſt. LVI. *In iis eſſedas tranſcurrētes pono.* Ejuſq; exemplo Jornandes initio hiſtoriæ Gothicæ: *Curribuſq; falcatis quos more vulgari eſſedas vocāt.* Ab *eſſedo* eſt *eſſedarius*, eſſedi moderator. Partim *eſſedi*, partim *eſſedarii* vocabulo, uſi quoque Cicero ad Trebatiū lib. VII. epiſt. VII, & X, Cæſar lib. V. belli Gallici, Seneca epiſt. XXIX, Suetonius in Caligula cap. XXXV, & in Claudio c. XXI.

A Gallis etiam Gesa, ſeu *Gaſa*. Utroque enim modo dixere; ut Græci γία, & γαῖα *. *Geſa*, vel potiùs *Geſſa*, defendi poteſt è Plutarchi Marcello: cujus poſtea verba apponam. Et apud Soſipatrum eſt, *Geſa, ἄκοντια* †. Sed alij Græcorum γαισὰ, etiam in hiſtoria Judithæ cap. IX. Ac ſimiliter *gaſa* legas in antiquis Latinorum codd. Mſſis. Cæterum gæſa Gallorum fuiſſe: auctor nobis Marcellus. Præter Varronem, & Maronem, quorum loca idem Nonius adfert; uſus quoque Cæſar in tertio de bello Gallico: *Hoſtes ex omnibus partibus ſigno dato, de-*

* terra.

† Iaculi Genus.

currere, lapides, gæsaque in vallum conjicere. Hesychius: Γαισὸς ἰμβόλιον ὁλοσίδηρον· οἱ δὲ μισθὸν ἢ τὸ ἀκόντιον· *Gæsus, jaculum totum è ferro: at secundum alios, merces sive stipendium, vel etiam telum propulsatorium.* Ubi videmus, ut nonnulli putarint, γαισὸν notare *mercedem*. Quam opinionem secuti Polybius lib. II, & Plutarchus in Marcello. Nam ille γαισήτας, ait dici διὰ τὸ μισθῷ στρατεύειν, *quia ære militando mererent:* hic verò sic scribit, μετεπέμποντο τοὺς μισθῷ στρατευομένους, οἱ Γαισάται καλοῦνται. *Arcessebant è Gallia milites stipendiarios, qui Gessata vocantur.* Propterea existimabat vir eruditus esse à voce germanica *gesindium*, vel *gasindium*: ut vocatur familia mercede conducta. Habes in Legibus Longobardicis Tit. XLII. §. 4. & alibi in iisdem, non semel. Et in veteribus Glossariis: *Gasindium, servitium. Gasindio regis, serviente, vel camerario.* Imo & iisdem legas *Gasindiis, judicibus.* Quomodo & Papias: *Gasindiusque honor sub judice.* Sane hodieque Germanis **gesinde** familiam notat. Sed cùm *Gæsum* fuisse telum Gallicum, satis ex Varrone, Marone, & Polybio constet: non dubium, quin veriùs inde *gæsati* dicantur, vel, ut apud Plutarchum scribitur, *gessati*, à *gesso*. Meminit & Strabo in V; ubi eos, qui cum Senonibus Romam cepere, vocat Γαισήτας Κελτούς *. In Orientis etiam notitia est, *Galli gæsati*. Apud Servium in VII. Æn. legas, *Gallis etiam viros fortes gæsos* vocari. Ubi fortasse *gæsari* scribendum. Existimare aliquis possit, gæsis etiam usos esse Afros, propter illud Pollucis lib. VII. cap. XXXIII. Δόρυ ὁλοσίδηρον, καλοῦνται δὲ γαισὸς, ᾧ ἐχρῶντο Λίβυες· *Hasta è ferro tota, vocatur autem gæsus; estque hasta Libyca.* Sed nemo id veterum prodidit: & tam multa, quæ hactenus attuli, satis docent, pro Λίβυες, debere Κελτικὸς rescribi.

* *Gæsatæ Gallos.*

† *Apud Nonium in Materæ.*

MATER quoque, seu *materis*, teli genus, est à Gallis. Sisenna lib. III. †: *Gallia materibus, Suevi lanceis configũt.* Et lib. IV. *Alii materibus, aut lanceis, tamen medium perturbant agmen.* Cornificius, sive quisquis Herennianus ille magister *: *Vt siquis Macedones appellaret hoc modo; Non tam citò sarissæ Græcia potitæ sunt: aut idẽ Gallos significans dicat; Net tã facilè ex Italia materis Transalpina depulsa est.* Ulus & Livius lib. VII: *lævo humero materi prope trajecto.* Straboni lib. IV. eam vocẽ restituit Josephus Scaliger notis in Eclogam Lucani ad Pisonem. Imò & ante eum sic legerat Turnebus lib. IX. Adversar. cap. VII. Ubi & apud Cæsarẽ in primo belli Gallici scribendũ monet: *Nonnulli inter carros, rotasque, materes, ac tragulas subiiciebant, nostrosq; vulnerabant.* Ceterũ hodieque esse Gallis in usu, docet H. Stephanus lib. IV. schediasm. III. Cum verò fuerit longioris lanceæ genus, ut ex Strabonis lib. IV. videmus;

* *Lib. 4. ubi agit de Denominatione.*

ac hastis

chastis lanceisque mensuram alicujus velut decempeda capere, mos militaris: conjectabam, *mater* dici quasi **meter**, h.e. *mensurantem*, *vel dimetientem*.

PECULIUM esse vocem Gallicam, multi è Jurisconsultis tradiderunt; propter illa Ulpiani in Digestis lib. xxiii. Tit. xii. qui est de jure dotium L. ix. §. 3. *Caeterum si res dentur in ea, quae Graeci παραφερνα dicunt, quaeq; Galli peculiũ appellant, videamus an statim efficiantur mariti.* Quem ad locum sic, alios secutus, vir bene de studiis meritus, Dionysius Gothofredus annotavit: *Gallorum vox antiqua: ut combenna, peorita, alauda.* Verùm haut aliud voluit Ulpianus, quam Gallos *peculii* vocabulo uti pro παραφερνα. sive iis, quæ extra dotem essent data: ut eos quidem marito cederet; sed extra eam data, mulieris viderentur; quicunque mariti in domo ageret. Galli igitur vocem Romanam retinxere ad usum peculiarem. Revera autem Romanum est vocabulum, à *pecude* derivatum: unde & *peculatus*. De hac voce *peculii*, & *peculiaris*, in Originum libris plura diximus; aliquid etiam, lib. iv. Orat. Institut. cap. viii. §. xii.

PETORITUM ab iisdem Gallis esse, à Varrone traditum fuit in duodecimo rerum divinarum: atque inde Agellio lib. xv. cap. xxx. Varroni etiam Fabius subscribit lib. i. cap. v. Festus quoque Gallicum esse vehiculum agnoscit: sed de origine vocabuli videtur aliud statuisse. Eam esse ait, qui ab Æolibus putent acceptum: alios quoque ab Oscis deducere, quia sit ἅμαξα τετράκυκλος †: Oscis verò pro τετράκυκλος dicant † *Vehiculum quadriroze.* τετρόκις autem fortasse factum ex τέτορες, vel τέσσαρες. Nam τέτορες non puto apud quemquam eorum reperiri, quos Græcæ linguæ scriptores hodie habemus. *Petoriti*, sive *petorriti* vocem etiam usurpat Ausonius epist. viii:

Cernipedes rapiant imposita petorrita muli.

Et epist. xiv:

Canteri moneo male nota petorrita vites.

RHEDA itidẽ Gallicum est. Quinctilianus lib. i. cap. v: *Plurima Gallica valuerunt: ut rheda, & petorritum quoque: quorum altero Cicero tamen, altero Horatius utitur.* Est vehiculi genus: unde *rhedarium vehiculariũ fabricatorem* legas apud Capitolinum in Maximo, & Balbino. * *carpentarius vehicularius fabricator*, de eo qui fabricat carpenta. *Fabius lib. i. cap. v. Juvenalis sat. 8. vers. 66.* Sempe generale est nomen *vehicularii*: sed *rhedarii*, & *carpentarii*, sunt specialia. A *rheda*, & græco præverbio, factũ est *epirrhediũ*, genus curri quadrati, quod Jo. Scal. rectè scripsit transferri posse *arcerram*;

cùm hoc nomen sit ab *ad*, & *carrus*, non ab *arca*, ut putabat Verro lib. IV. de L. L. Quid verò *arcera* sit, docebit Agellius lib. XX. cap. I.

RHENO ab iisdem Gallis esse, vult Varro in IV. de L. L. Alii autumant, esse à Germanis, Gallorum fratribus; atque ita dici, quia uterentur eo Rheni accolæ. Movet eos, quòd Cæsar in sexto de bello Gallico non de Gallis, sed de Germanis scribat, uti eos pari vis rhenonum tegumentis. Habes & apud Sallustium in Historiarum fragmentis. Erat autem Festis pellicea ab humeris usque ad umbilicum dependens; ut legitur in vett. glossis Missis: idemque firmat Servius in illud III. Georg.

Et pecudum fulvis velantur corpora setis.

NEC non Isidorus Orig. lib. XIX. cap. XXIII. Sed hic esse ait Germanicum. Nempe & hoc ex communi erat lingua Celtica. Nisi Galli illud accepere à Massilien sibus, Græcorum colonis; nam Græcis ῥῆνες, sunt ἄρνες, hoc est, agni; teste Eustathio †. Nempe *Rhenones* pelliceæ erant vestes, ac, primitus è pellibus agninis, postea etiam aliorum animantium. At ridiculè in veteri vocabulario legas, sic dici *renones*, quia iis præcingerentur renes.

CAP. III.

A Germanis accepere Romani vocem frameæ: *quæ sit idem nomen atque* φάλαγξ, *sive* rumpia; *etiam cohastæ genere usi fuerint Thraces. Itidem à Germanis est* cateja: *quæ tamen in usu etiam Belgis, Marcis, Hyrcanis; fortasse & Persis. A Britannis si non Belgis, est* covinus: *eorum etymon illi non esse quærendum extra linguam Celticam.* Covinus, & cohum, *pro* Cœlo, *priscis Latinis, & vocabuli ejus origo. Ab Hispanis est* lancea: *cujus tamen usus etiam Germanis fuit. A Sarmatis est* mastruca.

A Gallis venio ad propinquam gentem, magnam matrem nostram Germaniam, inde periturus Britannium, hinc Hispaniam.

Contentus autem ero, è quaque harum nationum uno, vel summum & altero vocabulo. Quippe ad Afros propero, & Asiam imprimis; unde linguæ omnes, & ipsum genus humanum.

A Germanis est FRAMEÆ vox. Quâ usus est Juvenalis sat. XIII.

Et Martis framea, & Cyrrhæi spicula vatis.

Germanis deberi, docet iste Taciti locus lib. de Moribus Germanorum: *Rari gladiis, aut majoribus lanceis, utuntur. Hastas, vel, ipsorum vocabu-*

vocabulo, frameas gerunt, angusto, & brevi ferro sed ita acri, & ad usum habili, ut eodem telo prout ratio poscit, vel cominus, vel eminus, pugnent. Et eques quidem scuto, frameaque, contentus est: pedites & missilia spargunt &c. Hodieque, ut ibi monet Rhenanus, stylus cultellis adhærens, *framea* similitudine, Germanis **friem** seu **pfriem**, uti Belgis **priem** nominatur. Fortasse & Thracibus in usu fuit. In glossis enim Cyrilli, t vocant, legitur †: *ῥομφαῖα*, framia, gladium. At Livius de Thracibus † Col 603. t lib. xxxi: *Romphaa, ingentis & ipsa longitudinis inter adjectos undique ramos impediebant.* Etiam Agellii est lib. x. cap. xxv: *Rumpia genus telli est Thracæ nationis: positumque hoc vocabulum in Q Ennii annaliũ quinctodecimo.* Sed item Agellius paulò antè telorum, jaculorum, & adiorum genera recensens, *rumpias* & *frameas*, ut diversas recenset.

CATEIA itidem à Germanis videtur. Gallicum esse telum, ait Servius in illud VII. Æn.

Teutonico ritu soliti torquere catejas.

c similiter Isidorus lib. XVIII. Orig. cap. VII. Ubi ne turbet, quod Horatio ait *Cajam* nuncupari. Nam rectè, Lipsio in Poliorceticis lib. IV. al. IV. observatum, pro *Horatius* legi debere *Dorcatius*: cujus & alibi eminit Isidorus. Cæterum Catejam Germanis melius tribuit Alexander Neapolitanus lib. VI. Genialium Dierum cap. XXII. Favet em Maro, cùm torqueri ait Teutonico ritu. Imò Donatus ad eumpse cum sic scribit: *Hi omnes imitati Teutonas mittebant telorum species, e Cateja dicebantur.* Nec soli tamen Teutones, vel Galli, utebantur; l etiam Afri: unde de Macis, Hannibalem ex Africa sequentibus, ita ius lib. III:

——— *Pavida manus est armata cateja.*

que Asia Hircani: qua de gente Valerius Flaccus lib. I. Argonaut.

Et puer è primo torquens temone catejas.

nò veteris vocabularii scriptor ambigit, Gallicum sit, an Persicum: l ad Persas inclinat. Subdit enim: *Cateja, lingua Persarum, est sagitta rbulata quantebatur Hercules.*

A Britannis creditur esse Covini vox; propter hoc Pomponii Melib. III. cap. VI: *Dimicant* (Britanni) *& bigis, & curribus, Gallicè arvi, Covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* Etiam Tacitus in a Agricolæ pugnam cum Britannis describens, *covinarios* eorum minat semel, & iterum. Sic autem vocat, quia è covino pugnarent. d & Galliæ Belgicæ in usu fuisse, liquet ex hoc Lucani in primo:

Et docilis

Et docilis rector rostrati Belga covini.

Ut verò falcatos axes eis tribuit Mela: ita *falciferos* nuncupat Silius in septimodecimo. Nec semper tamen fuisse falcatos, sed in bello duntaxat: innuit Martialis lib. XII. epigr. XXIV: ubi poëta is ait, jucundiùs se vectum covino, quàm carrucâ ullâ, vel essedo. Locum adi. Eo minùs censeo, nomen esse ἀπὸ τῆς κοπῆς, h.e. *sectione*, quæ fieret falcibus. Ac nihilo rectiùs à *cavea* derivant alij, in his Franciscus à Quercu, quia in eo, velut caveâ, consideretur; ut quæ & ad consessum cathedras haberet; unde in glossis Philoxeni legas, *Covinus*, καθέδρων καθεδρωτόν. Nempe neque hoc de loco camerato, & καθεδρωτῷ. neque alterum de falcium sectione, vel Græcum juvant ἔτυμον, vel Latinum; cum vocis Celticæ origo peti debeat è Celtarum lingua; qualis Germanica. Si igitur à sectione est nomen, sic potiùs dicatur à Germanico **hawen**/ quod Belgis **hauwen**. Utrumque significat *secare*. Sed quia, ut dixi, id non erat perpetuum covinis, ut essent falciferi: at semper forent camerati, tectique, vide an non potiùs vox sit à Germanico **haven** / id est, *æther, cælum*: pro quo Angli *heaven*: quomodo *covinni* sonabit id quod Belgis esset, **gehemelde wagen**. At **haven** pro æthere vel vox est primigenia; quales sunt quæ obtinuere à Babylonica linguarum confusione: vel sit ab Hebræo חוֹן *choven* h.e. tegens. Siquidem, ut poëta
*1. Met. * ait, *tegit omnia cælum*. Itaque & priscis Romanis cælum ab Hebræo istoc, non à *chao*, ut Festus putabat, *cohum* dicebatur, vel *covum*: unde apud Varronem *Iuno covella*, h.e. ἐφορία sive *cælestis*: nisi potiùs apud eum *novella* legendum: quod visum Scaligero in secundo de Emendatione Temporum.

Ab Hispanis est LANCEA: ut testatur Varro apud Agellium lib. XV. cap. XXX. Nisi & hoc à Gallis; quod apud Diodorum Siculum legas lib. V. ubi ait: προβάλλονται δὲ λόγχας, ἃς ἰδίως λογχίας καλοῦσι· *Præ se ferunt hastas, quas lanceas illi dicunt*. Pro Hispanis est, quòd non uni Hispaniæ oppido hunc nomen. Sanè *Lancia* Floro lib. IV. memoratur in Hispania. Maxima Asturiæ urbs Dioni prædicatur lib. LIII. Orosius quoque meminit lib. VI. cap. XXI. Itidem λογχιάτας in Asturia statuit Ptolomæus. Idem Λογχίαν Ὀππιδάναν, *Lanciam Oppidanam*, in Lusitania agnoscit. Inque veteri inscriptione, quæ est Alcantaræ in ponte, nominantur *Lancienses Oppidani*, & *Lancienses Transcudani*. Sed possis hæc nullo negotio conciliare, quia origo ab Hispanis: inde traductũ ad Gallos: de quibus scivit homo Græcus, ut propioribus, & magis cognitis: sed Romanis per bella notiores Hispani, quam Græcis. Imò

non

on modò inde accepere Galli, & Germani: quos lanceis usos, constat idem ex Diodori quinto; uti & istis Sisennæ verbis lib. III †: *Gallia atéribus, Suevi lanceis configunt.* Hodieque Germani peditem vocant **Lands-Knecht**, q.d. lancearium militem. Vti vero res inde, ita & omen: non ἀπὸ τῆς λόγχης, ut Festus, sive Verrius nugatur. Tandem & isti sunt Romani, ac Græci. Lucanus lib. VII:

Cujus torta manu commisit lancea bellum.

urtius lib. IX. de Horata Macedone: *Igitur Macedo, haut dubius, emissurum interfici posse, lanceam emisit.* Sed Græci posteriores non λόγχας, λαγχίας, verùm μίναυλα dixere. Quomodo usi Julius Africanus de paratu bell. & Constantinus in Tacticis. Explicat Leo Imp. in Tact. p. VI. §. 32. Οἱ μὲν εἶχον τοὐναντίον, οἱ δὲ τὰ λεγόμενα μίναυλα, ἅπερ οἱ ἀρχαῖοι λόγχας ἐκάλουν. *Habebant contraria, id est, hastas, quas nunc menaulas vocant: quas olim antiqui lonchas nominabant.*

GESA, de quibus antè dictum, Hispanis etiam tribuit, imò eorum entum facit Athenæus in VI †: Παρὰ Σαυνιτῶν θυρεὸν χρῆσιν, ὅθεν καὶ οἱ Ἰβηγαίζων. *A Samnitibus scuti usum, ab Hispanis gæsorum.* Quid Romaliunde habeant, exponit. Et possint ab Hispanis accepisse tam Galli, âm Romani. Paullatim enim nova reperta ad gentes alias, atque alias, nt. Itaque fortasse & Macedones usi. Saltam in quibusdam Statii lis II. Achilleidos legas:

† Pag. 273. edit. Commel.

——*Didici quo Paones arma rotatu,*
Quo Maceta sua gesa citent.*

* Al. tela.

Hispania Pœnos petituri, obiter visemus Sardos; quia inter Italos, nosque, interiecti. Vti Pœnos, ita & hos Phœnicum esse colonos, gnoscere est ex quinto Diodori. A Sardis est MASTRVCA, sive *struga*, vestis ex pelliculis ferarum: ut scribit Isidorus †, qui Germam vestem facit. Sed sequi malo Ciceronem: cujus illud pro Scau-: *Quem purpura regalis non commovit, cum Sardorum mastruca mu-it.* Et orat. de provinciis Consularibus meminit *mastrucatorum Sarlatrunculorum.* Usus quoque Plautus Pœn. act. V. sc. V. Et Prudens lib. II. contra Symm. ——*Mastrucis proceres vestire togatos.*

† Lib. 19. Orig. cap. 23.

CAP. IV.

m in Africam: unde, à Pœnis videlicet, magalia, mapalia, & mappa: *nec obstare huic sententiæ, quòd mappa usus in Circo demum Neronianis*

Non desunt, qui vocem *galéa*, vel *galeida*, esse putent ex Latino *galea*, quasi *navim* dicas *galeatam*: quomodo B. Hieronymus dixit *prologum galeatum*; qui vulgari Bibliorum versioni præmitti solet. Et fortasse crebrò navis in prora παράσημον * habuit galeam : uti illa, quæ Corintho Ovidium vexit. Sic enim scribit lib. 1. Trist. eleg. x:

* *Insigne, sive tutelam.*

Est mihi, sitque precor, flava tutela Minerva,
Navis: & à pictâ casside nomen habet.

In puppi erat Minerva; in prora autem cassis : unde ei galeæ, vel cassidis nomen. Ac fortasse hoc παράσημον * frequens : ut inde extensa sit significatio, etsi παράσημον id non esset. Vel qui primæ navis longæ, quam vidissent, hoc παράσημον, & nomen scirent, inde omnes naves longas sic nuncuparunt.

* *Insigne.*

† *Immediatè, sive proximæ origine.* * *Mediatè, sive remotè.*

Sanè peregrina sunt quædam, quæ ἀμέσως † sint à gentibus iis, quas Romani dixere barbaras: ἐμμέσως * interim originem habeant à Romanis, vel Græcis. Ita à gallico *bourse* est *bursa*, pro *marsupio*: ut apud Augustinum T. x. ad fratres in eremo, serm. XXXIII, qui est de detestatione ebrietatis. Item Hincmarum epist. VIII. c. III, & Petrum Blesensem epist. LXXIV. Non dubium tamen, quin gallicum vocabulum sit à Græco βύρσα, *corium*, unde marsupia fiebant. Sanè & Græca hæc vox occasionem præbuit fabulæ, qua commenti, Didonem ab Afris emisse solum, quantum circumdare taurino possent tergo: &, ut Appiani utar verbis, ὅσον βύρζα ταύρου περιλάβοι. Nimirum arcis Carthaginensis à Didone exstructæ nomen erat בֹּצְרָה botsra : unde Græci, qui ץ non habent, fecere βύρσα: cum *botsra* non *corium*, ut βύρσα Græcis; verùm *arcem*, sive *munimentum*, atque, ut posteriores dixere, *burgum* notet. Sed de isto pluribus diximus alibi †.

† *Lib. I. de Theologia gentili, & Physiologia Christ. c. 31.*

Addam pauca alia, quorum propinqua origo itidem à barbaris; remotior non item. Hujusmodi in Constitut. Karoli M. est *culpa canum*. Quod ex Germanico **coppel honden**. Sed **coppel** omnino est ex *copula*: In lege Salica est *raubare* à Germanico **rauben**. Sed **rauben** est corruptum ex Latino *rapere*. Hujusmodi cum dicimus à barbaris manare, proximam originem attendimus. Quare possis huc etiam referre, cum, vulgarem linguam sequentes, *squinantiam* multi dicunt pro *synancha*: vel (de quo inferiùs loquar) *sciaticam*, pro *ischiade*, sive *ischiaco dolore*. Ex bonis enim Latinis, aut Græcis, facta sunt mala linguæ vulgaris, indeque malè Latina.

Sed hoc non temere persuasero nonnullis eruditis Germanis, vel Belgis : qui injuriam sibi putant fieri, nisi fatearis, quibus

us ipsi vocabulis utuntur, ea à sese obtinere: ut qui αὐτόχθονες* sint, el saltem, ex quo terras suas tenuere, prœliis quidem non rarò, bello non magis, quàm Parthi, à Romanis unquam, aut Græis, sint devicti; unde colligunt, nihil causſæ esse, cur non credaus, vocabula ea, quæ habent communia, è veteri Lingua Celtin, qualis etiam est Germanorum, potiùs esse derivata ad Græcos,& atinos; quàm ut ab his illa devenerint ad Germanos. Itaque manent, à **coppel** esse *copula*; à **rauben**/vel **roouen**/esse *rapio*; imò & ipsum ræcum ἁρπῶ sive ἁρπάζω: ac par ratio in id genus sexcentis. Credo, ec non dicerent, si scirent, longè aliam fuisse linguam Teutonum priam, cujus bona pars deperiit: aliam postea receptam, quæ multa admi- exotica, & ita admisit, ut vetera paullatim venerint in oblivioem. E. G. **Vatter**/aut **Vader**/in usu est Germanis, ac Belgis; idque Latino *pater*, Græcoque πατὴρ: sed prisci Germani pro eo dixere **eto**: ut est in oratione Dominicâ Gothicâ, quæ incipit, **Atta unsar u in hemina**: pro quo **Atto** apud Walafridum Strabonem: hodie- ie in Frisia, veteris linguæ observantiores pro eo **haita** usurpant. c enim Dominicam hanc orationem ordiuntur: **We haita du der, u biste yne hymil.** Cantabri item ex veteri Lingua Celtica retinent a. Unde sic easdem preces auspicantur: *Gure aita cerne tan aicena*. ongum esset alia in hanc rem adferre: etiam de lingua Persica, vete- Celticæ, vel Schythicæ propagine. Quærat aliquis, unde igitur sit, òd Teutones, seu Theotisci, sive Germani, obliti linguæ propriæ, ndem ita receperint exotica. Hoc bellè nos docet Walafridus, ab ulorum vitio dictus Strabo, Abbas Augiensis; quo nemo hæc meis scire potuit, ob variam doctrinam, & non aspernandam antiquitem: ut qui ante annos vixerit octingentos, temporibus Ludovici j. Hic lib. de rebus Ecclesiasticis, cap. VII. primùm docet, Theotios, hoc est, Teutones sive Germanos, multa accepisse ab Romanis, ræcisque; ut **kylch** à κύλιξ, seu *calix*: **vatter** à pater: vel πατὴρ: **mut r** ex *mater*, vel μήτης: **genes** à γυναικεῖον, sive *gynecæum*: **kyrch** à κυριακὸν: **bapst** à *Papa*: **her** ab *heros*: **moon**/& **monath** à μήν. Quibus silia addere potuit innumera. Postea verò subjungit: *Si autem quæritur, á occasione hæc advenerint, dicendum & barbaros in Rep. Romana ilitâsse, & multos Prædicatorum Græcæ & Latinæ locutionis peritos, inr has bestias cum erroribus pugnaturos venisse: & eis pro causſis, multa stros, quæ priùs non noverant, utilia didicisse; præcipuèque à Gothis; qui Geta, cùm eo tempore, quo ad fidem Christi, licet non recto itinere per duxti sunt,*

* *Indigenæ, vel potiùs Aborigines.*

sunt, in Græcorum provinciis commorantes, nostrum, id est, Theotiscum sermonem habuerint. Et, ut historiæ testantur, postmodum studiosi illius gentis divinos libros in sua locutionis proprietatem transtulerint, quorum adhuc monumenta apud nonnullos habentur. Et fidelium fratrum relatione didicimus, apud quasdam Scytharum gentes, maximè Tomitanos, eâdem locutione divina hactenus celebrari officia. Ut licet ipse non inter Teutonas modò, sed & φιλογέρμανος *, cupiam haberi: non possim tamen me illis aggregare, qui sic in animum inducunt, omnia nostra nos habere à nobis. Nec enim omnis sermo Teutonicus amplius indigena est; etsi longè pauciora debeamus Romanis, & Græcis, quàm inclytæ nationes, linguam quæ notholatinam usurpant. Atque hæc dicta sint de peregrinis, quæ barbariem sermoni affundunt Latiali.

* *Germanorum amantes.*

CAP. II.

Barbarorum numero eximi debere peregrina, qua, florente Româ, facta sunt Romana. Cujus generis pluscula adferuntur. Ac primò quæ Gallis debeantur. Vt alauda, *nomen Romanis militibus impositum è lingua Gallica. Item* ambactus. *Sed hoc pro diversa significatione, vel est Gallicum, quomodo usus Cæsar: vel Romanum, qua significatione etiam pro eo dicitur* ambaxus. *Ab iisdem Gallis esse* benna; *à quo* combenno, *&* bennarius. *Item* bracca; *unde Narbonensi Gallia nomen* braccatæ. *Interea hoc tegumento etiam usos esse Germanos, Sarmatas, Bessos, Sacas, Persas. Adhæc* essedi, *vel* essedæ *nomen: &* gæsi, *vel* gessi, *unde* Κελταὶ γαισάται, Γαισάτοι, *&* Γεσσάτοι. *Pollux emendatus. Item* materis, *& conjectura de ejus vocabuli origine. At de* peculio *falli viros doctos: non item de* petorrito: *quod tamen remotiori origine est à Græcis. Esse & à Gallis* rheda: *unde* ephirrhedium, *quâ formâ à* carro acerra. Rheno *etiam ab iisdem.*

NEc tamen omnia damnantur peregrina, tanquam barbara: sed illa duntaxat, quæ neque donata olim fuerunt civitate Romanâ, neque donari postea meruerunt. Illa igitur excipimus, tum quæ, à barbaro licet fonte derivata, florente nihilominus Româ sunt recepta ab inculpatis linguæ Latinæ auctoribus: tum etiam, quæ junioribus postea similis expressit necessitas. Ordiar à priori genere: ubi pluscula à Gallis venientia, quando hi proximi fuere Romanis, primo referam loco.

ALAUDA nomen legionis erat; in qua soli cives Romani; ut in auxiliis socii. Et tamen Cæsar hoc Gallicum imposuit nomen. Legionis ejusce meminit Cicero ad Atticum, & in Philippicis non semel.

Sic

Sic hi milites dicebantur, quòd galeis cristatis referrent avem, quam Galli *alandam*; Latini à *galero*, sive *casside*, *galeritam*, & *cassitam*, nuncupabant. Plinius l. xi. c. xxxvii: *Galleritæ appellata quondà postea Gallico vocabulo etiam legioni nomen fecerat alaudæ.* Marcellus Empiricus initio c. xxix: *Avis galerita, quæ Gallicè alauda dicitur.* Sane hodiéque Gallis vocatur *aloëtte*: & Belgis **leurik** ex *alaurik*. Scio, aliter longè Goropius Becanus lib. i. Gallicorũ. Sed eũ abunde refellunt, quæ diximus.

AMBACTUS Gallicum esse, auctor est Festus, sive Paullus. Pro servo usum esse Ennium, ait idem: & in glossis Philoxeni legitur, *Ambactus*, δοῦλος μισθωτὸς †. Et in Glossis Placidi: *Ambactus servus.* Sed hac significatione non arbitror esse Gallicum; verum origine Romanum. At Gallicum vicinâ admodum significatione pro ministris, sive, ut nunc loquimur, officialibus. Quomodo usurpat Cæsar, lib. vi. belli Gallici: *Equitum, ut quisque est genere copiisque amplissimus, ita plurimos circũ se ambactos, clientesque habet.* Sanè hodieque plerisque Belgarum terris **ambacht** opificium; **ambachter**/vel **ambachsman**/opifex. Sic apud Otfridum Monachum, qui circa annum claruit nongentesimum, habes in Evangelio lib. i. cap. xxv. **ambachten** pro operari; & Willeramus abbas (ante annos ɔɔlxx) **Die ambachten themo luibe.** *Operabantur cibum vitæ.* Geterùm non de vilibus solùm opificis, sed honestioribus etiam ministeriis, fuisse usurpatum: cognoscere est, non ex Cæsare solùm; sed etiam Kerone, monacho divi Galli: qui ministerium, & officiũ interpretatur. Sic enim in Glossario: *Minister*, **ambacht.** *Ministraverit*, **ambahtit:** *Officina*, **ambahti.** *Officio*, **ambahte.** *Officia*, **ambaht** Hodieque in Flandria sic præfecturas nuncupant; ut **Cassel-ambacht/Bergen-ambacht/Belle-ambacht/** atque, (primæ penè meæ pueritiæ sedẽ) **Vueren-ambacht.** Imò **ampt**/sive potiùs **ambt**/(quod adeò est generale, ut de principum munere sive officio utâmur) est ex **ambet** contractum; uti hoc ex **ambaht** factum. Hæc pluribus sum persecutus; quia Antonius Augustinus in Notis suis ad Festum negat, scire se, cur Festus Gallis hanc tribuat vocem. Imò & Josephus Scaliger, atque alij, arbitrantur, hæc Festo esse à Paullo adsuta. Hoc si est, saltem non fuerit absque judicio factum. Nam Longobardus ille non videtur vicinorum ignorâsse Gallorum linguam: & ex Cæsare potuit addiscere, qui *ambacti* dicerentur. Interim censeo, *ambactum* aliud fuisse Ennio, nempe servum. Qui *ambactus* vocabatur, (ut Salmasii etiam opinio est, in notis ad Flavii Vopisci Carum, Carinum, & Numerianum) quasi ἀμφίεπτος, vel ἀμφίεπόμενος:

† Servus mercenarius.

μιον: hoc est, ut Festus exponit, *circumactus*: quia, mercedis gratiâ, hac illa circumageretur, ac circumduceretur. Pro *ambactus* etiam *ambaxus* dixere, teste eodem Festo: nempe ab *axo* pro ago, ut *faxo* dicebant pro *fecero*. Ab *axo axites* dii, & *axiosæ*, vel *axitiosæ* mulieres Varroni apud Plautum. Vide, quæ fusè de eo dixi lib. III. de Analogia * cap. XLI.

* Sive lib. I. de arte Grammatica.

BENNA acceptum à Gallis. Festus: *Benna lingua Gallica genus vehiculi appellatur: unde vocantur combennones, in eadem benna sedentes.* Sanè **benne** hodieque Belgis orbis, cista, vehiculum vimineum quadratum duabus rotis volubile. Hinc *bennarius*, pro quo in Glossis Philoxeni *benarius*, atque exponitur ἁμαξήλατος. *Benna* vocabulo usus Cato de R. R. cap. XXIII. Ubi tamen ab Ausonio Popma editum est *mena*. Sed *benna* est in editionibus prioribus, etiam i Ii Roberti Stephani: ac defendit clarissimus, & collega quondam amicissimus, Joannes Meursius.

Braccarum vocabulum meritò Gallis adscribitur à Diodoro Siculo lib. V. χρῶνται δὲ ἀναξυρίσι, ἃς ἀντὶ βρακῶν περικεῖνται· *Utuntur etiam vestimentis, quæ ipsi bracas appellant.* Quas & Viridomaro, Gæsatarum Gallorum duci, tribui videas à Propertio lib. IV. el. XI. Imò Galliæ pars hinc dicebatur, *braccata*: nempe Narbonensis; unde apud Tranquillum in Julii Cæsaris vita:

------ Idem in curiâ
Galli braccas deposuerunt: latum clavum sumserunt.

Nempe ut *togata* Gallia Cisalpina: ita *braccata*, quæ *Provincia* nominatur, quia prima è transalpinâ est facta provincia: reliqua omnis *Comata*, quam Cæsar perdomuit. Ideo Hesychius voce Ἀναξυρίδες habet βρακῶν βαρβαρικῶν. In Gallis etiam usi his nostri Batavi; ut est apud Lucanum in primo. Nec soli tamen Galli; sed & in Germania nonnulli; ut Vangiones, in quorum solo Wormacia, Oppenheimium, Moguntia. Imò præter Gallos, & Germanos, usurparunt Sarmatæ. Conjunxit quippe hos Lucanus, loco memorato:

Et qui te laxis imitantur Sarmata braccis,
Vangiones, Batavique truces.

De Sarmatis, & Getis, imò & Bessis, ac Persis, idem Ovidius docet Tristium lib. III. eleg. X. lib. IV. eleg. VI. lib. V. eleg. VII. & X. Ac eâdem mente ἀναξυρίδας. Sacis, ac Scythis, tribuit Herodotus in VII. Paullò aliâ mente Pomponius Mela lib. II. cap. I: *Sarmatæ totum braccati corpus.* Nam hic videtur indumentum signari, quod thoracem, ventrem

ventrem, tibias, parteſque adverſas, pariter tegeret. Cùm verò non in Occidente modò, & Septentrione; ſed Oriente etiam, *braccas* dixerint: planè mihi perſuadeo, eſſe ex iis vocabulis, quæ ex Oriente, ac fortaſſe jam à linguis Babylone confuſis, in terras alias permearint. Sed hoc non impedit, quò minus Romani habeant à vicinis Gallis. Sanè hodiéque hi vocant *brayes*. uti Belgæ, **broek**. Nempe A, & O, facilè commutantur: Itaque pro *mater* pronunciabant barbari *moter*; unde noſtrum **moeder**.

Nec tamen contendero cum quoquam, qui malit, Gallos hanc vocem à Græcis accepiſſe. Nempe ut, ſicuti ex βίδος eſt βρίδος, ita ex βάκτρον fit βράκτρον: quomodo βράκυ apud Theocritum legas Idyllio K H *.

SAPO Gallis, quod Plinio, Græco vocabulo *ſmegma*. Sed & apud eundem eſt *ſapo*. Belgis hodiéque **ſeep**. Fortunati eſt in vita S. Radegundis lib. I: *Cum ſapone, à capite uſque ad plantam, membra ſua diluebat.*

BVLGA origine Gallicum eſſe ab eodem Feſto accepimus: qui & *ſacculum ſcortеum* exponit: uti Nonius. *folliculum omnem, & ſacculum ad trachium dependentem.* Hodieque Galli, eliſo L, ut ſæpe, dicunt *bouge*, & diminutivo uſitatori *bougette*. Uſi *bulga* voce Lucilius, & Varro; teſte Nonio.

ESSEDVM etiam eſt vehiculi vel currus genus, quo ſoliti ſunt pugnare Galli: ut ſcribit Junius Philargyrius in III. Georg. A Belgis præſertim videtur; quando *Belgica eſſeda* ait Maro ibidem. Verùm à Belgis accepiſſe etiam videntur Britanni. Nam *Britanna eſſeda* dixit Propertius lib. II. eleg. I. Seneca in muliebri genere utitur epiſt. LVI. *In iis eſſedas tranſcurrentes pono.* Ejuſq; exemplo Jornandes initio hiſtoriæ Gothicæ: *Curribuſq; falcatis, quos more vulgari eſſedas vocat.* Ab *eſſedo* eſt *eſſedarius*, eſſedi moderator. Partim *eſſedi*, partim *eſſedarii* vocabulo, uſi quoque Cicero ad Ttebatiũ lib. VII. epiſt. VII, & X, Cæſar lib. V. belli Gallici, Seneca epiſt. XXIX, Suetonius in Caligula cap. XXXV, & in Claudio c. XXI.

A Gallis etiam GESA, ſeu *Gaſa*. Utroque enim modo dixere; ut Græci γία, & γαῖα *. *Geſa*, vel potiùs *Geſſa*, defendi poteſt è Plutarchi Marcello: cujus poſtea verba apponam. Et apud Soſipatrum eſt, *Geſa*, *dicos incertus* †. Sed alij Græcorum γαισὰ, etiam in hiſtoria Judithæ cap. IX. Ac ſimiliter *gaſa* legas in antiquis Latinorum codd. Mſſis. Cæterum gæſa Gallorum fuiſſe: auctor nobis Marcellus. Præter Varronem, & Maronem, quorum loca idem Nonius adfert; uſus quoque Cæſar in tertio de bello Gallico: *Hoſtes ex omnibus partibus ſigno dato, decurrere;*

* terra.

† Iaculi genus.

currere, lapides, gæsaque in vallum conjicere. Hesychius: Γαισὸς ἐμβόλιον ὁλοσίδηρον· οἱ δὲ μισθὸν ἢ πάλου ἀμυντήριον· *Gæsus, jaculum totum è ferro: at secundum alios, merces sive stipendium, vel etiam telum propulsatorium.* Ubi videmus, ut nonnulli putarint, γαισὸν notare *mercedem.* Quam opinionem secuti Polybius lib. II, & Plutarchus in Marcello. Nam ille γαισάτας, ait dici διὰ τὸ μισθῷ στρατεύειν, *quia ære militando mercerent:* hic verò sic scribit, μετεπέμποντο τοὺς μισθῷ στρατευομένους, οἱ Γαισάται καλοῦνται. *Arcessebant è Gallia milites stipendiarios, qui Gesatæ vocantur.* Propterea existimabat vir eruditus esse à voce germanica *gesindium*, vel *gasindium*: ut vocatur familia mercede conducta. Habes in Legibus Longobardicis Tit. XLII. §. 4. & alibi in iisdem, non semel. Et in veteribus Glossariis: *Gasindium, servitium. Gasindio regis, serviente, vel camerario.* Imo & iisdem legas *Gasindiis, judicibus.* Quomodo & Papias: *Gasindiusque honor sub judice.* Sane hodieque Germanis **gesinde** familiam notat. Sed cùm *Gæsum* fuisse telum Gallicum, satis ex Varrone, Marone, & Polybio constet: non dubium, quin veriùs inde *gasati* dicantur, vel, ut apud Plutarchum scribitur, *gessati*, à *gesso*. Meminit & Strabo in V; ubi eos, qui cum Senonibus Romam cepere, vocat Γαισάτους Κελτούς *. In Orientis etiam notitia est, *Galli gasati*. Apud Servium in VII. Æn. legas, *Gallis etiam viros fortes gæsos* vocari. Ubi fortasse *gæsati* scribendum. Existimare aliquis possit, gæsis etiam usos esse Afros, propter illud Pollucis lib. VII. cap. XXXIII. Δόρυ ὁλοσίδηρον, καλοῦται δὲ γαισὸς, ᾧ ἐπὶ Λιβύων· *Hasta è ferro tota, vocatur autem gæsus; estque hasta Libyca.* Sed nemo id veterum prodidit: & tam multa, quæ hactenus attuli, satis docent, pro Λιβύων, debere Κελτικὸν rescribi.

* *Gæsatas Gallos.*

† *Apud Nonium in Materæ.*

MATER quoque, seu *materis*, teli genus, est à Gallis. Sisenna lib. III. †: *Gallia materibus, Suevi lanceis configũt.* Et lib. IV. *Alii materibus,* * *aut lanceis, tamen medium perturbant agmen.* Cornificius, sive quisquis Herennianus ille magister *: *Ut siquis Macedones appellaret hoc modo; Non tam citò sarissa Græcia potita sunt: aut idẽ Gallos significans dicat; Net tã facilè ex Italia materis Transalpina depulsa est.* Ulus & Livius lib. VII: *lævo humero materi prope trajecto.* Straboni lib. IV. eam vocẽ restituit Josephus Scaliger notis in Eclogam Lucani ad Pisonem. Imò & ante eum sic legerat Turnebus lib. IX. Advers. cap. VII. Ubi & apud Cæsarẽ in primo belli Gallici scribendũ monet: *Nonnulli inter carros, rotasque, materes, ac tragulas subiiciebant, nostrosq; vulnerabant.* Ceterũ hodieque esse Gallis in usu, docet H. Stephanus lib. IV. schediasm. III. Cum verò fuerit longioris lanceæ genus, ut ex Strabonis lib. IV. videmus;

* *Lib. 4. ubi agit de Denominatione.*

ac hastis

ac hastis lanceisque mensuram alicujus velut decempeda capere, mos sit militaris: conjectabam, *mater* dici quasi **meter**, h.e. *mensurantem, vel dimetientem.*

PECULIUM esse vocem Gallicam, multi è Jurisconsultis tradiderunt; propter illa Ulpiani in Digestis lib. XXIII. Tit. III. qui est de jure dotium L. IX. §. 3. *Caterum si res dentur in ea, quæ Græci παράφερνα dicunt, quæq; Galli peculiũ appellant, videamus an statim efficiantur mariti.* Quem ad locum sic, alios secutus, vir bene de studiis meritus, Dionysius Gothofredus annotavit: *Gallorum vox antiqua: ut combenna, petorita, alauda.* Verùm haut aliud voluit Ulpianus, quam Gallos *peculii* vocabulo uti pro παραφέρνοις, sive iis, quæ extra dotem essent data: ut dos quidem marito cederet; sed extra eam data, mulieris viderentur; utcunque mariti in domo ageret. Galli igitur vocem Romanam restrinxere ad usum peculiarem. Revera autem Romanum est vocabulum, à *pecude* derivatum: unde & *peculatus*. De hac voce *peculii*, & *peculiaris*, in Originum libris plura diximus; aliquid etiam, lib. IV. Orat. Instit. cap. VIII. §. XII.

PETORITUM ab iisdem Gallis esse, à Varrone traditum fuit in quartodecimo rerum divinarum: atque inde Agellio lib. XV. cap. XXX. Varroni etiam Fabius subscribit lib. I. cap. V. Festus quoque Gallicum esse vehiculum agnoscit: sed de origine vocabuli videtur aliud statuisse. Nam esse ait, qui ab Æolibus putent acceptum: alios quoque ab Oscis deducere, quia sit ἅρμα τετράκυκλον †: Osci verò pro τέσσαρες dicant †: τέσσαρες autem fortasse factum ex πίτυρες, vel πίσυρες. Nam πίτυρες non puto apud quemquam eorum reperiri, quos Græcæ linguæ scriptores hodie habemus. *Petoriti*, sive *petorriti* vocem etiam usurpat Ausonius epist. VIII:

Vehicu-lum quadri-rote.

Cornipedes rapiant imposita petorrita muli.

Et epist. XIV:

Canterium moneo male nota petorrita vites.

RHEDA itidẽ Gallicum est. Quinctilianus lib. I. cap. V: *Plurima Gallica valuerunt: ut rheda, & petorritum quoque: quorum altero Cicero tamen, altero Horatius utitur.* Est vehiculi genus: unde *rhedarium vehiculariũ fabricatorem* legas apud Capitolinum in Maximo, & Balbino. Sic *carpentarius vehicularius fabricator*, de eo qui fabricat carpenta. Nempe generale est nomen *vehicularii*: sed *rhedarii*, & *carpentarii*, sunt specialia. A *rheda*, & græco præverbio, factũ est *epirrhediũ**, genus carri quadrati, quod Jo. Scal. rectè scripsit transferri posse *arcerram*; 66,

* *Fabius lib. I. cap. V. Juvenalis usus sat. 3. vers.*

cùm hoc nomen fit ab *ad*, & *carrus*, non ab *arca*, ut putabat Verro lib. IV. de L. L. Quid verò *arcera* fit, docebit Agellius lib. XX. cap. I.

RHENO ab iisdem Gallis esse, vult Varro in IV. de L. L. Alii autumant, esse à Germanis, Gallorum fratribus; atque ita dici, quia uterentur eo Rheni accolæ. Movet eos, quòd Cæsar in sexto de bello Gallico non de Gallis, sed de Germanis scribat, uti eos parvis rhenonum tegumentis. Habes & apud Sallustium in Historiarum fragmentis. Erat autem Festis pellicea ab humeris usque ad umbilicum dependens; ut legitur in vett. glossis Missis: idemque firmat Servius in illud III. Georg.

Et pecudum fulvis velantur corpora setis.

NEC non Isidorus Orig. lib. XIX. cap. XXIII. Sed hic esse ait Germanicum. Nempe & hoc ex communi erat lingua Celtica. Nisi Galli illud accepere à Massilienſibus, Græcorum colonis; nam Græcis ῥῆνες, sunt ἄρνες, hoc est, agni; teste Eustathio †. Nempe *Rhenones* pelliceæ erant vestes, ac, primitus è pellibus agninis, postea etiam aliorum animantium. At ridiculè in veteri vocabulario legas, sic dici *renones*, quia iis præcingerentur renes.

CAP. III.

A Germanis accepere Romani vocem frameæ: *quæ sit idem nomen, ac* ῥομφαία, *sive* rumpia; *etiam eo hastæ genere usi fuerint Thraces. Itidem à Germanis est* catejа: *quæ tamen in usu etiam Belgis, Marcis, Hyrcanis; fortasse & Persis. A Britannis si non Belgis, est* covinus: *eoq; etymon illi non esse quærendum extra linguam Celticam.* Covum, & cohum, *pro* Cœlo, *priscis Latinis, & vocabuli ejus origo. Ab Hispanis est* lancea: *cujus tamen usus etiam Germanis fuit. A Sardiis est* mastruca.

A Gallis venio ad propinquam gentem, magnam matrem nostram Germaniam, inde periturus Britannium, hinc Hispaniam.

Contentus autem ero, è quaque harum nationum uno, vel summum & altero vocabulo. Quippe ad Afros propero, & Asiam imprimis; unde linguæ omnes, & ipsum genus humanum.

A Germanis est FRAMEÆ vox. Quâ usus est Juvenalis sat. XIII.

Et Martis frameam, & Cyrrhæi spicula vatis.

Germanis deberi, docet iste Taciti locus lib. de Moribus Germanorum: *Rari gladiis, aut majoribus lanceis, utuntur. Hastas, vel, ipsorum vocabu-*

vocabulo, framtas gerunt, angusto, & brevi ferro sed ita acri, & ad usum habili, ut eodem telo prout ratio poscit, vel cominus, vel eminus, pugnent. Et eques quidē scuto, frameaque, contentus est: pedites & missilia spargunt &c. Hodieque, ut ibi monet Rhenanus, stylus cultellis adhærens, à *framea* similitudine, Germanis **friem** seu **pfriem**, uti Belgis **priem** nominatur. Fortasse & Thracibus in usu fuit. In glossis enim Cyrilli, ut vocant, legitur †: *ῥομφαῖα*, framia, gladium. At Livius de Thracibus † Col 603. ait lib. xxxi: *Romphaa, ingentis & ipsa longitudinis inter adiectos undique ramos impediebant.* Etiam Agellii est lib. x. cap. xxv: *Rumpia genus teli est Thracae nationis: positumque hoc vocabulum in Q Ennii annaliū quinctodecimo.* Sed item Agellius paullò antè telorum, jaculorum, & gladiorum genera recensens, *rumpias* & *frameas*, ut diversas recenset.

CATEIA itidem à Germanis videtur. Gallicum esse telum, ait Servius in illud VII. Æn.

Teutonico ritu soliti torquere cateias.

Ac similiter Isidorus lib. XVIII. Orig. cap. VII. Ubi ne turbet, quod Horatio ait *Cajam* nuncupari. Nam rectè, Lipsio in Poliorceticis lib. IV. dial. IV. observatum, pro *Horatius* legi debere *Dorcatius*: cujus & alibi meminit Isidorus. Cæterum Catejam Germanis melius tribuit Alexander Neapolitanus lib. VI. Genialium Dierum cap. XXII. Favet enim Maro, cùm torqueri ait Teutonico ritu. Imò Donatus ad eumpse locum sic scribit: *Hi omnes imitati Teutonas mittebant telorum species, quae Cateja dicebantur.* Nec soli tamen Teutones, vel Galli, utebantur; sed etiam Afri: unde de Macis, Hannibalem ex Africa sequentibus, ita Silius lib. III:

——— *Pavidamanus est armata cateja.*

Inque Asia Hircani: qua de gente Valerius Flaccus lib. I. Argonaut.

Et puer è primo torgens temone catejas.

Imò veteris vocabularii scriptor ambigit, Gallicum sit, an Persicum: sed ad Persas inclinat. Subdit enim: *Cateja, lingua Persarum, est sagitta barbulata quam tebatur Hercules.*

A Britannis creditur esse COVINI vox; propter hoc Pomponii Melæ lib. III. cap. VI: *Dimicant* (Britanni) *& bigis, & curribus, Gallicè arma: i. Covinos vocant, quorum falcatis axibus utuntur.* Etiam Tacitus in vita Agricolæ pugnam cum Britannis describens, *covinarios* eorum nominat semel, & iterum. Sic autem vocat, quia è covino pugnarent. Sed & Galliæ Belgicæ in usu fuisse, liquet ex hoc Lucani in primo:

Et docilis

non modò inde accepere Galli, & Germani: quos lanceis usos, constat itidem ex Diodori quinto; uti & istis Sisennæ verbis lib. III †: *Gallia matéribus, Suevi lanceis configunt.* Hodieque Germani peditem vocant **Lands-Knecht**, q.d. lancearium militem. Vti vero res inde, ita & nomen: non ἀπὸ τῆς λόγχης, ut Festus, sive Verrius nugatur. Tandem & usi sunt Romani, ac Græci. Lucanus lib. VII:

Cujus torta manu commisit lancea bellum.

Curtius lib. IX. de Horata Macedone: *Igitur Macedo, haut dubius, eminus interfici posse, lanceam emisit.* Sed Græci posteriores non λόγχας, vel λαγχίας, verùm μίναυλα dixere. Quomodo usi Julius Africanus de apparatu bell. & Constantinus in Tacticis. Explicat Leo Imp. in Tact. cap. VI. §. 32. Οἱ μὲν εἶχον κοντάρεια, οἱ δὲ τὰ λεγόμενα μίναυλα, ἄκρως ἀγχάλους λόγχας ἐκάλουν. *Habebant contraria, id est, hastas, quas nunc menaula vocant: quas olim antiqui lonchas nominabant.*

GESA, de quibus antè dictum, Hispanis etiam tribuit, imò eorum inventum facit Athenæus in VI †: Παρὰ Σαυνίταις θυρεὸν χρῆσιν, παρὰ δὲ Ἰβήρων γαίσους. *A Samnitibus scuti usum, ab Hispanis gæsorum.* Quid Romani aliunde habeant, exponit. Et possint ab Hispanis accepisse tam Galli, quàm Romani. Paullatim enim nova reperta ad gentes alias, atque alias, eunt. Itaque fortasse & Macedones usi. Saltam in quibusdam Statii libris II. Achilleidos legas:

† Pag. 273. edit. Commel.

——*Didici quo Paones arma rotatu,*
Quo Maceta sua gesa citent.*

* Al. tela.

Ex Hispania Pœnos petituri, obiter visemus Sardos; quia inter Italos, Pœnosque, interiecti. Vti Pœnos, ita & hos Phœnicum esse colonos, cognoscere est ex quinto Diodori. A Sardis est MASTRVCA, sive *mastruga*, vestis ex pelliculis ferarum: ut scribit Isidorus †, qui Germanicam vestem facit. Sed sequi malo Ciceronem: cujus illud pro Scauro: *Quem purpura regalis non commovit, cum Sardorum mastruca mutavit.* Et orat. de provinciis Consularibus meminit *mastrucatorum Sardiniæ latrunculorum.* Vsus quoque Plautus Pœn. act. V. sc. V. Et Prudentius lib. II. contra Symm. ——*Mastrucis proceres vestire togatos.*

† Lib. 19. Orig. cap. 23.

CAP. IV.

Icum in Africam: unde, à Pœnis videlicet, magalia, mapalia, *&* mappa: *nec obstare huic sententiæ, quòd mappa usus in Circo demum Neronianis*

esse temporibus cœperit Ægyptiis, sed illis Græca originis, qui post Alexandrum M. istic imperarunt, ciborii *vocem deberi. Zythi etiam nomen videri Ægyptiacum. Atque occasione Zythi actum de aliis potus generibus, peregrino nomine appellatis. Vtii in Dalmatia, & Pannonia, fuit* sabaia; *à qua Valens imperator cõvitio dictus* sabajarius: *& unde nomẽ* sabajæ. *Hispanis similiter fuisse* celiam, *&* ceriam: *& quæ causſa earum vocum. Etiam in potibus barbarorum esse* κῶρμι, *sive* κόρμα: *&* camum, *cujus* ἔτυμον *allatum. Vnde Germani potum suum hordeacium vocent* biriam. Τὸ πῖνον *Græcis pro zytho, seu cervisia.*

EX Sardinia iam ad Pœnos navigemus. A quibus MAPALIA, & MAGALIA; ut testes Sallustius in Jugurth. Plinius lib. IV. Hist. Nat. cap. III, Festus in *Mapalia*, Servius in I. Æn. Hieronymus præfat. in Amos, Isidorus lib. XV. Orig. cap. XII. Hodiéque sic habitationem suam nuncupant. Qua de re ita Goropius Becanus Hermathenæ lib. IV.* : *Certò scio, hactenus* MAGAL *pro habitatione, & domo, apud Arabes Africam habitantes esse in usu: cujus rei testis mihi est annulus amatorius, Arabicam habens inscriptionem, quæ Latinis sonat,* HABITATIO. SIVE DOMICILIUM VITÆ MEÆ: *ubi pro* DOMICILIO *scriptum est* MAGAL, *characteribus, conjunctis illis quidem de more, sed clarè tamen* MAGAL *exprimentibus. Est autem annulus ex Africa allatus; cujus inspiciendi copiam mihi fecit illustrissima domina Comes Cantecroia.* Claud. Dausquejus in II. Orthographicôn ait, & Hebræis מגן *tentorium* notare. Quod non puto: verùm legas pro *orbita, via, semita.* Sed illis מגור, magur, est *habitatio, commeratio.* A quo *magalia* non tantopere abit. Græcis καλύβαι dicuntur; teste Charisio Sosipatro, & glossis Philoxeni. Juvenali *attegia* vocantur sat. XLV.

* Pag. 65.

AB iisdem est MAPPA; si Fabio credimus lib. I. cap. V. Assentio enim Domitio Calderino, qui lib. III. Observationum ita apud eum putat legendum: *Et mappam, circo quoque usitatum nomen, Pœni sibi vindicant.* Ubi pro *circo* malè antea scribi solet Cicero; uti pro *vindicant, vindicavit.* Respicit verò Fabius morem veterum; quo, post pompam percircum ductam, à prætore, vel editore, mappa ex alto, quò ab omnibus conspici posset, mittebatur; ut sic populo signum foret, laxatum iri carcerum repagula, aperiendamque transennam, sive fores σφενδόνας, & καγκέλλατας †, unde equi dimitterentur ad cursum. Cæterùm cùm antè aliud signum dimissionis foret; ea mappæ missio primùm temporibus Neronis signum esse cœpit: ut docet Cassiodorus

† *Retiformes, & cancellatas.*

lib.

lib. III. Var. Ex isto videas, id verè fuisse, quod hodieque *mappam* dicimus. Quomodo igitur *mappa* Punicum est vocabulum? Suspicor, Romanos veteres mensam quidem stravisse mantili, cujus bona pars de mensa dependêret, ad manus tergendas: sed morem eum, ut quisque mappam propriam haberet, imò ad convivium deferret, esse à Pœnis, & cum more eo vocabulum. Solùm igitur à Romanis fuerit consuetudo, missione mappæ significandi in circo equorum dimissionem. Vocem מפה *mappa* legas eapse significatione in Thalmude Tract. Pesachim. fol. 100. Sed non dubium, quin eam à Romanis acceperint Rabbini.

ZYTHUM etiam acceptum ferimus Ægyptiis: ut *Celiam* Hispanis, alia potus genera aliis, qua de re sic Hadrianus Junius lib. II. Animadvers. cap. XII: *Hoc in genere varia lego usitata fuisse nomina: nam Zythum dixisse Aegyptum invenio, Celiam, & Ceriam Hispanos, Cervisiam Gallos, Sabaiam Illyrios, Parabiam Paonas, Gurmi barbaros nescio quos, & Alam Anglos, detortâ nonnihil voce, ut equidem existimo, Danicâ, qua Oela appellatur: ea namque gens olim Angliam immigravit. Nam ab alica appellationem derivare cum Ruellio, insciitia est.* De Ruellio quod ait, id apud eum legas lib. II. de Natura stirpium, cap. XVIII. *Zythum* verò Ægyptiis dici, clarè ait Theophrastus lib. VI. de caussis plantarum cap. XV: Ὥσοι τὸ, οἴνους ποιοῦντες ἐκ τῆς κριθῆς, καὶ τῆς πυρῶν· καὶ τὸ ἐν Αἰγύπτῳ καλούμενον ζῦθον. *Ut qui vinum ex hordeo, triticove, conficiunt: aut quod Zythum Aegyptus appellat.* Idemque voluit Columella lib. X:

Ut Pelusiaci poritet pocula zythi.

Adhæc Plinius lib. XXII. cap. ultimo: *Et frugum quidem hæc sunt inusu medico. Ex iisdem fiunt & potus; zythum in Ægypto; calia, & ceria, in Hispania; cervisia, & plura genera in Gallia, aliisque provinciis.* Vide eundem lib. XIV. cap. XXII. Ac similiter B. Hieronymus lib. VI. cap. XIX. in Jesajam: *ζῦθον genus est potionis, ex frugibus, aquâque confectum: & vulgo in Dalmatia, Pannoniaque provinciis, gentis barbaroque sermone appellatur Sabajum* †: *hoc maxime utuntur Aegyptii.* Non dubium igitur, quin zythum intelligat Hecatæus apud Athenæum, lib. X *, cùm Ægyptios ait, κριθὰς εἰς τὸ πόμα καταλεαίνειν. *ad potum hordeum macerare, & eluquare.* Suspicor autem, si non sit ex Europæ descriptione veterum compluribus memoratâ; fore ex opere ejus de philosophia Ægyptia; cujus ab Hecatæo editi Laërtius meminit in procœmio.

† *Vel* Sabaia.

* *Pag.* 418. *edit. Commel.*

Saltem non inconveniens sit sermo iste Hecatæo, agenti, ut ex Athenæo videmus, de Egyptiorum paupertate, philosophiæ, ac bonæ mentis sorore. Puto præterea, signari Hercatæum Abderitam; quem Alexandri Magni temporibus claruisse, constat: non Milesium, tertiũ eorum, qui, Strabone teste, prorsa scripserũt oratione, quique Herodoto suppar fuit. Interea & Herodotus idẽ tradidit: ut qui lib. II. similiter narret, Ægyptios οἶνῳ ἐκ κριθῶν πεποιημένῳ διαχρῆσθαι, *vino uti facto ex hordeo*. Idẽ facit Æschylus in Supplicibus: ubi itidem appellat ἐκ κριθῶν μέθυ, *vinũ ex hordeo*. Simile potus genus Illyriis est *sabaia*: quemadmodum ex B. Hieronymo superiùs vidimus. Et nôsse hic id optimè potuit, qui natus esset in Illyride; puta Stridone, Dalmatiæ oppido. Firmat quoque Ammianus Marcellinus lib. XXVI: *Valens oppugnationi Chalcedonis magnis viribus insistebat: cujus è muris probra in eum jaciebantur, & injuriosè compellabatur, ut Sabajarius: est autem sabaia ex ordeo, vel frumento, in liquorẽ conversus pauperrimus in Illyrico potus.* Cùm Illyres etiã inter Celtas fuerint; æquè ac Hispani, Galli, Germani: facilè mihi persuaserim, esse è veteri harum gentium communi linguâ: nempe à ſauffen, quod est *potare*: uti Celticum illud ex Hebræo סבא saba, *potare*. Plinius Hispanis ait *Celiam* & *Ceriam*, vocari; ut vidimus. Ac favet non modò Isidorus Hispalensis; sed etiam Annæus Florus, itidem Hispanus: ut ex tantis Hispaniæ laudibus, & inde, quòd ex Annæis Senecis fuerit, facile est conjectare. Is lib. II. cap. XVIII. de Numantinis ita scribit: *Cùm sese priùs epulis, quasi inferiis, implevissent carnis semicruda, & celia: sic vocant indigena, ex frumento potionem. Celiam*, quasi *caliam*, à calefaciendo dici, quomodo à *facio* est *feci*: Isidori opinio est lib. XX. Orig. cap. III. Alii volunt esse à *Cerere*, h. e. fruge: quomodo *Cerevisiam* inde nuncupari, ibidem tradit Isidorus. A colore cereo sic vocari, Ruellio, & Had. Junio, placitum; utrique locis antè memoratis. Mihi magis placet, Hispanos à vocabulo indegenâ, quâm Romano, vel Græco, nomem indidisse. Quare originem arcessere malim è lingua Celtica: nempe à ȝebren, quod Germanis notat *concoquere, alere*. Nempe quia vim habeat alimoniæ. R. verò in L. converso, ex *ceria celiam* fecere. De Prænum βρύτῳ, & βρᾶβιν, testis Hecatæus ἐν Εὐρώπης περιόδῳ, & exinde Athenæus in X*. Ac ibidem βρύτον de radicibus etiam parari, legas ex opere Hellanici, quod Κτίσεις inscripserat, sive de quarumque civitatum conditoribus. De *Gurmi* quod ait

* Pag. 447. edit. Commel.

quòd ait Junius, paullò aliter est in glossis Philoxeni; ubi leges: *Curmen, ζύθος. ἀπὸ σίτου.* Apud Athenæum verò lib. IV. est *κόρμα*. Quomodo istic legi debere, jam diu est, quòd Ruellio † visum. Imò sic, ut Casaubono * monitum, invenitur in membranis; uti & Athenæi epitoma. Sed secutus est Junius Dioscoridem: qui *κῦρμι* vocari ait lib. II. cap. CX. Quid quòd, inter alios, Haloander usum eo censet Ulpianum, L. Siquis. D. De Tritico & vino leg. Ubi ait, si pater familias vinum legaverit; nec zythum, nec curmi, nec cervisiam, contineri. Sed rectè antea legebatur *camum*: quod & ipsum est potionis genus, Cælio etiam Apicio memoratum lib. III: ubi cum defruto conjungit. Habes & apud Priscum Sophistam in Excerptis Historiæ Gothicæ *: Ἐκομίζοντο δὲ καὶ οἱ ἐπόρθμιοι ἡμῖν ὑπηρέται κέγχρον, καὶ τὸ ἐκ κεδρῶν χορηγούμενον πόμα· κάμον οἱ βάρβαροι καλοῦσιν αὐτό. *Ministri, qui nos sequebantur, advehebant nobis cenchrum, potionem ex hordeo præbentes, quam barbari vocant camum.* Fortasse ab Hebræo חם cham, quod est, *calidum esse*. Nempe eam ob caussam, ob quam *celiam* Isidorus à *calore* deducebat. Videmus ex istis, quàm variè barbari zythum appellarint, sive quod vulgo *bieram* nominamus: nempe voce à Romanis militibus acceptâ, quibus illud in ore, *Da bibere*. Sic enim Romani loquebantur: ut Terent. Andr. act. III. sc. II. Sed pro *bibere* etiam κατ' ἀποκοπὴν dixere *biber*. Quod iccirco quidam veterum, nomen, ac neutri generis, putarunt. De hoc abunde ex Charisio, & Capro, diximus in primo de Analogia cap. XXVI. Ex *biber* verò contractum *bier*: ut nomen *biria* sit generale: quale Græcis τὸ πῖνον: ut apud Aristotelem libello de ebrietate: ubi scribit, vino ebrios in faciem cadere pronos: at resupinari τῷ πίνῳ μεθυσθέντας, h. e. inebriatos potu hordeacio, sive cervisia: cujus caussa est, quòd potus hic habeat quid καρωτικόν †. Quanto hoc biriæ nostræ etymon verisimilius est, quàm quod alii, quasi *piriam* dici volunt, quia è piris exprimeretur, similive pomorum genere; unde *pomatium*, & *piratium*, legimus apud Hieronymum. Vel etiam ut *biria*, sive *beria*, unius literæ mutatione factum sit ex *ceria*: quod etymon placuit Ruellio *.

† *Lib. 2. de natura stirp. cap. 18.*

* *Lib. 4. animad. cap. 13.*

* *Pag. 42. edit. August. an. 1603.*

† *Soporiferum.*

* *Lib. 2. de Nat. Stirp. cap. 18.*

CAP. V.

A Syris esse camelus. *Qua* Cameliæ virgines. *Vnde* Gangamela *dicta in Perside. Ab iisdem Syris esse* ambubaia: *etsi de eo aliter Turnebus. A Persis* satrapa, & gaza. *Quàm variè, sed mente non multùm dispari,*

vocabulum hoc à veteribus explicetur. Vnde aura, aurum, aurora, ἄυειον, & θησαυρὸς, *dicantur. Melam, & Servium, decipi de etymo* Gazæ, *urbis in Palæstina. Etiam à Persis est* acinaces. *Item* parasanga: *ac unde ea vox: item* ἀγγαρεύειν. *Cur non, uti de hisce, ita agi hic etiam debuerit de vocabulis, quæ Romani habent à Græcis: ne istis quidem, quæ solis Macedonibus debentur; quales* phalanx, *&* sarissa.

IAmdudum metuo, ne sicut illi, qui circa Syrtes, & Nasamonas, loton arborem gustassent, sic sapore ejus afficiebantur, ut terras eas desererent inviti: ita nos quoque tantopere capti videamur dulcedine zythi, & inde, tot hordeacei, vel similis potus generibus gustatis, propemodum ebrii, pedem de tellure hac tollere nesciamus. Quod ne usu veniat nobis, citato gradu hinc jam in Asiam magnam contendo.

A Syris est CAMELUS; ut scribit Varro in IV. de LL. Nempe prius *gamelus* fuit; ut est apud Terentium Scaurum. De pronunciatione non abnuo: sed de scriptione non puto. Nec enim veteres Romani habebant G: unde scribebant MACESTRATOS, pro *magistratus*, & similia. Atque hinc, Festo teste, *Camelia virgines*, γαμήλιοι θεαί. Dispar ratio Græcis; qui pagum Persiæ, ut apud Strabonem est in VI, *gangamela* dixere, quia pasceretur istic camelus Darii sarcinarius: nempe גן, gan, h. e. *hortus*, & גמל, gamal, i. *camelus*.

Syrorum quoque est AMBUBAIA. Aliter quidem visum magno Turnebo *; qui ut ab ἔνδυν *indu* fecere (unde *induperator, industrius, inducia*, quasi *in ocio*) sic ait *ambu* ab ἄμφω dixisse; unde *ambages, ambedo, ambustus*, & alia. Indeque colligit, *ambubajas* sic dictas mulieres, quæ *ambu*, h. e. am, sive, circum bajas versarentur: nempe quia loca ista peterentur ab hominibus mollitie, & luxuriâ diffluentibus. Sed verum etymon primi aperuere Angelus Caninius, & Josephus Scaliger: quibus *ambubaja* dicitur ἡ αὐλητρὶς, sive tibicina, ab Chaldæo, & Syriaco אבוב, abbub: vel אבובא: Pro quo Arabes אנבוב anbub: h. e. *fistula*, sive *tibia*. Inde igitur אמבוביא anbubaja h. e. *tibicina*. Ac firmant hanc sententiam quoque, quæ de Copa Syrisca lusit Virgilius. Probat etiam Schindlerus; ut mittam cæteros.

*Lib. II. Adv. cap. 23

A Persis verò est SATRAPA, sive σατράπης, quo è Latinis usi Terentius Heautont. act. III. sc. 1, Cornelius Nepos in Cononе, Plinius lib. V. cap. V, Curtius lib. IV, VI, & alibi. E Græcis Herodotus lib. I. & III. Xenophon lib. VIII. Κύρου παιδ. Isocrates in Panegyrico; item Josephus, Plutarchus, Arrianus, Herodianus, Philo-

Philostratus, & magno numero alii; etiam libro Estheræ Artaxerxes in epistolæ inscriptione. In Scripturis dicuntur שוטרים *schoterim*. Theodotioni id ταξίαρχοι, Aquilæ στρατηλάται: iidem Proverb. VI. 7. שוטר, *schoter* interpretantur ἐκβιαστὴν, quod *coactorem* notat, hoc est, alios compellentem ad mandata exequenda. *Provincia præfectum* exponit Joannes Calpurnius Brixianus, Angeli Politiani æqualis, notis in Terentii Heaut. Eam interpretationem Donato tribuit doctissimus Etymologus: nempe recentem scriptorem confudit cum Donato: cujus nihil in Heautontimorumenon habemus. Cæterùm de satrapis, & satrapiis, multa etiam Brissonius in primo de Regno Persico: deque voce ipsa Nicolaus Fullerus lib. III. Miscell. Sacr. cap. XIX.

Adhæc à Persis est GAZA; ut tradunt Mela lib. I, Curtius lib. III. Servius in I. Æn. Isidorus lib. XX. cap. IX. Sed Mela interpretatur *ærarium*, Curtius *pecuniam regiam*, Servius *censum*, & *divitias*, Isidorus *thesaurum*. Quibus addamus Hesychium. Is exponit *regis opes, ac vectigalia*; sive, si Græca malis, βασίλεια, ἃ ἐκ τῶν πολλῶν φερομένους φόρους. Ubi in LXX. est γάζα, ibi in Hebræis גנזו, ginze, pro quo Syri ܓܢܙ, ginza, Persæ گنج, gaza, Originem indicat vocabulum Chaldæum ܓܢܙ, genaz, quod notat *reponere, abscondere*; unde ܓܢܙ, ablato ג, quod propriè, notat ἀποθησαυρισμόν. Sanè & à simili origine est Græcum θησαυρὸς, sive sit, ut volunt ἀπὸ τοῦ τίθημι εἰς αὖειον †: sive potiùs à θέω, vel τίθημι, & prisco αὐρὸς, quod *opes* videtur notasse, vel *aurum*: imò inde Latinum *aurum*: uti αὐρὸς ab אור, or, *lux*, *splendor*, atque etiam *Sol*; unde Apollo, *Orus*. Quemadmodum & ab אור, ur, est *aura* pro splendore, & *aurora*, & αὔειον, q. d. *cùm Sol iterum illuxerit*: quemadmodum diximus quoque lib. II. Physiologiæ Christianæ cap. LXIV. Interim falsi Mela, & Servius; quando uterque ajunt, *Gaza*, urbi Palæstinæ, inde esse nomen datum; quia Cambyses, rex Persarum secundus, cùm Ægyptum bello peteret, reposuerit istic opes suas. Nam *gaza*, pro ærario sive thesauro, Hebraicè scribitur גנז: at urbs עזה.

† *Quia in ea reponatur.*

Ab iisdem est ACINACES, ὁ ἀκινάκης, ut prodidit Acron in Horat. lib. I. od. XXVII, & P. Consentius, Grammaticus Constantinopolitanus: item è Græcis Hesychius, & Suidas: & omnium fide dignissimus Herodotus in Polyhymnia, τὸ Περσικὸν, inquit, ξίφος ἀκινάκην καλέουσι. Sed is pro ἀκινάκην dicit ὠκινάκην, si etymologo credimus; hodie enim semper, non nisi ἀκινάκης, apud eum legitur; & ἀκι-

& ἀκινάκης poterat videri factum ex ὁ ἀκινάκης: non propter ἀκεῖαν, h.e ὀξεῖαν ἀκλὺν, *acutam aciem*. Nempe solemnia insaniunt Græculi, cùm peregrina deducere à sua jubent linguâ. Medis acinacen tribuit Horatius lib 1. od. XXVII: & Parthis Porphyrius ad eum ipsum locum. Sed vicinæ sunt gentes, & diu eidem domino adsuetæ: unde & veteres eas sæpe confundunt, & possint iisdem esse usi armis. Quod si *acinaces* aliunde, quàm è Persica lingua, originem trahit: quò potius eamus, quàm ad Hebræam, vel Chaldæam? Ut si ἀπὸ μετάθεσιν factum dicamus ex Chaldaico סכינא sakina: h.e. *culter*.

* *Pag. 112. edit Commel.*

Est & à Persis PARASANGA; ut Athenæus ait lib. II. *. ubi & ab iis esse ait παρασάγγην, & χοῖνικα, itidem vocabula in viis mensurandis obtinentia. *Parasanga* verò Arabibus פרסה parsah: ut est in Lexico Raphelengii Arabico. Schindlerus *milliare* exponit; ac parsaot ait facere iter diurnum hominis mediocris. Clarissimus socer meus Franciscus Junius * conjectabat, *parasanga* esse ex *parasangara*: nempe quia hoc vocabulo (ut Herodotus, Xenophon, & Agathias, testantur) significetur spatium XXX stadiorum: quantum paraschangarus, h.e. equestris tabellio, (qui & ἀγγάρης Persis vocatur, ut scribit Suidas) ab angariâ, h.e. tabellionum stathmo, sive mansione unâ ad alteram, decurrebat. Indeque ἀγγαρεύειν Matth. v. ubi & vetus interpres retinet *angariare*. Latini dicerent *adigere ad currendum*, vel *ferendum aliquid*. Leg. Bojar Tit. XIII. §. 9. *Angarias cum carra faciet usque L. Leugas*. De angariis non modò pro plaustrorum, jumentorumque præstatione; sed etiam clavulariis. carris: vide, quæ ex codice Theodosiano eruditè observavit Salmasius ad Capitolini Antoninum Pium.

* *In Elogio linguæ Hebreæ*

Sistam in Persis, Asiæ quondam dominis. Nam inde si in Latium, unde nostra profecta est oratio, domuitionem parem per gentes Persiæ victores, inque iis Macedonas: multa quidem se offerent, quæ ab illis acceperint Romani; sed ut origine ea peregrina sint, non tamen ortus fuerit barbarus. Hujusmodi est vox PHALANX; item SARISSA. Quorum prius pro quadrata acie, cuneoque militari, à Macedonibus esse, testantur Livius, & Curtius. Descriptionem ejus præter duos, quos dixi, Polybius, Ælianus, ac Vegetius, dabunt. Alterum notat oblongas Macedonum hastas, ferro exiguo præfixas. Valturius lib. X. de Re milit. cap. III. credidit esse æreum clypeum: sed deceptus malè aliis adducto Curtii loco lib. IX: quisi habet in omnibus codd. *Macedo justa arma sumserat, æreum clypeum, hastam quam*,

quam sariſſam vocant, levâ tenens. Ac Livii eſt lib. XXXVIII: *Uſus prælongarum haſtarum: ſariſſas Macedones vocant.* Similiter idem lib. ſeq. Atque hinc etiam vocem eam eſſe à Macedonibus videmus. Similiter Ovidius XII. Met. *Qui clypeo, gladioque, Macedoniâque ſariſſâ.* Et *Macetûm ſariſſas* ait Statius lib. VII. Theb. *Pellæas ſariſſas* Lucanus lib. VIII. Servius in VII. Æn. *Pilum propriè eſt haſta Romana; ut geſſa Gallorum, ſariſſa Macedonum.* Idem tradunt Feſtus, & Suidas in Σάρισσα. Eaſdem ſignat Gratius in Cynegetico:

Quid Macetum immenſos libeat ſi dicere contos?

Interpretatus ſimiliter Vegetius lib. III. cap. XXIV: *Sariſſas, hoc eſt, longiſſimos contos, in elephantos dirigebant.* Videre queant & Thracum fuiſſe, propter illud Naſonis lib. I. de Ponto eleg. IV.

Altera Biſtonias pars eſt ſenſura ſariſſa.

Sed magis placet *ſagittas*; quod eſt in vulgatis. Suos verò Spartanos iiſdem pro lancea uti, docuit Cleomenes: ut in vita ejus prodidit Plutarchus.

At quid his ultra immoremur? cùm hujusmodi quidem peregrinæ ſint originis, ut dicebam: non tamen barbaræ: Cùm Macedones ſint Græci; hi autem veteres quidem Romanos habuerint pro barbaris; ut Græcanico more eos quoque appellat Sarſinas Comicus*: ſed non viciſſim barbari ſint creditι Romanis: quippe ſatis gnaris, ſe Græcis debere liberalium artium ſtudia, & omnem prope ingeniorum cultum.

* *Prologo Aſin. Trinum. i. tem Pœn. act. 3. ſc. 2.*

CAP. VI.

Etiam poſtquam Roma magnis paſſibus ad barbariem iret, licuiſſe peregrina civitate donare Romanâ; dummodo idoneo vocabulo ſermo deficeret Latinus. Ac poſſe in his etiam reponi Ægyptiaca nonnι, & *nonnæ vocabulæ: & quid propriè iis vocibus denotetur. Syriacũ eſſe* abbas: *& cur Chriſtiani maluerint inde* abbatiſſe *nomen formare, quàm vocare* virginem maximam, *vel* antiſtitam. *Noſtris verò temporibus diſparem videri rationem; ut Latina hac nunc tutò præferantur.* Phythoniſſa. *Vnde barbara* monialium *vox.* Abanec *perperàm pro* abaneth *ſcribi: eo ſignari baltheum ſacerdotalem: imò* balthei *nomen inde originem ducere. Aliquot gloſſarum ſcriptores.* Paſcha *unde dictum. Duplex id eſſe; judaicum* Φασῦ, *& Chriſtianũ* πάσχα, *ſive* πάσχα. *Interim & Judaicũ dici* πάσχα. *Cur Chriſtiani diẽ Reſurrectionis vocitarint* Paſcha.

ACcedimus nunc ad peregrinorum ea, quæ desitô jam Romæ puri sermonis usu in Latinorum nihilominus deduci coloniam, imò civitate Romanâ donari potuerunt. Istiusmodi multa manarunt ab Ecclesia. Ut NONNA; quo uti non reformidat B. Hieronymus ad Eustoch. de custod. virgin. Est autem vox Ægyptia. Hi enim monachos *Nonnos*; monachas, *Nonnas* vocant: ut traditum quoque Cælio Rhodigino lib. v. Antiquæ Lect. cap. XII. Planè fallitur Amerbachius, qui è lingua Germanicâ originem arcessit. Censet enim, vocabulum hoc propriè competere iis, qui se castrarint propter regnum Dei: idque quia Germanis sic vocetur sus femina castrata. Quanto verisimiliùs dixeris, Ægyptiaca *nonnus*, & *nonna*, esse ab Hebræo נין nin, id est, *filius*! Erant enim nonni filiorum, nonnæ filiarum loco.

Parque ratio videri possit, cùm ABBATISSÆ nomine insigniunt virginem maximam, hoc est, eam, quæ præest virginibus Vestalibus, vel, ut meliùs dicam, sacris: quas Græci vocant τὰς ἀφ' ἱερῶν, & unâ voce ἱεροδούλας: vulgò autem barbarè dicunt *moniales*: quod corruptum videtur ex *sanctimoniales*, vel *castimoniales*. Est autem *Abbatissa* ab *abbas*; quo utitur Sidonius extremâ epist. XVII. lib. VII. Hoc à Græcis acceptum, Ut ἡ Ἀββᾶς, Justiniani Novellâ. CXXIII. Hoc à Syriaco ܐܒܐ. *abbá*, id est, *pater*: quia sit pater monachorum. *Major monasterii* nuncupatur Concilio Carthaginensi v. can. XV. & Gratiano Dist. LVIII. cap. fine. Cur verò *Abbatissa* nomen prætulerint olim; quamvis suppeteret *virginis maximæ* appellatio; in promtu ratio est. Nam quò sacra profanis distinguerent, eopse modo *exorcistam*, quàm *adjuratorem*, dicere maluerunt: etsi Latino hoc vocabulo vòcari posse, legere sit apud Isidorum: imò Plautus pro eo, quod Græcis est ἐξορκίζειν, *adjurare* dicat in Cistellaria act. II. sc. III. Similiter item (ut propiora adferam) non tantùm *Virginum Vestalium* nomen displicuit, quia non Vestæ dicarentur, sed Christo: verùm & *virginis sacræ*; quod accommodatius quidem erat; attamen olim, cùm & gentiles, suas; suas item Christiani virgines sacras haberent; vocabulum fuisset ambiguum. Eodem igitur modo *virginis maximæ* nomen haut satisfaciebat, quòd ἐμώνυμον* esset: magis autem *Abbatissa* arrisit, quò religio Christiana à profanis gentibus discerneretur. Sanè B. Hieronymus non semel utitur *Abbatissæ* nomine. Estque planè ἀναλόγως† ab *Abbas* factum; cùm eodem prope modo apud Maronem

* *Æquivocum.*
† *Convenienter aliis derivatis.*

Maronem legamus *Phœnissa*, & *Aethiopissa* apud Donatum in Terent. & *Pythonissa* apud Hieronymum in catalogo scriptorum Ecclesiast: Jubent aliqui pro eo *Pythoissa* dicere, quia spiritus ipse τῆς ἐγγαστριμύθου sive *ventriloqua* dicatur *Pytho*, unde *Pythoissa*. Sed Act. XVI. 16. vocatur ἔχουσα πνεῦμα Πύθωνος : & Πυθωνίσσα quoque est apud Sophronium, Hieronymi interpretem. At, Joannes Ninivita, sive malis Despauterius (nec enim vir, bene adeò de literatura pro illo quidem tempore meritus, indignus est vulgatiori nomine chartis nostris signari, etsi aliter τοῖς μίγα πνέουσι * videatur) nobilis igitur ille Grammaticus, si, inquit, *abbas* est pater, quomodo mulier nobis dicetur *abbatissa*? Dixerim ego, sic *abbatissam* appellari posse; quomodo Latini à *vire* formarunt non *virago* modò, quod aliud longè est: sed etiam *vira*; unde *vira Querquetulana* apud Festum. Jubet idem Grammaticus pro *abbatissa* dicere *matrem maximam*, vel *antistitam*. quæ minimè improbo. Nec enim nostris æque temporibus, ac olim, ab ambiguitate vocabuli, periculum est, religione gentili penitus deletâ. Quare & possis dicere, *Sacratarum Deo virginum maximam*, vel *Præfectam asceteriis virginum Deo dicatarum*; vel quapiam ratione non absimili. Quod verò idem Ninivita *sacerdotes* nuncupare præcipit; id animo meo non æquè adlubescit, Utcunque enim offerant Deo vitulos labiorum, quod omnium commune est Christianorum, quatenus omnes sumus sacerdotes: non tamen sacrificium faciunt vel propriè dictum, vel hujus repræsentativum.

* *Grande quid spirantibus.*

In ejusmodi peregrinis vocabulis vix dici potest, quàm proclivis sit lapsus ignaris ejus linguæ, à qua vocem peregrinam accepimus. Sicuti cùm apud Calepinum ABANEC lectum pro ABANET; uti apud Isidorum rectè exaratum lib. XIX. Originum cap. XXI. Sanè ἄβανθ quoque est apud Flavium Josephum lib. III. Antiqu. Jud. cap. VIII. Et Hebræis scribitur אבנט, *Abnét*, Exodi XXII. 21. Quo ex loco liquet, fuisse baltheum sacerdotalem: qui sacerdotum vulgo linea fuit, byssinus verò summo sacerdoti. Josephus loco antea memorato ait †, Hieroso lymitanos suos, more Chaldæo pro eo dicere ἡμίαν, ut vulgò quidem scribitur: ubi malim ἡμίαν. Chald. המין *hemin*. Sanè Esajæ XXII. 21. Hebraicè ואבנטך *Ve-abnetchá*: Targum verò habet והמינך: Ve-hemianách: *& baltheo tuo*. Ubi κ῾ μιλωνμίαν sumitur pro *fortitudine*. Imò cùm N sæpe abeat in L, quomodo à νύμφη est *lympha* satis est verisimilis eorum opinio, qui ab *abaneth* vocabulum *balthei* arcessunt.

† *Pag. 75. edit. Basil.*

Nec in ὀρθογραφίᾳ modò peccari solet, sed etiam significatione. Eoque operam non lusere olim, qui scripsere περὶ γλωσσῶν, sive περὶ τῶν ξένως εἰρημένων *: uti Philoxenus, Democritus, Callimachus, Hermo, Clitarchus, aliique; quos passim laudant Athenæus, & Suidas.

* *De iis, quæ peregrinorum more dicuntur.*

In iis, ubi significatione aberratum, etiam reponunt eruditi, quòd, turpi, si iis credimus, errore, Resurrectionis Dominicæ diem PASCHA nominamus. Nam, inquiunt, *Pascha* significat passionis Dominicæ diem: unde & veterum aliqui ἀπὸ τοῦ πάσχειν † deduxerunt: nempe quia ignorarent, esse ab Hierosolymitano פסחא, *Paschá*, quòd Hebræis פסח, *Pésach*, hoc est, *transitio*, sive *transitus:* unde nomen, non tam quia ex Ægypto transierint filii Israël; quam quia exterminator Angelus domos, ubi sanguinem in Israëlitarum foribus conspexisset, transierit. Quæratio nominis adfertur Exodi XII. Scimus ista, & pro verissimis habemus. Sed neque nescimus, veteres Christianos duplex statuisse pascha; unum σταυρώσιμον, sub quod Christus esset actus in crucem: alterum ἀναστάσιμον, quo resurrexisset. Græci veteres prius efferebant φασχή; nempe quod incideret in decimumquartum mensis Nisan: posterius verò, quod est Resurrectionis, dixere πάσχα. Interim etiam Judaicum illud vocatum πάσχα, liquet ex LXX, Philone, & Josepho: nisi quòd apud eum in Mssis nonnullis pro πάσχα legas πάσκα. Cur verò Christiani Resurrectionis diem nomine Paschatis donarint; dicam potiùs verbis Ceolfridi Abbatis ad Regem Naitanum, quæ Beda adducit lib. v. Histor. Eccles. Anglic. cap. XXII: *Votiva Paschæ nostra festa celebramus, ut indicemus, nos non cum antiquis excussum Ægyptiæ servitutis jugum venerari: sed redemtionem totius mundi (quæ in antiqui Dei populi liberatione prafigurata, in Christi autem resurrectione completa est) devotâ fide ac dilectione colere: ut de resurrectionis etiam nostræ, quam eâdem die Dominicâ futuram credimus, spe nos certissimâ gaudere significemus:*

† *Pati.*

CAP. VII.

Regulæ præfiniuntur, juxta quas judicium fiat de peregrinis, vel recipiendis, vel fugiendis: & qua via sit ineunda in exprimenda re incognitâ. Anxur *postea* Tarracina; *uti* Nequinum, Narnia. *Antiquitates Hetruscæ falsò inscriptæ Prospero. Non uti* Tuscus, *ita etiam* Tuscia *veteres dixisse. Perperam* Padua *pro* Patavio. Παδύσα *ex* Παδύουσα, *unde &*

unde & Paduſa. Parlamenti *vox unde: uti*, & *Gallica* parole, & parler. Gladius falcatus *pro* ſcimitarra. *Hiſpanus gladius Romanis tributus etiam ante tempora Annibalica.* Cliens fiduciarius *pro* vaſallo. *Appuleii conſilium in rebus Latino carentibus vocabulo. Tutò uſurpari nomina* ſclopeti, bombardæ, feudi, ſtubæ. *Quàm antiqua* aſtraba, *quæ Græcis* ἀναβολεῖς: *poſterioribus Latinis* ſcala; *imò* & ſtapia, *unde* biſtapia. *Nec inſcitè* pedaneum ſubicem *vocari. Proba ac vetera eſſe* pappa, & bua, Papaveris, & papillæ ἴτυμον. Pappare *aliud, quàm* παππάζειν. Abare. Πάπας, & πάππας: *uti Latinis* pappas, & papa. Salſicium *unde conflatum. Iſicii* ἴτυμον. Eſicium, & eſiciatum.

EX his ſatis liquet, non eſſe nos eos, qui in totum interdicamus peregrinorum uſu, illorum inſtar, quos vocamus Ciceroniaſtros: quales cùm nihil, niſi in Tullio ſibi lectum, auſint uſurpare, ſæpe coguntur reticere, quæ optimè animo conceperunt: vel ſaltem ridiculè admodum circumſcribunt, quæ unico, veteribus quidem ignoto, attamen neceſſario vocabulo, poterant effari. Sed ut iſti nimiâ ſe religione adſtringunt; ita alii in ils nimium ſibi permittunt: imprimis qui dicis gratiâ, ac tralatitiè tantùm, ſtudia hæc tractant. Itaque non abs re fuerit, ſi hic, uti ab Uberto etiam Folieta in ſecundo de uſu ſermonis Latini factum video, canones aliquod præſtituam, ad quos expendantur voces peregrinæ.

Ac primò quidem tutò uſurpare nova licet nomina montium, fluviorum, urbium, regionumque; idque non modò, ſi loca fuerint Romanis ignota; verùm etiam, ſi ea à Romanis ipſis aliter fuerint appellata. Id, ut ita ſentiam, facit, quòd Romani ipſi urbem, aut regionem, cùm nomen mutâſſet, alio quoque appellarent nomine. Ita Livius, atque alii, quas urbes *Anxur* & *Neguinum*, nominarant, cùm res illorum temporum ſcriberent; eaſdem *Tarracinam*, & *Narniam*, nuncuparunt, cùm ad ea veniſſent tempora, quibus urbes illæ jam nomina mutaviſſent. Quare cùm Franci devictæ à ſe Galliæ Tranſalpinæ, *Francia* nomen indiderint; & Longobardi, cùm Galliam occupaſſent Ciſalpinam, *Longobardia* ei nomen fecerint: neutiquam contra Latini ſermonis mundiciem peccem, ſi *Francia*, aut *Longobardia*, vocabula uſurpem: præſertim cùm Francia, & Gallia, non iiſdem finibus circumſcribantur.

Si tamen vox vulgaris ex veteri ſit corrupta; veteri utendum cenſeo.

seo. Non igitur *vulterra* dixerim cum juris Canonici * conditoribus, vel Pseudo-Prospero, commentitiarum Etruriæ antiquitatum auctore: sed, ut veteres semper, *Volaterra*. Imò neque *Thuscias* libens pro *Etruria* usurpem: etsi *Thuscum vicum* Romæ fuisse sciam, & *Thuscos meos* Plinius dicat lib. v. epist. vi, quæ est ad Apollinarem; ubi & in notis ad eam epistolam *Thuscias* quoque dixit doctissimus Joannes Maria Catanæus. Scio, habere & illum, & alios, quo se tueantur. Nam Hygenus de limitibus constituendis ait †, *in terminis provincia. Thuscia*. Etiam est in scriptoribus de limitibus ex Cajo, & Theodosio, *Thuscias urbicarias, & annonarias*. Ex libris quoque Magonis, & Vegojæ auctorum habes *: *Iisdem in partu Thuscia, Florentiæ quàm maximè, palos liceos picatos pro terminis sub terra defiximus*. Est & Ammiani Marcellini lib. xxvii: *Portenti species per annonariam apparuit Thusciam*. Et initio lib. xxviii: *Rexit deinde Thusciam*. Reperias quoque L. xii. C. Theodos. de indulg. debit: item inscript. Novel. Constit. Leonis, & Majoriani, Tit. ix.; adhæc Cassiodori lib. iv. epist. xiv: *Per Picenum, sive Thuscias utrasque*. Sed veteres aliter. Nam apud nullum Augusti æqualem legas: uti neque apud Plinium, & aliquanto juniores. Quos adduximus scriptores, multo post Plinium vixere. Priores non si *Thuscos*, eò & *Thuscias* dixissent.

* *Decret. 2. caus. 12. quæst. 2. verbis Nicolai Papæ ad Majoricum, Seremum, & Ioannem, episcopos.*

† *Pag. 152. edit. Turnebiana.*

* *Pag. 167. editionis Turneb.*

Neque item pro *Patavio* placet *Padua*: etsi sic urbem eam cum Italiæ vulgo appellet quoque doctissimus Hermolaus Barbarus cap. i. Corollarii. Ac Rob. Titius item lib. x. Controvers. cap. iii. apud Catullum putet legendum:

At Volusi annales Padoam porgentur ad ipsam.

Potiùs *Padoa* sit, quæ *Paduæ* Maroni, Plinio, Claudiano, Vibio Sequestro, ac apud Servium etiam Valgio in elegiis. Nisi, ob tam multorum auctoritatem, apud Polybium quoque in ii, Παδόϛα legendum; ubi nunc editum, Παδόα. Sanè id multò verisimilius est. *Paduæ* mediam producit, quia ex παδόιστα, παδῦϛα. Palus est sive fossa prope Ravennam; inque Padum se exonerat: unde nomen. Et de locorum quidem nominibus ita censeo.

Ad rerum cæterarum non una est ratio. Quippe alia quidem veteres nôrant, si rem ipsam spectemus; non item formam, quæ immutata est: alia verò istiusmodi sunt, ut nec ipsam rem veteres habuerint. In priori genere usurpamus appellationes veteres: sed adiicimus quiddam, quod formæ immutationem ostendat. Exemplo rem faciam

ciam planiorem. Cùm Romani non minùs curiam habuerint, quàm Franci; cur non potiùs *supremam curiam Parisiensem*, quàm *parlamentum* dicam? Quæ vox est à Gallico *parler:* quemadmodum hoc ipsum fortasse venit à Græco παραλαλεῖν: etsi id potiùs sit *obloqui*, quam *loqui*. Ac propterea doctissimus Angelus Caninius Anglarienſis in Helleniſmo ſuo, ubi literarum immutationes explicat †, cenſuit Hiſpanos (qui multa incorruptiùs ſervarunt Gallis) ex παραβολὴ feciſſe *parabla*, & κατ' μετάθεσιν, *palabra*, atque inde potiùs eſſe *parlare*, & *parler*. De quo non tanti eſt, ut ferram reciprocem.

Itidem non *ſcimitarram*, quomodo Turcæ appellant; ſed *gladium* dixerim *falcatum*: ſecutus illud Ovidii IV. Met.

——*Falcato vulnerat enſe.*

Et hoc Silii Italici lib. III:

Verſicolor contrà cetra, & falcatus ab arte
Enſis Adyrmachida.

Sed præcipuè movet, quòd potius *gladium Hiſpanum*, *Hiſpanicum*, vel *Hiſpanienſem*, uti Polybius μάχαιραν ἱσπανικὴν, dixere; quam ut Hiſpanicâ uterentur appellatione. Nempe hoc inde eſt, quòd ſola variaret forma; res utrique genti foret eadem. Mirum tamen, *Hiſpanum* etiam dici à Livio in VII. & Claudio Quadrigario apud Agellium lib. IX. cap. XIII: ubi, ut Lipſio * etiam obſervatum, tempora deſcribunt longè antiquiora bellis Punicis: cùm demum Hiſpanicus Romanis gladius temporibus innotuerit Annibalis; qui ex Hiſpania eum Italiæ intulit.

*Libro 3. de Militia Romana dialogo 3.

Eandem ob cauſſam malim *clientis fiduciarii* nomen, quàm *vaſalli*; quod eſt ab Italis, Hiſpanis, Gallis. Omnino enim, quando fieri poteſt, id agendum, ut voces Latinæ, aut ſaltem origine ſint Latinæ, vel Græcæ: ſed ſi Latinæ nimis duræ ſint futuræ, potiùs Græcæ: ſin non abſurdæ Romanis auribus, potiùs ortu Latinæ. Id in ſuis de animalibus libris obſervâſſe ſe ait Appulejus, cùm in Apologia ſic ſcribit: *Panca etiam de Latinis meis, ad eandem peritiam pertinentibus, legi jubebo; in quibus animadvertes, cùm in eis cognitu rara, tum etiam nomina Romanis inuſitata, & in hodiernum, quod ſciam, infecta. Ea tamen nomina labore meo, & ſtudio, ita de Græco provenire, ut Latinâ monetâ percuſſa ſint.*

Atque hæc de genere priori, ubi res nota Romanis; ſed formâ aliâ. Venio ad alterum genus, ubi res iiſdem planè incognita. Atque hic diſpar prorſus ratio eſt. In priori illo non confingenda ſunt verba;

verba; quia id neque facerent veteres Romani, si nunc viverent. At in genere hoc posteriori securè nova comminiscimur. Tale est SCLOPETVS à *scloppo* vel *sclopo*, quod apud Persium: nisi hic *stloppus* malis, ut est in libris nonnullis. Item BOMBARDA, ab ardore cum bombo: de quo vidimus lib. IV. Oratoriarum Institut. cap. XIII. §. VII. Nec minùs tamen licuisset aliâ ex lingua, uti Germanicâ, unde res accepta, alia planè inducere: ut si ex roer/musket/cartouw, geschut, fecissent *ruram*, *musquettam*, *cartonã*, *geschutiã*. Dura nunc videntur: sed usus emolliviset. Nec barbara eò deberent censeri, quòd ex lingua peterêtur, quę olim barbara est habita. Nã si necessitas adegit veteres Romanos, ut voces acciperent ab Hispanis, Gallis, Germanis, Britannis, Afris, Ægygtiis, Syris, Persis, aliis; quod pluribus antea exemplis planum fecimus: cur non itidem nobis liceat quoties rem nescivere Romani, vocabula Germanica, Gallica, alia, donare flexu Romano, atque ita, quia monetâ jam percussa sint Romanâ, ea usurpare pro Romanis? Nam qui olim non abstinuere illis, quia propria lingua vocibus careret: cur hæc, si adhuc forent, reformidarent, quandò illa æquè exprimat necessitas?

Eandem ob caussam, nec Gothicam FEVDI vocem abhorream. Eâ significatur genus clientelæ, quo vel prædium, vel dignitas, vel vectigal, cuiquam datur, ut & ipsi, & posteri, beneficii auctorem agnoscant pro patrono, ejusque caput, honorem, ac fortunas, defendant. *V. Loccenii Explicationes vocum feudalium, subjunctas Antiquitatibus Sueogothicis; Struvium disp. 2. de feudis θ. 1.

Neque multum averser STVBA; quo Dithmarus, aliique ejus ævi scriptores utuntur. Est verò à Germanico stube; pro quo Belgæ stove. Videtur autem ejus usus sic satis antiquus: quâ de re Lipsium vide ad Taciti Germaniam.

Etiam inter illa, ubi non solùm forma exterior, sed res ipsa veteribus fuit incognita, reponi debet instrumentum illud ferreum ab equi lateribus utrimque dependens, cui innituntur, atque insistunt equitantium pedes. Ea enim veteribus fuisse ignota, rectè jam ante duo secula monitum Joanni Tortellio Aretino: etsi hoc nomine reprehensus sit à Galeotto Martio Narniensi lib. de promiscua doctrina cap. XXVIII. Tortellii enim sententiam firmant, partim numismata vetera; partim statuæ equestres, tum lapideæ, tum ex ære fusæ; in quibus nihil hujusmodi conspicere est: ut in iis observatum quo-

que

que Brodæo in quarto Miscellaneorum cap. xxvi. Neque istius vel Xenophon lib. de re equestri, vel in Onomastico Jul. Pollux †, ubi de instrumentis agit equestribus, vel verbo meminerunt. Præterea Hippocrates, libr. de aëre & aquis, docet, pependisse equitantium crura, atque inde contrahi. Suetonius in Caligula cap. iii. indicat, humores à cibo sumto in tibias equitantium descendere: & ideo Cæsarem Germanicum, postquam prandisset, assiduò solere equo vectari ad gracilitatem crurum replendam. Quæ sanè locum magis habent, si crura fine fulcro dependerint. Novo igitur huic invento novum quærendum nomen fuit. Id multimodis factum, ex Hispanica, Græca, Latina. Ex Hispanica dubium, an Græcâ, sit *astraba*. Hispanis quidem dicitur *estribo*, unde *astraba*; nisi ex hoc fuerit Hispanicum. Fortè à *strepa*, de quo libro proximo cap. xvii. Isidorus Hispalensis in Glossis: *Astraba, tabella, in qua pedes requiescunt.* Sed potiùs hoc Græcum; nam & Hesychio ἀστράβη ligneum est ephippum, quod tenent sedentes. Nempe ab ἀστρεμνικῶ *, & στρέφω †; quia non vertatur, sed stabile sit; uti conveniebat; cùm, ut non uno loco * docet philosophus, omnis motus fiat super immobili. Præterea Græcis dictum ἀναβολεὺς, Latinis *scala*: quia eo solerent adscendere, velut scalis. Sanè Suidas, cùm dixisset, eos, qui Latinis *stratores* vocantur, quia equum sternerent; Græcis, quia ab iisdem, cum equum adscenderent, sublevarentur in eum, ἀναβολεῖς nuncupari: subjungit, ἀναβολεὺς ἡ καὶ ὑπ' αὐτῶν Ῥωμαίοις λεγομένη σκάλα· *Anabolens etiam illa, qua Romanis dicitur Scala.* Dixeris, signari hic potiùs scalas equo appositas, per quas facilis est adscensus; quàm astrabas, quæ pensiles, non portatiles. Sed hanc sententiam refellit Eustathius in Odyss. A †; ubi sic scribit: Ἀναβολεὺς δὲ μόνον τὸ σιδήριον, ᾧ τὰς πόδας ἐπιβάλλουσι ἱππεῖοι γινόμενοι τινες, ἀλλὰ καὶ ἄνθρωπος, ὃς εἰς τοιοῦτον καθυπουργεῖ· *Anabolens non modo dicitur ferrum illud exiguum, cui aliqui imponunt pedes equum adscensuri; sed etiam vir is, qui ad conscendendum equum adjuvat.* Ut Suidas ait, non *stratorem* modò dici ἀναβολέα, sed etiam *scalam*: ita Eustathius ait ἀναβολέα non solùm vocari ferreum instrumentum, cui equum adscendens pedem imponit, sed etiam *stratorem*. Ut, quin *scala* sit instrumentum illud ferreum, non possit dubitari. Atque idem Justo Lipsio visum de Militia Romana lib. iii. dial. vii. Itaque & Mauricius στρατηγικῶν lib. i. ait: Ἔχειν * καὶ εἰς τὰς σέλλας σκάλας σιδηρᾶς δύο. Observatum hoc maximo Salmasio ad Spartiani Caracallam. Est & alia appellatio à Latinis: puta *stapes*, à statione pedum; quod si est, non sit ab

† *Lib. 10. cap. 10. & 12.*

* *Privativa.*
† *Verti.*
* *Lib. de motione animalium cap. 2 & de incessu anim. cap. 3. item. Aurreos in 8. Nat. Ausc. cont. 84.*

† *Vers. 1 ff. pag. 406. edit. Rom.*

* Habere ad sellam conscendendam, binas scalas ferreas.

Hiſpanico *eſtafa*; ſed hoc à *ſtapes*, vel *ſtapia*; quomodo alii dicere maluerunt; nempe pro *ſtapeda*: quod prætulit Philelphus: unde *ſtapia* καὶ συγκοπήν. Apud Franciſcum Marium Grapaldum, ſi ſtandum editioni Parmenſi †, iſta legas *: *Ephippio dextrâ, ac ſiniſtrâ, loris quibuſdam ferreæ machinulæ adduntur: quas ſtrapedes eleganter, & Latialiter appellabimus: quia in his ſeſſores, dum terga premunt equorum, pedes habere conſueverunt. Apud majores, ut in ſtatuis equeſtribus apparet, non fuerunt.* Ac ad oram etiam, itemque indice, *ſtratores* legas: ut planè videatur editor ſic in chirographo Grapaldi reperiſſe. Fortaſſe *ſtrapedes*, quaſi *ſtratum pedum*, dici credidit. Sed malo putare, per errorem ſic ſcriptum. Nam longè veriſimilius etymon à ſtatione pedum. Unde *ſtapes*, vel *ſtapia*. Quod vocabulum licet non ſit vetus (quid mirum in re non veteri?) tamen ante mille, & ducentos annos, obtinuiſſe, argumento eſt, quòd apud B. Hieronymum in epiſtolis *biſtapia* pro binis ſtapiis, ſeu ſtapedibus, legamus. Et fortaſſe paullò etiam antiquior B. Hieronymo fuerit vetus inſcriptio à Wolphango Lazio, ac Hieronymo Magio, adducta: in qua, DUM VIRGUNCULÆ PLACERE CUPEREM, CASU DESILIENS, PES HÆSIT STAPIÆ, ET TRACTUS INTERII. Integram apud Magium inſcriptionem vide lib. II. Miſcellan. cap. XIV. Poſt tot priorum appellationes novam cudit Guiljelmus Budæus; nec inelegantem. Nam καὶ περίφραστον * ei *ſubex pedaneus* nominatur. Hæc pluribus ſum proſecutus, ut videant omnes, quàm varia ſit ratio barbara inventa efferendi non barbarè.

† *An* 1516.
* *Fol.* 98 *b.*

* *Per circumlocutionem.*

Cæterùm ſunt nonnulla, quæ ut peregrina, ac recens ex vulgaribus linguis admiſſa, reſpui ſolent à multis, cùm reverâ cognita ſint veteribus Latinis. Sanè Germani, & Belgæ puerorum cibum pappe vŏcant. Culpant igitur, quòd proavorum ætate Joannes Murmellius Ruræmondanus, vir pro illis temporibus bene doctus, libello puerili id nomen fecerit. Atqui, florente Româ, cibus ille *Papa* vocabatur. Nec *papaver* aliunde, quàm quia papæ puerorum inderent ad conciliandum ſomnum. *Papilla* etiam nomen ὑποκοριστικὸν ex eo, quia ubera papam ſive cibum præberent. Imò à Latino papæ ſive pappæ vocabulo Belgas, atque alios, pappe accepiſſe, per eſt veriſimile. Varro Cato, ſive de liberis educandis: *Cùm cibum, ac potionem huas, ac pappas, vocent; & matrem mammam, patrem tatam.* Ubi malè eſt in libris plurimis, etiam Mſo Nonio noſtro, *docent*, pro *vocent*. Jubent & viri eruditi trajicere verba hoc pacto, *pappas, & huas*: ut *papa* cibo, *huna* potui reſpondeat; quo ordine iſta antecedere. Sed nihil hic

mutare

mutare opus. Istiusmodi enim χιασμῷ †non pauca apud veteres exempla observavimus. Satis igitur liquet, *pappa* etiam Latinum esse. Ac quemadmodum à *bua*, quæ potio puerilis, venit *imbuere*: ita à *pappa* *pappare*, pro *edere*, dixit Plautus Epidico *: *Novo liberto opus est, quod pappet.* Et Persius sat. III. *Pappare minutum.* At Homero Iliad. E. παππάζειν aliud est: nempe πάππαν sive *patrem* appellare. Quomodo, & *abare* sit *vocare abam*, sive *abbam*: si vera est lectio hæc apud Ausonium, epist. ad parentem:

† *Trajectionis, qualem cernas in litura* χ.

* *Act.*, sc. 2.

——*Nam supparis ævi*
Sum tibi ego, & possum fratris abare vicem.

Sed non satis ea significatio convenit huic loco: neque *abare*, sed *abbare*, diceretur ab ἀββᾶς: quod & Syris habet ܐ dagessatum. Atque itidem gemina est consona in ἀππᾶ apud Callimachum. Scaliger maluit exponere ἀδελφίζειν: atque esse ab ἀπφά, quod fratrum sororumque esse ὑποκόρισμα †, tradidit Suida. Sed sic quoque porrecta esset prima. Vel cum Scaligero dicendum, Latinos ex ἀπφά consonarum alteram extrivisse Nempe quomodo Syracusiis pater, eodem Suida teste, & πάπας, & πάππας, vocabatur. Posteriori, à quo παππάζειν Homero esse dicebamus, utitur Philemon apud Athenæum, & Juvenalis sat. IV:

† *Blandimentum.*

——*Præguste poculapappas.*

Sed priori modo est apud Photium in Nomocanone: atque ita Cyprianus, Sidonius, & alii semper, *Papa*. Nec aliunde, quàm à πάπας, est Παπίας sive *Papias*. Quin igitur *pappare*, & παππάζειν, diverlissima sint, minimè dubium est.

Salsicium etiam à Guilhelmo Cantero † damnatur ut peregrinum, ac barbarum, & ex Gallico *saulcesses* factum. Nos contrà contendimus, Gallicum esse ex Latino illo. Legas enim apud Acronem in Horatii Eclog. IV. lib. II. Satyr. Vetus Cruquii commentator sic habet: *Hilla*, inquit, *est deminutivum à positivo hira*: *& significat intestinum salsum*: *vel, ut alii dicunt, fartum salsicium.* Ac ne quis dicat, fortasse Acronis ævo irrepsisse è Gallico illo: sanè obstat, ἐτυμολογία. Nec enim dubitandum, quin *salsicium* sit κατὰ συγκοπὴν ex *salsum*, & *isicium*: quod ita dicitur, quasi *insicium* ab *insecando*. Ac Propterea *insicium* dicere jubet Flavius Caper. Sed adsentio Macrobio, qui de etymo fatetur, sed Nait deperiisse. Vide eum lib. VII. Sat. cap. VIII. Ac similiter posteriori ævo *Esicium* dixere, & hinc *Esiciatum*: quod Salmasio ostensum. Fuse etiam de hisce diximus in Originum libris.

† *Lib. 1. Novarum Lect. cap. 16.*

CAP. VIII.

De vocabulis non quidem peregrinis, sed toto eo genere deterioribus. Hujusmodi esse, quæ eò Latina sunt habita, quia invenirentur in codicibus Latinorum depravatis. Vt calamentha, *&* ferabitis. *Candoris amplius in Guil. Cantero requisitum. Ejusdem monetæ esse* mansisterna, *pro* nasiterna; *cujus etymon adductum. Item* melamirum, *pro* melanurus. *Adhuc* proceritus, *&* redivi *pro* ricini, sotular *pro* socco, *&* valgustus: *nihiloque melius esse* busire, brusire, *vel* brisare.

ET hæc de vocibus, quas accepimus à barbaris: ut Romani quidem eas vocitare nationes solent. Quis verò existimet, vocabula esse deteriora peregrinis non donatis civitate? Atqui esse talia, liquidò evincam. Nam peregrina intelliguntur ab iis, qui linguas sciunt exoticas. Sed invenias in optimæ notæ scriptoribus Romanis aliqua deterioris notæ, ac quandoque nonnullis etiam non malæ notæ codicibus manu exaratis, uti & editionibus primis, vocabula ejusmodi, quæ nemo capiat, utcunque vel omnes orbis linguas sciret. Talia vitiosis Latinorum codd. originem debent vitiosam.

Ita CALAMENTHA vocibus duabus in Calepino legas. Impositus locus Columellæ lib. IV. cap. XXVII; ubi nunc constanter *calametis*; quo notantur calamorum veterum fragmenta.

FERABITIS, monstrum vocis, à Calepino toties recocto adfertur, exponiturque *agrestis*. In errorem eum induxit corrupta lectio Sisennæ; è cujus quarto HISTORIARUM libro hæc verba adducit Nonius; prout quidem vulgati habent codices, imò & optimus Mus noster: *Partim ferabite, partim lauro, ac pinu abundant.* Nam pro *ferabite* legendum *ferâ vite*: ut rectè scripsit Radulphus Fornerius lib. IV. rerum quotidianarum cap. XX; multoque ante eum Guil. Canterus lib. III. Var. Lect. ubi id se ab amico ait edoctum. Quem verò amicum is non nominat, eum fuisse Jos. Scaligerum cùm aliunde scimus, tum ex ejus viri Conjectaneis in Varronem, & Comment. in Culicem. Quemadmodum & idem intelligendus apud Canterum lib. V. cap. XXIX, cum se quondam ab amico admonitum ait de emendatione Euripidei loci in HECUBA. Suntque alia in eisdem ab eodem fonte: in quibus nihilo pejùs nomini consuluisset suo, si tanti amici nomen expressisset. Est autem *ferus* hic idem, quod *agrestis*: diciturque *fera vitis*, ut Statio *fera oliva*, ἀγρία ἐλαία:

Pulvere-

Pulverumque ferâ crinem detersit olivâ.

MANSISTERA legas in Onomastico veteri; ubi exponitur ὑδρεῖα. Imò in Calepino, qui Passeratii dicitur, idem legas: ac locus iste affertur è Plauti Bacchidibus: *Effer manſiſternam cum aqua foras.* Sed *naſiterna* rescribe, cum sit à *naſis ternis*, h.e. ansis. Eos quaternos habuere Vatiniani calices, à Vatinio, lutore Beneventano, sic dicti. Juvenalis sat. v:

Tu Beneventani ſutoris nomen habentem
Siccabis calicem naſorum quatuor.——

Vide & Martial. XIV. epig. XCVI.

Naſiterna vocabulum legas quoque Sticho act. II. sc. II.

MELAMIRUM item in nonnullis Calepini editionibus reperias. Rectiùs aliæ *melanurum*: quamquam neque hoc examussim placet, cùm *melanurus* sit dicendum.

PROCERITUS Calepinus ponit, & interpretatur *malo ſpiritu adflatum*: ac citat illud è Plauti Pœnulo: *Neque nos populus proceritis inſectabit lapidibus.* Sed satis liquet, duas esse voces *pro ceritis*: hoc est furiosis; quæ vox à Cerere, quasi *Cereriti*, δημητριακοί. Sic Amphitry. II. II.

——*Quaſo, quin tu iſtanc jubes*
Pro cerritâ circumferri?

REDIVI appellantur à multis hominibus doctissimis, qui Græcis sunt κρότωνες, & κυνοραίσται. Est autem pediculorum genus, canes infestans. Occasionem *redivos* vocandi præbuere corrupti codices Columellæ lib. VI. cap. II: *Ut redivi, qui plerumque feminibus inhærent, eximantur.* HAC lectione deceptus doctissimus Theodorus Gaza, in tralatione ARISTOTELICÆ de Animalibus HISTORIÆ, *redivos* vocat: auctoritatem ejus deinceps secuti alii, atq; alii. Sed in utraque Parisinâ, unâ Joannis Petiti, alterâ Rob. Stephani, *Ricini*, legitur; ut & libri VII. c. ult. quod de morbis, & medicinis canum inscribitur. HUNC Gazæ lapsum jam olim deprehendit HERMOLAUS BARBARUS.

SOTULAR pro calceamenti genere usurpare non metuit Julius Palamedes ADRIENSIS in tralatione Avicennæ I. Can. Fen. III. doct. I. cap. V. Et sanè legas apud Grammaticos multos; qui *ſotular*, & *ſotularis*, inter masculina nomina reponunt. Quod etiam factum à Gaſparo Finkio, & Christophoro Helvico. Usurpatur etiam PONTIFICI in cap. 19. §. un. Ext. de HOMICID. A *ſolea* esse id nomen, censet Marcellus Donatus in Suetonii Caligulam cap. III. Sed & *ſotular*, & *ſotularis*, sunt voces nihili.

Ab illo utique est Gallicum, *soulier*. Decepit Grammaticos corruptus B. Hieronymi locus extremo libro primo contra Jovinianum; ubi sic legendum: *Et hic soccus, inquit, quem cernitis, videtur vobis novus, & elegans; sed nemo scit, prater me, ubi me premat.* Vide, quæ dicam lib. III. cap. 51. in *subtalaris*.

VALGUSTUS Calepino, fustis uncus. Sed deceptus est corruptis Isidori codd. lib. XIV. cap. IX. ubi nunc legitur, *Valli fustes sunt, quibus vallum munitur*. Et Sanè sic etiam Mssi nostri bonæ notæ.

Est etiam, ubi in verbis peccetur. Ita BUSIRE, & BRUSIRE, vel BRISARE, in quibusdam Calepini editt. exponitur *consumere*. Adfertur è Nonio in *Vafer* Afranii locus iste in Divortio: *Qui coner noctu clanculum brisare*. In Mso nostro totus locus sic habet: *Qui conere noctu clanculum brusire dotem ne remittas vafer, honestè ut latites, & nos laudas diutius*. AC *brusire* etiam est in editt. Mediol. Aldin. aliis. Vera lectio est *rus ire*. Totus verò locus sic restituendus:

—— Qui conere noctu clanculum
Rus ire, dotem ne repromittas vafer,
Honestè ut latites, & nos ladas diutius.

Nisi *brusire* corruptum ex *ab me rus ire*: & pro *laudas* malis *lactes*: nempe hoc pacto:

—— Qui conere noctu clanculum
Ab me rus ire, dotem ne amittas vafer,
Honestè ut latites, & nos lactes diutius.

Sed prius magis placet.

CAP. IX.

In vocibus nec peregrinis, nec Romanis, ab iis cœptum, quæ propria sunt. *Quale est, cùm* Dionysius *dicunt, pro* Dionisus; Arthemisia, *pro* Artemisia; Jovinianus, *pro* Jovianus; Cælestinus, *pro* Cælestius. *Quandoque & in modulo peccari, ut cum tertia in* Oporinus *producitur; media in* Aratus *corripitur. Etiam in locorum propriis aberrari: ut cùm Maro* Harimen *pro* Arimis *extulit: aut cum vulgò* Venetiam, *&* Venetias, *confundunt: aut cùm* Calarin *ponunt pro* Carali, *aut* Lamsacus, *pro* Lampsacus. *In iis, quæ ab* R *inchoant, non tam considerandam esse gentem, unde vox accepta; quàm quid ferat mos Romanus: eoque* Roma *sine spiritu,* Rhenus *cum eo,* Rhetia *vel* Rhætia, *utroque modo exarari.*

A peregri-

A Peregrinis accedo ad ea, quæ ortum trahunt à Latinis, nec tamen in illis habent locum: quod bifariam fit. Quædam enim ratione materiæ sunt vitiosa; ut si vocabulum nullâ in significatione sit Latinum: ac similiter Græcâ in lingua de Græcis judicandum. Quædam peccant ratione formæ; quando vox aliqua est Latina; sed non in ea significatione, quâ à multis perperàm sumitur. Utriusque generis exempla afferam: primùm in nominibus, sive illis, quæ per casus inflectuntur: deinde in verbis, sive iis, quæ declinantur per tempora, & personas: postremò in particulis, sive istis, quæ neutro variantur modo.

In nominibus etiam omnia erunt concinniora, si priùs loquar de propriis; inde de substantivorum aliis, quæ communia, sive appellativa dicuntur; postremò addam de adjectivis.

Propria fere sunt Deorum, hominum, aut locorum. In divinis exemplum esto, quòd *Dionysium* dicant pro *Dionyso*. Quomodo etiam Justus Lipsius lib. IV. de Militia Romana Dial. X. ex primo Strategematum Poliani narrat, Pana primum fuisse auctorem tollendi clamoris ante pugnam, atque hoc ipsum suasisse in Dionysii exercitu. Imò & Bonaventuram Vulcanium videas in Arriano suo, lib. V.* de Expeditione Alexandri, sic semper exprimere græcum Διόνυσος. Idem tamen alibi, ut lib. VII. †, & initio Indicorum *, *Dionysius* sæpius reddit: ut prius illud, vel calami properantis, vel oscitantis typothetæ vitium queat videri. Utcunque hoc fuerit, passivus est error *Dionysium* pro *Libero*: qui & in nonnullos Ciceronis codd. irrepsit. Ut pro Flacco de Mithridate: *Deum illum, patrem, illum conservatorem Asiæ, illum Dionysium, Bacchum, Liberum, nominabant.* Prout editum quoque à Roberto Stephano in illâ anni CIↃ IↃXLIII. Sed omnino *Dionysium* legendum; ut etiam liquet ex primo Plutarchi Symposiacôn: ubi idem de Mithridate narrat.

* *Pag.* 101. & 102. *edit. H. Steph.*
† *Pag.* 161.
* *Pag.* 169.

Similiter peccatum in nominibus hominum, tum Græcis, tum Latinis. Prioris generis est, quòd *Arthemisia* semper edidit Henr. Stephanus apud Agellium lib. X. cap. XVIII. At *Artemisia* scribendum: cum ab Ἄρτεμις, quæ Diana est, Ἀρτεμισία vocetur, quasi *Dianinam* novè dicas.

Posterius ad genus refero, cùm vulgo *Iovinianus* vocatur, qui est *Iovianus*: prout Cæsaris ejus nomen semper exprimitur in numismatis antiquis. Prius illud ejus est vocabulũ, contra quem scripsit B. Hieronymus. Sic vulgò etiã Pelagii hæretici asseclæ vocatur *Cælestinus*; cum hoc nomen sit Papæ eorumdé temporũ; at hæreticus ille dictus sit *Cælestius*.

Est

Est etiam, ubi in propriis hominum vitiosè pronunciemus non ob literarum vitium, sed ob moduli neglectum. Multa alibi exempla dedimus ex antiquis. Ecce nunc de seculo nostro. Celebris parentum ævo Basileæ typographus fuit, cui nomen Joanni Oporino. In quo nomine video omnes producere penultimam; cùm ea sit brevis; ut indicat hoc Martialis:

Si daret auctumnus mihi nomen, Oporinus essem.
Horrida si bruma sidera, Chesmerinus.

Sanè Joanni isti auctumnus nomen dedit. Nam gentile vocabulum Herfst; unde *Herfdius* priùs dicebatur. At quod Germanis Herfst, *auctumnus* Latinis, id Græcis ὀπώρα, unde ὀπωρινός. Est verò hoc error turpior, quod nec excusari possit accentus obtentu: cujus ratione mediam in *Aratus* corripiunt Claudianus Mamertus, & Venantius Fortunatus.

Erroris in locorum propriis exemplum habemus in magno Marone: qui, cùm apud Homerum in Catalogo esset Εἰν Ἀείμοις, quasi una vox foret, cudit † inde *Inarimen*: lapsumque in eo (vide quantum tanti viri valuerit auctoritas) secuti hac parte poëtarum alii: in his Lucanus, Silius, Papinius, Claudianus.

† Æn 9. vers. 716.

Vulgo *Venetiam* multi dicunt, pro *Venetiis*: eósque inter Erasmus præfat. in Chiliadas: ubi de variis ejus operis editionibus tractat. Atqui *Venetia* tum una est ex Armoricis Galliæ civitatibus; quæ hodie *Vannes*: tum ea Italiæ regio, in qua præter Venetias sunt Patavium, Verona, aliáque oppida. Priori modo usus Cæsar lib. III. de bello Gall. Posteriori Livius lib. XXIX. & XLI, Paterculus lib. II, Plinius lib. III, & XLI, Florus lib. III, aliique. Verba unius Livii adducere sufficerit. Ejus est libro proximè dicto: *Ex iis M. Æmilio senatus negotium dedit, ut Patavinorum in Venetia seditionem comprimeret.*

Calarin vulgò vocant Sardiniæ oppidum: ejusque episcopum Luciferum *Calaritanum*. Sed urbs *Caralis* dicenda, indeque *Caralitanus*. Sic vocant Hirtius, Livius, Ptolomæus: etiam Claudianus de bello Gildonico. *Calari* erat apud Plinium. Sed *Carali* restituit Pincianus.

Lampsacus cum P: etsi absque eo ediderit Lud. Carrio in suo Valerio Flacco, veterem, ut lib. II. ait, codicem secutus. Sed scimus aliter esse in codd, aliis: quomodo & in Eusebii Mssis reperit Pontacus. Et Græcis est Λάμψακος, παρὰ τὸ λάμπειν: cujus rationem adfert Etymologici magni consarcinator.

Est verò

Est verò ubi penè de nihilo in partes abeatur. Ut dum disputant, utrùm rectius sit, cum spiritu seu *Rheti & Rhetia*, seu *Rhati & Rhatia*: an sine eo seu *Reti, & Retia*, seu *Rati & Ratia*. Sanè nihil non horum nititur veteribus libris, ac lapidibus: ut à Marco Velsero ostensum in suo de Vindelicia, & Rhætia opere. Quid mirum? Quando in talibus non idem mos Romanis ipsis semper fuit: imò sæpius etiam abiere à consuetudine gentis, unde vocem haberent.

Itaque *Roma* etsi à Græco ῥώμη sit, propriéque *Valentiam* notet; tamen sine spiritu scribimus: quia Latini veteres non adspirabant initiale R, more Græco. Uti nec Germani faciunt, vel Belgæ: eoque si rationem sequi volumus, etiam *Renus* scribi oporteat. Scio, Græci aliter Ῥῆνος. Sed Romani non accepere id vocabulum à Græcis, verùm Germanis; quibus Ryn dicitur, à rein/h. e. *purus*: sive generali appellatione, quia omnis aqua mundat: sive particulatim, quia eo prisci Germani explorarent, torusne esset purus & immaculatus, unde ἐλεγχίγαμος in primo Ἀνθολογίας appellatur*. *Rhenus* tamen malim, quia in talibus consuetudo Romana præferri debet rationi.

* *Vide & Nonnum* x 11 1. *Dionys. & qua ad eum Gerardus Falkenburgius ex Nazianzeno & Iuliano, annotavit.*

CAP. X.

De propriis hominum, quæ Hebræi ad nos transfuderunt. Non esse caussam satis gravem, cur pro Eva *dicamus* Heva, *vel* Hava; *etsi ejusdem originis sit ac* have, *pro* salve. *Nihil etiam urgere, ut pro* Noë *dicamus* Noach: *ac multò minus, cur* Noachus *pro eo usurpemus. Nec* Eldras, *pro* Ezra, *vitiosum videri.* Gersom, *&* Gerson, *malè confundi. Malè item Tiberiani ævi πολυΐστορα dici* Appionem, *cui* Apio *sit nomen. Ac quia id derivetur ab* Api Deo, *occasione eâ de aliis etiam actum vocabulis à numine impositis. Qualia Hebræis* Elisæus, *&* Elisabeth; *Chaldæis* Baltasar, *&* Balsasar; *Assyriis* Nebucadnezar, *quod à Nebo, sive Chamo*; *Persis* Mithridates; *Græcis, ac Latinis,* Herodotus, Apollonius, Apollinaris, Martialis, *aliaque. Peccari etiam in propriis locorum: ut cùm* Madiam *dicunt pro* Madian. *Nec minùs quædam vitiosa esse ex iis, quæ à Celtica sunt lingua: quale in hominum propriis* Theodoricus *pro* Theodericus: *in propriis locorum* Leodium *pro* Leodicum; Delphi, *pro* Delfi.

ETiam peccari videas in propriis origine barbaris: ut quæ non in Latio, vel Græcia, nata sint; sed Orientis linguâ, aut Septentrionali,

† *Ordine neglecto.*

nali, vel aliâ. De quibus dicturus, metuo ne ἀμεθόδως † id agere videar, quia vixdum à peregrinis ad ea pedem tulerim, quæ à Latinis profecta sunt, vel *Græcis*. Sed non leve discrimen peregrinorum est in propriis, ac communibus. Communia enim (de quibus solis antea egimus) variant pro linguis. Propria verò eadem sunt in linguis omnibus: nisi quòd sæpe, pro linguæ cujusque natura, variet litera una, vel altera. Sic linguæ universæ eodem fere modo dicunt; *Adam, Abraham, Moses, David, Jesus, Socrates, Plato, Cicero, Cæsar, Carolus*, & ita in id genus aliis. Quare non absre, nec planè extra oleam, futurum; si mantissæ loco adtexam quædam de propriis, quæ ex peregrina accepimus linguâ. Ac primùm iis quæ debemus Hebræis. Ubi crebrò peccari, negare non possumus: nec tamen tam frequens illud, quàm cupiunt nobis persuasum, qui omnia metiuntur Masoritarum punctis. Ac præterea non satis attendunt, quantopere immutentur vocabula, quoties coloniam mutant. Tale est, quòd *Heva* scribere jubent pro *Eva*, quia nomen id sit ab חוה hava, *vivo*: unde *have*, sive *ave*, id est, *vive, salve*. Atque hoc etiam è Plauti Pœnolo* liquet. Nec diffiteor, inde nomen esse, *quod mater esset cunctorum viventium*, ut ait Moses †: hoc est, *parens omnium hominum*, ut interpretatur Onkelos in paraphrasi sua Chaldæa. Nam fatuè nimis R. Levi non κατ' ἐξοχὴν, sed generatim accepit illud *viventium*; quasi & mutorum fuerit animantium parens. Sed uteunque hoc ἔτυμον faciat pro Hebræa ἐτυμολογία: non tamen inde consequitur, spiritum asperum à Latinis præponi oportere. Nam hi Græcos sequuntur, quibus est Εὔα. Et, cur ita mallent, ratio erat. Quippe Syris Eva cum adspiratione notat serpentem feminam: ut est apud Eusebium in præparat Evangel. & Epiphanium contra hæreses.

* *Act. 5. sc. 1.*

† *Genes. 3. 20.*

Nihilo meliùs, quòd Augustinus Steuchus Eugubinus, atque alii, *Noë* improbant, proque eo jubent dicere *Noach*: quo modo pronunciandum sit, si sequamur puncta Masoritica. Quasi nullâ ratione fuerint suffulti LXX interpretes, qui Νῶε vocant: aut flocci sit, quòd constanter Noë dicatur à Græcis, Latinisque Patribus. Qui & (ne id excidisse iis credamus) similiter, quando ה vel ע est in fine, id in aliis etiam agunt: ut *Thare* cum dicunt, non *Tharah*; *Sue*, pro *Suah*: & similis ratio in aliis multis. Steuchus laudat Berosum, qui *Noach* nominat pro *Noë*: quasi corculis ille Annii fœtus placere multum possit. Quid enim de istoc Beroso sit sentiendum, ab unde diximus lib. 1. de historicis Græcis cap. XIII, & lib. III de Historicis Latinis cap. VIII. Siquid culpa-

culpari in hujus nomine meretur, id potiùs fuerit, quòd vulgò dicimus *Noachus*. Nam A illud ante C H est furtivum; eoque, si quid apponatur, perit: ut à רוח ruach, *spiritus*, est plurale רוחות *ruchot*: ut Jer. XLIX. 36. & Ezech. XLII, 20. Quare ex *Noach* potiùs formandum erat *Nochus*.

Nec rectiùs damnant *Esdras*. *Ezra*, inquiunt, scribendum; ut Hebræus fons indicat. Nempe gravi supercilio pro nihilo putant, quòd aliter efferant Græci, & Latini. Tanti iis est vel gustum Hebrææ habere linguæ. Non obstrepimus viris summis, qui sic malunt; sed solùm non possumus probare sciolos istos, qui propterea *Esdras* imperitè dici arbitrantur. Nec enim hæc pronunciatio caret ratione. *Ezras* pro *Ezra* sit, ut pro *Juda* est *Judas*: quod, puto, non damnabunt in Evangeliistis. Jam autem pro *Ezra* rectum est *Esdras*, quia Z olim sonuit, ut D S: unde Dores, trajectis literis, pro Ἔζρα dixissent Ἔζδρα: ut σφείδω pro σφείζω; quod ex Theocrito satis liquet.

Utcunque verò & hæc, & alia id genus multa, à multis temere repudientur, (ingens seges talium se animo offert; sed nolim nunc iis insistere) sunt tamen non pauca: ubi facilè subscribam: ut quando distinguunt inter *Gersom*, & *Gerson*: qui planè diversi. *Gerson* Jacobi Patriarchæ ex Levi nepos fuit. At *Gersom* scribendum, ubi sermo est de Mosis filio; sic nuncupato, quia eum genuisset Moses expulsus ex Ægypto. Sanè & Hebræis est גרשם, gersom: uti & Γηρσὰμ Græcis, diversa vocali; uti sæpe in vocalibus abeunt à Masoritis; vel hi potiùs ab antiquâ pronunciandi ratione; si quid de istoc judicare valeo. Interim fatendum, sæpe M, & N, confundi. Uti & *Absolon* non optimè dicitur pro *Absolom*, אבשלם: quod significat *patrem pacis*, vel *pacem patris*.

Sed satis de Hebræis. Aliquid etiam addamus de Ægyptiacis. Tale est, cùm vulgò πολυίστορα illum; contra quem Flavius Josephus scripsit, quemque *cymbalum mundi* Tiberius Cæsar nuncupabat; *Appionem* vocant, cùm *Apio* dicatur. Nec enim homo Ægyptius ab Appia gente Romanâ nomen accepit; sed ab Api, Deo Ægyptio: ut pleræque gentes à numine suo nomina solent imponere. Sic Judæorum est אלישע, *Elischah*: Græcis Ελισαὶ, ut in libris Regum semper exaratum; sive Ελισαῖος, ut est apud Lucam IV. 27; & *Dei salutem*, vel *Deum salvantem* designat: ac אלישבע, Ελισάβετ, *Deus juramenti*, vel

saturitatis, vel *Dei septenarius*. Chaldaica sunt Βαλσάσαρ, & Βαλτάσαρ: illud nomen regis apud Danielem; hoc verò nomen ipsi Danieli datum à rege in honorem idoli *Bel*, sive *Bal*. Regis verò nomen, quod vulgo *Balthasar* scribitur, potiùs *Balsasar* fuisse; ex B. Hieronymo, & aliunde constat. Assyrium quoque *Nebucadnezari*, sive *Nabuchodonosori* nomen est à *Nebo*; qui idem ac *Chamus*, & *Beelphegor*. Non tam Solis, quàm Lunæ numen, ita dictum Assyriis, ostendi in secundo de idololatriæ origine * cap. VIII. Atque ibidem cap. IX. monui, Persicum esse Μιθρασάτης, à *Mithra*; qui Persis est Deus Sol. Jam quàm multa à numine Græco, Latinoque; ut *Diogenes*, *Diodorus*, *Apollonius*, *Apollinaris*, *Herodotus*, *Heraclitus*, *Hermippus*, *Dionysius*, *Bacchylides*, *Martialis*, *Martinus*, ac tot alia.

* *Sive de Theologia gentili, & physiologia Christiana.*

Erroris in locorum propriis exemplum fuerit, quòd Μαδιάμ sit in codd. Græcis. Nam, ut verè Ausonius ait,

Vocibus in Graiis non ultima conspicitur M.

Dixeris, Hebræum esse, ut אדם. Sed dispar in priori ratio est; quia & Hebræis *Madian* per N effertur.

Verùm mitto Hebræa. Potius aliquid adjungam de propriis hominum, vel locorum, quibus origo ex lingua Europæa. Ut in Gothico nomine *Theodoricus* per O in tertia: cùm scribi debeat *Theodericus*, quia sit à Celtico **Leode**/ id est, *populus*: non autem à Θεόδωρος. Nempe vulgò hac parte sæpe peccant homines eruditi, quòd Germanicorum originem petunt è Græcia. Sic doctissimus Dausquejus in secundo Orthographicorum *Gerardus* jubes scribere, quia Græcè sit Γέραρδος à γεράω. Omnino enim id à fonte est Germanico sive placet esse à **gier**/ id est, *vultur*; unde aliqui pro eo *Girardum* scribunt: sive à **geren**/ id est, *desiderare*; unde Erasmo *Desiderius* redditur; qua de re diximus Physiologiæ Christianæ * lib. III. cap. LXXXV.

* *Sive operis de Idololatriæ origine & progressu.*

In loci nomine delinquitur, cùm inclytam Eburonum urbem *Leodium* dicimus, pro *Leodicum*: quod à prisco **Leode** / id est, *populus*, & **dyk**/ i. *agger*. Fusè de eo Lipsius lib. I. Poliorcet. cap. II: ubi & de Theoderici nomine, proximè memorato. Delfis Batavis Ill. Grotium natum dixerim: at Delphis Phocidos cultum Apollinem. Nam Batavorum urbs **Delft**/ non **Delpht**. Origo item à fodiendo: atqui nõ **delphen** dicimus, sed **delven** per v consonum: quòd mollius sonat, quàm ipsum F; nedum ut P H hic habeat locum.

Quandoque in modulo etiam syllabæ vitiosè talia efferuntur. Ut si prio-

priorem in *Scotus* olim corripuisses; quasi à Σκότος † foret. Planè enim pronunciabant per ω, vel consonam geminabant: unde prior semper est porrecta: ut valde fugerit ratio Thomam Demsterum, eruditum Scotum, beneque de literis meritum; quando, in honorem, credo, patriæ, legere jubet apud Martialem lib. VI, ep. LVIII: † *Tenebræ.*

Comminus & Scotici sidera ferre poli.

Ubi omnino retinendum est *Scythici*; prout in omnibus est libris. Atque hoc etiam observatum Reverendissimo Jacobo Usserio, Armacano Archiepiscopo, & universæ Hiberniæ primati, in laudatissimo opere Antiquitatum Britannicarum. Cujus ego in re majori meminisse malim, quàm iis, quæ ad pulverem pertinent grammaticum: sed enim & istoc occasione meliori non eo minus fiet. Summa enim summi viri, & undecunque doctissimi merita de Ecclesia, & tota Rep. literaria, nunquam sinent, ut non æternùm ab omnibus literarum amantibus memoriâ gratâ celebretur.

CAP. XI.

A propriis itum ad appellativa: ac in his primùm adorta à Græcis: ubi aliqua initio, aut medio vocabuli, adduntur, aut demuntur. Vt in parochia, *pro* parœcia; borœum, *pro* boréum; *& fortasse in* amphibologia, *pro* amphobolia; myagrus, *&* cynomyagrus, *pro* myiagrus, *&* cynomyia; sciaticus *morbus pro* ischiadicus; catarrus, *pro* catarrhus; penteris, *pro* pentaëteris; pædagium *pro* pædagogium. *Hinc adlata, ubi sit trajectio literarum: ut versus* spondaicus, *pro* spondiacus; *vel initio, mediove, litera una, pluresve, immutentur: ut* acalyphe, *pro* acalephe; amolum, *pro* amylum, *vel* amulum: iliaca *passio pro* ileo *morbo, qui &* chordapsus; antabatæ, *pro* andabatæ; *ubi & de etymo* caliendri, *ac vocis* pando. *Adhæc* mosaicum, *pro* musaicum, *quod &* musivum, *unde* musivarii; paraclitus, *pro* paracletus; nigromantia, *pro* necromantia. *Etiam in quantitate peccari: quale cum* anathêma *dicunt pro* anáthema; Basílius *pro* Basilius. *At* Academia *rectè proximam ab ultima nunc corripere, nunc producere.*

A Nominibus propriis nunc me confero ad communia, quæ vulgò appellativa dicuntur. Horum alia sunt græca, alia Latina. Loquor verò de græcis ortu, sed vitiosè prolatis. Qualium quædam initio, aut medio vocis, corrupta sunt; quædam terminatione peccant.

Prioris generis sunt duplicia : vel enim in literis ipsis error committitur, vel modulo duntaxat. Literæ vel adduntur, vel demuntur, vel transponuntur, vel mutantur. Primum, secundumque vitium concurrunt in *parochia* : ubi H perperam additur post C : E malè præteritur post O. Nam rectum est *parœcia*. Quod apud Augustinum lib. XIV. de Civ. Dei cap. XXIII: *Presbyter quidam fuit nomine Restitutus in parœcia Calamensis Ecclesiæ*, græce est παροικία. Quod habes & Canone XIV, & XXXIV † eorum, qui Apostolici dicuntur. Sæpiusque in Eusebii Historia Ecclesiastica occurrit, atque alios : ut audiendi non sint, qui eo comminiscuntur *parochos* dici, quia panem Domini præbeant Ecclesiæ. Nempe similiter ac ἀπὸ τῦ παρέχειν, hoc est, præbendo, *parochi* dicebantur, *qui præbent ligna salemque* : ut ad Horatium * Acron annotavit. Est verò παροικία quasi sacra vicinia, sive conventus eorum, qui sunt unius fani consortes. Ut πάροικοι ipsi vicini, sive accolæ, qui & πρόσοικοι. Qua de re plura Alciatus lib. I. Prætermissorum; Budæus ad L. 239. ex Pompon. lib. singul. enchiridii: libroque de origine parœciarum Ioannes Filesacus, Theologus Parisiensis.

† *Al.* 33.

* *Lib.* 1. *sat.* 5.

Prima vocalis malè additur, quando per diphthongum scribunt *boraum*, pro *boréum*, cùm Græcè sit βόρεος. Ovid. lib. IV. Trist. eleg. VII:

Vita procul patriâ peragenda sub axe boreo.

Sic *antiboreum*, apud Vitruvium lib. IX. cap. IX.

Est cùm etiam tota videtur syllaba perperam adjungi. Ut cùm *amphibologia* ajunt vulgò, pro *amphibolia*. Sed enim scrupulum injecerit, quod prius non modò legatur apud Servium ; sed etiam Lærtium in Zenone. Dixeris fortasse, codices esse corruptos : quia apud græcorum alios semper sit ἀμφιβολία. Verùm nonnihil est, quod ratione etiam prior defendi potest scriptura ; nam si ἀμφίβολον dixere pro ambiguo sermone ; cur non inde formarint ἀμφιβολογία ? Verùm, inquias, ab ἀμφίβολον esset ἀμφιβολολογία : quæ vox sit dura, auribusque molesta. Hanc enim rationem & ipsi adducebamus in Oratoriis Institut. lib. IV : ubi pluribus de eo agebamus. Sed non inscitè oggerit Claudius Dausquejus †, si à γωνία dixere *polygonia*, & *oligogonia* ; cur non & hic potuerit syllaba geminari ? Vel quid si per syncopen syllabam eliserint ? quomodo Latini * ex *sambuca*, & *cano*, fecere *sambucina*, pro *sambucicina*. In hoc incerto nolim de ilto ferram reciprocare diutius. Quin tutiùs tamen ἀμφιβολία dicatur, minimè dubi-

† *Lib.* 2. *Orthographicon.*

* *Plaut. Stich.* 2, 2.

dubitandum; minusque probum esse *Amphilogiæ* nomen, licet Erasmus sæpe utatur, notat Goclenius in Sylloge Voc. obsol. & barb. pag. 347.

Adimitur litera in *myagrus* apud Solinum, pro *myiagrus*, μυίαγρος: ut *cynomyia*, κυνόμυια, *musca canina*, non *cynomya*. Item quando coxendicum, vel lumborum dolorem, qui morbus est *ischiadicus*, *schiaticam* appellant. Sanè ἰσχιάδα vocant græci ab ἰσχίον, id est, *coxendix*: unde & ἰσχιακὸς, ut ab ἰσχιὰς, ἰσχιαδικός. Interim non heri, vel nuper, errorem hunc natum, putari debet. Nam apud Capellam est *schias*, pro *ischias*. Imo σχίον pro ἰσχίον est in vett. glossis. Atque in *sciatica* quidem tum litera, tum spiritus aufertur. At posterius solùm fit in *catarrus* pro *catarrhus*: cùm græcè sit καταῤῥοὺς, ex καταῤῥέω. Tota verò syllaba auferetur in *penteris*: quomodo à magnis etiam viris dici, queritur Josephus Scaliger lib. v. de Emendatione Temporum cap. de Encæniis Templi †. Rectum verò est pentaëteris, πενταετηρὶς: pro quo *penteris* nihilo melius, quam *pædagium*; quod adstruere conati è Plinii lib. VII. cap. XXVII. Atqui nihil certius, quàm pro *pædagio*, *pædagogio* legi oportere. græcè enim est παιδαγωγεῖον.

† *Pag. 559. edit. Lugd.*

Etiam, ut dixi, trajectione literarum delinquimus: ut cum pro *spondiacum* dicunt *spondaicum*: etsi sic cum vulgo scribat etiam Alciatus lib. II Dispunctionum cap. XXI. Sanè versus meris constantes spondeis, vel σπονδειακοὶ græcis dicuntur, unde, *ei* in *i* converso, non aliud quàm *spondiacum* esse potest: vel σπονδαΐζοντες, prout non vetus modò Persii scholiastes * appellari ait: (nam quod apud eum σπονδοαΐζοντες o inserto legitur, planè librarij culpa est) sed etiam in fragmento, quod Censorino annecti solet, si veteres sequimur membranas, quas repræsentavit Carrio. Nam in illa, quam nobis Elias Vinetus exhibuit, corruptè quoque *spondaicum* editum est.

* *In sat. 1.*

Mutatio vel unius est literæ, vel plurium. Unius, ut cùm *acalyphe* dicitur pro *acalephe*. græcè ἀκαλήφη, *urtica*. Vide Casaubonum Animadvers. in III Athen. & Radulphum Fornerium lib. III Rerum Quotidian. cap. XXX.

Simile est *amolum*: quomodo cum Scauro * scribere non ausim: etsi apud Vindicianum in Apicij Excerptis sit, *Amulum ex oryza*. Nam Græcè est ἄμυλον, διὰ τῆς μύλης, quod non molatur. Dixeris, *u* in *o* abire: quomodo ab ipso μύλη est *mola*. Sed quod in simplici *mola* factum, id quo minùs in *amylo* habeat locum, græca impedit compositio,

* *Lib. de Orthographia ad Thesium.*

positio. *Amulum* tamen non vehementer impugnem: quando scripsere *Sylla*, & *Sulla*; *inclytus*, *incluta*; *lachryma*, *lacruma*, & similia.

Etiam ἀναλογίαν negligunt, qui morbum, græcis vocatum εἰλεὸν, ILIACAM PASSIONEM nuncupant. Nam morbus is *ileos* dicitur, non *ilios*. A posteriori *iliacus* veniret, uti ab Ilio urbe *Iliacos muros* dicimus. Scio, *ilia* ex eo vocari, quòd unum ex tribus tenuibus intestinis, in quo tormina ex convolutione oriuntur, εἰλεὸς nuncupetur. Sed ab εἰλεὸς, sive *ileos*, potiùs *ileacus* foret: verùm ne istoc quidem obtinet. Quare morbum hunc vel *ileon* dicemus, vel *chordapson* cum Celso, Cælioque Aureliano, & græcis, quibus itidem χόρδαψος nominatur: nempe quia manu admotâ quis τῆς χορδῆς ἅπτεται, hoc est, chordam, sive fidem tensam tangere, sibi videatur.

Antabata per τ scribere jubent: quia sit ex ἄντα, & βῆναι. Verùm aliter libri vett. Nempe T post N fere sonat ut D: unde à *mentior*, *mendax*, & ut in græcis consistam, *caliendrum* Horatio †, ac Arnobio *, ex κάλυπτρον, *pondo* ex πετάω,

† *Lib.* 1. *Sat.* 8.

* *Lib.* 6. *adversus gentes.*

MOSAICUM quoque opus malè dicunt pro *musaico*: quamquam *musaicum* etiam damnant quidam, qui *musivum* dicere jubent! unde *musivarii* Firmico, & Cod. Theod. lib. III de excus. artif. Verùm Josephus Scaliger in notis Manilianis, & ex iis, uti arbitror (sanè post eas) Nicolaus Serrarius notis ad S. Bonifacii, aliorumque epistolas, docent; ut ab Ἀχαιὸς, & Ἀχαϊκὸς, dicimus *Achivus*, & *Achaicus*: ita à μυσᾶ, & μυσαϊκὸς, dici *musivus*, & *musaicus*. Prius tamen illud tutiùs usurpabimus. Spartianus in Pescennino Nigro: *Hunc in commodianis hortis in porticu curva, pictum de musivo inter Commodi amicissimos videmus sacra Isidis ferentem.* Usus quoque Aimoinus lib. III de gestis Francorum cap. XLII. Sed & eandem vocem Brissonius † restituit Gregorio Turonensi, apud quem in Parisiensi Badii editione corruptè legebatur lib. V cap. XLV: *Multa in civitate illa ædificia fecit, domos composuit: ecclesiam fabricavit, quam columnis fulcivit, variavit marmore, musao depinxit.* Musivum opus qui facerent, dicti *musivarii*. Atque ita L. I Cod. de excusationibus artificum legi debere, rectè probat idem Brissonius è L. II. eodem tit. Cod. Theod. In vett. codd. exaratum *musinarii* per N: quod iccirco probabat Cuiacius. Sed cùm *musivum* dicamus; non dubium, quin facili lapsu V in N sit conversum. Corrupta quoque hæc vox apud Julium Firmicum extremo cap. libri III: ubi in Aldina legitur: *Aut in usu varios, aut inauratores.* Ubi *musivarios* legi debere.

† *In Lexico.*

jam

jam varij monuerunt. Eademque in voce peccatum lib. IV. cap. XV: *Facit enim aurifices, inauratores, bractearios, argentarios, musicos, organarios, pictores.* Ubi optimè Scaliger * corrigit, *bractearios, musivarios, pictores.*

* *Ad sphaeram barbaricam Manilii.*

Paracletus scribendum, non *paraclitus*: quomodo jam ab annis locuti sunt octingentis: ut ostendit locus iste Haimonis Episcopi Halberstatensis in Evangel. Dominicalia: *Quidam Graecus veniens in palatium Regis, cùm legeretur illud Evangelium, & diceretur* PARACLITUS, *dixit* PARACLETUS *debere dici: Non est ibi jota, sed E longum. Tamen nos non audemus illud mutare, propter consuetudinem, ne novum aliquid invenire dicamur.* Haec ille: quae ostendunt, quantum possit in animis hominum error inveteratus. Eò autem respicit, quòd in hymno sacro sit dimeter iste: *Et spiritum paraclitum.* Ubi & proxima ab ultima perperam corripitur.

Plures vero literae corrumpuntur in *nigromantia* pro *negromantia*, νεκρομαντεία: cujus etymi ignara superiora secula, **swarte kunste**/ reddiderunt. At vox graeca propriè notat *vaticinationem è mortuis.* Quomodo & νεκυομαντείαν dixere.

Denique vitiosus etiam modulus corrumpit pronunciationem. Itaque non quidem adversus ὀρθογραφίαν, attamen contra ὀρθοέπειαν, peccatur, quando *anathêma* proferunt penultimâ porrectâ, cùm Graecè sit ἀνάθεμα. Pluraque ejus generis adduximus libro II de Arte Grammatica cap. XXXIII. *Darius, Basilius,* & similia, perperam efferri penultimâ correptâ, sciunt qui adhibêre oram literaturae Graecanicae. Nam in his Graecè semper est ει. Contra esse volunt in *Academia*; quia Graecè sit Ἀκαδημία. Sed inde nihil aliud consequitur, quàm proximam ab ultima rectè etiam corripi. At interea eandem quoque producere licet; quia & Ἀκαδήμεια dicitur; ut liquet ex Stephano, sive Hermolao Byzantio. Hinc Laurea Tullius, Ciceronis libertus:

Atq; Academia celebratam nomine villam
Nunc reparat cultu sub potiore Vetus.

Integrum epigramma apud Plinium habes lib. I. Nat. Hist. cap. II.

CAP. XII.

De vocabulis è Graecia petitis, vulgo perperam vocali A, vel E, terminatis. Ut cùm dicunt anatomia, *pro* anatome; *vel* zizania, *in recto singulari:*

vel prophetissa, *pro* prophetis; *ut* Sybaritis, & Achæis. A poëta *num* poëtis *vel* poëtris; *an* poëtria, *sit dicendum.* Chronicam, *vel* bibliam, *improbatum.* Bibliæ pertrariæ. *Cur S. Scripturam* βιβλία *potiùs quàm* βιβλίον *vocemus. Rejecta item* tomice, *pro* tomix; sinape *pro* sinapi. *Adhæc ex illis in consonam desinentibus* gryphum, *pro* gryphus; zingiber, *pro* zingiberi, *vel* zingiberis; acinacis, *pro* acinaces; gausapis, *pro* gausape, vel gaulapa; scholaris *pro* scholasticus; cymbius, *pro* cymbium; melampyrus, *pro* melampyrum; chirographus, *pro* chirographum; peponus *pro* pepo.

SEquitur alterum *Græcorum* genus: nempe ubi non initio, vel medio vocabuli: sed ejus exitu peccatur. Priùs referam de iis, quæ vocali terminantur: inde de exeuntibus in consonam. In priori genere sufficerit agere de duabus primis vocalibus, A, & E.

Vitiosè vulgò dicitur *anatomia*: etsi sic etiam vir doctissimus Cæsar Bullingerus de pictura, & statuaria lib. II cap. XIII: *Sit ergo plastes anatomiæ peritissimus, & humani corporis proportiones ad ungues teneat.* Planè enim *incisionis*, vel *incidendi corporis humani* dicendum, vel *anatomes*: ut Græce ἀνατομῆς.

Zizaniam dixit B. Ambrosius lib. VII in Lucam: *Aliud est fermentum zizaniæ, aliud tritici.* Sed Matthæi cap. XIII semper τὰ ζιζάνια legas. AC similiter Nazianzenus, τὰ ζιζάνια σπείρειν. Rectiùs igitur Hieronymus ad Eustochium *Dum parvus est hostis, interfice. Nequitia, ne zizania crescant, elidatur in semine.* Loco Matthæi memorato etiam Syrus habet ܙܝܙܢܐ, *zizané*; ut non sit apertum, utrum *Græci* eam vocem à *Syris*, an Syri acceperint à *Græcis*, Nec scire id ad præsens institutum facit.

Prophetissam nominant Ecclesiastici, quam *prophetidem* melius vocarent: quomodo Platoni, & Plutarcho, προφήτιδες appellantur? idque ἀναλόγως. Nam sic dicunt, ὁ Συβαρίτης, ἡ Συβαρῖτις, ὁ Σκυθης, ἡ Σκύθις, ὁ Αχαιὸς, ἡ Αχαὶς. Sane & Ovidius similiter lib. II. Trist.

Nec, qui composuit nuper Sybaritida, fugit.

Et epist. Briseidos: *Inter Achaiadas longè pulcherrima matres.* Ubi, κατ' ἐπίνθεσιν τοῦ *A*, *Achaiades* pro *Achaides* dixit. Græcà Αχαιὶς, & Αχαιάδης: quod posterius apud Apollonium est in primo. Ac, ne in gentilibus consistam, similia sunt, ὁ φθιώτης, *maritus*, ἡ φθιῶτις, *uxor*: ὁ δὲ σπότης, *dominus*, ἡ δὲ σπότις, *domina.*

Volunt aliqui à *poëta* similiter dicendum *hæc poetis.* Itaque & apud Persium legi debere in prologo: *Corvos poëtas, & poëtidas picas.*

Et

Et profectò ita in aliquot libb. Mſſis invenitur: longè tamen pluribus *poëtridas* quomodo etiam eſt in Aldina an. CIↃ IↃI. Nempe ut à ποιητὴς ſit ποιητρὶς, quomodo ab αὐλητὴς, eſt αὐλητρὶς. Nihil æquè huic ſententiæ adverſatur, quàm quòd nec ποιητὶς, nec ποιητρὶς, uſquam apud Græcos invenias. Semper enim, ut à ψάλτης, ψάλτρια, à κιθαριστὴς, κιθαρίστρια; ſic à ποιητὴς dicunt ποιήτρια. Priora duo apud Athenæum, & Terentium, legas: tertium, apud Ciceronem pro M. Cælio. Quæ faciunt, ut *poetrias* apud Perſium damnare non auſim.

Chronicam efferunt pro *chronicum*; ubi intelligitur *volumen*, vel opus. Scio, per A in recto ſingulo efferri non ab Iſidoro tantum, Gregorio Turonenſi, aliiſque inferioris ævi ſcriptoribus; verùm etiam B. Hieronymo in Danielem cap. IX. ubi legas: *Quem locum in Chronica Euſebii, quam ante annos plurimos in Latinam linguam vertimus, diligens lector pleniùs ediſſertum poterit invenire.* Verùm non iſta eſt culpæ B. Hieronimi: ſed vitium ætatis, & conſuetudinis vulgaris; quæ, torrentis inſtar, ſæpe etiam abripit doctiſſimos. Nunc poſtquam latinè gens nulla loquitur, ſatius eſt loqui, & ſcribere cum antiquis.

Par ratio eſt in *Biblia* ſingulo numero; quo Eccleſiaſtici ſcriptores à multis retro ſeculis uti ſolent: imò & in militia vulgo *biblias petrarias* dixere, quas aliter vocabant *cattos verſatiles*: ut ex Chronico Leodienſi oſtenſum Lipſio lib. III. Poliorceticôn dialogo III. Ajunt pro βιβλίον efferri poſſe *bibliam*, ut veteres dixere *ſyrmam*, *dogmam*, *ſacomam*, *glaucomam*, *ſchemam*, *diademam*, & alia: ſicuti oſtenſum nobis lib. V Oratoriarum Inſtitutionum cap. I. §. I. Sed enim hæc in uſu erant, nondum collapſa Romanæ linguæ puritate. Non eadem poſteriorum temporum auctoritas. Quare meritò aliter elegantiores nunc omnes loquuntur. Cur verò plurativo potiùs *biblia*, quàm ſingulo dixerint *biblium*; cauſſa non eſt alia, quàm quòd ſacrum illud volumen multos libros complecteretur, quorum ſingulis βιβλίου nomen competeret: quomodò legas Lucæ IV. 17. βιβλίον Ησαΐου. Nec omnem ſemper ſacram Scripturam ſic vocarunt: ſed quandoque ſola Hagiographa: ut videre eſt apud Epiphanium hæreſi XXIX, quæ eſt Nazaræorum.

Nunc dabo unum alterum, quod malè in E terminetur. *Tomice* ponunt Lexicographi in recto, quaſi ſit Græcè τομική. Sed Græcè eſt θώμιγξ, unde *thomix*, vel *tomix*. Eſt funis genus, è cannabe, aut ſparto, leviter torti. Hinc ablativi *tomice*, & *tomicibus*: ut oſtenſum nobis lib. I. de Anal. cap. XXXIV.

Nec *sinape*, quod non nemini arridet, facilè dixerim. Metuo enim, ne *sinapi* legi debeat apud Columellam lib. XI cap. III; ubi nunc etiam in illâ Joannis Parvi, alterâque Rob. Stephani: *Sinape, atque coriandrum, nec minùs erucam, & ozimum.*

Ex consonâ terminatis solùm considerabimus hoc tempore, M, R, & S. *Gryphum* æquè, ac *gryphus*, in recto dici, placuit doctissimo Eliæ Vineto, initio notarum ad Ausonii Edyllium IV, quod est de ternario numero. Sed prorsus fallitur. Apud Etymologum quidem τὸ ζίφιον reperio. Sed aliter classici, ac antiquiores Grammatici; ut Pollux, & Hesychius.

Nec Græcum, nec Latinum est *zingiber*; ut vulgò vocant. Hermolao Barbaro geminato errore *gingiber* nominatur. Ruellio est *gingiberis*. Veteres initio Z, vel S. non G, amant. Quemadmodum verò *gummi*, & *gummis*; *finapi*, & *sinapis*: sic antiqui dixere nunc *zingiberi*, vel *zingiberis*; nunc *singiberi*, vel *singiberis*. Galenus lib. VI Simplicium Medicament. ζιγγιβέρεως ἡ ῥίζα χρήσιμός ἐστι. *Zingiberis radix utilis est.* Recto usus Dioscorides libro II Mat. Med. cap. CXC: Σιγγίβερις* ἴδιον ἐστὶ φυτὸν γινόμενον ἐν τῇ Τρωγλοδυτικῇ, καὶ Ἀραβίᾳ πλεῖστον. Sic, interjectâ copulâ, rectè legit Sarracenus: quomodo & apud Plinium est lib XII cap. VII: *Non est hujus arboris radix, ut aliqui existimavere, quod vocant Zimpiberi, alii verò Singiberi; quamquam sapore simile. Id enim in Arabia, atque Troglodytica, in villis nascitur.* Et sanè Troglodytica non in Arabia est, sed Africa; ut ex Strabone † Plinio *, Ptolemæo, & aliis, constat. Quod Sarraceni conjecturam satis firmat. Nec prætereundum tamen, legi in antiqua Parmensi †, *quam vocant singiverim, alii verò gingiverim.* Nempe à recto *singiberis*, & *gingiveris*. Sed Dalecampius annotavit, in Mso quoque Chifletiano, *singiberi*, & *Zinpiberi*, reperiri. Et castigatiores codd. habent L. ult. §. species. D. de publicanis, & vectigalibus, & commissis: *Species pertinentes ad vectigal: cinnamomum, piper longum*, &c. *amomum, zingiberi, malabathrum* &c.

* *Singiberis est sui generis planta in Troglodytica, & Arabia magna ex parte nascens.*

† *Lib. 16. & 17.*

* *Lib. 6 c. 29*

† *An. 1476.*

In finitis literâ S, duabus imprimis terminationibus peccari solet; IS, & US. Prioris generis est *acinacis*. Sic enim in recto dicere jubent: atque apud Horatium etiam ita legunt lib. I. od. XXVII. Quasi non Græcè sit ὁ ἀκινάκης, quod ostendimus lib. I de Analogia cap. XXVIII. At, inquiunt, Valerii Flacci est lib. VII:

Insignis manicis, insignis acinace dextro.

Ubi si ab *acinaces* foret, quod Græcis est primæ declinationis, ultima esset

esset porrecta, τῇ ἀκινάκῃ. Verùm hoc nihili est argumentum. Nam cur ab *acinaces* non sit *hujus acinacis*, ab *hoc acinace*: ut dicimus *hæc nubes, hujus nubis, hac nube*? Disparem ajunt rationem esse in Græcis, quale ἀκινάκης, quod primæ. Quasi non Græcè sit Ὀρέστης, τοῦ Ὀρέστου: & Latini tamen dicant *Orestes, hujus Orestis, hoc Oreste*. Imò, inquiunt, & Græcè est ὁ ἀκινάκις, ut ὁ ὄφις. Id verò inficior. Semper enim vox ea in ΗΣ desinit Græcis: nec aliter unquam Latini, quàm per ES.

Gausapis in recto dicunt Grammaticorum multi, quia ablativus *gausape* invenitur: pro quo, si à recto *gausape* foret, *gausapi* diceretur. Sed ablativus *gausape* pro *gausapi* fuerit à recto *gausape*, ut *mare* sæpius legitur pro *mari*: quemadmodum in primo, & secundo de Analogia dictum. Sanè rectus *gausapis* nusquam invenitur: sed *gausapa, gausape*, & apud unum Cassium, *gausapum*. Ex ὁ γαυσάπης est *hæc gausapa*: ut Græci dicunt ὁ χάρτης, ὁ μαργαρείτης, ὁ καταπέλτης: Latini *hæc charta, margarita, catapulta*: pluraque ejus generis adducimus opere antè memorato.

Scholaris adstruunt ex B. Hieronymo ad Damasum: *Nec aures Quintilliani floscvlis, & scholari declamatione mulcenda*. Verùm apud antiquos non legas: sed *scholasticus*. Nisi quod *scholicus* etiam sit apud Agellium lib. I. cap. IV. Sed hæc potiùs pertinent ad adjectiva, de quorum derivatione est quæstio. De quibus inferiùs loquar.

Per US malè terminatur *cymbius*; cùm rectum sit *cymbium*, ut Græcè κυμβίον à κύμβη, *cymba*. Est verò *cymbium*, tum poculi genus cymbæ formam referēs: ut auctores sunt Athenæus, Eustathius, Suidas: tum etiam camera, sive fornix, itidem ob formam concavam cymbæ similem: quo pacto usus Corippus, Grammaticus Africanus, lib. III in laudem Justini Augusti minoris: sed eo peccat, quòd per *us, cymbius* dicat, contra Græcorum, Latinorumque, consuetudinem. Audiamus ipsum:

Quas super ex liquido præfulgens cymbius auro
Immodico, similans convexi climata cœli,
Immortale caput, soliumque sedentis obumbrat.

Simile in Calepino est, cùm ei herba, in quam triticum degenerat, *melampyrus*, seu *melampyros* nominatur. Nam Græcè est τὸ μελάμπυρον: ut liquet ex Theophrasto Historiæ Plantarum lib. VIII cap. V, & Galeno de alimentis lib. I. cap. ult.

Grammatici dicere jubent *chirographus*, & *chirographum*. Et prius agnovit quoque Rob. Stephanus in Thesauro suo *: sed nullo suffulcit auctore, nec sanè potuit.

Pepo item, vel *pepon*, non *peponis*, pro cucumeris genere dicendum. Sanè πέπων semper Aristoteli, Dioscoridi, Athenæo, aliis: nec aliter Plinius, quam *pepones* appellat. Peccat in eo Jovianus Pontanus Lepidinæ pompâ quinctâ †:

† Pag. 319. edit. Basil. And. Crat.

Dum redeo simul, & peponos cole, & allia velle.

Pepones dicere debuit. Credat aliquis errorem typographi. Sed sexto pòst, septimôque versu iterum ait:

Nos ferimus dulcem poponum, & melimela beatis.
Hi peponum, & melimela legent thalamoque toroque.

Nisi alteruter versus sit ex secunda Pontani curâ; eoque alter sit delendus.

CAP. XIII.

Ab appellativis Græcis ad Latina transitur. Ac primùm agitur de veteribus corruptis. Quod adimendo fit, cùm opinosissimus *dicunt pro* opiniosissimus; *aut cùm malunt* similimus, facilimus, *& similia, unico L, quàm gemino. Additione autem peccatum in hisce substantivis:* milvius, *pro* milvus, *aut* milvûs: cincindela, *pro* cicindela: culcitra, *pro* culcita: culleus, *pro* culeus: emptio, & sumptus, *pro* emtus, sumtus. *De vocabulo* causa, *vel* caussa, *tum etymo, tum* ὀρθογραφία. *Adhæc additione delinqui in hisce adjectivis:* voluptuarius, *pro* voluptarius: montuosus, *pro* montosus: monstruosus, *pro* monstrosus: octuaginta, octuagesimus, octuagenarius, *per* UA *pro* O. *Trajectionis errorem esse in* lapidicina, *pro* lapicidina. *Mutationis, in hisce substantivis:* forpex, *pro* forfex: ceremonia, *pro* cerimonia: *& fortasse etiam* epistula, *pro* epistola. *Item in adjectivis:* feciales, *pro* fetiales: infacetus; *pro* inficetus; *& contrà* perficetus, *pro* perfacetus: grossus, *pro* crasso. *Quandoque & errorem committi mutatione quantitatis: ut cùm* infantilis *dicunt, corripientes proximam ab ultima.*

ABunde de Græcis. Deinceps prosequar Latina: ubi priùs itidem agam de veteribus corruptis: postea de novis perperam effictis. Illa, quæ corrupta, vel initio, aut medio sui, vitiantur; vel malè finiunt. In iis, quæ prioris sunt generis, vel demendo peccatur, vel addendo, vel transponendo, vel mutando. Demendo, ut *opinosissimus*: quomodo Nizolius esse ait apud Ciceronem in IV. Academicarum Quæst. Sed ab *opinio* non aliud, quàm *opiniosus*, esse potest.

Sic *faci-*

Sic *facilimè* pro *facillimè*: ut in Glossis Cyrillo tributis: Ευκολώτατα' *Facilimè*. Ac Cornelii quidem Croci opinio fuit, *facillimus*, *humillimus*, *simillimus*, & hujusmodi alia, vitiosè efferri, vel in prosâ scribi. Neque nescit, aliter exarari à poëtis: sed metri gratiâ id factum arbitratur. Verum assentiri non ausim; quia video, geminno LL scripi in optimis, & antiquissimis codd. Priscianum obducunt, qui libro III. cap. de Superlativo, dicat, talia formari à casu in I, addito LIMUS. Verba ejus sunt: *Excipiuntur hæc, facillimus, difficillimus, gracillimus, humillimus, simillimus, dissimillimus, agillimus: quorum cum in* IS *desinant positivi, abjectâ* IS, *& additâ* LIMUS *faciunt superlativum.* Sed quid si Priscianus scripserit non LIMUS, sed LLIMUS? Vulgatam tamen lectionem reperio etiam non in Aldina modò, & hac antiquiori Venetâ Marci De Comitibus †: sed etiam optimo Mso nostro. Utracunque lectio magis placeat, de formatione falli censeo. Magis placet, geminari consonam ex eo, quòd in positivo sit L, quod deinceps repetitur: ut à *niger*, est *nigerrimus*; à *doctus*, *doctissimus*. Nempe à *facul*, & *difficul*, facta *facillumus*, & *difficillumus*. sive *facillimus*, & *difficillimus*, u in I abeunte; ut pro *optumus maxumus*, dixere *optimus maximus*. *Facul*, & *difficul*, pro *facilis*, & *difficilis*, nec Varro refugit Bimarco. Ac similiter alii multi; ut Marcello ostensum. Et *consimul*, pro *consimilis*, similiter usurpasse Plautum, conjectura quoque fuit clarissimi, & amicissimi Meursii. Diximus de isto etiam lib. I de Analogia, sive tertiò de re Grammatica cap. XXXVI.

† *Ann* 1476.

Additione autem peccatur, tum in substantivis, tum adjectivis. Substantivis; ut cùm *milvius* ponitur pro *milvus*. Potuit quidem *milvius* esse à *milvus*: ut à *vultur* est *vulturius*. Sed sequendus est usus. De eo autem statuendum ex optimis codd. in quibus *milvus* reperio. Et Lambinus quoque scribit in Aulularíam, act. II. sc. IV. se in omnibus, hoc est, in octo libris veteribus, quibus in restituendo Plauto usus fuit, *milvus*, non *milvius*, invenire. Idemque de codd. suis testatur necessarius noster, Janus Gruterus. Nec in Plauti modò, sed Terentii etiam, ac Horatii locis, ubi vulgò *milvius* editur, Obertus Giffanius * constanter *milvus* reperit *δισυλλάβως*, vel *milvus τρισυλλάβως*: ut *silva* trisyllabon Horatio, pro *sylva*; Lucretio *acua*, pro *aqua*; de quibus alibi.

* *Indice Lucretiano in* Reliquus

Cincindela est apud Cæsarem Scaligerum in Poëmatis. Sed idem alibi *cicindela*: & ita est apud Plinium; item in glossis, & alibi.

Similiter

Similiter peccatur, cùm *culcitra* dicitur pro *culcita*. Est enim à *calcando*: ut liquet è Varrone, & Festo : nempe quia tomento inculcentur. Sic perperam *culleus* scribunt pro *culeus*; cùm Græcè sit κολεός. Malim etiam *emtio*, *sumtus*, sine P, cum illud non sit in præsenti : ut rectè arguit Terentianus Maurus. Parque ratio in *sumtus*, & *promtus*, adjectivis.

De *caussa* nolim contendere, maléne alterum S addatur, an detur. Geminarunt illud Cicero, & Maro; teste Fabio lib. I cap. x. Sed & hic, ut idem ait, *auctoritatem consuetudo superavit*. De etymo nihil certi. Quasi *cavissa* dici, putabat Terentius Scaurus. Sed ingeniosè Dausquejus in II ὀρθογραφικῶν derivat à καῦσις, id est, *ardor*; ut à παῦσις, est *pausa*, quia ardor agit, & concitat: κινητικὸν τὸ θερμὸν *, ut ait Plutarchus lib. de primo Frigido. Cicero lib. II de Nat. Deor. *Calidum illud, atque igneum, ita in omni fusum esse naturâ, ut in eo insit procreandi vis, & caussa gignendi.* Et postea: *Eo mundi ardore motus omnis oritur.* Macrobius lib. VII cap. VII: *Cum calor semper generationis caussa sit.* Propriè sic nomen id caussæ conveniat efficienti.

* *Calidum habet vim movendi.*

Pariter additione aberratur in adjectivis: ut cùm ajunt, *voluptuarius*. Quippe ut à *voluntas*, est *voluntarius*; sic à *voluptas*, *voluptarius*.

Montuosus, pro *montosus*, qui dicunt, metuo ne decipiantur corrupto Ciceronis loco in Lælio. Aliter sanè analogia: ut à *vinum*, *vinosus*. Quare nec placet, quod *monstruosus* efferunt, pro *monstrosus*.

Octuaginta itidem vulgò dicunt, *octuagesimus*, & *octuagenarius* : ubi in libris vett. *octoginta*, *octogesimus*, & *octogenarius*. Vide Vallam lib. III cap. V. *Octuaginta* tamen à Sigismundo Gelenio editum in Plinio. Et illum, & alios, in errorem induxit, quòd dicimus *septuaginta*, & *septuagesimus*. Quemadmodum & *septuennis* pro *septennis* est apud Plautum Menæchmis †: item Prudentium in Romano:

† act. 5. sc. 9.

Da septuennem circiter puerum, aut minùs.

Nec obstat, quòd in optimis illis Pandectis Florentinis sit *octogensimus*. Nam nostram id potiùs sententiam confirmat. Quippe *octogensimus* habent, non *octuagensimus*, Solùm N inseritur: quomodo in iisdem legere est *vicensimus*, *tricensimus*, atque alia.

Trajectionis vitium est, cùm *lapidicina* perperàm dicunt, pro *lapicidina* sive *lapicædina*: ut in veteri inscriptione. Scio, Romæ esse in B. Pauli: A LAPIDICINIS CARISTIIS: nec non in Glossis : *Lapidicina*, λατόμια. Item: Λιθοτόμιον, *Lapidicina*. Λιθοξόος, *Lapidicinarius*. Sed rectiùs Mssi *lapicidina*: quia est à lapidibus cædendis: ut docet Varro

Varro in VII de L. L. Nempe ut ab *lapide*, & *cædo*, est *lapicida*, teste Varrone *; ita ab eodem est *lapicidina*, quasi à *lapis*, & *cædna*; quod quidem extra compositionem non obtinet: sed simile est ac à *fodio*, *fodina*. Nec turbare debet syllabæ ejectio. Nam ut *homicida* καὶ συγκοπὴ proferimus, pro *hominicida*: ita & *lapicida*, pro *lapidicida*; *lapicidina*, pro *lapidicædina*. Pro *lapicidina* etiam *lautumia* obtinuit, à Græco λαοτόμια: sicut veteres extulere *Laumedon*, pro *Laomedon*.

* Lib. 7. de L. L.

Mutatio in medio fit, cùm *forpex* ajunt. Etsi Hadrianus quoque Junius in præclaro Nomenclatore suo ita appellet instrumentum, quo pili præciduntur, Scio, præire Priscianum, & Bedam in Orthographia; quibus *forfices* sunt *sartorum*, *forpices tonsorum*: imò & superiorum esse seculorum versiculum:

Forfice fila, pilos cape forpice, forcipe ferrum.

Sed si veterum etiam Grammaticorum subtilitas inter *forficem*, & *forpicem*, distinxisset; ejus, puto, rei vestigia apud illos superessent. Quare *forficem* quoque pro *forpice* dixero. Non pessimè Ausonius Popma lib. II de vocum differentiis: *Forpicis vox apud idoneos auctores nullibi extat.* Tantùm pro *nullibi* malim *nusquam* dixisset. Nam *nullibi* apud idoneos auctores nusquam exstat.

Cerimonia non scribam; sed vel *carimonia*, vel *cerimonia*, per I interstitia, ob ἀναλογίαν; ut *alimonia*, *sanctimonia*, *matrimonium*, *mercimonium*. Per E in primâ, ut sit à *cerus*, h. e. *sanctus*: per Æ, ut sit à *Cæritibus*: quod ἔτυμον Livius, Strabo, Valerius Max. & Festus, comprobant. In lapidum aliis per Æ; per E in aliis exaratur.

Epistola malim per quartam vocalem: etsi *epistula* sit in Pandectis Florentinis; ac Politiano id placuerit magis. Nam aliter libri veteres, & saxa. Ac analogia favet, cùm dicamus *stola*, *apostolus*, *epistolium*. Sanè Umbri gaudebant O in U convertere: non item Romani: nisi rarò, ut cùm *adultum* dixere ab *adoleo*: quod movere non debet, quia & contrà iidem derivant *fontem* à *fundendo*.

Sunt hæc substantiva: quorum naturam etiam induit *fetialis*; etsi naturâ sit adjectivum: unde *jus fetiale* populi Romani apud Ciceronem legas lib. I Offic. Vocem hanc per C scribere jubent: quia sit à *facio*, vel *feci*. Atque hoc adstruunt è Plutarcho in Numa; qui ait, τοῦνομα λαβεῖν δοκὸ τῆς πράξεως, nomen accepisse à faciendo. Sed malim per T, quia sic Mssi, & Lapides. Atque apud Dionysium quoque est exaratum, τῶν καλουμένων φητιαλίων.

prorsus verò adjectivum est *inficetus*: pro quo multi dicunt *infacetus*: sed inficetè. Contrà tamen rectum *perfacetus*, non *perficetus*. Quorum ratio nequit adferri: nisi quòd constet usu veterum.

Si velim ire ad illa, quæ ab hinc sesquiseculo, & ultrà, obtinuere, viatico sit opus. Tanta est seges. Sed hodie in usu esse desierunt. Sanè *crassi* sit *ingenii*, | qui hodie *grossi* pro eo *ingenii* dicat. Tamen ante duo propemodum secula *grossioris* homo *ingenii* non refugit Poggius Florentinus primâ in Vallam invectivâ †: ubi de Cardinale Tudertino est sermo. Ac alibi quoque *grossi* vocem pro *crassi* non reformidat. Tam altè, revivisscentibus jamdiu literis, priorum seculorum vitia animis insederant.

† Fol 72.

Nec initio, medio ve, solùm in literis vitium est; sed etiam moduli sive quantitatis, quæ primò accidit syllabæ. Ut cùm *infantilis* dicunt, correptâ, quæ ultimam antecedit. Nam porrectam esse, ostendit ἀναλογία, cùm *senilis* dicatur.

CAP. XIV

De iis ubi terminatio est vitiosa: quale est cuculla, *pro* cucullus: subtal, *pro* subtel: pistrillum, *pro* pistrilla: apiaster, *pro* apiastra: cossis, *pro* cossus; *unde* Cossi *Romæ* & Cossutii: *res* ludicris, *pro* ludicra: mulius, *pro* mulio: adytus, *pro* adytum. *Fusé etiam ostensum, pro renunciata, semper* nuncius, *non item* nuncium, *dici oportere.*

SEquitur agamus de Latinis nominibus eò vitiosis, quia in terminatione aberretur. Horum alia in vocalem, in consonam alia exeunt. Prioris generis est *cuculla*, *Cucullus* enim est apud Martialem, atque alios; *cuculla* apud neminem antiquum.

Alterius exemplum sit *subtal*: Quod Nicolaus Perottus, episcopus Sipontinus, sic dici ait, quasi *sub talis*. Sed apud Priscianum *subtel* legitur, exponiturque κοίλη ὑπόδεσις: puto, quia pars ista sensus est subtilioris, uti vola in manu.

Nec *pistrillum* dicimus à *pistrinum*; sed, contra analogiam, *pistrilla*: teste Charisio in 1.

Apiaster placuit Hadriano Junio in Nomenclatore: cui sic dicitur avis, quæ μέροψ Aristoteli in Histor. Animal. lib. VI. cap. I. & libr. IX. cap. XIII. atque alibi. Finxisse eam vocem creditur Theodorus Gaza, idque audaciùs. Nam, inquiunt, quid opus fuerit Latino, cùm *merops* nomen Latio donatum videatur? Est enim Maronis IV. Georg.

Absint &

Absint & picti squallentia terga lacerti
Pinguibus à stabulis, meropesque, aliaque volucres.

Similiter Plinius lib. x. cap. xxxiii, & Grammaticus utcunque vetus, sub nomine Ovidii, carmine de Philomela. Sed enim hæc facilè concidunt, si attendamus ad ea, quæ superiorem in Maronis locum Servius annotavit. *Dicendo, Aliaque volucres, ostendit etiam aves esse meropes. Sunt autem virides, & vocantur apiastræ, quia apes comedunt.* *Apiastra*, non *apiastri*, est in Servio, tum R. Stephani, tum G. Fabricii, tum P. Danielis. Utrumque vocabulum satis sit aptum, quòd avis inter volandum apes captet: unde græcis hodie μελισσοφάγος nuncupatur, Bellonio teste, lib. de Avibus cap. xxvii. Sed cum Servius dicat *Apiastram* vocatam, quis novæ non eam præferat terminationem? Etiam pro hac sententia facit, quòd sic apertius sit discrimen inter avem, & plantam dictam *apiastrum*. Sic enim Hyginus appellavit herbam, quæ Græcis μελισσόφυλλον, quasi dicas, *apifolium*, non ab imitatione apii, quasi sit apium sylvestre. De Hygino quod ajebat, Plinius firmat lib. xx. cap xi. Quod si de *apiastra* nihilo secius non satisfaciant, quæ diximus: quid impedit, quin cum Marone, Plinio, aliis, vocem *meropis* retineamus?

Nec pro verme ligna erodente, *cossis* dixerim cum multis: sed *cossus*, quomodo dicere jubet Festus: *Cossi*, inquit, *ab antiquis dicebantur nasutâ rugosi corporis homines, à similitudine vermium, ligno editorum, qui cossi appellantur.* Sic *Cossus* cognomen fuit Cornelii Lentuli; qui consul fuit anno Ɔ ccc l iii, ac postea *Getulici* nomen reportavit. Unde in argenteo nummo, CN. LENTULUS COSSUS In alio tamen nummo, quasi prænomen foret, effertur, COSSUS CN. F. LENTULUS. Sed Lentulo Getulico fuisse Cnæo prænomen, etiam ex quarto Taciti liquet; ut videatur fuisse dictus, Gn. Cornelius Lentulus Cossus. Et ab eâdem, ut puto, origine est gens Cossinia; unde L. Cossinius, Tullio memoratus libr. xiii. ep. xxiii; uti & Cossinii mentionem facit Plutarchus in Crasso: Etiam inde Cossutii. Cossutiam uxorem Julius Cæsar habuit, teste Tranquillo †. Cossutiani Capitonis meminit Tacitus lib. xii, xiv, xvi. Sed hæc non minus à *cossis*, quam *cossus*, esse possint. Et qui *cossis* tuentur, ad Plinium provocant lib. xxx. cap. xiii. *Cosses, qui in ligno nascuntur, sanant hulcera omnia.* Ita quoque reperio in veteri Parmensi anni Ɔ cccc l xxvi. Interim monent alii, in veteri cod. legi *cossi*. Nec usquam alibi *cosses* reperias. Imò Plinius ipse *cossi* dixit libr. xi. cap. xxxiii Favent etiam

† *Lib. 5. cap. 1.*

glossæ Philoxeni: *Cusus*, Ξύλα σκώληξ. Nec si *cosses* dixerint, eò & *cossis*. Nam & *casses* usitatum: in singulari verò non invenitur, nisi in auferendi casu *casse*, apud Senecam Agamemnone.

Ludicris à *ludo* dicere jubet Priscianus. Et sanè ut à *volo*, *volucris*: sic à *ludo*, sit *ludicris*. Ἀναλογία igitur non repugnat: sed usus veterum, qui *ludicer*, vel *ludicrus* dixere. Nam ut à *fortis* est *fortia*, sic à *ludicris* in plurativo foret *ludicria*. Verùm Priscianus in septimo ait, hoc excipi à canone. Poterat fidem facere doctissimus Grammaticus, nisi alia etiam obstarent. Quid enim? an non in feminino semper est *ludicra*? ut *ludicra res* †, *tibia* *, *subtilitas* †. In neutro item *ludicrum*; ut *ludicrum certamen* *; & Plinio †, *in ludicri certamen vertere*. Dubium interim, utrùm in virili *ludicrus* sit, an *ludicer*. In onomastico veteri est: *Ludicrus*, παιγνιώδης. Et agnoscit Nizolius. Nec multùm repugno. Sed argumentum, quo tuentur, valde est infirmum. Ut, inquiunt, à *tetricus*, *tetrica*; à *lubricus*, *lubrica*: sic à *ludicrus*, *ludicra*. Atqui ista non in *cra*, sed *ca* desinunt. At in *cra* exeuntia solent esse à virili *er*. Ut *pulcher*, *pulchra*, *macer*, *macra*. Nec tamen inficias ivero, tam ἀναλόγως fore à *ludicrus*, *ludicra*; quàm à *doctus*, *docta*. Utrobique enim solùm US abit in A. Malim igitur utroque abstinere, cùm nec *ludicer*, nec *ludicrus*, inveniatur.

† Horat.
* Plin.
† Gell.
* Sen. Agamemn.

Mulius pro *mulione* dici, putavit Calepinus; quem secuti alii. Nempe fuere decepti corrupto Horatii loco lib. II Serm. Sat. VII. Ubi, ut ex veteribus libb. & Acrone, constat, legi omnino debet:

Audit cùm magno blateras clamore, furisq;

Mulvius. Milvium hunc temporibus Horatii insignem fuisse parasitum, Acro annotavit. At eum, qui mulos agit, *mulionem* dici, fidem fecerit, (ut de Martiale, & aliis taceam) L. Plancus ad Ciceronem, inter Ciceronianas lib. X epist. XVIII: *Ventidiique mulionis castra despicio*. Loquitur de P. Ventidio, qui anno Urbis IↃCCXI in consulari dignitate suffectus fuit Q. Pedio in consulatu mortuo: uti ille fuerat suffectus A. Hirtio, in magistratu cum Pansa occiso. Is Ventidius victitârat primò curandis mulis: unde vetus in eum epigramma:

Concurrite omnes augures, aruspices.
Portentum insitatum conflatum est recens:
Nam mulos qui frivabat, Consul factus est.

Hoc addidi, ne quis *Mulio* apud Plancum cum aliquibus cognomentum putaret familiæ proprium.

Etiam locum hic sibi deposcit *adyta* pro *adytum*. Item cùm in recto

dicunt

dicunt *nuncium*, pro re nunciata. Est quidem *nuncius* naturâ adjectivum; unde Maroni *fama nuncia*: cumque in virili sine substantivo effertur, *vir*, aut *homo*, vel *rumor*, aut *sermo* intelligitur. Sed quòd in neutro pro re, quæ nunciatur, sumi solet; id planè est contra usum veterum: ut observarunt Valla, Muretus, Lambinus, Giffanius, alii. Favent interim huic errori etiam veteres Grammatici. Uti Servius in VI Æn. *Sanè, qui nunciat, genere tantùm dicitur masculino: quod autem nunciatur, licet neutro dicatur; apud Catullum tamen invenitur etiam masculino.* Idem in XI: *Vt suprà etiam diximus, nuncius est, tam quod nunciatur, quàm qui nunciat. Nuncium, quod nunciatur.* Servio, ut alibi fere, ita hic quoque subscribit Isidorus lib. IX Orig. *Nuncius, qui nunciat, & quod nunciatur; id est, ἄγγελος, καὶ ἀγγελία: sed nuncius, ipse homo, genere masculino: id verò quod nunciat, genere neutro; ut hoc nuncium, & hæc nuncia.* Hæc sententia si placet, *nuncium* pro re nunciatâ diceture per ellipsin, ut intelligatur *verbum*: quod quandoque exprimitur. Verùm ἁπλῶς non puto sic inveniri. Sanè pro re quoque nunciata tantùm reperio *nuncius*. Plautus Captivis act. IV sc. I:

Speroque me ob hunc nuncium æternum adepturum cibum.

Et Epidico act. I sc. I: *Voluptabilem mihi nuncium tuo adventu attulisti.* Et Sticho act. II. sc. III: — *Citus*

Præcucurri, ut nunciarem nuncium exoptabilem.

Catull. Epigr. in Arrium:

Cùm subitò adfertur nuncius horribilis.

Maro IV. Æn.

Naviget, hæc summa est, hic nostri nuncius esto.

Quamquam doctissimus Carolus Paschalius in Legato suo cap. II putârit, Mercurium hic nuncium vocari, quomodo Livius lib. XXXIV *Rhodios nuncios* dixit; hoc est, legatos. Sed planè in versu Maronis verbum hoc exponi debet ex istis, *hæc summa est*. Plinius lib. V epist. V: *Nunciatum mihi est C. Fanninum decessisse; qui nuncius gravi me dolore confudit.* Quare nihil causæ est, cur à *nuncium* potiùs, quàm *nuncius*, dictum putemus L. I. D. de procuratoribus: *Nuncium perferendum suscipere.* Et L. II. quis ordo in possessionibus servetur: *Quasi certiore nuncio adlato.* Et L. III. Ne quid publici læti, in Cod. Theodos. *Nunciorum fastorum gaudia.* Et L. I. C. eodem tit. lib. XII: *Nunciorum genitus.* Sanè Festus quoque scripsit: *Nuncius & persona dicitur, & res ipsa. In persona dicitur, ut, Nuncius advenit, hoc modo; Nuncius adlatus est.* De neutro tacet. Nonius autem: *Nuncius generis masculini: neutro*

apud aliquos non recepta autoritatis lectum est, sed doctos. Verùm adversus hoc alii contendunt, Catullum, & Tibullum esse receptæ auctoritatis scriptores, qui in neutro utantur. Utriusque igitur locus excutiendus nobis. E Catullo adducunt carm. de Berecynthia & Attye:

Geminas Deorum ad aures nova nuncia referens.

Verùm nihil versus hic eorum juvat causſam, si cum Mureto credamus adulterinum: vel cum Scaligero sic restituendum:

Geminas eorum ad auris nova nunciat ferens.

Æquè falsi in Tibulli loco lib. III El. IV:

Divi vera monent ventura nuncia sortis,
Vera monent Tuscis exta probata viris.

Nam post *monent* ponenda τελεία στιγμὴ ut *nuncia* adjectivè capiatur, ac pertineat ad *exta*. Sic sanè distinguunt editiones optimæ, Mureti, Scaligeri, Duzæ. Imò & antiqua illa, quæ Regii Lepidi prodiit, anno Io CCCC LXXXI. Aliqui etiam ad partes vocant Lucretium, cujus est lib. IV.

Conveniunt simulacra foris è corpore quoque
Nuncia præclari vultus, pulchrique coloris.

Et lib. VI:

Nec de corpore qua sancto simulacra feruntur
In mentes hominum divina nuncia fama.

Nempe non vident hic *nuncia* dici adjectivè. Quomodo Ovid. epist. XV ait, *verba nuncia*: atque idem Lucretius in feminino, lib. IV, *plaga nuncia*: Cicero etiam lib. I. de Orat. ait, *historiam* esse *nunciam veritatis*. Scrupulum tamen injicere possit Varronis hoc penè extremo lib. V de L. L: *Ubi noctu in templum censura auspicatur, atque de cœlo nuncium erit.* Sic editum in Romanâ Antonii Augustini. In Veneta Aldi †, & Mediolanensi Joannis Angeli*, diversimodè legitur: in eo tamen conveniunt, quòd *nuncium* repræsentant, Vertranius verò, quem & Popma sequitur, sic huuc locum expressit: *Ubi noctu in templum censura auspicaverit, atq; de cœlo nunciatum erit.*

An. 1515. *An.* 1500

CAP. XV.

De rectis, qua vitiosè colliguntur ex obliquis. Quale est femen, *pro* femur: *&* Quiris, *pro* Romanus. *Sed neque in recto* frenus, *vel* frenum *reperiri: etsi posterius videatur tutius.* Capister *improbatum: imò & plu-*

rativum

rativus capistri. *Incertum etiam videri* clathrus, *an* clathrum, *dici conveniat: & unde id vocabulum descendat.*

POstquam egi de veteribus corruptis, loquar de novis vitiosè confictis. Sunt hæc triplicia: alia enim formata sunt ex obliquis: alia alibunde derivata: alia ex pluribus vocabulis sunt conflata in unum.

Illa primi generis habentur pro Πτωτοῖς*, à quibus obliqui casus descendant: sed obliqui sunt in usu iis, qui puro sermone usi sunt: nominativi verò, de quibus collegere ex obliquis, ignorantur classicis scriptoribus: neque unquam fuere in usu; vel si fuere, obsoleverunt. Hujusmodi est, cùm, quia *feminis*, & *femine*, dicitur; eò & *femen*, pro *femur*, effertur. *Servius* sanè agnoscit, nusquam *femen* legi: etsi ob Capri auctoritatem non planè id repudiare ausit. Priscianus ait, in raro usu esse. Sed cur non laudat auctorem, cùm sciret, quid Caper, Charisius, & Servius, de eo scripsissent? Quare (ut diximus lib. I. de Analog. cap. XLVII) rectè Charisius, qui *femine* dicit esse à *femur*, quod & *femoris*, & *feminis* facit. Unde Maro in X: — *Ocius ensem*

Eripit à femine,

Ubi Priscianus legit *femore*. Sed *femine*, non *femore*, etiam in optimo, & antiquissimo codice scribi, ait Pierius. Locutusque eodem modo Arnobius lib. IV. adversus Nationes: quo loco Bromius dicitur, *ex femine iterum natus patris*. Ita legi debere, non *femore*, ut est in vulgatis, & res clamat, & Stewechius jam diu observavit. Sunt qui distinguant cum Valla†, ac *femen* dicant esse posteriorem, carnosioremque pulpam; *femur* verò anteriorem partem: vel *femora* esse exteriora, *femina* interiora, sequè contingentia; unde *interfeminium* Appulejo. Sed hi cum Sabinis, quod volunt, somniant.

Similiter in recto aliqui usurpant *Quiris*. Nam, inquiunt, ut patrius casu *litis*, *ac Samnitis*; item accusativus, *litem*, ac *Samnitem*, descendunt à *lis*, & *Samnis*: itidem ex eo, quòd *Quiritis*, & *Quiritem* legamus, colligimus de recto *Quiris*. AC *Quiritis* quidem apud Horatium extat lib. I. epist. VI: in accusativo *Quiritem*, cum apud alios, tum Ovidium primo Amorum eleg. VI:

Aut si pulsassem minimum de plebe Quiritem,
Plecterer.

Sed rectum invenio nusquam, nisi apud Sergium: idque, inconstanti lectione; cùm aliquibus in libris sit *Quiris*, in aliis *Quiritis*. Nec

si

* *Prime positus vocabulis.*

† *Lib. 4. Eleg. cap. 57.*

si Sergius dicat, unde ἀναλόγως *Quiritis*, & *Quiritem* formentur, eò rectus fuerit in usu. Quemadmodum nec, quia *Patres* de Senatoribus dicimus, eò *patrem*, vel *patrem conscriptum* dicimus: ut monitum antiquo Persii Scholiastæ. Egi de hoc quoque lib. I de Analogia cap. XLI.

Freni, & *frena*, in plurativo legas apud classicos non uno in loco. Quæritur, an similiter *frenus*, & *frenum*, proba sint. *Frenum* accusandi casu; *freno* item, auferendi, reperias sæpius. Sed hinc de recto nihil statuere possis. Eoque neutro utar. Tutiùs interim *frenum* usurpes, quia Charisius, & Diomedes, dicant, *freni*, quod à *frenus* foret, carere singulari: ut vel neutrum videantur agnovisse, vel duntaxat *frenum*, unde *frena*.

Capistro maritali, & *capistris frenare*, ac similia istis, legas apud idoneos scriptores. Sed hinc colligere nequeas, utrùm in plurali *capistri*, an *capistra*, singulari *capister*, an *capistrum* debeat dici. Rectum potiùs est *capistrum*. Isidorus lib. XX. Orig. XX. cap. ult. *Capistrum à capite jumentorum dictum*. Glossæ Philoxeni: *Capistrum*, φορβειά. Onomasticon Græco-Latinum: *Capistrum*, χαμός. *Capistri* tamen in plurativo dicere jubent Grammatici. At vellem, id idoneo fulcirent auctore.

Clathros est apud Horatium in Arte, & *clathri* itidem in plurativo apud Columellam lib. VIII cap. XVII. Ac ejusdem libri cap. III legas: *Fenestræ clathris muniantur, ne possint noxia irrepere animalia*. Itidem glossæ Philoxeno tributæ: *clathri*, Κανόνες, οἱ ἐν θυρίοις ὀξυλίσκοι. Indéque & *clathro* apud Columellam; quod onomasticon Latino-Græcum κληθρόω exponit, & *clathrata fenestra*. Apud Plautum Milite. Sed quæritur, num in recto nominis *clathrus*, an *clathrum*, dici debeat. Prius suadet, quòd *clathri*, non *clathra*, legamus: posterius verò Grammaticis placet: & pro iis est, quòd *claustrum*, græcè sit κλεῖθρον, κλῆθρον, &, Hesychio teste, κλῆθρον: nempe διὰ τὸ κλᾶξαι, sive κλεῖσαι *claudere*. Sed quia nusquam, vel *clathrus*, vel *clathrum*, legitur; tutiùs utroque abstinebimus.

CAP. XVI.

Acceditur ad ea, quæ derivatione peccant. Patronymica in DES non formari à nominibus Latinis: vel saltem non habere locum in oratione soluta. Pro Æthiopissa *dicendum* Æthiopis, *vel* quædam ex Æthiopia. Virunculus *cur non dicatur, sed* homullus. Domina Dux, *vel* Comes, *præfertur vulgaribus* Ducissæ, *&* Comitissæ *nominibus*. Archidux, *ut* archigubernus, *vel* archipherecites. *Barbara esse sex ista vocabula pe-*

nè cra-

nè eruditis omnibus usurpatissima, albedo, nigredo; gratitudo, ingratitudo; certitudo, incertitudo: *& quomodo pro iis dici oporteat. Valerium Maximum dictionis puritate vinci ab aliis Tiberiani ævi scriptoribus. Pro* pinnaculo *dicendum* pinnas; *pro* lacticinio, opus lactarium. *Qui* lactarii *&* dulciarii.

A Biis rectis, quæ ex obliquis vitiosè sunt efficta, venio ad vitiosè derivata. Ubi primò considerabimus novè, & præterea usum à nomine deducta. Inque his principem locum dabimus patronymicis, gentilibus, possessivis, ac diminutivis.

Corneliades, Laurentiades, Martinides, Carolides, & similia patronymica in DES, multis sunt in usu, etiam in prosa: sed contra veterum Romanorum morem; qui eo, quòd formatio istiusmodi sit Græcanica, in græcis solùm uti solent: quomodo ab Atlante avo Mercurius dicitur *Atlantiades*; Græci à rege Cecrope, *Cecropida* vocantur: vel in Latinis quidem; sed rarò, nec nisi in carmine: ut Romani à Romulo *Romulida*; Scipionis posteri, *Scipiada*; ab Honorio *Honoriades*, Claudiano in Epithalamio:

——Sic natus in ostro
Parvus Honoriades genibus considat avitis

Collapso tamen sermone Romano, hujusmodi *ficta* esse à Grammaticis, non ivero inficias. Quale fortassis Fulgentii Grammatici cognomen *Planciades*; quod ex Plancius, factum. Nec temere omnibus utar gentilibus, quæ in ISSA terminantur; ut *Æthiopissa*. Scio, Numer. XII. I. legi, ἕνεκεν τῆς γυναικὸς τῆς Αἰθιοπίσσης: ubi similiter vetus interpres, *propter uxorem ejus Æthiopissam*. Sed apud neminem puri Sermonis studiosum reperias. Itaque Eustathius in Odyss. Δ † ait, ita vocari ἰδιωτικῶς, h. e. *more idiotarum, ac vulgi*. Jubet autem περιφραστικῶς * sic efferre, ἡ ἐξ Αἰθιοπίας †, puta γυνή *. Sed possis & dicere Αἰθιοπὶς γυνὴ †, quod apud Euripidem, vel simpliciter ἡ Αἰθιοπὶς, quod & herbæ nomen non Dioscoridi modò lib. IV. cap. CV: sed & Plinio lib. XXVII. cap. IV: *Æthiopis folia habet phlomo similia*. Meliùs igitur *Æthiopis quædam*, vel *quædam ex Æthiopia*, quàm *Æthiopissa* dicatur.

† *Pag. 1486. edit. Romanâ.*
* *Per circumlocutionem.*
† *Ex Æthiopia.*
* *Mulier.*

Diminutiva quædam in *unculus* exire, notum: ut *latro latrunculus*; *homo, homunculus*. At quorum exemplum à *viro* formant *virunculus*. Sed tum sexus dignitati, tum etiam, quòd à viribus esset *viri* nomen, datum hoc à Romanis fuit, ut ne inde formaretur diminutivũ; quod viris

† *Triphallo, apud Nonium.*

parvæ ſtaturæ, qui ſæpe animi & corporis viribus præſtant, à longurionibus (ut Varro † eos vocat) contemtim objectaretur. Maluere igitur à voce utrique ſexui communi *homunculos, homullos*, & *homunciones* nuncupare.

Præcipuè verò peccari ſolet in illis à nomine derivatis, quæ cum proprium non haberent nomen, communi denominativorum vocabulo ſignarentur. Ordiar à ſubſtantivis: ac priùs loquar de illis in vocalem A, vel O, exeuntibus: hinc de terminatis conſonâ.

Duciſſam, vel *Comitiſſam* haut lubens dicam: ſed potiùs *Dominam Ducem*, vel *Celſiſſimam Ducem*: item *Dominam Comitem*, vel *Comitem illuſtriſſimam*. Si enim *Dux* in viro ſit nomen dignitatis; erit & in femina, cùm vocabulum ſit generis communis: ut oſtendit hoc Ciceronis in Lælio: *Naturæ rex vivendi dux optima*. Et in Arateis:

Qua ſidunt duce nocturnâ Phœnices in alto.

Ac par ratio in *comes*: ut in primo de Analogia ex Ovidio, & valerio Flacco, oſtendi. Dixeris, etiam *antiſtes*, *cliens*, *hoſpes*, eſſe generis communis; & tamen ex ſe formare hos traduces, *antiſtita*, *clienta*, *hoſpita*. Non diffiteor: ſed his utor, quia præivere veteres: illis non item, quia auctoritas deficit. Quæras, an ut *illuſtriſſimam Ducem*, ita & *Archiducem* ſim dicturus. Sanè non valde placet ea vox in maſculino ipſo, quia hybrida eſt, & ex Græco Latinoque conflata. Sed variare illuſtrium heroum titulos non cuivis permittitur. Et non eſt deterius, quàm *archigubernus*, pro ſummo gubernatore apud Jabolenum ad Senatuſconſ. Trebell. L. XLVI. *Sejus Saturninus archigubernus teſtamento reliquit hæredem Valerium Maximum trierarchum*. Excuſatius interim *archigubernus*; quia dici poſſit non eſſe ex ἀρχὸς vel ἀρχὴ, & *Guberno*: ſed ἀρχὸς, & κυβερνήτης. Sed ſi propterea *archigubernus* diſſimile ſit: fartaſſe ſimilius ſit *archipherecita*, ſive ἀρχιφερεκίτης: quomodo vocarunt eum, qui exactè ſcit capita ac titulos Talmudis, eoſque aliis interpretatur: nempe ex græco ἀρχὴ, & Hebræo פרק pherec, hoc eſt, *caput*.

Terminatorum vocali O quædam exeunt in EDO: ut *albedo*, & *nigredo*: vel TUDO, ut *certitudo*, *incertitudo*; *gratitudo*, *ingratitudo*. Hæc ſex vocabula ordine expendam.

Albedo & *nigredo*, uſurpat Theodorus Gaza, cùm alibi, tum in Hiſtoria Animal. cap. ult. Etiam *albedinis* vox excidit Angelo Politiano lib. VII, epiſtolâ ad Pandulfum Collenutium, ubi ait: *Et in gnaphalio ſigna congruunt, albedo, mollitiáque foliorum*. Et elegantiſſimo

ſcriptori

scriptori Paulo Manutio, cujus illud lib. I. epist. IV: *Cum Anaxagora, nivem atram judicante, frustra de albedine disputares.* Video nec refugisse P. Merulam Cosmographiæ Parte II, lib. III. cap. XI. Nec tamen existimandum, vocem eam demum à sex septem seculis irrepsisse. Nam apud Cassiodorum, qui anno vixit quingentesimo, legas lib. XII. Var. epist. IV. Quin ita locutus toto seculo prior, interque Ecclesiasticos nulli puritate secundus, Sulpicius Severus lib. I. Historiæ: *Species in modum coriandri seminis glaciali albedine erat.* Imò si Colvium, & Casaubonum, audimus, duobus ante Sulpicium seculis eo usus sit Appulejus in Apologia; ubi sic emendant: *Enimvero si pernicioſa illa albedo intus cohibita, & bili atrâ ſociata, venis omnibus furens pervaſit.* Ut nempe sic exprimatur Platonis † illud: Τὸ λευκὸν φλέγμα ὑπολαφθὲν, μὴ χολῆς μιλαίνης κεκρασθέν. * Sed vox *dulcedo*, prout in Aldina, aliisque omnibus editionibus legitur, isto loco accommodatior est, quàm *albedo*: quemadmodum ad eum locum comprobat Scipio Gentilis. Quod nisi esset, dicerem non ita magnam eorum rationem habendam, quæ demum tempore Apulleji in usu esse cœperunt. Nihilo magis movet, quod apud veterem Juvenalis scholiastem, quem Probum esse, quidam habent persuasum, legere sit in sat. IX. vers. CII: *Aut albedine caduroo cucullo.* Nam pro *albedine*, ibi *albelione* legendum; ut visum quoque Jano Rutgersio Var. Lect. lib. VI. cap. XVIII. Est verò *albelio* capitis tegmen; quod istoc versu signari, idem commentator ait:

Atque ibi contentus Veneto, duroque cucullo.

Et ab eo *albeliunculus* scripserat idem commentator in sat. VIII. vers. CXLIV: ubi nunc legitur vulgo *ardeliunculus.* Hæc satis ostendunt pro *albedo* esse, vel *albor* dicendum, cum Varrone; vel *albitudo*, cum Plauto. Non audiendus igitur Ludovicus Carbo, qui lib. I, de Elocut. Orat. ut *ſpecies* dixit Cicero; *ſpecierum* autem, & *ſpeciebus*, reformidat: ita *albedinibus* quidem refugere jubet: sed *albedo* in recto rectum putat.

† *In Timæo, p. 85. edit. Henr. Steph.*

* *Alba pituita intus inclusa cum bile atra permixta.*

Quod vero de *albedinis* vocabulo dixi, idem dictum velim de voce *nigredo*: quamquam eo nec uti dubitarit, non dico Jornandes †, & ejus farinæ alii: sed etiam Theodosiani ævi scriptor Marcellus Empiricus cap. XIX *: *Ad nigredinem, & maculas colli, & vultus purgandas.* Nec abhorret id vocabulum Jul. Scaliger lib I. de causſis L. L. cap. IV. Pacuvius pro eo *nigror*, Plinius *nigritudinem*, vel *nigritiam*, Cornelius Cellus *nigritiem* dixit: quem vide lib. VIII. cap. II, III, & IV.

† *De rebus Geticis c. 3.*

* *Pag. 131. edit. Froben.*

Certitudinis, & incertitudinis vocabula itidem ignorant scriptores Romani. Etsi ea etiam apud illos reperias, qui prorsus Ciceroniani videntur. Uti Joachimum Perionium in translatione Clementis Romani epitomes de gestis Petri & vita sua †; *Volo te mulier nostræ fidei certitudinem cognoscere.* Sed veteres aliter. Ac apud eos passim pro *incertitudo* reperias *incertum*, genere neutro. Ita Tacitus lib. III. Annal. dixit *incertum maris*: & lib. IV. *belli incertum*: uti & Justinus libr. XXXVIII. Ac similiter *incertum salutis*, apud Appulejum IV. Metam. & Minucium Felicem in Octavio. Hilarius quoque epistolâ ad Augustinum: *Quid opus fuit hujuscemodi disputationis incerto tot minùs intelligentium corda turbari?* Imprimis verò hoc loquendi genere gaudent Jurisconsulti veteres. Ut *conditionis incertum*, apud Papinianum, L. XI. D. de bonorum possessionibus secund. tabul. Atque idem legas L. I. C. de pactis: quo loco Bartolus, hujus locutionis ignarus, malè intelligit fidei commissum sub conditione factum. Eoque nomine culpari meruit ab Alciato lib. IX. Παρέργων Juris cap. XX. Sic *incertum rei* L. XI. D. de hæred. vend. & L. XII. D. de act. empt. Item alibi in iisdem Digestis, *incertum cautionis*, *incertum successionis*, *incertum ætatis*, ac *restitutionis*. Et in Codice Justian. *incertum litis*. Item in Cod. Theodos. *incertum antiquitatis*, & *incertum contentionis*

† P. 595. edit. Paris. Sonn. an. 1568.

Gratitudinis etiam, & *ingratitudinis*, vocabulis nihil nunc usitatius. Priori usus & Justus Lipsius argumento in Senecæ lib. II. de Beneficiis. Posteriori jam olim Cassiodorus variarum lib. I. Epist. XXX. Sed vel istoc, vel alterum vocabulum qui amet, rivalem me habiturus non est: quippe qui sciam nesciri hæc ab iis, qui castè locuti sunt; etsi à *gratus* & *ingratus* similiter deduci possent, ac à *magnus*, & *amplus*, descendunt *magnitudo*, & *amplitudo*. Sed attendere oportet, quid usus ferat. Cicero quidem quàm *gratitudinis* vocem refugerit, vel ille locus fidem fecerit, qui est primo de Legibus: *Quæ autem natio non comitatem, non benignitatem, non gratum animum, & beneficii memorem diligit?* Quotusquisque vulgò non diceret, *comitatem, benignitatem, gratitudinem diligit*. Similiter *ingratitudinem* quam vocant, ἀχαριστίαν lib. IX. epist. II. ad Att. cùm ait: *Sed quia ingrati animi crimen horreo.* Alibi prætulit vocem Græcã, ut cum lib. IX. epist. VI. ad Att inquit: *Sed ita meruisse illum de me puto, ut ἀχαριστίας crimen subire non audeã.* Itidem L. pen. C. de libertis, & eorũ liberis, *actionem ingrati adversus liberos competere*, ait: pro, *ingratitudinis*. Atq; hinc liquet, le mata illa in Valerio Maximo non esse ab ipso Valerio;

Valerio; ut in quibus sint ignota antiquissimis illis Romuli nepotibus *gratitudinis*,& *ingratitudinis* nomina: nisi dicamus, haut usquequáque autorem hunc puritatis fuisse studiosum: ut apud quem in ipso operis ingressu legamus: *Mea parvitas eò justius ad favorem tuum decurrerit*: qui sermo Justo Lipsio jure videtur servilis,& cellarius; neque sibi persuadere potest, esse ab eo [illegible]o, & hac propter duabus primis vocibus, sed contra codicum omnium fidem, expunctis, legendum putat: *Ego justiùs ad favorem tuum decurrero.*

Venio ad exeuntia in consonam. Tale est, quod ut à *cœna* est *cœnaculum*, à *taberna*, *tabernaculum*: sic à *pinna* formant *pinnaculum*. Id Sipontinus notare ait summitatem ædificii. Et, credo, sic posteriori ævo loquebantur. Nam usurpat ita vulgatus interpres Matt. c. III. Quem & sequitur Erasmus. Sed antiquiores, quod Græcis πτερύγιον, *pinnas* malunt appellare.

Lacticinium à *lacte* formarunt, quo pacto à *patronus*, *patrocinium*; à *tyro*, *tyrocinium*; à *leno*, *lenocinium*. Sed *lacticinium*, vel *lacticinum*, haut legas, nisi apud infimâ ætatem. Itaq; usitatè, at barbarè dici, meritò scribit Hermolaus Barbarus in glossis Plin. Nec diffitetur, in opusculo, Hieronymo attributo, vocem hanc legi: verùm autumat, non fuisse à doctis receptam; ac fortasse nec libellum hunc esse B. Hieronymi. Dicendum autem pro eo, *opus lactarium*: quomodo non modò Lampridius appellat in Heliogabalo, sed etiam purissimus scriptor Cornelius Celsus. Qui verò hujusmodi opus facerent, *lactarij* vocati: ut qui efficerent id è melle,& aliis dulcibus, *dulciarios* vocitabant: quos ibidem Lampridius conjunxit.

CAP. XVII.

De nominativis adjectivis: quorum pluscula rejecta, tanquam improbioris moneta. Vt ex finitis in IS, partialis *pro* cupido, *partiumque adversarum studioso. Item* casualis *pro* fortuitus: meridionalis, *pro* meridianus, *vel* meridialis, *quale est* æquidialis. *Ex terminatis syllaba VS*, plebanus, capitaneus, bibliothecarius, thesaurarius, distillarius, dictionarius *vel* dictionarium, uxoratus, privilegiatus, bovinus, & bovillus. Duracinus *nunc compositum esse, nunc simplex derivatum: priori modo competere uvis, ob duritiem acinorum: posteriori convenire cerasis, & persicis, ob carnem duriorem; sicut* mollusca nux *à molli putamine.*

tamine. Improbatum quercinus *pro* quernus, *vel* quercicus: somnolentus, *pro* somniculosus: ridiculosus *pro* ridiculus: facetosus, *pro* facetus: jactuosus, *pro* jactabundus.

VIdeamus nunc de adjectivis: ex quibus tantummodo dicam de terminatis litera S. Nam omnia [illegible]onsecter, quando finis erit? Solùm igitur excerpam aliqua de finientibus in *alis, anus*, vel *aneus, arius, atus, lentus, inus, linus, osus*.

Ut à *Mars*, sive dativo *Marti*, fit *Martialis*: sic à *pars, parti*, sit *partialis*. Analogia igitur non repugnat; sed usus. Vulgus tamen barbarum *partiales* dicit eos, qui partium studio abripiuntur, affectusque ita unis mancipant partibus, ut nihil pensi habeant, quid rectum sit, dum eos hoc juvet, quibus student. Quales ab hoc affectu etiam *cupidi* dicuntur: ac contrarii iis homines *moderati*, qui & æqui esse solent. Cicero pro Fontejo: *Igitur testibus, Judices, non credere cupidis, & iratis, & conjuratis, non solum potestis; sed & debetis*. Item: *Quorum virtuti, generi, rebus gestis, fidem, & auctoritatem in testimonio cupiditatis, atque inimicitiarum suspicio derogavit*. Ac postea sæpius: item pro Muræna.

Nihilo magis analogia refragatur, quando à *casu* dicunt *casualis*. Sed qui purè locuti, malunt pro eo *fortuitum*.

At dissimile est, cùm vulgò à *meridie* formant *meridionalis*. Nam quæ hic ἀναλογία. Imò maxima, inquiunt: quia similiter à *septentrio* est *septentrionalis*. Minimè verò: quia N in *septentrionalis* est ab obliquis. Quippe *septentrionis* dicimus. At *meridionis* inauditum. Rectum igitur est *meridianus*: quod Plinio, Suetonio, aliis, usurpatum. Verùm obtendunt, apud Agellium lib. II. cap. XXII alterum legi. Scio: sed ὁ πάνυ Salmasius † ait, in antiquo se codice *meridialis* reperisse. Quod ἀναλογία planè requirit. Sic *æquidiale*, ut Festus refert, apud antiquos dictum est; quod nunc *æquinoctiale*.

† *In Solin. ubi de austro, pag.* 1248.

Plebanus fingere nihil opus, cùm possimus dicere *pastorem parœciæ* vel simile.

Capitaneus vulgo ajunt pro *centurione*, vel universarum copiarum præfecto. Imò & hinc κατ' ἐξοχὴν *Catanei* fecêre. De utroque dicam lib. III. cap. III.

Non dubium est, quin ut à *pomum* est *pomarium*, *à capsa capsarius*, (quomodo Suetonio, & Ulpiano vocatur, qui pueri scholas adeuntis capsam custodit librariam:) sic à *bibliotheca bibliothecarius*, à *thesauro*

sauro thesaurarius, ἀναλόγως formentur. Sed Veteres nesciunt eas voces. Quare ut Græci dicunt βιβλιοθηκοφύλακα, sic Latinè *Bibliotheca custodem* vel *præfectum*, vocabo, vel *præpositum*. Sanè potuit Suetonius in illustribus Grammaticis appellare Hygenum *bibliothecarium Palatinum*. Sed maluit pro eo, *Palatinæ præfuit bibliotheca*, pro quo etiam dicitur; *fuit à bibliotheca Palatina*. Vetus marmor: ANTIOCHUS. TI CLAVDI CÆSARIS A BIBLIOTHECA APOLLINIS. Aliud: C. JULIUS. FÆLIX. A. BIBLIOTHECA. GRÆCA. PALATINA. Similiter, qui *Græcis* θησαυροφύλαξ, Latinè vocetur *à thesauris* vel *thesauri custos*, aut *præfectus*. Sed quem vulgo *thesaurarium* nuncupamus: is Latinis potiùs *quæstor*, vel *ærarii præfectus*

Eadem terminatio est in *distillarius*: quod legi ajunt apud Senecam epist. LVI. Ac probat Cælius Rhodiginus lib. XVI. cap. XLVI. Putat verò, ut à *destillando distillatio* legitur pro *libamine*, sive *crustulo*: sic à *distillatione distillarium* dici pro *crustulario*. Sed ἀναλογία refragatur, sive à supino *distillatu* derives, ut ab *admissu admissarius*: sive ab dativo *distillationi*, sicuti à *parti partiarius*, à *pomo pomarius*. Præterea libri omnes meliores apud Senecam habent *cructularius*: quod jam diu monitum Opsopœo.

Grammatici, qui purè loquendi artem profitentur, ipsi *dictionaria* inscribunt libros de vocum significationibus: pro quo Angelus Decembrius lib. I. de politia literaria parte IV, *cunctos*, inquit, *licet dictionarios evolvas*. Et Thomas Morus lib. II. Utopiæ: Theodorum enim (Gazam) non advexi mecum; nec dictionarium aliquem, præter Hesychium, ac Dioscoridem. Uterque credo &c. Credo *libros* respexit. Uti cum *dictionarium* dicitur, intelligitur *volumen*. Naturâ enim adjectivum sit, ut alia in *arius* à substantivis derivata. Interea quàm ignotæ sint hæ voces antiquis, arguit, quòd ipsi, in suis, ut sic dicam, dictionariis, eam vocem prætereunt. Satius igitur sit vel ἐξηγητικὰ cum *Græcis* dicere (sic enim solent veteres appellare, quæ juniores vocitant λεξικὰ) vel possis περιφράζειν, ut facit Paullus Manutius commentario ad Cic. libr. XI. ad Att. epist. I. *Hæc*, inquit *ex eorum libris, qui dictionum sensa collegerunt, cuivis licet petere*.

In *atus* quidem exuntia sunt substantiva, ut à *senibus senatus*, à *magistris magistratus*: at non item adjectiva, quale ab *uxore* est *uxoratus*, pro eo *qui uxorem habet*. Item à *privilegio privilegiatus*, pro eo qui

privile-

privilegium habet ; ut Seneca loquitur in secundo de Ira : *Nam si dicis illum æquo animo laturum, nullum habet privilegium.* Sed voce unicâ *privilegiarius* dixeris: ut ab *ostium ostiarius*, à *frumentum frumentarius*, à *topium topiarius*. Usus Ulpianus L. x. D. de pactis. *Sed an & privilegiariis absentibus hæc pactio noceat.* Et L. xxiv. §. ult. D. de rebus auctor. jud. *Eorum ratio potior est creditorum, quorum pecunia ad creditores privilegiarios pervenit.* Ac alibi similiter. Imò & *privilegia* pro *privilegiariis* creditoribus possis efferre. Sic eam vocem legas L. vii. §. quoties. D. depos. & L. xxiv. §. in bonis. D. de rebus auct. jud. & L. xvii. §. penult. de rebus auct. jud.

Bovinus etsi ἀναλόγως à *bove* deducatur, Valla etiam eo utatur: abstinendum tamen censeo, quia veteres omnes *bubula carnes*: & Fabius *bovinus* censeat barbarum. Plinii esse ajunt, *bovillæ carnis jure facilè curatur*. Sed locum non indicant, ut hactenus sit suspectus. Nec par ratio istorum. Nam *bovillus* dixisse, arguunt *Bovillæ* in Latio, ad quas Clodius interfectus, gloss: *bovilla*, βουστασια. Dixeris, ut à *tantus*, *tantulus*, *tantillus*; à *mamma*, *mammula*, *mammilla*: sic á *bovinus* ἀναλόγως fore *bovinulus*, inde *bovillus*. Similiaque etiam esse *ullus*, *ullus*; *vinulum*, *villum*. Sed dispar horum ratio. Nec enim *bovilla* significationem habet diminutivam, ut alia, quæ memoravimus. Ac simile è Festo *avilla* pro *ovilla*, hoc est recentis partus agna.

Etiam ex adjectivis quædam denominativa exeunt in CINUS. Ut á *durus*, *duracinus*. Quamquam aliquis hoc non tam simplex esse derivatum contendat, quàm compositum. Constat enim uvas *duracinas* sic vocari à *duris acinis*. Non diffiteor. Sed nobis sermo de duracinis simpliciter à *duritie* sic vocatis: quomodo præcipuum cerasi genus *duracinum* dicitur, quia durioris sit carnis: quomodo etiam persica, (quibus id nomen à patria Perside†, ubi dicuntur * veneta) *duracina* & ipsa nuncupantur, itidem à duritie carnis: contrà quàm *mollusca* nux Plinio * à mollitie putaminis sic nuncupatur. Ut abunde liqueat, *duracinus* bifariam dici, ac quandoq; non esse partem compositi, sed productionem derivati. Sic igitur colligat aliquis, ut à *dura* est *duracinus*; etiam à *quercu esse quercinus*; quod passim obtinet apud Medicorum filios. Imò horum exemplo apud Josephum Scaligerum legas in sexto Conjectaneorum: *Quercina corona Deorum inferorum*; verùm veteres illo usi nunquam. Sed pro eo κῷ συγκοπῶ dixere *quernus*, vel *querneus*, vel etiam *quercicus*: ut apud Suetonium in Cali-

† *Lib. 15. c. 13*

* *Nicander: sed Persicam, cum Persea confundere ait Plinius ibidem.*

* *Plautus Calceolo apud Macrobium lib. 3. Saturn. c. 18. & Plin. lib. 18. cap. 22.*

Caligula cap. XIX, *Quercica corona*. Nempe ut ab *hostis hosticus*, à *modus modicus*: sic à *quercus quercicus*.

Quædam etiam in LENTUS terminantur: quomodo à *vino* est *vinolentus*, ab *esca esculentus*. Similiter à *somno somnolentus* obtinet etiam inter doctissimos. Sed *somniculosus* cùm Tullio malim: saltem donec de altero occurrat classici alicuius auctoritas. *Possis* & dicere *somni plenus*, aut *gravibus oculis*, cum eodem Cicerone.

Ridiculosus si in seria dicam oratione, metuo ne risum debeam. Usus tamen Gaspar Ursinus Velius, vir cæteroquin doctissimus, ac poëta egregius: qui illud Græci epigrammatis.

Νῦν ὅ βίος πάντων ἐστὶ γελοιότερος vertit hoc pacto:

Quandoquidem hæc vita est ridiculosa magis:

Ubi Latinè *ridicula* diceretur; vel, si cum Plauto, Agellioque, malis, *ridicularia*. Dixeris, legi apud Plautum Sticho, act. II. sc. II.

DIN *Post autem advexit secum parasitos* GEI. *Hei perii miser.*

DIN. *Ridiculosissimos.* GEI. *Reverram hercle hoc, quod converri modo.* Verùm, quid si dicamus, *ridiculissimos* legendum, quò eâpse scenâ usus antea Plautus? Imò Valens Acidalius putat, hoc versum exigere. Sed de eo fallitur. Nam stabit versus, si contrahas *ridiculosissimos*. Et *ridiculosissimos*, est in omnibus Mssis, & editionibus ante Pareanam cunctis. Quare sic potiùs censeo, vocem eam de risu à Plauto esse ridiculè confictam, ad vexandum parasitum, & risum scenæ excitandum.

Nec *facetosus* Latinum. Agnoscit quidem Nizolius propter illud in secundo de Finibus: *In quantam hominum facetosam urbanitatem incurras*. Ut à Badio Ascensio editum. Sed Stephanicæ, Lambiniana, illa Guilielmii, ac Gruteri, habent *facetorum urbanitatem*: quod sine dubio rectum est.

Nihilo rectiùs *jactuosus*, quod à *jactu* esse volunt. Sed *jactabundus*, vel *jactator* pro eo dicunt Latini. Idemque judicium de adverbio *jactuosè*. Nec dissimulare interim possum, apud Nonium Marcellum legi: *Iactuosa positum pro iactantes. Cicero in Oratore: Cùm sint luminosa, & quasi iactuosa partes duæ.* Prout est etiam in optimæ notæ Mso nostro Nonio. Sed vitioso codice deceptus Nonius fuit; ut sæpe aliàs. Nec enim esse librarii lapsum, arguit, quòd *iactuosus* reponat inter inchoata ab I. Adde quòd similiter referat in *Luminosus*. Apud Ciceronem verò rectè in castigationibus codd. legitur, *actuosa*: quod in omnibus Mssis, & vulgatis, quos quidem viderit, reperisse

se restatur Lambinus. Itidem laudant ex Cicerone: *Cùm sint multa jactuosè dicta.* Sed hic quoque *actuosè* legi debet: quomodo idem tertio de Oratore dixit: *Quàm leniter! quàm remisse! quàm non actuosè!*

CAP. XVIII.

De verbalibus, quæ non videantur fori esse Romani. Cujusmodi sunt registrum, *pro* regesto : computus, *pro* computatione : suppositorium, *pro* turundo: cambium *pro* collybo, *sive pecuniæ permutatione* : mediator, *pro* sequestro, *sive* conciliatore, *vel* internuntio, *aut* interprete. *Adverbialia etiam aliqua culpanda : ut* modernus *pro eo, qui nostro vivat tempore :* intrinsecus, *pro* internus; extrinsecus, *pro* externus.

HAbemus de nominibus à nomine derivatis ; nunc pergamus ad nomina illa, quæ à *Verbis*, vel *Adverbiis*, originem ducunt. Ingens hic se offert seges Verbalium ; quæ haberi debeant pro dehonestis, ac deculpatis; ut ea vocaret Agellius †. Tale est *Registrum:* quomodo in genuinis Gregorij Magni libris sunt duodecim illi, qui *Epistolarum*, ac *Registri* nomine inscribuntur in editionibus cunctis. Ac, paullo etiam ante proavorum ætatem, voce eâ vix usitatius aliquid Grammaticis fuisse videas. Atqui ne ἀναλόγως * quidem facta est. Nec apponi meruisset, nisi & Calepinus toties à variis recoctus, & Thesaurus Rob. Stephani, sive Forum Rom. Curionis, eam agnoscerent, ac tuerentur illo Flavii Vopisci loco in Probo: *Usus etiam registris scribarum porticus Porphyretica.* Ita quoque legit Joannes Kahl, in Lexico juridico. Imò sic in Mssis suis reperit Casaubonus. Sed non Salmasius: in cujus chirographis fuit *regestis* : quomodo & excudit Rob. Stephanus. Estque id vocabulum etiam in codice Theodosiano: & apud Prudentium in Romano:

Hic in regestis est liber cœlestibus.

Imò & apud Anastasium in Vitis Pontificum ; ubi de Nicolao I: *Sicut in epistolis, regestò ipsius Prasulis continetur insertis.* Gloss. Basil. Κυνσὸν, καὶ ρεγίσταν, τὸν δοτοχαφὸν τῶν ἀρχαίων †. Ac ἀναλόγως, ut à digerendo *Digesta* ; ita *Regesta* à regerendo : quo usus Fabius lib. II. cap. XII *: *Unde fit, ut dissoluta, & ex diversis congesta oratio cohærere non possit ; similisque commentariis puerorum sit, in quos ea, quæ aliis declamatori-

†Lib. 19. cap. 10.

* *Ad morem vocum aliarum.*

†*Censum ac Registam quæ in Actorum tabulis sunt, sive archivis.*

* *Secundùm editionem Rob. Stephani; sed secundùm illam Vascosani cap. II.*

materibus laudata sunt, regerunt. Ubi in aliquibus libris corruptè est *redigunt*: in Aldinâ, *congerunt*. Sed *regerunt* est in Fabii membranis; quas ex paterna avitaque bibliotheca donavit nobis illustris Vir, nec à prudentia summa, solidaque doctrina unquam satis laudatus, Joachimus Camerarius, Regni Suecici ad Fœderatos Belgas multis annis legatus. Etiam *regerunt* legit jam olim Raphaël Regius, commentario ad illud ejusdem Quinctiliani lib. III. cap. VIII. † *Sunt enim velut regesta in hos commentarios: quos adolescens deduxerat scholâ* Ubi in editione Roberti Stephani perperam est *res gesta*. Sed *regesta* est in Mso nostro ante memorato: Item in editione Aldi, & Vascosani: ac sic quoque legit Budæus Annot * in Pandectas.

† *Edit. Rob. St p:148. Sed secundùm edit. Vascosani cap.6.p.45*

* *Pag. 97. edit. Rob. Stephani.*

Mathematicis, ac Astrologis, usitata est vox *Computus*, qui græcis ψηφισμός. Eam vocem, ignotam veteribus, primus ex iis, quos habemus, nec uno id loco, usurpavit Julius Firmicus: qui Constantini M. temporibus, ac deinceps, vixit. Priores pro eo *computatio* dixissent. Ut Plinius lib XII. cap. XVIII: *Minimâ computatione millies centena millia.* Et lib. XVII. cap. XXII: *Operarum ista computatio est.* Ac similiter pro eo, quod Ciceroni in Lælio est, *ad calculos revocare*; *computare* dixerunt Seneca, Quinctilianus, uterque Plinius, & ante hoc Plautus Mil. Act. II. sc. II.

Dexterâ digitis rationem computat, feriens femur.

Suppositorium vulgo appellant filii medicorum, remedii genus, quod sedi inseritur ad alvum dejiciendam. Sed Marcello Empirico vocatur *turundus*, quasi *terendus*: nempe quia teritur, ac subigitur. Græcis quia glandis obtinet figuram, βάλανος nominatur. Differt ab eo κλυσμὸς, quod medicamenti genus est liquidum, nec sedi modò, sed aliis etiam partibus inseritur. Imò & ipsum instrumentum, quo inseritur, sic nuncupatur. Quale fuerit hoc instrumenti genus, ex non uno Galeni loco licet cognoscere.

Jurisconsultis, atque aliis, usitata est *cambii* vox, Et sanè ut *visium*, βλῆμα, à *visio*, βλέω: ut item ab *efficio*, *efficium*, ac postea *officium*: ita ἀναλόγως *cambium* dicatur à *cambio*, h. e. *permuto*. Appuleius in Apolog. *Tu an habeas ad agrum colendum, an ipse mutuarias operas cum vicinis tuis cambias, neque scio, neque laboro.* De eadem voce ita Priscianus lib. X. †: *Cambio*, ἀμείβομαι *, *ponit Charisius, & ejus præteritum campsi: quod* ἀπὸ τοῦ κάμπτω, ἔκαμψα, *esse videtur: unde & campsas, solebant vetustissimi dicere, Ennius in x. Leucaten campsant.* Hoc est

† *Cap 2.*

* *Permuto.*

τλὼ ἄκραν, Λευκάτλω λιλιγμένην, κάμπλωσι. Nam Latinis *campſare* id eſt, quod Græcis κάμψαι, h.e. iter flectere. At pro διαλλίσσειν nunquam Græci dicunt κάμψαι, uti Latini *cambire*. Etſi verò *cambire*, pro *commutare*, rectum videatur; *cambium* tamen non dixero: Sed vel *cõmutationẽ pecuniæ*, aut *permutationem*; vel *collybũ* cum Græcis. Nam κόλλυβος ὁ, ἀργυρίου ἀλλαγὴ, ut Pollux interpretatur lib. VII. c. XXX. Imò *Collybum* ipſe vocat Tullius lib. I, ac III in Verrem, & ad Att. lib. XII. epiſt. VI. Item Ciceronis æqualis Caſſius Parmenſis, apud Tranquillum in Auguſto cap. IV. *Cambium* verò, etſi ἀμέσως † à κάμπτω derivent, tamen nec Græcum eſt, nec Latinum; ut Alciatus agnoſcit lib. I. Παρεργ. cap. XLV.

† *Immediatè ſive proximè.* * *De Reſurrectione carnis, c. 51, & adverſus Praxeam c. 27. qui tamẽ & Mediatoris voce uſus lib. de carne Chriſti. c. 15. uti & Novatianus de Trinit. cap. 14. 16. 18.*

Theologi (etiam Prudentius carmine in natalem Domini, & ἀπὸ θεώσεως, item Ambroſius, & Auguſtinus) Chriſtum dicunt *mediatorem*, ut Græci μεσίτην. Cui voci cum non malè reſpondeat, & nihil Eccleſiaſticis ſit uſurpatius; equidem nec ipſe abhorreo. Etſi μεσίτης ſit à nomine μέσος, *medius*: *mediator* potiùs ſit verbale. Nam ut ab *amare*, *amator*; ſic *mediator*, à *mediare*, pro intermedium eſſe. Sed *mediare* eſt barbarum. Eo minùs voce *mediator* extra ſacrum utar argumentum. Imò ne in iſtoc quidem id ſemper fecero. Nam quid opus? Variè enim Latini expreſſere: præcipuè *conciliator*, vel *ſequeſter*; quomodo & reddidit Apoſtoli verba Tertullianus *: ne exiſtimemus veteres ſe *mediatoris* vocabulo adſtrinxiſſe, quod apud veterem eſt interpretem. Eſt cùm *internuncium* reddas commodè: vel etiam *interpres*. Sic Plautus Mil. Glor. Act. III. ſc. I:

Ut ſimulet ſe tuam eſſe uxorem, & deperire hunc militem;
Quaſique hunc annulum Faviæ ſuæ ancillæ dederit, ea porrò mihi,
Militi ut darem; quaſique ego rei ſim interpres.

Fortaſſe aliquis dicat, *mediatoris* nomen, apud Appulejum legi lib. IX: *Aſſeverat, parvi ſe pendere mediatorum præſentiam.* Sed qui attenderit, agi iſtic de terræ menſoribus, facilè aſſentiet Wouwerio, reſcribenti, *tot metatorum*. Eſt & cùm commodè pro eo dixeris, *arbiter*, vel *arbiter honorarius*, aut *deprecator*.

Atque hæc pauca ſuffecerit excerpſiſſe, ex verbalium tam multis.

Adjiciam nunc aliquid de iis, quæ ab adverbiis vitioſè derivant: ut cum a *modò* formant *modernus*: quaſi *qui vivat modò*, h.e. *nunc*: quomodo hac voce interdum uſi veteres, ut alibi oſtendimus. Mirum autem, id verbi hodieque viris eruditis adeò eſſe in uſu. Imò ante duo ſecula Joannes

annes Tortellius, vir pro iis temporibus bene doctus (is est, cui Laurentius Valla Elegantiarum libros dicavit) ne *moderniores* quidem refugit in opere de Orthographia, voce ANUS. Nec tamen *morderni* vox nupera est. Usus enim eâ est Beda de metris, eoque antiquior Priscianus, & qui Prisciani ævo vixit Cassiodorus, præfat. Collectaneorum de Orthographia. Diomedes pro *modernis* dicit *neotericos*, à Græco νεώτερος *. Sed quis non videt, hoc ipsum per quendam fieri νεωτερισμόν †? Quare tutiùs eos vocitabimus *recentiores*, aut potiùs *juniores*.

* Junior.
† Morem loquendi Nevellum.

Ab adverbiis etiam, *intrinsecus*, & *extrinsecus*, adjectiva derivantur *intrinsecus*, & *extrinsecus*: unde apud philosophos passim nunc legas, *intrinseca vires*, *intrinseca animi bona*, *intrinsecum bellum*, *extrinseca omnia*. Ac sic ante quinque secula Petrus Blesensis epist. XIV, *extrinsecos janitores*. Sed castè locutis ea semper sunt adverbia, eoque invariabilia per genera, aut casus. Et quid illis opus, cum suppetant *internus*, & *externus*? Item pro *bello intrinseco* dixeris *intestinum*.

CAP. XIX.

De nominibus compositis, Latio ignotis; ut baccalaureus, *pro* batualius: extemporaneus, *pro* extemporalis: emollidus, *pro* mollis: investimentum, *pro* vestimentum: *& aliis, ubi veriùs compositione ipsa peccatur; ut in* bigamus, *pro* digamus; *utcunque* biclinium *dixerit Plautus: item in* monoculus, *pro* unoculus: compatriota, *pro* sympatriota, *vel* conterraneus: prolificus, *pro* fœcundus: consodalis, coæqualis, confœderatus, contribulis, concivis, *pro simplicibus nominibus, unde componuntur. Adhæc in* præsectum, *&* præcisies, *pro* prosectum, *&* prosicies: *& quid propriè iis vocabulis signetur; uti &* porriciendi, *&* porriciarum *vocibus.*

JAm series rerum exigere videtur, ut à vitiis derivationis accedam ad ea, ubi compositione est aberratum. Sed paullùm sufflaminat impetum, quòd quædam non sint vera composita; quædam composita quidem sint, nec tamen vocabulum tam sit vitiosum compositione, quàm derivatione. Prioris esse generis videtur *baccalaureus*: quod à *baccis lauri* compositum putatur. Sed potiùs corruptum censeo ex *batualius*: ut sit à *batuendo*, ex quo *batailie*. *Batualii* verò fuerint vocati, quia jam quasi

batuissent cum adversario, ac manus conseruissent: h. e. publicè diputassent, atque ita peritiæ suæ specimen dedissent.

Alterius generis est, ubi in compositio quidem peccatur: sed derivatione. Ac tale est *extemporaneus*, quod pervulgatum: At veteres pro eo *extemporalis*. Martialis lib. v. cap. LVI.

Extemporalis factus est meus Rhetor.

Quinctilianus lib. x. cap. VII: *Facilitatem quoque extemporalem à parvis initiis paulatim perducemus ad summam.* Pro quo initio capitis dixerat, *ex tempore dicendi facultas*. Suetonius in August. cap. LXXXIV: *Quamvis non deficeret, ad subita extemporalis facultate.* Ubi rectè monitum aliis, *deficeretur*, legi debere. Nempe error inde, quòd librarii, dum student literarum compendio, *t* lineolâ mediâ paululùm deflexâ pro *tur* scribere soleant. Utcunque verò *extemporaneus* compositum sit minùs Latinum: non tamen compositionis propriè vitium est. Quippe *temporaneus* non ausim dicere; sed *temporalis*, vel *temporarius*; quorum utrumq; crebrum in Digestis: prius quoque apud Quinctilianum, & alios.

Etiam *emollidus*, utcunque ex præpositione, & *mollis*, compositum videatur; non tamen ad ea referendum, ubi compositione peccetur; sed potiùs, ubi derivatione. Cùm enim non sicut à *caleo*, *calidus*; ab *algeo*, *algidus*; sic à *mollio* dicatur *mollidus*: potiùs *emollidus*, si Latinum foret, verbale esset ab *emollio*. Quomodo se *emollire Catulli versum* ait Plinius præfatione Historiæ Natur. *Emollescere* item ἀπαλύνεσθαι interpretatur glossarium*. Sed apud Livium, quem usum volunt lib. XXXIV, ubi sermo est de corporibus Gallorum fluidis, & sitis impatientibus, in vett. libris loco memorato est *mollia*. Nec alibi *emollidus* reperias.

* *Philoxeni glossa. Stephanica & Patiana editionis pag. 86*

Etiam derivationis potiùs, quàm compositionis vitium sit, *Investimentum*: quia si rectum sit, fuerit ab *investire*: quod est apud Plinium lib. XXXV. c. VII. Giffanius in Observationibus L. L. ait, esse amiculi genus, quod inducitur vestibus aliis: voceq; eâ usum esse Livium lib. IV: *Ne cui album investimẽtum addere petitionis caussâ liceret.* Sed duabus legendum vocibus, *investimentum*. Sententia est, ne liceret prensantibus cretâ candefacere togam: â qua consuetudine est nomen candidatis. Pers. sat. v:

——*Quem ducit hiantem Cretata ambitio.*

Sed ut ista propriè non pertineant ad compositionis vitium: sunt alia non pauca, quæ propriè compositione peccent. Ac primum ea, quando aberratur, componendo, contra Veterum morem, vocem Latinam

cum

cum Græca. Ut *bigamus*, pro *digamus*. Nam cùm in promptu sit δίγαμος, quid opus est compositione hybridâ, eâque in voce Veteribus ignotâ, ubi suppetit Græcum? Dixeris similiter *biclinium* esse apud Plautum Bacchid. IV. IV. Non hoc opponam, Lambinum ambigere an non ibi *diclinium* debeat reſcribi. Solùm dicam, Græcis in usu fuisse τρίκλινος, unde *triclinium*, quia terni circum mensam lectuli ponerentur: at non obtinuisse apud eos δίκλινον: eoque magis licuisse Plauto, cum *triclinium* usu suum fecissent Romani, Romanâ compositione etiam dicere *biclinium*.

Monoculus vulgo ajunt, cum vel Græcè dicendum sit μονόφθαλμος, vel Latinè cum Plauto, & Agellio, *unoculus*; qui Martiali *defioculus*: passim verò antiquis *luscus*, Plauto *cocles*.

Gompatriota barbarè, pro *sympatriota*: ut Luciano, itē Archippo apud Pollucē, συμπατριώτης: qui & absq; præpositione, idq; usitatiùs πατριώτης, Latinis *popularis*; *conterraneus* Plinio, qui id castrense ait †, vocabulum. † Præfat. Histor. Natur.

Præterea puro sermoni adversantur vocabula quædam conflata ex duabus Latinis: quale etiam dixeris *prolificus*: quomodo exprimunt, quod Græci dicunt παιδογόνος, hoc est, prolem præcreans, aut pertinens ad procreationem prolis. Voce etiam unicâ *fœcundum* dixeris: quamquam hoc quoque ad plantas se extendat.

Nusquam verò æquè peccatum, quàm in nominibus compositis cum præpositione; atque in his potissimùm præverbio *cum*, sive loquelari præpositione *con*. Id factum in *consodalis*, pro *sodalis*; Itidem *confœderatas* dicimus civitates, vel provincias. Quod nec refugit Justus Lipsius lib. I. de Militia Romana dialogo VII: *Socii appellabantur quasi confœderati, & consortes armorum*. Ubi rectum foret *fœderati*.

Similesque *contribulis meus*, pro *tribulis*. Cicero pro Roscio Amerino: *Quasi verò mihi difficile sit, quamvis multos nominatim proferre (ne longiùs abeam) vel tribules, vel vicinos meos, qui suos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas assiduos esse cupiunt*.

Concivis quoque passim obtinet; nempe ut συμπολίτης ait Paulus ad Ephesios II. 19. Ac Latinum illud probat Valla lib. IV. Elegantiarum cap. LXXXIV. Nec in carmine reformidavit Nicolaus Sudorius; qui elegantissimis versibus Pindarum expressit. Ut Pythiorum od. XI:

Nereidum concivis una.

Et Nem. od. X: *Concivem Olympi sedibus intulit.*

Sed meritò eam vocē damnat Jul. Scaliger orat. in Erasmū. B. Hieronymū, ac juniorum alios, uti negare nō possumus. Sed pro nostra, atq; adeò Scaligeri sententiâ, stat omnis antiquitas. Cui ut *amicus* ad *amicum*, ita *civis* est correlatum ad *civem*, Mitto Lucani lib. I. in oratione Lælii ad Cæsarem:

Nec

Nec civis meus est, in quem tua classica, Cæsar,
Audiero.

Contentus ero uno Tullio. Ejus est ad Lentulum lib. I. epist. IX. *Quod meos cives, & à me conservatos, & me conservare cupientes, spoliatos ducibus servis armatis objici noluerim.* Similesque hoc pro Milone: *Facinorosorum armis, meos cives, meis consiliis, periculisq; servatos, pro me objici nolui.* In eâdem ita loquentem inducit Milionem: *Valeant, valeant cives mei: sint incolumes, sint florentes, sint beati.* Idem primâ in Catil. *Servi mehercle mei si me isto pacto metuerent, ut te metuunt omnes cives tui: domum meam relinquendam putarem: tu tibi urbem non arbitraris? & si me meis civibus injuriâ suspectum tam graviter, atq; offensum, viderem; carcere me adspectu civium, quàm infestis oculis omnium conspici, mallem.* Idem primo de Finibus: *Malè, credo, mererer de meis civibus, si ad eorum cognationem divina illa ingenia transferrem.* Et paulo pòst: *Debeo profectò, quantum à me possim, in eo quoque laborare, ut sint operâ, studio, labore meo doctiores cives mei.* Item lib. II. de Divinat. proximè initium: *Si optimarum artium vias traderem meis civibus.* Et non multò pòst: *Dabunt igitur mihi veniam mei cives, vel gratiam potiùs habebunt.* Videmus, ut his locis, liberâ etiamnum Rep. Romanos appellet cives suos, Milonis, Catilinæ. Quin alibi Demosthenem, quem Lucianus, & Suidas, Athenienſem fuisse testantur, civem vocat Pomponii Attici; cujus natalis ab obitu Demosthenis distabat annis circiter ducentis. Locus est epist. I. lib. II. ad Att. *Quod in eis orationibus, quæ Philippicæ nominantur, enituit civis ille tuus Demosthenes.* Ex his satis liquet, quantum aberret Valla, dum contendit, haut alium, quàm civitatis dominum; dicere *cives suos:* eoque haut rectè locutum quendam, qui hoc pacto librum orsus erat: *Favonius, civis meus, optime princeps.* Vide autem, quam cautè utatur Petrus Damiani lib. II. epist. III. *Ut tyrannidem arripiant super cives; ut ita dixerim, dedignantur esse concives.*

Possis huc etiam referre, quando in Compositione cum nomine præpositiones vicinæ confunduntur. Sic *præfectum, præficia, præficies,* & *præficium*, vulgò Legas, & audias: ut Turreto etiam monetum adversar. lib. XXII. cap. VI. cùm per præverbium *pre*, non *præ*, debeant efferri: quod ex Chirographis optimis constat. Nempe ut ab *insecando insecta*, & *insicia*; sic à *prosecando, prosecta, prosicies* & similia. Sunt verò *prosiciæ*, ἀκροθίνια, sive αἱ τῶν θυμάτων ἀπαρχαί: puta exta, sive Victimæ carnes è foco, ubi coquebantur, arreptæ, ac deinde prosectæ: quod ubi fecerant, carnes ita coctas, prosectasque porrò jaciebant, sive, ut compositâ voce in sacris locuti, porriciebant in aram, quò ibi Diis adolerentur. Id *porricias inferre* dixit Solinus Cap. XI.

CAP. XX.

De nominibus, ubi vitiosa est declinationum mistura. Quale est cùm Helenam, in prima declinandi forma, Tyndariden *vocant, ubi in tertia* Tyndaridem, *efferendum. Deq; Horatii loco, quo Clytæmnestra nuncupatur* Tyndaridarum fortissima. *Videri, & patrio casu potiùs* Agnes, *ab* Agne; *quàm* Agnetis, *ab* Agnes, *dicendum. Rejectum etiam* epitomata, *pro* epitome; synodum *pro* synodontem; diacones, *pro* diaconi; Selini, *pro* Selinuntis; Adonim, *pro* Adonitem; Busirim, *pro* Busiridem; gibberem, *pro* gibbum; glomi, *&* glomos, *pro* glomeres; vesperem, *pro* vesperum, *vel* vesperam; insigniis, *pro* insignibus; cubituum *pro* cubitorum; peni, *pro* penoris, *vel* penûs.

DE iis, ubi in ipso casu recto peccatur, quod satis est, admonui. Incipiam hinc de illis agere, ubi vocabulum in recto bene se habet: sed malè per casus suos inflectitur. Neque acervatim de his loquar; sed declinationum ordini insistam. Ac priùs, ubi declinationis forma permiscetur.

Primam, tertiamque, confundunt, qui *Tyndaridam*, vel *Tindariden*, dicunt pro Helena, vel Clytæmnestra. Planè enim *Tyndaridem* dicendum. Nam vir *Tyndarides*; unde *Tyndaridam*, vel *Tyndariden*. in casu accusandi: femina *Tyndaris*; unde *Tyndaridem*, casu eodem. *Tyndaridæ* igitur Castor, & Pollux: *Tyndarides* verò, Timandra, Echemi conjux; Clytæmnestra, uxor Agamemnonis; Helena, Menelai, ac postea Paridis conjux; & Philonoë, quam Diana reddidit immortalem: ut ex Apollodoro videre est in tertio Bibliothecæ. Objectant, qnod Clytæmnestra, quia Agamemnona interemerat, Horatio lib. 1. sat. 1. dicatur *fortissima* non *Tyndaridum*, sed *Tyndaridarum*. Respondent aliqui, esse epenthesin, ut *alituum*, pro *alitum*. Magis placet, Horatio *Tyndaridarum* vocabulum esse à *Tyndarides*; sed plurativo ejus comprehendi universam Tyndarei prolem; cóque Clytæmnestram inter Tyndaridas reponi, quia sequior sexus comprehendatur vocabulo virili: ut simile sit, ac si dixero, *mei*, de filiis ac filiabus è me genitis: *anima defunctorum*, de viris, ac feminis.

Agnetem, an *Agnen* virginem, dici conveniat, quæri potest. Equidem, cùm non Latina (ut est apud Augustinum sermone 61 de diversis)

† *Castus, purus.* * *Vitex, quem fruticem matronæ in Thesmophoriis castitatem custodientes sibi cubantibus, substernebant: unde & nomen. Vide Dioscoridem* 1. 135. *Plin.* 24. 9. *Ælian Hist. Anim.* 9. 26.

versis) sed græca sit Appellatio, à virili ἁγνὸς † vel ἄγνος *; potiùs virgo *Agne* dixerim. Atque ita apud B Hieronymum est epist. VIII. ad Demetriadem, partim initio, partim fine earum literarum: *Omnium gentium literis, atque linguis, præcipuè in Ecclesiis, Agnes vita laudatâ est: quæ & ætatem vicit, & tyrannum, & titulum castitatis martyrio consecravit.* Prout is locus etiam adducitur in Martyrologio Romano ad XII. Kal. Febr. Ac puto, veram esse lectionem, quæ est Prudentii περὶ στεφάνων hymno XIV:

Agnes sepulcrum est Romuleâ in domo,
Fortis puella, martyris inclyta.

Sic editum à Georgio Fabricio: ubi Pulmannus, *Agnis.* Etiam à Constantina, Constantini filia, in apside ejus Virginis inscriptum:

SACRAVIT TEMPLUM VICTRICIS VIRGINIS AGNES.

Nec tamen de hoc magnopere contendero: quando *Agnetis* & *Agnetem*, est etiam in Martyrologio Romano, non modò ad diem memoratam; sed etiam VII. Kal. Febr. & XII. Kal. Maii. Similiterque ad duos priores dies Martyrologium Adonis; ut mittam alios scriptores Ecclesiasticos.

Esto, ut *Epitoma*, pro *Epitome*, dicatur; quomodo non minùs rectum *Alcmena*, quàm *Alcmene*; *Circa*, quam *Circe*; *Lycamba*, quàm *Lycambe*. Declinatio tamen vitiosa, quando inde efformant obliquum *epitomatis*, pro *epitoma*, vel potiùs *epitomes*. Sic *Livii epitomata* dicunt perperam.

Secundam, tertiamque, confundit Paullus Jovius, in libro de Piscibus, cum *Synodum*, pro *Synodontem*, ait; nam rectus Græcis est non σύνοδ@, sed συνόδων, vel συνόδας: quod dicitur ἀπὸ τοῦ ὀδόντας: unde *dentex* vocatur Columellæ, & Apicio: ac sic quoque reddidit Theodorus Gaza † Rectiùs igitur Actius Syncerus:

† *Translatione. Arist. Hist. de An. lib.* 8, *c.* 13.

Herculea mullum rupes, synodontas Amelphis.

Diacones, & *diaconibus*, crebrum est scriptoribus Ecclesiasticis; etiam antiquis. Sed hos pietatis potiùs habemus magistros, quàm Latinitatis. Elegantiores igitur semper *diaconus* dicunt; ut græcè est διάκον@.

Selini patrio casu à *Selinus* perperam dicitur, pro *Selinuntis*. Est enim Græcè Σελινῦς, ex Σελινόδς; ut *Cerasus*, Κερασοῦς, ex Κερασόδς; *Opus* Οπῦς, ex Οπόδς; *Trapezus*, Τραπεζοῦς ex Τραπεζόδς. Quæ iccirco in patrio casu faciunt *Selinuntis*, *Cerasuntis*, *Trapezuntis*. Hinc in vocandi casu habent, non *Seline*, *Cerase*, *Ope*, *Trapeze*; sed *Selinus*, *Cerasus*, *Opus*, *Trapezus*. Unde Maro Æn. III:

Tegus

Teque datam ventò linquo palmosa Selinûs,

Sic enim, non *Selinis*, ut vulgò exaratum, legi istic oportere, rectè traditum viro egregiæ doctrinæ, & industriæ, ac de re literaria optimè merito, Claudio Dausqueio, in secundo Ὀρθογραφικῶν *. * P. 285.

Adonis, & *Busiris*, in patrio casu Grammatici dicere jubent, etiam qui proximè scripsere: nempe, quia Lucanus *Adonim*, pro *Adonidem*, & Ovidius *Busirim*, pro *Busiridem*, dixerit. Sed hoc Argumentum infirmum; ut liquet ex iis, quæ de dativo *Adoni*, pro *Adonidi*, genitivo *Ianthis* pro *Ianthidis*, dicebamus lib. II. de Analogia cap. IX.

Gibberem, pro *gibbum*, qui ajunt, itidem decipiuntur loco ex Juvenale falsò producto. Sed de hoc jam actum nobis ejusdē libri cap. XX.

Barbarum item est, *Me perlubenti facies: pugnanti Cæsare contigit*: Nam etsi in idis auferendi casus in E, & I, exeat; semper tamen in E terminatur, quando is ponitur absolutè.

Acipensera in accusativo dici, putant aliqui, ob hoc Martialis lib. XIII. epigr. XCI †: *Ad Pallatinas acipensera mittite mensas* † Al. 88.
Prout est in Aldinâ. Sed à recto *acipenser* non aliud, quàm *acipenserem*, dicere possumus. Rectus autem iste est apud Ciceronem de Fato, & exinde Macrobium lib. II. Saturn. cap. XII. Imò & Ovidius usurpat in Halieutico. Est & in gloss. vett. *Acipenser*, οἶδος ἰχθύος. Et glossis aliis: *Acipenser*, *Aquipenser*. Neque non occurrit, *aëra*, *athera*, & sexcenta hujusmodi, in usu esse. Sed ea Græca sunt: quale non est *acipenser*. Græci enim γαλεὸν dixere: ut Archestratus ait in septimo Athenæi: vel Μόπα Ῥόδιον; ut Apion Grammaticus censuit: quod ibidem legas. Dixeris, versum Martialis non admittere *acipenserem*. Scio: sed eò accedendum libris melioribus, in quibus est *acipensem*: nempe à recto *acipensis*: quomodo etiam dixisse, videor posse colligere ex adlato Martialis loco. Nam quòd καὶ συγκοπὴν *acipensem*, ex *acipenserem*, contractum existimant, planè non persuadent. Et pro *acipensis* facit, quod apud Athenæum legas, ἀκκιπήσιον vocari Romanis. Nempe ex ἀκκιπῆσις, additâ terminatione Romanâ ἀκιπήσιος fecit. N extritum, ut iidem Græci ex *Hortensius* Ὀρτήσιος: quod si Lambinus observâsset, non propterea Latinè etiam *Hortesius* scribere jussisset.

Glomi & *glomos*, vulgò dicunt à recto *glomus*: qui est apud Festum. Sed *glomeris* in patrio casu facere scio, ut *acus*, *aceris*: *glomi* reperio nusquam. præivit ad vulgatam opinionem magnus Erasmus in adagiis; ubi ἀγαθῶν ἀγαθίδες vertit, *bonorum glomi*: cujus exemplo sic alii extulere. Genitivum contrà, quem dixi, usurpat Plinius libr. XXXVI.

cap. XIII. *Quòsi quis improperet sine glomere lini, exitum invenire nequeat.* Atque hinc verbum *glomerandi*. *Glomer* est apud Perottum, Calepinum, & Rob. Stephanũ: sed tutiùs dixeris *glomus*, ob Festi auctoritatẽ.

Vesper ajunt in gignendi casu facere *vesperis*: nempe quia *prime vesperi* dicant boni scriptores. Sed *vesperis* non ausim dicere: quemadmodum nec placeat, *usque ad vesperem*: sed *vesperum*; ut loquitur Cicero v. Tuscul. vel *vesperam*, ut idem II in Catilinam Invectivâ ait, *Si accelerare volunt, ad vesperam consequentur.* At in auferendi casu, & *vespere*, vel *vesperi*; & *vesperâ* dixeris.

Insigniis doctoris legas apud nonnullos: sed *insignibus* dicendum.

Quartam cum secundâ confundunt, quia ajunt, *trium cubituum guttur*, item *trium cubitum polypus*. Ea legas apud Lilium Gyraldum Hist. Poët. dial. IX. ubi de Philoxeno agit †. † P. 346.

Quartam, vel tertiam, commutant secundâ, qui *peni hujus* dicere jubent; pro *hujus penoris*, vel *hujus penûs*. Sic nec *hoc peno* cum iis usurpem; sed *hoc penore*, vel *hac penu*: ut Plautus Captivis * *Verba sine penu, & pecuniâ*. Et Persius sat. III: *In locuplete penu*. Et (quod genus etiam commonstrat) titulus est in Digestis: *De penu legatâ*. Atque hæc firmantur etiam verbis Servii in illud I. Æn. * Act. 3. sc. 1.

—*Quibus ordine longo*
Cura penum struere,

Dicimus, inquit, *& hic, & hæc, & hoc penus. Sed à Masculino, & à feminino genere, quarta est declinatio; à neutro tertia: quomodo est pecus pecoris. Vnde Horatius:* —*Portet frumenta penusque. Masculino verò genere Plautus: Nisi mihi annuus penus datur, Feminino Lucilius posuit, Vxori legata penus, Quartæ autem declinationis Persius docet: in locuplete penu defensis pinguibus umbris.* Videamus, quid dicat Servius, & quid non dicat. Ait *penus* esse omnis generis; quod etiam apud Cledonium est: & non eum modò; sed etiam Servio antiquiores, ut mox parebit. Addit *penus* neutrum esse tertiæ; quod in dubium vocat nemo. At cùm quartæ est, virile est, vel muliebre: virile, ut apud Plautum Pseudolo: muliebre, ut Lucilio: quod & Nonius annotavit: ac firmat simili loco Novii, qui dixerit, *Meam in penum*. At silet Servius de eo, quòd *penus* etiam sit secundæ. Nec modò non agnoscit *penus, peni*; sed neque *penum, peni*. Varia hic objectant. Ac primùm, quod apud Terentium Eunucho act. II. sc. III. in plurimis sit libris:

Cùm in cellulam ad te patris penum omne congerebam clanculum.

Item

Item quod eum ad locum Donatus annotavit, & *omne*, & *omnem*, legi. Addit deinde idem grammaticus, *Et hoc penus, & hic penus, & hæc penus, veteres dixerunt.* Sic expressum est in veteri Tarvisinâ anni CIↃ CCCC LXXVII. Ubi pro *hoc penus*, in illa Rob. Stephani, & quam Lindebrogius recensuit, *hoc penu* editum est. Et sanè *hoc penu* in recto videtur etiam Charisius agnovisse. Sed rectiùs, ut puto, Tarvisina. Quippe nihil erat opus Donato ad rectum *penu* recurrere, cùm nusquam reperiatur. Præterea à Donato, ut & Capro, traditum esse, *penus* esse omnis generis, testis etiam Priscianus lib. V, & VII. Nec potuit Donatus de neutro *penus* omittere: cùm satis sit apertum, quod ait Servius, ut *hoc pecus pecoris*, sic etiam dici *hoc penus penoris*. Et hæc de Donati verbis. Quod verò ad Terentii locum: *penum omnem* legit etiam Priscianus in V: atque ita in Bembino, & Vaticano, reperit Faërnus. Dixeris, *hoc penum* etiam rectum videri, cùm Charisius, ac Priscianus id adstruant illo Afranii: *In penum herile.* Non inficior; sed obsoletum arbitror, nec Terentio usurpatum. Nec si *penum* in recto dixerint, eò & obliquos ejus in usu fuisse consequitur. Hujus *peni* agnoscit Charisius: sed nullâ auctoritate suffulcit: aut fortasse id apud Nævium, vel Pacuvium, legerat: ubi multa vieta fuisse, & rancida, etiam pueris notissimum.

CAP. XXI.

Esse, ubi non confundantur declinandi forma, flexu tamen peccetur. Qualia sunt, ô Pompeje, *pro* Pompei; *hujus* pulvis, *pro* pulveris; Paris, *pro* Paridis; *vel* Parida, *pro* Paridem; batin, *pro* batidem; jurejurandis, *pro* jusjurandis; trippum, *pro* tripodem; decadarum, *pro* decadum; pecuium, *pro* pecuum; singulos meridies, *pro* quemlibet meridiem. Cœli *an in prosa dicendum. Servius, & Cicero, emendati. Sigonius, aliique Ciceronis editores castigati de fragmento perperam ei tributo.* Sibili *in plurativo non inveniri.* Ciceres, *an* cicera, *dicendum.* Gargana *non reperiri pro montis nomine.* *Etiam* supellectilia *rejectum*: *item* vici *in dandi casu: adhæc* instinctus, instinctui, instinctum; astum, *&* astibus; *obliqui ab* exspes; nostrate *in neutro, pro* nostras. *Peccari etiam in adjectivorum comparatione: ut in* agillimus, gracillimus, docillimus.

INterdum non declinandi formæ permiscentur; sed persistitur in forma sua; sed sic, ut interim, contra veterum consuetudinem, fiat inflexio:

Quod

Quod bifariam usu venit: vel enim, ubi obtinet casus more Romano, supponimus barbarum: vel ubi nō obtinet, aliquem, secundùm ἀναλογίαν aliorum, comminiscimur. Exemplis hæc fient planiora.

† P. 590. ed. H. St.

Magne Pompeie, est apud Cruserium tralatione Plutarchi in vita Pompeii †. Nempe quia Græcè est Πομπήϊε. Sed non, si Græcè sit Αντώνιε, eò & Latini *Antonie* dicam, nisi fortè in carmine, imitatione Græcorum. Quare Latino more *Pompeï* dicendum: quomodo Horatius, sed κῦ συναίρεσιν, ait lib. II. od. VII.

Pompei meorum prime sodalium.

Hoc secundæ est formæ exemplum, Tertiæ nunc dabo. *Pulvis* pro *pulveris* tuentur illo Catulli, Carmine in Juliam, & Manlium:

Ille pulvis Erythrei,
Siderumque micantium,
Subducat numerum prius,

Quomodo & Muretus legit; qui *pulvis* censet antiquum esse genitivum. *Erythrei* autem, elisâ è diphthongo vocali, dixisse ait: quemadmodum nec alibi * idem *Dioneum*, pro *Dionæo*, refûgit. Atque hanc sententiâ recentiores aliquot Grammatici sequuntur: etiam habes in Thesauro L. L. sive Foro Romano Cælii Curionis, & Calepino toties recocto, qui passeratii dicitur. Ante hos etiam *pulvis* in gignendi casu retinuere Guarinus, & Hieronymus Avantius: at improbante Achille Statio: ac meritò. Nemo enim veterum *pulvis*, pro *pulveris*, usurpavit; nec id monuit veterum Grammaticorum quisquam. Præterea vetus editio, quæ Regii Lepidi prodiit anno cIↃ cccc LXXXI, habet *pulveris*, non *pulvis*. Illa vulgata, quam Muretus, & Duza, repræsentant, planè commentitia videtur. Sed malit Muretus, *pulveris enthei*: nec abhorret Scaliger: ut alludatur ad entheos Bellonæ, sive Bellonarios; qui corporis jactu multam pulveris vim concitabant. Utcunque est, in uno istoc loco, tam incertæ lectionis, præsidii satis nemo cordatior posuerit.

* *Carm. 30. quod in Cæsarem. Sed Scaliger pro Dioneus, legit, aut Adoneus. Imò sic ante eum Achilles Statius.*

Nec iis subscribendum, qui à recto *Paris* obliquos formant *hujus Paris, huic Pari, hoc Pari*. Quomodo dici posse, traditum est ab Grammaticis plurimis, etiam in his Despauterio. Præterea in accusandi casu *Parida* probant; pro quo *Paridem* veteres cuncti. Juvenalis sat. VI †: *Utque magis stupeas; ludos, Paridemque, reliquit.* Ac Persius similiter sat. I *: *Iratum Enpolidem vegrandi cum sene palles.*

* *Vers. 87.*
* *Vers. 124.*

Itidem errant, quibus *batin* placet in accusandi casu à recto *batis*; quod

quod piscis genus, ut Græcis, sic Plinio† quoque memorati. Cum enim sit ὄξύτονον *, *batidem* dicendum, ut *Græci βατίδα* ajunt.

* *Acuti accentus in ultima.*

Reperio apud recentiores *jurejurandis*; quod probare non possim, cùm vel rectum sit *jusjurandis* vel *juribus jurandis*. Nec posterius improbarem, si, ut *jura*, sic *juribus* diceretur. Quare *jusjurandis* malim; quomodo Cicero pro Q. Roscio, & pro Fontejo, *jusjurandi* habet pro *jurisjurandi*; nisi locus uterque corruptus: quæ Rodolphi Goclenii opinio est in secundo Analectorum sect. LXXI. Et sanè, apud Nizolium quidem pro Roscio est *jusjurandi*. Sed in illa Gothofredi, & quam necessarius noster Janus Gruterus dedit, est *jurisjurandi*. Etiam Cæsaris locum advocant ex lib. primo belli Civilis, & alterum è Tranquilli Tiberio cap. XXXV; ubi *jusjurandi* ajunt legi. Sed optimæ editiones, à me consultæ, utrobique habent *jurisjurandi*. Quocirca tutiùs abstinebitur ablativo plurali.

Tripum, pro *tripodem*, est apud Fulgentium, lib. I. Mythologicôn: *His tripum quoque Apollini adjiciunt*. Si librarii nulla hic culpa, error Fulgentii ex eo fuerit, quia pleraque à πὺς composita, nunc secundæ sint, nunc tertiæ: ut *Oedipus*, & *polypus*: quorum exemplo dici quoque ajunt *Melampi*, & *Melampodis*. Statio in III Theb. tertiæ est. Nam vocandi casu dixit non *Melampe*; sed *Melampu*: nempe ut à *Capys* est, ô *Capy*. Nec omnia à πὺς in secunda reperias. Quomodo non *Antipi*, sed *Antipodes* dicimus.

Decadarum, Livij, pro *decadum*, hoc seculo vix quisquam dixerit. Imò nec illos CXLII. Historiarum libros in decadas Livius distinxit: sed est id à Grammaticis; ut Petrarcha jam olim vidit, & Sigonius ostendit.

In vocabulo quartæ peccant, qui *pecujum*, pro *pecuum*, probant: atque ita à recto *pecu* dixisse Catonem volunt. Scribunt hoc recentiores: atque idem ante sesquiseculum, & ultrà, traditum ajunt à Perotto. Sed in Perotto Aldi *pecuum* est: quod analogia quoque exposcit. Nam ut à *cornu*, *cornua*, *cornuum*: sic à *pecu*, *pecua*, *pecuum*. Et versus hoc exposcit Hostilii ex primo Annalium à Prisciano adductus lib. VI: *Sæpe greges pecuum ex hibernis pastibu' pulsi.*

Interdum verò nec declinationes formæ diversæ confunduntur; nec aliter exit casus, quàm efferunt Romani: sed verbum defectivum falso vel numero, vel casu, donatur. Numero quidem, ut cum Astrologi dicunt, *ad singulos meridies*. Nec enim sic existimo locu-

tos

tos esse veteres; nec loqui ita ausim; licet non ignorem, Ovidii esse in primo Amorum Eleg. v:

Proveniant medii sic mihi sæpe dies.

Sed non, utcunque vel id metrum, (ut in jambico) tulisset, eò dixisset, *proveniant sic meridies:* etsi *meridies*, pro *medidies*, *à media die* dicatur; ut ait Priscianus in IV; & Varro in IV. de L. L. firmat, qui veteres ait *medidies* extulisse, ac sic se *Prænestæ incisum in solario vidisse, quod Cornelius in basilica Æmilia, & Fulvia, inumbravit.* Nempe non eadem semper ratio est in vocibus simplicibus, & compositis.

Cœli in plurativo non quidem damnem, cum sciam legi apud Lucretium in secundo: sed imitari vix ausim, cùm neque nesciam, multa esse obsoleta: vel potuerit poëta sic novè finxisse, nec inveniss, qui sequerentur. In prosa saltem non usurpem; etsi Ecclesiasticis nihil sit frequentius, qui sic exprimunt Hebræum שמים, *schamaim*, quod est duale. Sed adversantur nobis hac parte plurimi; qui Ciceronem eo usum contendunt in Hortensio. Verba Tullii esse, *Epicurei plures esse volunt cælos.* Ea inde, unde dixi, à Servio adduci in illud I. Æn.

Et quo sub cælo tandem, quibus orbis in oris
Jactemur, doceas.

Nec diffiteri possum, istic ea legi, & Muretum idem dicere lib. XV. Var. Lect. cap. I: ac Carolum etiam Sigonium, verba hæc allata inseruisse inter Tullii fragmenta, quod & alii editores postea fecere. Sed omnino hæc sententia eximenda est hominum animis: cùm Servii locus sit corruptus. Vulgò quidem sic legitur: QUO SUB CÆLO] *Aut sub qua parte cœli, aut secundùm Epicureos, qui plures esse volunt cælos: ut Cicero in Hortensio,* TANDEM] *Hoc loco vacat: ad ornatum autem pertinet; Aut tandem doceas, quod vix qq.* contigit: aut tandè pro expletiva particula est.* Primum quæro, an Cicero rectè inter Epicureos referatur, qui Stoicos potiùs, & Academicos sequi solet. Si igitur dixisset Servius, id de Epicureis proditum esse à Tullio in Hortensio: addidisset voculam *aut*, aut simile. Quæro item, an cùm Servius docere vellet, aliquando *tandem* ad ornatum pertinere: & hoc probare cuperet istoc loco: *Aut tandem doceas, quod vix quoiquam contigit* (ita enim is locus supplendus) verisimile sit, non simul fuisse additurum, cujus hæc forent: nempe Ciceronis in Hortensio. Sic igitur, verbis illis, *ut Cicero in Hortensio*, trajectis inde in locum suum, qui est post octo verba, legi debet: QUO SUB CÆLO) *Aut sub qua parte cæli, aut secundùm*

Epicu-

Epicureos, qui plures esse volunt calos. TANDEM) *hoc loco vacat: ad ornatum autem pertinet: ut Cicero in Hortensio: Aut tandem doceas, quod vix quoiquam contigit*† Hactenus igitur, quod Tullii non erat, inter fragmenta ejus posuere: neglexere autem, quod verè erat Ciceronis.

† *Iambicus senarius: ac fortasse ex Græco poeta à Cicerone expressus. Latinè: usu sape facis.*

Sibilus substantivè dici, scimus ex Maronis Ecl. v; ubi *sibilus austri* legas. In plurativo *sibila* est apud Ovid. III. Met.

——*Longo caput extulit antro*
Cæruleus serpens, horrendáque sibila misit.

Cujus generis multa alibi invenias. Sed *sibili* non memini legere, præterquam apud Grammaticos: ut si non parùm Latinum, meritò saltem sit suspectum. Est verò naturâ adjectivum: unde *ora sibila*, & *colla sibila*, est apud Maronem. Itaque in *sibilus* intelligitur *sonus*, vel *stridor*, aut simile. *Sibili* tamen, quia nullus ejus auctor occurrat, minimè dixero; etsi & hic *soni* possit intelligi.

Huc etiam referre possis *cicer*: quod licet sit neutrum, non tamen in plurativo *cicera* efferam; sed, si necessitas adigat, *septem ciceres*: quomodo nec dicam *sex septem sisera*, sed *siseres*. Carere ambo plurativo, ait Varro lib. VII. de L.L. *Sed & singularia solum sunt multa; ut cicer, siser: nemo enim dicit cicera, sisera.* Sed *siseres* non refugerim, quia Plinius eo usus lib. XX. cap. V. *Ciceres* timidiùs usurpem, quia auctoritatem nullius classici obtendere valeam. Interim ἀναλογία inter *cicer*, & *siser*, me tuear: tum eo quòd *ciceres* ἀναλόγως sit à *cicer* feminino. Videtur enim priscis nunc fuisse neutrum, nunc muliebre; unde *cicercula* apud Columellam, & Plinium. Scio, quàm infirmum hoc sit argumentum: sed infirmiora interim sunt, aut nulla, quibus alii contrarium tuentur.

Garganus lego apud Lucanum lib V. & IX; item Silium lib VIII. Nempe mons intelligitur. Sed ajunt, plurativo dici *Gargana*. *Massicus* est apud Silium lib. V.

Massicus uviferis addebat nomina glebis.

Verùm ajunt, non vinum dico, quomodo Plinius locutus lib. XIV. cap. VI: sed montem etiam dici *Masica*. *Trans Gargara* est apud Maronem III. Georg. sed & *Gargarus* dicere jubent. Nempe ut *mons Dindymus* est apud Plinium lib. VI. c. XXXII: pro quo *Dindyma* Æn. IX. *Manalus mons* ecl. VIII. & X. *Manala* I. Georg. *Pangæus mons* Plinio lib. XXI. c. IV. *Pangæa* apud Maronem, Lucanum, Statium: De his non contendo. Sed ab illis *Gargarus*, *Massica*, *Gargana*, puto abstinendum iis, qui

 auctо-

auctorem idoneum laudare non possunt. Suspicabatur Camerarius, pluralia montium nomina in A esse à rectis in UM: ut dixi lib. I. de Analogia cap. XXXVII. Sanè & nunc sic existimo. Sed non puto, masculinis fluvium indicari. Potius in *Dindymus*, intelligitur mons, in *Dindyma*, ὄρη; uti in *Dindymon*, ὄρος, & par ratio in cæteris.

Supellectilia quoque dici, à plurimis traditur; etiam Cælio Curione in Thesauro, & Passeratii, ut dicitur, Calepino. Sed apud veterum reperio neminem. Ajunt, esse à recto *supellectile*: eo in accusandi casu usum Ciceronem in Topicis: ubi agit de loco Definitionis. Sed ibi *supellectilem*, non *supellectile*, reperio, in illa cùm Caroli Stephani, tum Roberti: item Lambini, & postrema Guiljelmii, ac Gruteri. Hæc de Numero.

At Casum perperam tribuas, si *vici vestra*, secundùm Charisium dixeris, & Cælii Forum Romanum. Nam solùm reperias, *vicis, vicem, vice*. Ut *vicis regia, vicem vestram, hac vice*.

Instinctus naturæ, instinctui divino, instinctum cælestem, vulgò dicunt. At veteres non usi, nisi casu auferendi: ut *injussu, permissu, natu*, aliáque.

Astus in recto singulari, *astu* in auferendi casu, *astûs* in Nom. Acc. Voc. reperias non uno loco. Sed non ausim eos imitari, qui aliis usurpant casibus: ut qui dicunt *summum astum*, vel *variis astibus*, & similia.

Exspes etiam *exspei, exspem*, & *exspe* facit; si audimus Nicod. Frischlinum Tract. I. cap. I. Strigilis †. *Iurare*, inquit, *ausim, non minus exspes variari posse, atque spes*. Debuerat aliquos obliquorum laudare auctores, si haberi Juramento suo tam minuta in re fidem vellet.

† Pag. 20.

Cæterùm nomina adjectiva non solùm declinantur per casus, & numeros; sed etiam genera, & gradus. Utrobique etiam peccatur. Prioris generis est, quòd *Nostrate vocabulum*, pro *nostras*, dixit Cæsar Scaliger Exercitat. CCVI. Nam hic loquendi modus, si barbarus non est, saltem est planè obsoletus. Est enim *nostras* omnis generis; ut *Arpinas, Capenas*, & similia: uti diximus in II. de Analog. cap. XXI.

Posterioris sunt generis *agillimus*, & *gracillimus*: utcunque ea agnoscat Priscianus lib. III cap. de Superlativo. Item *docillimus*; quod probat Valla lib. VI Eleg. cap. XXVI. Malim cum Charisio, *agilissimus*, & *gracilissimus*. Vel *valde agilis, gracilis*; uti & *admodum docilis*. Nec placet, *Celsitudinis tuæ subditissimus*: ubi malim *subjectissimus*: vel simile. Neque *colendissimus* ausim cum vulgo dicere: sed *maximè*, vel *cumprimis colendus*. Neque dubium, quin, si consuetudo, quam tyrannum scimus, sinat, melius *imprimis reverendum* dixeris, quàm *reverendissimum*. Potentissimum

tissimum Latinè dicitur: præter morem veterum *omnipotentissimus*: etsi aliquid sit, quod Macrobius non refugit: de quo alibi actum nobis. Etiam *clandissimus* averser, quia veteres refugiant; neque ulla id exprimat nobis necessitas.

CAP. XXII.

Acceditur ad deculpata verba. Ac primùm ad ea, ubi in ὀρθογραφίᾳ peccatur. Qualia cæcidi, *pro* cecidi; operior, *pro* opperior; blactero, *pro* blatero, *atque id genus alia. Deinde ad illa, ubi error in προσῳδίᾳ, ut* præstôlor, *cùm medium corripiat: &* scaturit, *cùm secundam habeat productam. Hinc ad ea, ubi non scripturâ, vel accentu, peccatur; sed ipsius vocabuli naturâ; sive in themate, sive inde declinatis. In themate quidem, ut* mingo, *pro* mejo; pollinceo, *pro* pollingo; crissor, *pro* crisso; ringo, *pro* ringor; infelico, *pro* infelicito; ebullo, *pro* ebullio. *Præsens subjunctivi antiquitus etiam exisse in IM: ut* axim, *unde* axites; *item* edim, dedim, *& similia.*

PErsolvi, quæ de nominibus me dicturum promiseram: nunc ad verba transeamus; ubi variè itidem peccatur. Est cùm non observetur ὀρθογραφία, sive vera ratio aliquid convenientibus literis exprimendi: ut cùm *accerso* scribunt pro *arcesso*; *cacidi*, pro *cecidi*; *cepi*, pro *cœpi*, *expecto*, & *expolio*, pro *exspecto*, & *exspolio*; quæ sine *S* forent à *pecto*, & *polio*; non *specto*, & *spolio*: *incoho*, pro *inchoo*: *operior*, pro *opperior*, in exspectandi significatione; *scribsi*, pro *scripsi*, cùm non tam ἀναλογίαν sequi conveniat, quàm εὐφωνίαν, & veterum consuetudinem; *sepire*, pro *sepire*: de quibus omnibus egi pluribus lib. 1. de Arte Grammatica cap: XLIII. Et sunt alia id genus multa: quale est ab *omen*, *ominor*, *abominor*, sine spiritû: etsi in glossis græcolatinis Cyrillo † tributis sit *Abhominatio*, & *Abhominor*. *Blatero* unico C, cùm primam corripiant Lucilius, Horatius, Terentianus Maurus; quamquam in veteribus etiam libris sit *blattero*, & *blactero*, & Festus ex eo esse velit, quòd græci stultos vocent βλάκας. *Mœchor* per OE, non per diphthongum principem *mechor*. Est enim à μοῖχος. Sed ingentem talium numerum adducimus in Originum libris. Quare hic non insistam.

† Pag. 235.

Est præterea, cùm peccetur in προσῳδίᾳ: ut in quantitate sive modulo

dulo syllabæ. Ita *præstôlor* mediâ porrectâ extulit Valla, cum eam corripiat: & contrà *depéculor* dicunt, cùm media in *peculi* Maroni* sit longa: item cum, quia *ésurit*, & *cœnáturit* dicimus, eò & in *ligurit*, ac *scaturit*, mediam faciunt brevem. Sunteque alia his similia: de quibus egi in secundo rei Grammaticæ.

* Ecl. 1.

Hic solùm loquar de errore, qui non ad scriptionem, vel modulationem verbi, sed ὕλην ipsam pertineat.

Ac interdum quidem vitiosum est τὸ θετικὸν, ut Græci vocant, quod Hebræi nuncupant שורש schores. h. e. *radicem*. Interdum verò bene se habet thema; sed peccatur conjugando, ut in præterito, vel alio verbo à themate derivato.

Illa prioris generis, vel vetera sunt, vel nova. Vetera intellige, vel integra, vel corrupta. Ex integris huc sola pertinent obsoleta prorsus: eóque perperam à junioribus in usum revocata, cùm talia non multò sint meliora barbaris. * Tale est *mingo*: quod tolerabile ait Cornelius Crocus, ac nisi fallant codices, usum eo Martialem lib. XI, epigr. XLVII. Sed in optimis codd. est *meite*: atque ita dicendum. Fortasse tamen Phocas, ac Diomedes, reperere alterum in iis, quæ interciderunt. Verùm id planè est incertum. Interea scio, usum eo Flavium Vopiscum. Sed ille Diocletiani demum ætate vixit. Verba ejus in Bonoso sunt ista: *Habuit præterea rem mirabilem, ut, quantum bibisset, tantum mingeret.* Non possum verò mihi persuadere, hac voce jam Tullii, ac Cæsariis ævo, usum esse Nigidium Figulum, Romanorum, post Varronem, doctissimum: etsi vetus in Aratea Germanici Cæsaris interpres sic scribat †: *Nigidius refert, quodam tempore Iovem cum cæteris Diis apud Musæum*, Bistoniorum regem, hospitio dapsili copioseque affectu praedito, in hilaritate constituisse, ut in corio tauri, qui tunc immolatus fuerat, mingerent; eoque loco in corio, terrâ obrutâ, natus sit Orion.* Planè hic interpres, sive is Cæsius, vel Calpurnius Bassus, sive alius sit, suis, non Nigidii verbis, rem expressit. Imò fortasse ne commentator quidem sic scripserat; sed librarii culpâ irrepsit.

† In Orion.
* Al. Byrsenum: ut apud Hyginum Fab. 195.

Nec movet illud in Catalectis:

Canisne savus usque semminget, aut tibi
Fricabit oblitum latus aper lutosus.

Unde Scaliger eruebat:

Canisve savus usque minget, aut tibi
Aper fricabit oblitum latus luto.

Quippe

Quippe veram lectionem alteram putamus, quam idem Scaliger eruit è scheda, ut ipse ait, longè meliori:

Canisque sæva, suisque ligneo tibi
Lutosus affricabit oblitum latus.

At lego apud Vegetium Renatum Mulomedicinæ, sive artis Veterinariæ lib. III. cap. XII. *Animalibus otiosis, & pigris, convenit expletura sanguinem mingere.* Et cap. XV: *Mingere non poterit.* AC postea: *Carbonibus cooperti deambulant, & mingunt*: Sed scriptor iste jam pessum eunte Romanâ linguâ vixit: ut puri scriptoris exemplum esse non possit. Quare non probo, quòd sic passim nunc loquantur homines doctissimi. In his Actius Syncerus: qui cùm apud Catullum legisset:

Qui ipse sui nati minxerit in gremium:

bellè se eum imitari putavit, si scriberet:

Vt scilicet liceret (heu scelus) patri
Nata sinum permingere.

Et hæc is poëta, quem, hæc ipsa adducens Janus Duza *, non minoris se, quàm Catullum, & veteres illos, facere ait. Lilius quoque Gyraldus in Pythagoricis symbolis ad Joannem Thomam Mirandulam, sic Pythagoræ symbolum reddidit: *Adversus Solem ne mingas.* Crebrò etiam usus Cæsar Scaliger, VI. comment. in Aristot. Hist. Animal. lib. I. cap. V. sect. XLIV: *Si oscitantem, aut mingentem videas, quare idem faciendi impetus te corripit?* Idem Aristotelis Histor. Anim. lib. II. cap. XVIII. sect. CXXIII, ubi agit de læsis ab aspide: *Ipsum ægrum alius subinde color occupat: jecur incenditur: ægrè mingit.* Idem Arist. Hist. Animal. lib. V. cap. XXV. sect. philosophi illa, ὀλίγουσιν οἱ γεωργοὶ ὡς κατεψύχοντων: sic reddidit: *Eo agricolæ putant ipsas mingere.* AC similiter ante eum ibidem verterat Theod. Gaza. Est etiam Josephi Scaligeri, præfat. Elench. trihæresii Serrariani: *Canes loca mundiora vestigant, ubi immingant.* Usus & Franciscus Vallesius de Sacra philosophia c. I. †. Item Scipio Gentilis notis in Appuleji Apolog. commate CCCCVIII. Etiam Septimius Florens Christianus notis in ἰαμβικὸν Aristophanis, *Hic*, inquit, *mingunt pueruli.* Quemadmodum & maximus Casaubonus, qui notis in Vospicum משתין בקיר * interpretatur, *mingentem ad parietem.* Verùm *minxit* Latinum esse agnoscimus; quemadmodum & *perminxit*: quod apud Horatium. At *mingo* aut barbarum putamus, aut saltim obsoletum. Atque idem judicium esto de *permingo*: etsi *permingit* sit apud Lipsium epistolâ de canibus ad contubernales: quæ est quarta ac quadragesima Centuriæ primæ ad Belgas. At-

* Plaut. quæst. lib. 3. cap. I.

† Propè finè, sive pag. 61.

* 1. Sam. cap. 25. vers. 22. & 34.

que hæc eò attuli, non quasi ullius honori derogatum aliquid velim: sed ut liqueat omnibus, quantopere inoleverit hoc loquendi genus. Dixeris, si *mingo* non probemus, etsi *minxi* dicatur; nec probari posse *pollingo*, etsi *pollinxi* dicat Plautus in Prologo Pœnuli:

Quia mihi pollinctor dixit, qui eum pollinxerat.

Quippe nec *pollingo* uspium apud veteres inveniri. Verum dispar in istis ratio est: quia *minxi* usitatum est, utcunque obsoleverit *mingo*, pro quo *meio* dixere. At verbi *pollinxi* thema nullum invenitur: ut ex ἀναλογίᾳ cognoscere sit, illud videri *pollingo*. At, inquies, possit thema esse *pollinceo*: quod censet Cælius in Foro Romano. Nobis verò potior est Charisii auctoritas: qui lib. III. cap. III. quod est de tertio ordine, *pollingo* exponit σωροπλόκω, ubi σωροπλοκῶ legi debere, satis est evidēs. Imò & in optimis Philoxeni glossis est, *Pollingo*. περιςρέφω τὴν κεφαλὴν, σιροπλοκῶ (legendum & hic σωροπλοκῶ) ἐνδεσμεύω, ταρχεύω. Cui ista non sufficient, is *pollingendi* ut verbo abstineat, per me licet. Omnino enim ex præterito de præsenti statui certò nequit; quia interdum à thematibus diversis præterita sunt similiter exeuntia: quod exemplis permultis in libris de Analogia ostensum.

Ac *mingo* quidem videntur casci illi dixisse; etsi postea obsoleverit. At sunt alia ex veteribus corrupta; sive usu loquentium, sive imperitiâ librariorum. Prius factum in quibusdam, ubi genus, seu terminationem mutarunt. Ut cùm vel in O terminata extulerunt per OR, vel in OR exeuntia protulere per O. In O desinit *crisso*: ut in carmine Ithyphallico:

Crissabit tibi fluctuante lumbo.

At *crissor* extulit, ac deponens facit Cælius in Foro Romano: simili errore, ac olim Datis Persa, Græcè loqui conatus, χαίρομαι pro χαίρω dicebat: quo nomine quantopere sit derisus à Græcis, constat ex Aristophane in Εἰρήνῃ, & Suida in Δάτις.

Contrà *ringo* dicunt grammatici pro *ringor*. Sed de hoc abundè dictum lib. III. de Analogia cap XXVII. Etiam Rufus quidam, cùm *reminiscо*, pro *reminiscor*, dixisset: ab Ausonio rideri meruit hoc epigrammate:

Reminisco Rufus dixit in versu suo.
Cor ergo versus, imò Rufus non habet.

Hujusmodi debentur insciticæ loquentium. Librariorum verò oscitantiæ adscribendum *infelicare* pro *infelicitare*. Glossæ nostræ in membranis:

branis: *Infelicare, affligere, afflictari, excruciare, tormentare.* Nec obstat, quod in omnibus Plauti codd. Rudente act. IV. sc. VI. legere sit.

Hercules istum infelicet cum sua licentiâ.

Nam, ut Valens etiam Acidalius videt, multóque ante eum Rob. Stephanus, *infelicitet* à Plauto scriptum fuit. Quod corrupere, qui non viderent, multa debere integra scribi, etsi in dimensione versus paterentur elisionem, vel contractionem. Verbo *infelicito* usus idem in Casina, & Mercatore. Sed postea obsolevit.

Hujus etiam generis videtur *Ebullare*: quomodo dici probant lexicographi isthoc Persii sat. II. —*O si*

Ebullet patrui praclarum funus! & ô si
Sub rastro crepet argenti mihi seria dextro
Hercule!

Et sanè apud Tertullianum quoque, libro de Pallio cap. II, invenio: *Et fontium vena ebullando, & fluminum via obumbrando.* Verùm non *ebullare* dicitur, sed *ebullire*. Tertulliani minor hac parte auctoritas. Quamquam nec ille *ebullando* scripsisse videtur, sed *cavillando*; prout habent primæ editiones B. Rhenani. Atque id magis quoque probat Salmasius. Quodque ad Persii locum, vel *ebulliat* apud eum legendum, vel *ebullit*: quorum utrumque in veteribus codd. invenitur. Illud se reperisse ait Obertus Giffanius *, hoc in vett. Puteani, aliisque membranis, reperit Casaubonus †. Prius si placet, erit secundâ sede *συνίζησις*, sive *συνεκφώνησις*, quales multæ apud poëtas antiquos: sin alterum magis arridet, *ebullit ἐχθλιπτικῶς* * ponetur pro *ebulliat*. Antiquè enim id tempus in IM desinebat; unde *axim, adaxim, faxim, edim, comedim, dedim*, & quæ etiamnum in usu, *sim, possim, velim*. Sanè ab *axit*, Festo teste, *axites*, & *axitiosi*, vocabantur, qui unà agerent. *Adaxint* usurpat Plautus Aulul. act. I. sc. I, *Vtinam me Divi adaxint ad suspendium*. *Edim* utitur Cato lib. de re R. R. non uno loco, Novius apud Nonium, Plautus Menæchmis, & Trinummo, imò & Horat. lib. epod. Od. III. & sat. ult lib. II. *Comedis*, pro *comedas*, dixit idem Plautus Trinummo:

Hostesne, an cives, comedis, parvipendere.

Imò Ciceronem quoque ita in epistola ad Pætum loqui, docet Victorius lib. VI. Var. Lect. cap XIX. *Dedim*, pro *dederim*, est apud Tertullianum lib. de resurrectione carnis cap XVII. *Dedim adversario dicere.*

* *Indice Lucretiano, v. de Synecphonesi.*
† *Comment. ad Persium.*
* *Venustè.*

cere. Ita rectè in Pameliana, & Juniana editione expressum : pro quo, in Parisiensi B. Rhenani, *dedi* corruptè legitur.

CAP. XXIII.

De verbis novis: quorum alia veniunt à verbo, alia à nomine, alia ab utroque. A verbo quidem vel Græco, ut lampare: *vel Latino; idque vel derivatione, ut* empsitare; *vel compositione, ut* coincidere, recommendare, exardere, elucescere. *Denominativa autem, vel derivantur à substantivo; ut* cespitare, fornicari, hæreditare, sagittare, annihilare, intitulare, privilegiare, canonizare, evaginare, efalcare: *vel ab adjectivo; ut* humiliare, cassare, appropriare, absentare, præsentare, irritare, imprægnare, deviare, contentare, contrariari. *Denique è nomine, & verbo, conflantur,* verificare, *&* vocificare : *ac extra sacrum argumentum non meliora videri,* sanctificare, *&* glorificare.

A Veteribus, vel obsoletis, vel imperitiâ seu loquentium, seu scribentium, corruptis, transeo ad nova; sive veteribus ignota, sed vel collabente sermone Romano puro, vel collapsô jam penitùs, efficta. Posteriora hæc sunt pessimæ omnino notæ. At quæ, medio ævo, recepta fuere, ut quæ inter Severi tempora, & barbararum gentium in Italia dominium, admissa sunt, medii videntur generis; deteriora quidem iis, quæ ante Severi ætatem obtinuerunt; meliora verò, ac tutiora illis, quæ, dominantibus in Italia barbaris, præcipueque iis, quæ post seculum nonum fuere inventa, receptáque. Utraque hæc vel sunt verbalia, vel denominativa, vel ex nomine, & verbo facta. Verbalia vel à Græco derivantur verbo, vel à Latino. A Græco, ut à λάμπειν *lampare*, pro *lucere*, apud Cassiodorum de divinis lect. cap. XXI; quod est de B. Hieronymo: item apud Bedam in Hymnis.

Quæ veniunt à fonte Latino, vel derivatione fiunt, vel compositione. Derivatione, ut *empsito*, pro *emito*. Quibus aliud videtur, obtendunt Pauli Diaconi* auctoritatem, adducentis è Plauti Casinâ act. II. sc. V:

Non ego istuc verbum empsitem titivillitio.

* *In Festi epitome.*

Quasi à supino *emtũ*; ἀναλόγως aliud esse possit, quàm *emtito*. Quomodo iccirco Rod. Goclenius legendum censet Problematum Grammaticorum lib. IV. quæst. VII, Sed neque scripsisse ita Plautum arbitror, verùm *emsim*. Pro *emerim*, & *emgro*, dixisse puto *emsim*, & *emso*, ut ab *adimo*, *adem-*

ademsim, & *ademso*; *pro ademerim*, & *Ademero*. Plautus Epidico act. III. sc. II. *Si illam ademsit Orcus*. *Nec* abludit à *facio faxim*, & *faxo*, pro *fecerim*, & *fecero*: item pro *lieuerit*, *licerit*, hinc *luceſſit*: ex *occepero*, *occepro* hinc *occepſo*, R in S conversō. Vide quæ diximus lib. IV. de Analogia cap. XV.

In compoſitione etiam eſt, ubi cauto ſit opus. Grammaticis enim relinquenda vox *coincido*. Sanè in oratione, vel epiſtolâ, malim, *ſimul incidere*, vel *tantumdem valere* vel *in unam formam cadere, concurrere*. Aut ſimile, pro argumento. Feram tamen verbum hoc, partim quia reſpondet Græco συνεμπλέκω, partim quia ἀναλόγως, ut ab *inquino* eſt *coinquino*, ſic ab *incido* fuerit *coincido*.

Recommendo pro *commendo*, barbarum eſt; etſi peruſitatum non planè barbaris.

Exardeo ſæpius apud Ciceronem legi, ait Rob. Stephanus, ſive Cælius Curio in Theſ. L. L. Nempe quia legitur *exarſit*. Sed illa in *Sco* accipiunt præteritum à primitivis ſæpe inuſitatis. Quale *exardeo*. *Exardeſco* igitur malim, quàm *exardeo*.

Eluceſcere quoque eſt pervulgatum: nec refugit Joſ. Scaliger præfat. in Feſtum. Ac Boëthii eſt initio lib. I. de Syllogiſmo hypothetico: *Nullum bonum eſt, quod non pulchriùs eluceſcat, ſi plurimorum notitiâ comprobetur*. Imò ex B. Hieronymo adfertur: *Quod ut clariùs eluceſcat, ſumamus exemplum ab his corporalibus ſenſibus*. Sed claſſici pro eo *elucet*, *patet*, *planum fit*, &c.

Denominativorum alia derivantur à ſubſtantivis, alia ab adjectivis. Ad prius genus pertinet *Ceſpito*, quod apud unum legas Servium in illud XI. Æn.

Suffuſo revolutus equo——

Ubi *ſuffuſo* interpretatur, *caſuro*: atque addit: *nam ſuffuſi equi dicuntur, quos vulgo inceſpitatores vocant*. Aliis in libb. omiſſo præverbio eſt *ceſpitatoris*. Ac ſolo ex hoc loco eſt, quòd Perottus in Cornucopiæ opere, inque Nomenclatore ſuo Hadr. Junius, *ceſpitatorem equum* vocitant eum, qui crebro offendit. Nempe *ceſpitare* dixerunt, pro eo, quod eſt, ad ceſpitem impingere ſic, ut inde cogantur talipedare: uti Belgæ pro eo ajunt **ſtruyzelen**; quod eſt, ad fruticem offendere, ſic ut greſſus vacillet. Onomaſticon vetus: *Ceſpito*, βαθίζω. Gloſſarium Arabicolat. *Ceſpito*, *effodio*. Sed ſi hoc pacto locuti eſſent veteres: puto, aliquis veterum Grammaticorum iſtoc

monuisset. Metuo igitur, ne id verbi demum sit introductum labante, ac prope collapsâ Latini sermonis puritate. Sanè Servius is Macrobio æqualis; quorum uterque Theodosiano ævo vixit.

Fornicari quoque usitatum est hodie, pro *scortari*: sæpeque eo est locutus modo vetus Bibliorum interpres. Ut Ezechielis cap. VI. XVI. XX. XXIII, Hoseæ cap, I. II. III. IV. & I. Cor. cap. V. Verùm à *fornix* quidem, quatenus *cameram*, sive *testudinem* notat, *fornicare* pro *fornicem* sive *arcem facere*, dixere Vitruvius, Plinius, Ammianus Marcellinus, Sidonius, aliique: at non iccirco à *fornix*, quâ significat *lupanar* (ita usi præter cæteros, Horatius, Seneca, Juvenalis) *fornicari* pro *scortari* dixerim citra auctoritatem probati cujusquam scriptoris. Nec iccirco vulgatum damnem interpretem. Loquebatur ille consuetudine sui seculi. Nobis postquam desiit in vulgo Latinè loquendi consuetudo, boni ævi scriptores, non illi magnis passibus ad barbariem grassantes, formare stylum debent.

Hereditare etiam, pro *hereditatem adire*, apud vulgatum Bibliorum interpretem frequens est: imò si quosdam audimus, etiam apud Ciceronem ipsum invenitur. Citant enim ex epist. I. lib. II. ad Att. *Cùm in Sicilia hereditatem sæpe hereditâsset.* Et sanè Simo Bosius in codice Tornæsiano Mso se reperisse testatur: *hæredilitatem sæpè hereditâsset.* Eoque perplacet emendatio Bosii corrigentis: *Hera ædilitatem se petere dictitâsset.* Quod se in codice quodam lacero, ac mutilo, unde eum *scidas*, vel *decurtatum* appellare solet, invenisse ait. *Hera* Siciliæ oppidum, quod alio nomine vocatum *Hybla*: ut scribit Stephanus in Ethnicis. Utut est, *hereditâsset* non Bosius solùm improbat; sed etiam Alciatus, Manutius, & Lambinus. Sed quomodo legi debeat, parum inter hos & alios, convenit. Alciatus emendat, *Hereditate sese ditâsset.* Lambinus præfert, *Ædilitatem se petere dictitâsset.* Manutius ex utroq; Bessarionis, & Cavalcantis libro legit, *ædilitatem sæpe dictitassent*: atque intelligit, *se esse petiturum. Sæpe* verò cum verbo frequentativo jungi posse, probat illo, quòd Matius ad Ciceronem similiter scripserit, *frequentes venitâsse.* Atque edidit eopse modo Robertus Stephanus anno Io XLIII. Pro *hereditare* autem dicendum, *hæredem esse*, *hereditatem adire*, *in hereditatem venire*; quod Græcis κληρονομεῖν.

Nec bonæ notæ videtur *sagittare*, pro *sagitta petere*, vel *sagittam torquere.* Cornelius tamen Crocus Amstelodamensis, qui ante seculum vixit, observavit magnum Erasmum non semper hac voce abstinere: sed

sed esse, ubi eo utatur; verùm, inquit, in opere non serio. Usurpat quoque Justus Lipsius Poliorceticôn lib. IV. dial. VI: *Nostrate linguâ Sagittare etiam nunc est* schieten. Alibi pro eo Erasmus dicit *jaculari*. Ut Græcum proverbium, εἰς τὸ μετέωρον βέλη, tum *in cælum jaculari* vertit; tum *in cœlum sagittas torquere*. Sed diversissima summum virum confudere, inferiùs ostendam. Accuratiùs de hoc verbo dicam lib. IV. cap. XXIII.

Nec placent, *annihilare*, pro *in nihilum redigere*; Vel etiam *infirmare, convellere, delere, inducere*; quæ omnia apud Tullium. Uti pro *annihilari* apud eundem est, *in nihilum interire, occidere, recidere*, vel *pervenire in nihilum*. Nihilo meliora: *intitulari*, pro *inscribi*; *privilegiare*, pro *privilegio donare*; *canonizare*, pro *in canonem referre*; *evaginare*, pro *gladium vaginâ educere*; *defalcare* lucro, pro aliquid de eo quasi falce decidere ac deducere. Quamquam postremum hoc, ut probum, etiam Calepinus toties recoctus agnoscat.

Habemus de iis, quæ veniunt à substantivis: nunc dicam de illis, quibus origo ab adjectivis; tum simplicibus, tum compositis cum præpositione. A simplici adjectivo *humilis*, est *humiliare*. Pro eo, quod Græcè ταπεινῶν, apud vulgatum legas interpretem Matth. XVIII. 4. Latini pro eo dicunt *demittere se*. Ciceronis quoque est Tusc. V: *Non est ausus clarè & amplè loqui, cum humiliter demisséque sentiret*. Item *summittere*. Cicero in Lælio: *Qui superiores sunt, summittere se debent*. Item Offic. lib. I. *Quanto superiores sumus, tanto nos submissius geramus*. *Humilificare* pro *humiliare* Tertulliani est lib. de Pœnit. cap. IX. *Itaque exomologesis prosternendi, & humilificandi hominis sententia est*. Th. Beza ad superiorem Matthæi locum annotavit *humiliare* legi unico Ciceronis loco in II. de Nat. Deorum. Metuo, ne vel memoria eum, vel vitiosi codd. fefellerint.

Quod si tam prope ab optimo ævo abesset *cassare*, pro cassum initumque reddere: simile foret priori. Sed hoc longè recentius: legas interea apud Karolum Magnum Capitularis de non adorandis imaginibus lib. I. cap. III: *Omnia falsa, veritate veniente, cassata sunt*. Junioribus satis frequens: in his Driedoni, magni nominis Theologo Lovaniensi lib. III. † partis secundæ de concordia liberi arbitrii, & prædestinat. divinæ. † Pag. 444.

Adjectiva composita cum variis præpositionibus conflantur. Cum AD; ut à *proprius*, barbarum *appropriare*; pro *reddere proprium*. Cum AB; ut ab *absens, absentare*; pro *absentem esse*. Crebrum est id verbum scriptoribus Ecclesiasticis: etiam iis, qui ante quingentesimum à Chri-

sto annum vixere. Ex quibus utuntur Faustus Regiensis, & Sidonius Apollinaris lib. IX. ep. XIII. Sed de Cypriano non arbitror. Video quidem, libello de singularitate clericorum legi. Sed ibidem invenio, *inordinabiliter, contubernaliter, conjugalitas*: cujusmodi satis arguunt, alium, quàm Cyprianum, ejus esse fœtus parentem. Nec mihi persuadere possum, eo, etsi aliâ significatione, Claudianum esse usum lib. III. de raptu Proserpinæ.

——— *Quæ tale recessu*
Maluerit damnare decus, vetitamq; dearum
Colloquio, patriis procul absentaverit astris.

Ubi, ex sententia Jani Parrhasii, *absentare* ponitur pro *absentem facere*, sive *ablegare*: quomodo *præsentare*, pro offerre legas apud Plinium, vel potius Sextum Aurelium Victorem de viris illustribus, cap. de Pompejo: imò Fabium fortasse lib. XI *, ubi in Ascensiana quidem, & illâ Vascosani, editum, *Eadem vis repræsentat*: in Aldina autem, *præsentat*. Ac sic optimæ membranæ nostræ, quos munificentiæ illustrissimi Joachimi Camerarii debemus. Quæ plus ad rem facerēt, nisi in aliis Claudiani codicibus pro *absentaverat* esset *amandaverat*. Atque ita sine dubio legendum. Ex parte favet Msus noster, ubi est.

* Initio cap. 2.

——— *Vetitamq; Dearum*
Eloquio, patriisq; procul mandaverit astris.

Sed examussim bene Msus Stephani Claverii: ubi est.

——— *Patriis procul amandaverit astris.*

Amando per E, ut *commendo*. Idem tamen agnoscit, in altero se Ms. reperisse *absentaverit*. Atque addit, se non videre, cur id debeat mutari; quia simile sit ac Plinii, & Fabii *præsentare*. De quorum utroque paullo antè dixi, quid existimem.

A *devius* formant *deviare*: quod apud juniores subinde; apud veteres nunquam me legere commemini: agnoscit interim Calepinus, sed auctorem non laudat.

A *contentus* venit barbarum *contentor*, pro *acquiesco, non recuso*.

Ab *irritus* est *irritare*, secundâ correptâ: ut idem verbum, eâdem porrectâ, est ab *ira*, vel potiùs ab *irrio*, sive *hirrio*, quod canum proprium; ut propriè sit canes ad hirriendum provocare. Superiorum est seculorum versiculus:

Irrisit hunc Dominus, qui nos irritat ad iram.

Sed

Sed *irrito* mediâ brevi (quamquam & Perottus agnoscat) ignotum est iis temporibus, quibus purè loquebantur. Nec tamen proximis fuit seculis confictum; quando habemus L. II. C. De Feriis. *Quod contra hoc factum fuerit, omnibus modis irritatur.* Ut faciliùs veniam mereantur juniores; *in* his Balæus in vita Sergii III: *Neque hanc ignominiam homini mortuo* (Formoso Papæ) *intuliſſe contentus, omnia ejus acta irritavit.* Pro *irritare* reddidit, sive *abrogavit.*

A *prægnans* (quod ex *pra*, & antiquo *geno*, uti hoc à γενέσθαι) *impregnare* fecerunt. Sed verbum est deculpatum.

Longum esset, si cætera id genus persequar: cujusmodi etiam est *contrarior*, pro *adverſor*; qualibus tædio est diutius insistere.

Paucis etiam iis immorabor, quæ non à solo nomine veniunt, aut verbo; de quibus hactenus egi; sed ex utroque conflantur: ut *verificare*; quod vulgo in usu; & defendi eo solet, quòd similiter dicatur *terrificare.* Quasi ἀναλογίᾳ solâ solidè aliquid adstruatur.

Simile est, quando, quia *rumificare* dicitur, eò & rectum putant *vocificare*: & præcipuè, quia apud Agellium sit lib. IX. cap. III: *Et cujus vim, atq; arma toti Græciæ cavenda, inclyta illa Demoſthenis orationes, conciones q; vocificant.* Ita Justus Lipsius legit epistolicarum quæstionum lib. III. ep. VI. Sed rectiùs vulgati codd. *notificant*: quomodo non Ovidius modò est locutus; sed etiam Varro.

Sanctificandi etiam vocabulum puto veteribus fuisse ignotum. Atque idem censeo de *glorificandi* verbo. In Ecclesiastico tamen argumento feram: quia jam usus diu recepit.

CAP. XXIV.

De verbis malè per tempora, ac modos, declinatis: ac primùm de præterito imperfecto; uti in Hilarii Cæsſtrenſis ridiculo barbarismo ad Papam. Inde de præterito perfecto actum: ubi monitum, haut probam monetæ videri, juvasti, *vel* juvarunt; lavasti, *vel* lavarunt; clanguerunt, *ac forsasse etiam* clanxerunt; perculsi, *quod è Terentio probatum eunt, pro* perculi; pexivi, *quod veteri Grammatico placuit, pro* pexi, *vel* pexui; ferii, *pro* percussi; tutudi, *vel* tunsi, *pro* contudi; *etsi* tutudi *olim probum fuerit; unde* tudes, *&* Tuditana *familia: ac obiter additum de supino* tunsum. *Hinc ad alia itum supina, vel venientia inde participia. Ut cùm* obtensum, *vel* prætensum, *ajunt, pro* obtentum, *&* præ-

tentum. *Pro* ob *etiam* obs *dixisse*; *unde* obstendo, *à quo* ostendo, *& alia quædam. In supinis etiam, ac participiis, rejecta*, adorsum *pro* adortum; reversus sum, *pro* reverti; compertus sum, *pro* comperi; dimetitus, *pro* dimensus; orditus, *pro* orsus: *nicunq; ea suffulta videantur auctoritate veterum, vel recentiorum non exigui nominis.*

HActenus egimus de verbis, ubi aliquid desideres in themate sive radice, hoc est, indicativi prima persona temporis præsentis. Est præterea, ubi peccetur declinando per tempora, & modos. Quod rarò fit in imperfecto, nisi à mirè indoctis. Ut siquis de eo colligat ex præterito perfecto. Hujus generis est, quod Hilarius, Cicestrensis episcopus, cùm apud Alexandrum III. regis sui Angli caussam Romæ ageret adversus Archiepiscopum Cantuariensem, usurpavit verbũ *oportuebat*, pro *oportebat* †: unde ab omnibus risu exceptus, quodam etiam à cœtu in hæc verba erumpente, *Malè tandem venisti ad* PORTUM.

† *Baronius ad annum Christi* 1164

At crebro ab eruditis etiam peccatur in præteritis, & Supinis. Ut cùm, uti *clamarunt*, & *acclamarunt*, dicimus: ita nec refugiunt *juvarunt*, & *adjuvarunt*. Atqui horum dissimilis est ratio, cum non dicamus *juvavi*, *juvasti*; sed κῦ συγχωρῶν *juvi juvisti*; unde *juverunt*, & *adjuverunt*. Scio, summos viros passim aliter loqui. Sed quæritur, quomodo se valeant tueri veterum auctoritate.

Itidem nec *lavasti*, vel *lavarunt*, dixero: etsi Probus *lavavi* agnoscit in Catholicis. Quippe exstat nusquam. Priscis tamen fuisse in usu, colligere est exinde, quòd *lavatum* sit apud Terentium, Horatium, Ovidium. Sed obsoleta planè non sunt revocanda. Semper igitur *lavi* dicendum. Verùm est istoc à *lavo* tertiæ: cujus multa Nonius testimonia congessit.

Clangui, etiam Passeratii, ut vocari solet, Calepinus agnoscit. Et sanè *clanguerunt* dixit vetus interpres Num. x. 4. Sed pro eo *clanxerunt* reposuit Sanctes Pagninus: ut & Leo Judas, item Franc. Junius, atque alii. Atque ut *clangui* barbarum putem, facit hoc, quòd videam, nullum verbum in GO in præterito facere GVI. At ἀναλόγως à *clango* sit *clanxi*, ut ab *ango anxi*: quomodo Agellius l. b. 1. cap. 11. dixit. *Ea res in fine quoque vitæ in animum ejus anxit.* Interim metuo, ne *clanxerint*, nihilò magis, quàm *clanguerint*, reperire sit apud quemquam veterum. Et fortasse hoc caussæ fuit, cur Sebastianus Castalio,

ut talium etiam erat curiosus, utroque, in tralatione loci memorati, abstinendum sibi putârit.

Perculsit qui dicunt, pro *perculit*, tuentur se Terentiano istoc Andr. act. I. sc. I. *Perculsit illico animum.* Sed Rivius, & alii, docuere jamdiu, melioribus in libris esse *perculit.* Dixeris, supinum esse *perculsum*: hoc ἀναλόγως esse à *perculsi*; ut à *vulsi* est *vulsum.* Sed dispar horum ratio est. Nam *vulsi* legimus apud Lucanum, ut *revulsi* apud Ovidium: Imò ex Liberio adducit Diomedes: *Aliquâ parte pravulserat.* At à *cello* quidem est *celsum*: non tamen *celsi*, sed *cellui*: ut à *fallo* quidem est *falsum*; non tam *falsi*, sed *fefelli.* Quod verò à *cello*, *celsum*, à *percello* tamen *perculsum* dicimus; id fit mutatione E in I: quomodo à *pello* est *pulsum* pro *pelsum*; imò & in præterito *pepuli*, pro *pepeli.* A quo nec multùm abit à τέλω *tolo*, à quo *tolero*, & in præterito *tetuli*, pro *tetoli.* Vide & quæ de præterito à *percello* diximus lib. III. de Analogia cap. XXVIII.

Pexivi pro *pexi*, vel *pexui*, agnoscit Asper, teste Prisciano. Credo, eo fuit deceptus, quòd pro *pexum* etiam dicatur *pectitum*: unde *pectita lana*, hoc est carminatæ. Sed imbecille hoc telum: quia *pectitum* non est, ut *petitum* à *petivi*; sed quasi à *pectui*, pro *pexui* dicimus. Si simile foret, ac *petitum*, produceret penultimam, quam corripit. Columella lib. X:

Verùm ubi jam puro discrimine pectita tellus,

Ferii à *ferio* dicere jubet Charisius. Et ita loquitur Baptista Mantuanus: atque etiam Græcum ἔφαλον, *ferit*, interpretatur magnus Turnebus lib. XXI. Adversar. cap. XX. Sed præterito destituitur: ac magis etiam supino: quo tamen usus Petrarcha: imò & Servius in VII. Æn. *feriturum* dixit. Egimus de istoc etiam in tertio de analogia cap. XXXIII.

Tutudi vix ausim usurpare; minus etiam *tunsi.* Prius probant Charisius lib. III. cap. de tertio ordine, & Priscianus libro X. Utrumq; verò approbat Diomedes. Sed neutrum reperio apud classicos, eoq; non sic loquar: *Mercurium tutudit* vel *tunsit Sosiam*; verùm *contudit*: quod tamen ab obsoleto *tutudi* esse, non dubito. Similiter *contusum* dixero, non *contunsum*: etsi Maronis in plerisque codd. sit III. Georg.

— *Tunsis gemit area frugibus.*

Et IV. Georg.

Profuit & tunsum gallæ admiscere saporem,

Atque adeò etiam Columellæ sit lib. VI. cap. VI: *Quibus in unum tunsis*

tunsis. Nempe quædam in compositis magis obtinent, quædam in simplicibus. In compositis legas, *applicuit, evasit, detrusit, emunxit, delicuit*: at non item in usu, *plicuit, vasit, trusit, munxit, licuit* à *liqueo*. In compositione etiam obtinent, *retentum, contemtum*; *enectus, internectus*: at non legas supinum *tentum*, nec simplex *nectus*: imo *necui* quoque, quo usus Ennius, obsolevit, etsi *enecuit* sit in usu: interque alios id usurpet Tranquillus de Claris Grammat. Contrà in simplici legas *fidi* à *fido*; *tacitum*, & *taciturus* à *taceo*: at, puto, non invenies *confidi*, à *confidere*; nec à *reticeo*, *reticitum*, vel *reticiturus*. Ubique autem usus spectari debet. Ut verò à *pago* est *pepigi*; ita à *tudo* fuit *tutudi*: & ut à *pango*, *panxi*; sic à *tundo*, *tunsum*. *Tudo* veteres dixisse, arguit frequentativum *tudito*: quod apud Ennium, & Lucretium: item verbale *tudes*, malei genus; à quo Romæ *Tuditani*. Nempe, qui primus sic in familia dictus, caput tuditi simile habebat.

Hactenus de præteritis sermo fuit; sed, ut video, jam aliqua cœpi immiscere de supinis; de quibus deinceps seorsum loquar; ac simul de inde derivatis passivorum, ac deponentium participiis.

* Caussa. † Prætextus.

Obtensam, vel *pratensam* caussam vocant, quæ non est vera αἰτία *, sed solùm πρόφασις †. Verùm latiùs multò sit *obtentam*, vel *pratentam*, dicere. Nec enim omnia composita à *tendo*, à quo *tentum* & *tensum*, utramq; supini formam sequuntur. Sanè duo, quæ adduximus, Tamant. Ovid: III. Met.

——*Instantiaq; orare retardat.*
Gusside prætentâ.

Val. Flaccus III. Argon.

Ibat, & obtentâ mulcebat lumina palla.

Objectant illud Tranquilli in Nerone cap. XLVIII: *Obtenso ante faciem sudario*. Scio, sic in plerisque libris esse. Sed in melioribus est *obtento*: quod in tribus codd. se reperisse ait Torrentius. Dixeris, *ostensa* esse perusitatum: eoque *obtensa* non posse improbari, cùm ambo ab eodem sint præverbio. Verùm aliter est. Nam, ut dixere *ab* & *abs*; unde *abstineo*, *abscondo*; & omisso B, *asporto*; sic ab ὄπισθε dixisse puto *ob*, & *obs*: unde *obscœnus* à *cœno*; *obscurus* à *cura*: & verbum *obstrudo*, item *obsoleo*, nisi hoc à *soleo*: adhæc *obstendo*, ac B. (haud aliter ac in *asporto* fit) præterito, *ostendo*. Ut omnino *obtendo*, & *obstendo*, origine paullùm varient; eoque, si supino differant, nihil sit mirandum: præsertim cùm & significatio sit diversa, quando aliud

aliud est *obtentui*, aliud *ostensui esse*: quorum utrumque apud Sallustium. Quemadmodum & aliud est *obtrudo*, aliud *obstrudo*: ut ex Plauto, & Festo, videre est.

Adorsus, pro *adortus*, tuentur hoc Ovidii in primo de Ponto: *Et nullum majus adorsa nefas.* Et illo Agelii lib. IX. cap. II. *Adorsi erant tyrannum interficere.* Sed vitiosis decepti sunt libris, cùm *orsus* sit ab *ordior*, non *orior*. Ab *orior* verò est *ortus solis, lachryma suborta, coorto tumultu* &c. glossæ Philoxeni: *Adortus*, ἐπιχειρήσας, ἐπιφυείς.

Reversus sum, nusquam legas apud Ciceronem; sed semper *reverti*, ab antiquo *reverto*. Ac similiter Livius, & veterum alii, loqui amant. Nunc priori illo nihil æquè in ore est omnibus.

— *Comperior* quidem activâ dicitur significatione Sallustio, & aliis: at *compertus sum* non dicitur; sed *comperi*, vel *compertum est mihi*. Scio, Livii esse in secundo belli Annibalici, *Compertus stupri*: ut Taciti est lib. I. Ann. *Compertus flagitii*. Sed simile hoc, ut *pransus*, *cœnatus*, *repertus*; per quæ præteritum activum non circumloquimur.

Metitus, pro *mensus*, dicunt eruditi. Nempe quia ut à *mentior* est *mentitus*, sic á *metior* fuerit *metitus*. Ita Cæsar Scaliger non uno loquitur loco: ut dixi lib. III. de Analogia cap. XXXIII. Xylander quoque illud Plutarchi lib. de Iside & Osiride, † Περὶ δὲ Ὀσίριδος ἐκμετρησάμενον λάθρᾳ τὸ σῶμα, sic vertit, *Metitum furtim corpus Osiridis*. Defendunt se illo Ciceronis in II. de Nat. Deor. *Atque ita dimetita signa sunt*. Sed sententia exigit *demetata*: quomodo est in optimis editt. Addunt è Curtii tertio: *Stipendium metitum est*. Quo Scaligerum tuentur Finkius, & Helvicus. Sed hoc non reperias. At eo libro* ait, *Ab Hellesponto usque ad Oceanum omnes gentes victoriâ emensus*: non *emetitus*. Et alterum firmat, quòd *mensores frumentarios* dicimus: ut L. Mensores XXVI. ff. de excus. tutor. Nec tamen negare possum, sic locutos esse, ducentis à Christo annis. Nam ipsius est Ulpiani, lib. XXXII. Digest. tit. I. de legatis ex fideicommissis, Leg. LII §. I. *Sicui centum libri sunt legati, centum volumina ei dabimus non centum, quæ quis ingenio suo metitus sit*. Prout hunc locum quoque adducit Laurentius Valla lib. VI. Elegantiarum cap. XLIII. quod est de discrimine inter librum, & volumen. Imò similiter est in Pandectis Florentinis atque aliis.

† Pag. 356. edit. Parr.

* Cap. 12.

Orditus, *ab ordior*, est apud Diomedem in præfat. operis: *Ut secundùm tria ætatis gradatim legentium spatia, lectio probabiliter orsa, crimen pro-*

men prolixitatis evadat. Videas interim, verbo *ordior* tantùm unum posthea participium, *orsus*, assignare. Sed ecce veteris est Scripturæ interpretis, Esajæ xxv. 7: *Et telam, quam ordituus est super omnes nationes.* Cujus imitatione etiam Baptista Mantuanus Parthenices primæ lib. III. de veste Christi inconsutili:

Mater ei tunicas habiles ordita, novumque
Vestis opus.

Imò & reperio apud Julium Scaligerum lib. VI. de re Poëtica cap. VII, ubi de Horatio fermo † : *Non semper, quod semel orditus est, detexit.* Metuo, ne exciderit; nam vel barbarum est, vel obsoletum.

† Pag. 873.

CAP. XXV.

De particulis, ac primùm illis terminatione vitiatis: ut privatè *pro* privatim; seorsim, *pro* seorsum: *deinde de malè derivatis; ut* aliqualiter, *& alia quædam similiter exeuntia: item* pluries, nonies, vigesies, *& id genus numeralia: adhæc* exactè, cælitus, recenter, dietim: *denique de malè compositis, ut sunt* amodo, econtra, *fortasse & impræsentiarum. Rejecta etiam* nullibi, aliquatenus, nullatenus, multoties.

SEquitur de Particulis. Ubi vel peccatur ratione formæ, sive significationis; vel ratione materiæ, sive ejus, quod auditur, aut scribitur. De priori genere inferiùs dicendum. Hujus verò loci est, quando error committitur ratione materiæ. Fit hoc bifariam. Nam vel vox est vetus, ac proba, eo excepto, quòd in litera una, vel pluribus, sit corrupta: vel vitiosa derivatione, aut compositione, effingitur vox nova.

Prioris generis est *privatè*, pro *privatim*; quamquam Ciceronem sic locutum dicat Passeratii, ut vocant, Calepinus. Citat verò ex lib. VII. ad Att. *Illud privatè non adscribis, & tibi gratias agit.* Imò & in Thesauro L. L. id reperias. Sed additur, ex vetusto codice legendum esse. *Id, puto, non adscribu.* Nec dubitandum, quin locus sit corruptus.

Vulgò etiam *seorsim*, pro *seorsum*, dicunt viri doctissimi. Ac quorundam est suspicio, hunc morem loquendi originem traxisse ab errore Melanchthonis in Grammaticis sic scribentis, ac ejus interpretum: qui & tuentur hunc exarandi morem, quia sic in Cicerone reperia-

periatur. Atqui omnes bonæ editiones consultæ aliud indicant. Aliter etiam Mſſi: aliter Charisius, Priscianus, alii Grammatici veteres: aliud denique ἐτυμολογία docet. Nec enim, ut à supino *raptum raptim*, à *separo separatim*, à *casum casim*; sic à supino aliquo venit *seorsim*: sed ut à supino *versum* est *versus*, & *versum*; inde *adversus*, & *adversum*; ex *proversus*, & *proversum*, *prorsus*, *prorsum*: ita ex *se*, & *versus*, aut *versum*, sive ἀρχαϊκῶς *vorsus*, *vorsum*, fore *sevorsus sevorsum*: pro quibus, extrito digamma, dixere *seorsus* (quo Afranius est usus in Emancipato †, & Plautus Rudente *) &, quod usitatius est, *seorsum*: quemadmodum idem digamma perit in *deorsum*, à *de*, & *vorsum*: item in *surſum* ex *sus*, vel *susum*, & *vorsum*; ut est apud Priscianum in quartodecimo.

† Apud Charisium.
* Act. 5. sc. 2.

Venio ad alterum particularum vitiosarum genus. Primùm loquar de illis, ubi est derivatione peccatum. Qualia sunt nonnulla in *aliter* desinentia. Ut *casualiter* pro *casu*, *fortuitò*. Item *incidentaliter*, pro *obiter*: *totaliter*, pro *prosus*, *omnino*: *aliqualiter*, pro *aliquomodo*, vel *quadamtenus*: quomodo *quadamtenus rubens* est apud Plinium lib. XXIX. cap. X. *Principaliter* etiam huc referunt. Sed reperias apud Senecam, Plinium, alios: ac potissimùm in vett. Jurisconsultorum libris: neque id modò pro πρωτευόντως, vel *principis modo*: sed etiam pro *præcipuè*: quomodo Cajus D. de Procurat. L. XLVI: *Itaque, quod ex lite consecutus erit, sive principaliter, ipsius rei nomine; sive extrinsecus ob eam rem; debet mandati judicio restituere.* Augustæo tamen ævo, ut puto, non sic loquebantur. Quare non facilè dicam, *principaliter studuit juri*; sed *præcipuè*: vel, ut Agellius lib. XIII. cap. X, ubi de Antistio Labeone sermo, *Juris disciplinam principali studio exercuit.*

Pluries nec refugit Petrus Bembus lib. VI. epist. ad Georgium Sabinum. Non probo. Inclinantis tamen Latinitatis scriptores eo usos, scio. Ut Trebellium Pollionem in duobus Gallienis: *Cùm pluries ejus causſa convenissent. Nonies* à *nonus* non dicitur sed à *novem novies. Vigesies* usitatum hodie: uti & *trigesies*, pro *tricies*; *quadragesies*, pro *quadragies*: quæ nihilo meliora, quàm *centesies*, pro *centies*.

Neque *exactè* ab *exactus*, memini me legere: etsi vulgò obtineat, & Erasmus quoque, Annotat. in Matth. cap. II. sic ἀκριβῶς interpretetur. *Exactus* tamen pro *perfecto* legas apud Martialem *:

Nil exactius, eruditiusque.

* Lib. 4. epig. 87.

Nempe ab ea significatione, quâ *exigo*, pro *perficio*, *dicitur*; ut Horatio †, *Exegi monumentum*: Ovidio. *, *Iamque opus exegi.*

† Lib. 3. od. ult.
* 15. Met.

Vocem *cælitus cælo* ut à *divino divinitus*, formarunt juniores. Usi eo Lactantius, Hieronymus, aliique. Sed veteres ignorâsse videntur.

Recenter pro *recens* est pervulgatum. Sed apud veterum neminem se reperisse, ait Rob. Stephanus: uti & cælius Curio.

Nec placet *diëtim* pro *quotidie*.

Alia sunt, ubi novâ compositione peccetur. Ut in *amodo*, pro *posthac*, apud vulgatum interpretem. Item in *econtra*, præeunte licet vulgato Bibliorum interprete, secundi sive IV. Regum libri cap. III. 22. *Viderunt Moabita econtra aquas rubras, quasi sanguineas.* Nec propterea culpâro insciti am interpretis. Sic enim tum loquebantur. Unde est, quòd nec refugerint Grammatici antiqui. In his Servius ad Ecl. VIII sæpiùs in Ecl. V. item ad illud VII. Æn.—— *Picti scuta Numici.* Et hoc Æn. XII: —— *Bellantur Amazones armis.* Item Priscianus libr. I. cap. de literarum pronunciatione. E junioribus verò potiùs dispiciendum, quis ita non loquatur, quàm quis loquatur. Pauxillos referam ex iis, quibus alioqui dictionis cura esse solet. Sunt isti, Sebastianus Corradus lib. III. Ethicorum cap. XXV †, Fracastorius penè extremo libro de Anima *, Hertelius in tralatione sententiarum è Comicis excerptarũ, ubi ex Antiphane de Tragœdia agit, Scipio Gentilis lib. I. Παρέργων cap. III. Lipsius Saturnal. lib. II. cap. XIX. Merula Cosmographiæ parte I. lib. II. cap. XXVI. quod est de Venere, & Mercurio; in carmine etiam Lucas Fruterius, epigrammate in Chœrillum:

† Pag. 257.
* Pag. 571. edit. Leiden. an. 1591

——*Et tamen Dionæam*
Matrem vocamus; at Catullus econtra
Dioneum dixit columbulum rectè.

Censeo autem *econtra* natum ex eo, quod vulgò, compendio studentes, sic, lineolâ superinductâ, scriberent pro, *è contrario*: vel vitiosâ loquendi consuetudine fuerit corruptum ex, *& contrà*, vel συνθετικῶς *eccõtra*.

Si, quod primò conjectabam, placet, simile videatur, ac *impræsentiarum*: quod doctissimis quibusque est perfrequens. Nec diffiteri possumus, inveniri apud Catonem, Nepotem, Tacitum, Ulpianum, & alios. Ac, propter tot codicum consensum, non ausim super isto præfractè pedem cum aliquo struere. Interea tamen non facilè in animum induxerim, præverbium in jungi gigendi casui. Potiùs credidero,

didero, esse corruptum ex *in præsentia rerum*. Nam *rum*, lineolâ superadditâ, exarabant superioribus seculis, qui scribendi compendio studerent Livius pro eo *in præsentia*. Ut lib. XLIV. *Occultiora quædam agebantur, quæ in præsentia invisum quidem, & suspectum Romanis Eumenem falsis gravioribus criminibus onerarunt.*

Nullibi, pro *nusquam*, invenias quoque in Calepino toties recocto. Agnoscit & Augustinus Saturnius lib. II. Mercurii Majoris cap. IV, & alibi. Multique eo utuntur ex viris doctissimis: etiam Angelus Politianus lib. X. epist. ad Joannem Texiram: *Nullibi sæpius, aut libentius, quàm aut in oculis præceptorum, aut in cœtu condiscipulorum, versantur.* Similiter Paulus Jovius in elogio Marulli Tarchaniotæ, & Scævola Sammarthanus in Elogiis, ubi de Jacobo Peletario. Est & Nicodemi Frischlini lib. II. Eleg. IV:

Nullibi personam Christi discerpere quemquam
Passus——

Thuanus Histor. lib. LXXII: *Decateronullibi major serenitas, & ubertas frugum, quàm eo autumno fuit.* Non desunt tamen, qui *nullibi* quidem barbarum dicant: at *nullubi* non minùs rectum credant, quàm *sicubi*, & *alicubi*. Sed si *nullubi* idoneo firment auctore, de *nullibi* non adversabimur: cùm V facile in I convertatur; unde ab eopse *ubi* est *alibi*: nisi hoc κ῀ συγκοπὴν factum malis ex *alinbi*.

Aliquatenus, pro *quodammodo*, rejectum etiam Oberto Giffanio in Observationibus L. L. si modò is liber non mentitur auctorem.

Nullatenus non est quidem vox heri, vel nudiustertius, reperta, (legas enim cùm alibi, tum in Clementinis Tit. VI, qui est de sequestratione possessionum, & fructuum) sed idonei Latinitatis auctores semper pro eo dicunt *neutiquam*, *nequaquam*, *minimè* &c. Valla igitur damnat. Ἀναλογία tuetur Despauterius. Sed usu potiùs metiri sermonem oportet.

Multoties Latinum si foret, dicerem, multoties me audire in sermone eruditorum, eorumque scriptis legere. Poggium Florentinum, qui usurpat initio Historiæ Convivalis de Avaritia, & alios ejusce, vel superiorum seculorum, omitto. Imò & Angelum Politianum, politum auctorem: apud quem me legere commemini. Solùm nostri seculi scriptores dicam: è quibus est usus Joannes Langius, Irenæi ad Græcos adhortationem transferens. Uti & Dalecampius in versione sua Athenæi lib. VIII, & Brodæus, summus vir, lib. III. Miscell.

cap. XI. Sed omnino cum classicis malim *sæpius*, *crebro*. Nec tamen vox est proavorum ætate inventa. Nam usus eâ Julianus, patricius ac antecessor Urbis Constantinopolitanæ, tralatione Justiniani Constitutionis Novellæ CXXV † : *Mulier licet pro marito multoties in privato aut in publico debito intercedat, tamen non teneri sancimus.* Vixit autem Julianus hic Antecessor tempore ipsius Justiniani Cæsaris, teste Vincentio Bellovacensi in Spec. Histor. Estque idem ille, qui in Justiniani Novellis dicitur præfectus prætorio: ac cujus sunt tria epigrammata, sub Juliani Antecessoris nomine lecta in Ἀνθολογίᾳ : cui item opus, suum Grammaticum dicavit Priscianus: uti Huberto Goltzio observatum * Habes quoque vocem hanc *multoties* in Liviana epitome. Quod mirarer magis, nisi viderem, in ea se alia etiam offerre notæ non bonæ. Nempe non adeò est antiquus ille epitomes scriptor, quàm putant : utcunque tum vixerit, cum totus etiamnum Livius exstaret.

† *Pag. 238. edit. Goltziana.*

* *Præfat. ad Lect. quæ Novellarii huic editioni præmittitur.*

CAP. XXVI.

De vocibus in aliena positis significatione; ac primùm de substantivis ad lusum puerilem pertinentibus: ut cùm dicunt trochum *pro* turbine, *qui Græcè* ῥόμβος, στρόβιλος, στρόμβος: *vel pertinentibus ad ludum literarium: ut cum pro eo dicunt* scholam trivialem; *vel* textum *pro verbis scriptoris, qui exponitur; vel* tres lineas, *aut* regulas, *pro* versibus, *aut* versiculis; *vel* libri caput, *pro* sectione majori.

POstquam vidimus de vocibus, quas Latini ignorant: agendum nunc de Latinis quidem, sed quibus indoctè abutimur in significatione aliena. Ubi vix dici potest, quoties fallantur etiam homines doctissimi. Tanto curatiùs de his cogitandum est nobis : utcunque non ignorem, talium minutiarum curiosos vix aliud videri, quàm κυνοδοκάτους, καὶ ὀνομαστοθήρας †. Ac primùm de nominibus videamus; inde de verbis, postremò de particulis acturi.

* *Ingredientes per spinas & vocum captores.*

Quia verò à pueris, docentium culpâ, barbariem haurimus, ordiar à lusibus puerilibus. Nempe à turbine, quem vulgo *trochum* vocant. Ac præivit ad hunc errorem Acro in artem poëticam Horatii: *Trochus dicitur turben : qui flagello percutitur, & in vertiginem rotatur; unde à volubilitate nomen habet.* Eamque sententiam innumeri sequuntur. In his Georgius Merula ad Ovidium, & Henricus Stepha-

Stephanus in Thesauro suo *Græco* *; ubi idem esse ait βέμβυκα, καὶ τροχὸν, item *turbinem*, & *trochum*. Imò eadem mens etiam τῷ μαχαιρίτῃ Joanni Meursio, summo in his studiis viro, libro de ludis Græcis; & Æmilio Porto, Suidam interpretanti vocem βέμβηξ: cui imposuisse videtur *Suidas* ipse. Quæque apud *Suidam* habes, iisdem verbis legas apud Aristophanis scholiastem ad Vespas, & Aves. Atqui *trochus* nunquam est turbo; sed circulus magnus, qui radio in transversum latus impellitur. Ideo *rota* vocatur Martiali lib. XIV †, ac canthi dicitur usum posse præstare. *Sic* enim scribit:

* Voce βέμβηξ

† Epigr. 166. sive aliis 168

Inducenda rota est: das nobis utile munus:
Iste trochus pueris: at mihi canthus erit.

Scio, quanto aliter hoc de versu senserit non vulgus modò: sed etiam illustris Velserus, observationibus ad antiqua Augustæ Vindelicorum monumenta. Sed omnino rectum est *canthus* atque ita dicitur ferreus circulus, qui rotarum præmunit curvaturam: quomodo priùs usurpavit Persius; post eum alii complures; in his B. Hieronymus tertio in Ezechielem, ac Diomedes lib. III. In hoc trocho plures, vel unus minimùm circulus inserebatur, tum ut sono oblectaret aures, tum etiam aliâ de caussâ quam indicat Martialis epigrammate sequenti:

Garrulus in laxo cur annulus orbe vagatur?
Cedat ut argutis obvia turba trochis?

Quærit poëta, cur in laxo illo orbe, quem *rotam* antea dixerat, appendatur annulus, qui currente rotâ ederet sonum. Caussam subdit, ut turba obvia, sono istoc monita, ab via decedat, atque ita caveat sibi ab improviso trochi incursu. Nec semper unicus erat annulus, sed plures subinde: ut dixi atque ex Antyllo jam aliis monitum. Et Batavorum pueri appendere plures solent. Atque hoc est *trochus*. Nec aliter eâ voce usus Horatius lib. III. od. XXIV. & epist. ad Pison. Ovid. II. Trist. Artemidorus lib. II. Oneirocrit. cap. LVII. vel alius veterum quisquam.

At longè aliud est *turbo*; qui plagis loro factis agitur in orbem; ut indicio est hoc Tibulli lib. I. eleg. V:

Namque agor, ut per plana citus sola verbere turbo.

Prout est in codd. vulgatis. Nam *turben* legit Charisius. Sed *turbo* rectum esse, ostendit è Catullo Servius ad VII. Æn. Nempe ut ab *homo*,

ab *homo, hominis*; sic à *turbo, turbinis.* Atque ita dicitur Maroni VII. Æn. ubi scitè sic puerilem hunc lusum describit.

Ceu quondam torto volitans sub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille, actus habenâ,
Curvatus fertur spatiis: stupet inscia turba,
Impubesq; manus, mirata volubile buxum.
Dant animos plagæ.

Quo loco turbinem vocat *buxum*, quia fieret è buxo. Unde & Persius sat. III.

Neu quis callidior buxum torquere flagello,

Βόμβηξ appellatur Callimacho Epigr. I. quod ex tertio Ἀνθολογίας. Σκοδίλαξ vocatur Platoni in IV. de Legibus, & Plutarcho in Lysandro. Sed & στρόμβος dicitur; unde Suidas, Βόμβηξ, ὁ ξύλινος στρόμβος. Ac similiter Hesychius, Βόμβικος· δίνος, στρόμβος πρόσκαιρος. Etiam apud Pindari Scholiastem est ad Olympion. Od. XIII: Ἡ κοινὸς στρῦμβα, ἢ τις καὶ βόμβηξ λέγεται, καὶ στρόμβος. Leve discrimen, quod pro στρῦμβα legas στρῦμπα apud Laccapenum in Schedis grammaticis.

* *Lusum* † *Institutio.*

A lusibus eo ad scholam, & libellos; ut παιδιὰν * in pueris excipit ἡ παιδεία †. *Trivialis schola* perperam dici solet, pro *pædagogio*, aut *schola minori*; quam & *classicam* dixeris, quia in classes sex, vel plures, paucioresve, dividitur: quale nihil in Lyceis, atque Academiis. Nuncupantur autem *triviales* scholæ quasi vulgares, & in triviis constitutæ: quomodo nomen id nulli scholæ, ad Latinas græcasque literas discendas publicitus constitutæ conveniat: quæ rarò in triviis erectæ; quin ferè una duntaxat etiam in magnis est urbibus: binis gaudet populosa hæc ac florentissima Amstelodamensium civitas, Lycei seu illustris Gymnasii, eapse in Urbe ab inclytis Proceribus constituti, seminariis certissimis, pulcherrimisque. Vel potiùs inde Trivialibus Scholis nomen fecerint majores, quòd in his tres artes, Grammaticen, Rhetoricen, Logicen, docerent; nam eas *trivium* dixere; ut *quadrivium*, quatuor artes Mathematicas; Arithmeticen, Geometriam, Astrologiam, & Musicen; quod ex Cassiodoro cognoscimus, & docet T. I. Rer. Alem. p. 220. Goldastus ex Batto. Atque iste est chorus septem artium liberalium; prout fusiùs diducimus in opere nostro de Disciplinis veterum, omniumque scientiarum Naturâ, & nexu.

Ab

Ab iis, qui pueritiæ dictant suas ad antiquum scriptorem notas, solent ea, ad quæ illa referunt, *textus* nomine appellari. Ac similiter commentatores probe omnes loqui amant. Malim dicere *verba scripturis*. Κείμενα vocare suevérunt Scholiastæ Græci.

Vix etiam libellos in manus sumimus, quin doctores edíscere præcipiant sex septem *lineas*, vel *regulas*. In quo poterat conniveri, nisi per omnem postea ætatem adhæresceretis sermo, ita ut sic loquantur, qui alioquin ingenium habent probè in antiquis auctoribus subactum. Superstitibus parcam. Ex aliis solùm nominabo Joannem Sambucum: & eo quidem ex scripto, quo tractat de imitatione è Ciceronepetendâ. *Audivi ego*, inquit *, *de maximo & eloquentissimo* * Pag. 3.
viro, cùm de Rep. Ciceronis libros penes se habere quidam affirmarent, duabus, aut tribus ad summum lineis auditis, vel visis, an Ciceronis essent, dijudicaturum se. Latini pro eo *versum*, aut *versiculum*, dicerent. Nam quòd qui dam autumant, *versum* in carmine duntaxat locum habere, is sanè puerilis est error. Aliud eos Tullius docere posset. Cujus est pro Rabirio Post. *Glaucia solebat, homo impurus sed tamen acutus, populum movere, ut, cùm lex aliqua recitaretur primum versum attenderet.* Et epist. XVI. lib. II. ad Att. *Quod de Q. Fratris epistola scribis, ad me quoque fuit*, Πρὸς Διὸς λίαν, ὅπισθεν δὲ *Quid dicam, nescio; Nam ita deplorat primis versibus mansionem suam, ut quemvis movere possit.* Similiter Cornelius Nepos in Epaminonda: *Uno hoc volumine vitas excellentium virorum complurium concludere constituimus; quorum separatim multis millibus versuum complures scriptores ante nos explicarunt.* Et quid apertius illo Justiniani, procœmio de confirmatione Digestorum? *Hanc iis*, (Digestis, sive Pandectis) *appellationem imponentes, nec ultra quindecim myriadum versuum numerum eis dantes.* Verùm aliqui de *versu* negant se velle controversari. Verùm, quod *versiculum* dicebamus similiter sumi, id verò iis est insolens imprimis. Quem igitur meliùs iterum adducam, quàm Tullium? qui oratione pro Domo *versiculum* appellat. VELITIS, JUBEATIS, UT M. TULLIO AQUA, ET IGNI, INTERDICATUR. Eo enim respicit, cùm ait: *Hoc vos pati poteſtis, hoc ferre civitas, ut singuli cives singulis versiculis è civitate tollantur?* Idem in Milonianâ, cùm dixisset, UT VIDERET (Pompejus) NEQUID RESP. DETRIMENTI CAPERET; subjicit mox: *Quo uno versiculo satis armati semper con-*

 sules

fules fuerunt, etiam nullis armis datis. Item epist. 1. lib. v. ad Att. *Nunc venio ad transversum illum extremæ epistolæ tuæ versiculum.* Aç plusculis aliis in locis, quæ brevitatis caussâ omitto.

Vulgò & in Scripturis S. S. vocant *Versiculos*, quæ rectiùs commata, sive *incisa*, dicerentur, quomodo & vocitare videtur Manuel Commenus legatione ad Armenios, sive potiùs Theorianus disputatione cum Armeniorum Catholico, sive generali. Video esse, qui nuncupet *catacopas*. Alius, ut capita *tmemata*, sic versiculos ὑποκοφισμάτων appellat *tmematia*; nec incommodè, ut arbitror. *Versiculorum* verò nomen eo minùs placet, quia rariùs sit, ut contineantur uno versu, sive, ut dicunt vulgò, unâ lineâ, vel regula; nisi fortè ob papyri amplitudinem versus is valde sit porrectus. Qui tamen tueri hanc novam acceptionem volet, per me licet dicat, eò *versus* & *versiculos* vocari, quia in codd. minùs chartæ parcentibus, commate absoluto, vertere se manus in scribendo, oculi in legendo, ad novum initium soleant.

Post versiculos venio ad *capita librorum*; quomodo nunc majores appellant sectiones. At veteres *caput* dicebant, quod aliter *summarium* vocatur. Nempe quâ formâ Græci συγκεφαλαίωσιν † nuncupant. Vulgò *Summam Thomæ* dicimus, sed in re quidem pecuniaria, cùm multa æra subduximus, quod inde colligitur, *summa* nominatur; unde κατὰ μεταφορὰν apud poetam, *Votorum hæc summa meorum*; & Senecæ epist. XL.: *Summa summarum hæc erit, tardiloquum te esse jubeo.* Quando autem, quæ à scriptore fusiùs sunt relata, paucis constringuntur, potiùs *summarium* nominabant. Scio, aliquos *breviarium* malle; quo usus Plinius lib. VII. cap. XXVI. & Suetonius in Augusto cap. CI. Sed prius illud probius est, quàm *breviarium*, ut indicat locus ille Senecæ epist. XXXIX.: *Commentarios, quos desideras, diligenter ornatos, & in angustum coactos, ego verò componam. Sed vide, ne plus profectura sit oratio ordinaria, quàm hæc, quæ nunc vulgo* BREVIARIUM *dicitur. Olim cùm Latinè loqueremur,* SUMMARIUM *vocabatur. Illa rudiscenti magis necessaria est, hæc scienti.* Cur *summarium* diceretur, indicat hoc Maronis I. Æn.

——— Sed summa sequar fastigia rerum.

Indèque *summatim*, κεφαλαιωδῶς. Dixeris, & veteres divisisse libros in κεφάλαια, h. e. capita, sive capitula. Sanè B. Hieronymi est ad Jesaiæ caput XXXIII.: *Hebræi capitulum superius, in quo legitur; Væ qui prædaris: nonne & ipse prædaberis? & reliqua, usque ad finem; contra Sennacherib;*

† Q. d. concapitulationem, seu recensionem capitulatim factam.

nacherib, Regem Assyriorum, dictum putant. Scio. Verùm nos loquebamur de vocis ejus usu apud veteres Romanos. Sed neque id planè *caput* veteribus Christianis fuit, quod nobis. Liquet hoc vel ex ea divisione Evangelistarum, quæ est apud Suidam; nam illis Matthæi Evangelium continebat κεφάλαια CCCLV; nobis solùm XXVIII. Etiam à Cæsario, Gregorii Theologi fratre, traditum est, quatuor Evangelia esse κεφαλαίων χιλίων ἑκατὸν ἑξήκοντα δύο, *capitum* CIↃ CLXII. Ut veteribus fere id *caput* sit dictum, quod nobis *versiculus*. Sed de his, si Deus sinet, pluribus alibi loquemur.

CAP. XXVII.

De falsa nomenclatura eorum, quæ ad hominem pertinent; sive ut pars, quale sinus, *pro* gremio; dura, & pia mater, *pro* membranis cerebri custodibus, *quæ* meninges *dicuntur; sive ut sexus affectio, uti est* Virago, *pro* vira; *sive ut nomen cognationis, qualia* Nepos, & Neptis, *pro* fratris, sororisve filio, *aut* filia; *sive ut vocabulum dignitatis, seu sacra, ut* Concionator, *pro* Verbi præcone; *seu civilis, aut militaris, ut* major civitatis, *pro* prætore; Castellanus *pro* arcis præfecto; Receptor, *pro* tribuno ærario; *sive ut privatæ vitæ nomen, quale* Hospes, *pro* caupone; *sive etiam id vocabulum infame, ut* scurra, *pro* vili nebulone.

A Scholis, & libris, quo potiùs me conferam, quàm ad hominem; cùm non alii ea fini inserviant, quàm ad animum hominis excolendum? Partim autem hic peccatur in humani corporis membris; partim in affectionibus homini propriis.

Prioris generis est, quando vulgò *sinum* dicunt pro *gremio*; cùm *sinus* sit, quicquid brachiorum complexu continetur. Sanè cùm dicimus *in sinu gaudere*, pro *occultè latari*, non ad gremium, sed cor, sive pectus, attenditur.

Item huc pertinet appellatio *duræ & piæ matris*. Sic vocitant membranas, quibus cerebrum involvitur, unde εἰλαμίδας vocat Pollux; ac una ei περιφράνιος, altera περιάσιος dicitur. Erasistratus ἐπιχαρίδας nuncupat. Usitatiùs autem nominantur μήνιγγες: ut Aristoteli lib. I. Histor. Animal. cap. XVI. sive juxta Cæs. Scaligeri distinctionem sect. CLXV. Ἔστι δὲ ἡ μῆνιγξ, ὑμὴν σπερματικὸς, ὃ περιέχων τὴν ἐγκέφαλον. Quod

Scaliger reddidit: *Est autem, quâ amicitur cerebrum, membrana venosæ cutis specie. Meningis* vocem refugit interpres, uti & fecerat Gaza. Idem Aristoteles lib. III. Historiæ ejusdem cap. III. sive, ex distinctione Scaligeri, sect. LVIII: Σχίζεται εἰς πολλὰ ἐκ λεπτὰ φλεβία εἰς τὴν καλουμένην μήνιγγα, τὴν περὶ τ ἐγκέφαλον. Gaza vertit: *In multos pratenues ramulos spargitur, itaq; membranam custodem cerebri subit.* Scaliger verò sic: *In membrana, quâ cerebrum amictum est,* (meninga *Græci vocant*) *in parvas & minutas venas spargitur.* Causſam verò non video, cur non & Latinè *meninga* dicere possimus. Sed sicui id displicet, cum Gaza vocet *membranam cerebri custodem*; aut cum Scaligero nominetur *membrana cerebrum amictens*: vel, cum aliis, *cerebrum involvens*. Atque ex hoc judicium esto de similibus appellationibus barbaris: quas, qui volet, ex anatomicis petat.

Appellationes hominum *ab affectione* sunt variæ. Quædam *à sexu*: ubi interdum erratur, quia ad verbum exprimere nitimur vocem exoticam; vel alios sequimur, qui id studeant. Factum hoc à veteri interprete Genes. II. 23. ubi *virago*, pro femina quavis, sumitur. Atqui sic propriè dicitur mulier, ut Luciano vocatur, ἀρρενικὴ quæ & ἀνδρώδης: nempe & animo, & corporis filo, referens virum. Voluit verò is interpres ἀναλόγως exprimere Hebræorum אישׁ *isch* & אשה *schah*. Quod Symmachus reddidit ἀνδρίδα. Socer Junius optimè *viraginem*. Quomodo olim *Querquetulana vira*, quæ querqueto præsiderent; ut ex Festo constat. Vidit hæc quodammodo, jam barbaro illo seculo, Nicolaus Lyra: cùm scribit: *Virago non significat mulierem de viro sumtam, vel derivatam; sed viriliter agentem: & ideo magis propriè diceretur vira; si sermo Latinus pateretur.* Solùm in eo deceptus, quòd *vira* putaris Latinis omnibus ignotum.

Quædam verò appellationes sunt à *cognatione*, ut quando vulgò, vulgari linguâ decepti, etiam doctissimi *nepotem*, vel *neptem*, dicunt, quæve sit fratris, aut sororis filius, aut filia. Horumque exemplo nec sic loqui veritus est elegantissimus & doctissimus philosophus Hispanus, Sebastianus Foxus, Ethices compendio lib. III. cap. XXVII. *Plinius Secundus adeò studiosus fuit, ut abejus nepote Plinio juniore referatur, ut totum id temporis, quod studiis non impenderet, perire arbitraretur.* Atqui satis constat, Plinium Veronensem, Naturalis Historiæ scriptorem, Novocomensis Plinii, cujus epistolas, & Panegyricum habemus, avunculum fuisse. Nullus autem patrui, vel avunculi nepos

dici p...ſſit

dici possit fratris, vel sororis nepos, quia ex horum filio, filiave, sit prognatus. Objectant, quòd dicat Suetonius Tranquillus in Julio cap. LXXXIII: *Sed novissimo testamento tres instituit haredes sororum nepotes, C. Octavium ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Pedium, ex quadrante reliquo.* Sed enim non suos, hoc est, Julii; sed sororum nepotes dicit. Sorores igitur aviæ fuerunt. Genus enim sic habet: Julia, soror Julii Cæsaris, nupta fuit Atio Balbo; eo ex connubio nata Atia, nupta Octavio; hinc Cæsar Augustus. En verba Suetonii in Augusto cap. IV. *Octavius morte abiit repentinâ, superstitibus liberis; Octaviâ majore, quam ex Ancharia; & Octaviâ minore, stem Augusto, quos ex Atia tulerat. Atia M. Atio Balbo, & Juliâ, sorore C. Cæsaris, genita est.* Et cap. VII, *Cui Cæsaris cognomen adsumsit testamento majoris avunculi.* Ac cap. VIII. *Duodecimum annum agens, aviam Juliam defunctam pro concione laudavit.* Nihil apertius, quàm Augustum fuisse natum, non *Juliæ* * ex Julia, sorore Julii Cæsaris; sed ex Atia, Juliæ filia: eòq; nepotem dici Juliæ; non Julii Cæsaris; qui Augusti avunculus major fuit. Nihilo firmius illud Plautinum Amphitr. act. IV. sc. V.

* Nulla interest.

Ego idem ille sum Amphitruo, Gorgophones nepos, imperator Thebarorum.

Quo loco vulgarem sententiam tuetur Guil. Ranchinus J. C. nam, inquit, Gorgophone non avia, sed amita Amphitruonis fuit, soror Alcei, qui parens Herculis. Hoc de Gorgophone ita esse, liquet ex secundo Apollodori. Verùm, unde hæc adducta, non sunt Plauti; nam scenæ tres, quæ actûs quarti scenam secundam proximè in pleriisque libris consequuntur, etsi non recentia, sed vetera sunt; à Plauti tamen dictione abeunt; quippe magis tumentia; ac omnino sunt sequioris ævi. Quid si igitur errorem dicamus scriptoris, sive in re, quod Gorgophonem aviam putârit; sive in sermone, dum *nepotis* vocabulo abutitur? Quærat aliquis, quod sit correlatum avunculi, aut patrui; si id *nepos*, vel *neptis*, non sit? Nego, Latinos proprium habere vocabulum; ut qui fratris, vel sororis, filium, filiamve, dicere soleant. Sic Cicero lib. III. de Off. *Cùm Basilus M. Satrium, sororis filium, nomen suum ferre voluisset, eumque fecisset haredem.* Est & Plinii lib. XXXV. cap. IV: *Proximè celebrata est in foro boario, ade Herculis, Pacuvii poëtæ pictura. Ennii sorore genitus hic fuit.* Vides, ut non dicat, fuisse Ennii *ex sorore nepotem*; quomodo hodie loquuntur. Est & Pro-

speri in Chronico ad an. Dom. CCCXXV: *Theodosius Valentinianum, amita sua filium, Cæsarem facit.* Non *ex amita nepotem* dicit.

Quædam etiam nomina significant *munia*, vel *dignitates*. Ut in sacris est *Concionator*, efformatum ad instar Græci ἐκκλησιαστὴς, vel etiam ἀγοραστὴς, quomodo Nestor dicitur Iliad. α, & Aristophani in Nubibus, nempe ἀπὸ τ ἀγοράζεσθαι, quod est *concionari*. Sed aliter utitur eo Aristophanes, ac Homerus; Nam ludit Comicus in ambigua voce ἀγορᾶς, quæ & *forum*, & *concionem* significat. Aristophani igitur sic dictus, tanquam in foro versans; unde cum antè ait † ἐν ἀγορᾷ διατελῶν ψήφ. Haut lubens verò τὺς τ θείω λόγω κήρυκας * *concionatores* vocitâro; eò quòd sciam ab antiquis hoc vocabulum in malam accipi partem solere, pro iis, qui auram popularem captant, & concionibus tribunitiis populum gaudent adversus proceres concitare, atque accendere.

† Semen cujus inimicum, & κακοδαιμονίαν σοφίαν.

* Præcones divini verbi.

Nec minùs peccatur in dignitatibus civilibus. Sanè in oratione, vel historia, non temere dixero, *Major civitatis Londinensis*, vel saltem non sic loquar, nisi προπαπλήσιον †: addendo videlicet, *ut vulgò loquimur*, vel simile quid. In antiquitatibus tamen Hethruscis, ab Ingiramo repertis, *majorem civitatis*, pro principe, vel præfecto urbis, legas. Sed hæc, & alia id genus multa, esse ea suppositicia, satis arguunt. Latinè enim locutis *majores* sunt avi ac proavi, & horum longâ etiam serie progenitores. Nec tamen diffitendum, jam sub Antoninis Appulejum in Floridis dicere, *Major meus Socrates*: nempe ratione Socraticæ Philosophiæ, cujus sectatores quasi filii Socratis forent. Ac similiter idem in Apologia: *Jamprudem majores meos, Aristotelem dico, & Theophrastum, & Eudemum.* Imò hoc paullo antiquior Agellius lib. XIX. cap. I. ait, *Majores nostri, condstores sectæ Stoicæ.* Sed in præfecturâ urbium, & similibus, non arbitror, tum, vel uno, altero, aut tertio etiam sæculo pòst, hoc sermonis genus obtinuisse.

† Præmonitus: vel reprehensionem alienam præveniens.

Castellanum vulgari idiomate præfectum arcis vocamus: unde & malè nunc sermoni adhæret Latino. Sed apud veteres commune erat militum nomen, quibus à Principe commissa esset castelli custodia: ut L. II. de fundis limitotrophis lib. XI. Cod. Tit. LIX.

Receptores & *Receptatores* Ciceroni, ac jurisconsultis sunt, qui latrones, furesque, recipiunt, ac eorum bona occultant; pessimum sanè hominum genus, ut vocat Metius Tit. de Receptatoribus. Sed nemo veterum *receptores generales* dixit; quos *tribunos erariorum* vocare jubet

Budæus.

Budæus. Distant ab his quæstores ærarii. Nam hi publicas conquirunt pecunias, ut ærario inferantur.

Itidem peccari videas in iis, quæ privatum vitæ genus designant: ut *Hospes* pro *caupone*. Nam hospitem amicitiâ ducti recipimus gratis: imò & amicos paternos, nisi fortè confracta sit hospitalis tessera. At caupo non nisi pretio recipit advenas: unde à Belgis dicitur **weert**/ à **weerde**/h. e. pretium: non à **waere**/id est merx, quod doctissimus noster amicus tradidit. At *caupo*, ut puto, ex eo, quia Græcis sit κάπηλος: quod ejusdem originis ac κάπη, unde βουκάπη: Nempe à κάπτω, quod ex καταφαγεῖν, ut alibi diximus.

Quod si ad *infames* etiam *appellationes* deveniendum, vulgò *scurras* nuncupant viles, ac nequam homines: cùm id vocabuli solùm iis conveniat, qui norunt dictis ludere ridiculariis: ac plurimùm quidem in malam accipitur partem, pro turpiter faceto, inque jocis inverecundo: (unde est, quòd Rhetores distinguere jubeant urbanè dicta à scurrarum maledictis; ut ostensum nobis Oratoriarum Institutionum lib III. cap. v. sect. XII.) attamen nec rarò usurpatur in bonam partem pro homine urbano, & eleganti. Cujus rei exempla apponerem, nisi audiri mallem Turnebum lib. XIX. Adverss. cap. XIII. & Janum Douzam lib, II. Plautin. Explanat. cap. XIII.

CAP. XXVIII.

Mutorum etiam animantium nomina permisceri: ut in quadrupedibus, cùm bubalus, *&* urus; glis, *&* sciurus, *confunduntur: item cùm* rattum *quem vocamus*, glirem, *aut* soricem, *nuncupant: vel* testudinis, *&* cochleæ *operculatis vocabula promiscuè sumunt. In avibus, quando non distinguunt* otum, *&* otidem; trochilum, *&* motacillam: *ac cùm* aquaticum carbonem, *pro* catarractę; gallinam aquaticam, *pro* fulica, *non verentur dicere. In piscibus verò, quando distinguere nesciunt* elopem, *&* acipenserem; synodontem, *&* synagridem; *vel cùm* rubum, *pro* raja; turdum marinum, *pro* pastinacâ *appellant*; ostreum, *pro* ostrea: *In infectis, quoties pro* scarabæo Lucanico *malunt* cervum volantem; *aut* cicindelam *ajunt, pro lucernæ genere; vel cùm hoc animalculum vocitant* nitedulam. *In plantis errari, cùm dicunt* palmam, *pro* buxo; acinum *pro* nucl. o; *præcipuèque hic in herbarum vocabulis peccari, & unde id sit, ostensum. Denique in fossilibus delinquis,*

qui, cùm stannum *aliud creditur, quàm* plumbum candidum: *aut cum* cæmentum *confunditur cum* intrito.

AB homine ad cætera transeo animantia; ut quæ hactenus conveniant, quòd nobiscum luce fruantur communi.

In quadrupedibus jam Plinii ætate ipsi peccabant Romani, cùm *bubalum* dicerent pro *uro*; ut ostendi lib. III. Physiologiæ Christianæ cap. LVI. Itidem peccant, qui *glirem*, & ἐλεὸν sive *sciurum* confundunt; ut factum Georgio Agricolæ libro de animalibus subterraneis. Atque idem, quem vulgò *rattum* dicimus, eum malè statuit esse veterum *murem araneum*; ac *murem* à forma dici; *araneum* verò, quia instar aranei scandat murum. Vulgò & *rattum* vocant, alii quidem *glirem*; alii autem *soricem*; utrique perperam; nam qui vulgò *rattus*, is Latinis *mus major*; ac sic dicitur ad discrimen musculorum: sicut Plinius appellat, de æluro agens. *Sorex* verò Belgis nominatur **slaep-ratte**. *Rattorum* etiam nomine vocantur mures aquatici, qui in rivis, & aquis minoribus, pisces captant. *Glis* autem dictus veteribus, qui Belgis **veld-muys**; uti Anglis **fyld-mouse**. Atque è Latino *gliris* vocabulo Italis est *gliero*, Gallis *gleron*, Hispanis κατ' ἀφαίρεσιν *liron*.

Quadrupedis etiam, non vivipari quidem, qualia, quæ dixi: sed ovipari vocabulo abutuntur, qui *testudinem* confundunt cum *cochlea terrestri*; nempe non nudâ, sed operculari. Ut cùm Petrus Crinitus †, atque adeò Erasmus * ipse, testudinem signari ajuntillo Lucilii apud Ciceronem †,

Terrigenam, herbigradam, domiportam, sanguine cassam.

Verum qui testudo signetur, cum eam sanguinem habere, omnibus constet? quem & oculorum suffusioni mederi, Plinius * auctor est. Ac planè videtur in eodem peccâsse Erasmus in Colloquiis, dialogo de amicitia: ubi narrat, quantopere testudinem horreat simia. Nam de limace id verum est. Quippe si limaces circum simiam posueris, contrahit se, nec contingere audet.

† Lib. II. de Honest. discipl. cap. 7.
* Chil. 4. cent. 3.
† Lib. 2. de Divin.
* Lib. 32. cap. 2.

Sed error iste non tam in vocabulo, credo, fuerit, quam in re ipsa. Ad alia igitur venio.

In avium nomenclatura ab ipso peccatum Athenæo, cum ei confunduntur *otus*, & *otis*: de quo dixi Theologiæ Gentilis, & Physiologiæ Christianæ lib. III. cap. LXXXIII. Itidem erratur, cum *trochilus* & *motacilla*, quæ σεισαύχις, confunduntur: licet motu caudæ, & ci-

dæ, & cinericio colore, quodammodo conveniant. Nec placent cum Alberto Magno *carbonem aquaticum* vocantes, qui Aristoteli *catarractes*, Belgis **scholuer**. Nec qui cum eodem Alberto *aquæ pullum*, vel cum Italis *gallinam aquaticam*, pro *fulica* dicunt. Est ea palustris ac marina illa avis, quæ Kiranidæ interpreti *phalaris*, Belgis **mercoet**, Parisiensibus dicitur, *diable*, nempe ob atrum colorem.

In piscium vocabulis delinquunt, qui confundunt *elopem*, & *acipenserem*; cum diversos esse pisces, clarè pateat ex Ovidii Halieutico, ac Plinio.

Item, qui cum Theodoro Gaza pro iisdem habent *synodontes*, & *synagrides*: ut dixi lib. IV. Physiologiæ Christianæ cap. VII. Quique Græcorum βάτον, seu βατίδα, malunt *rubum* reddere cum B. Ambrosio, quàm *rajum* cum Plinio †: de quo vidimus ejusdem operis lib. V. cap. XXVIII. Qui itidem pro *pastinaca turdum marinum* ajunt cum Dictyos interprete, & B. Ambrosio; ut dictum ejusce libri cap. L.

† Pag. 762. editionis 1558.

Ostrea itidem, & *ostreas*, promiscuè usurpant viri summi. Sed vide, an non verius Conradus Gesnerus in Aquatilium historia †: *Ostrea genere neutro apud Græcos, Latinosque, dicuntur; cùm de specie, qua de hic præcipue scribimus; tum in genere de ostracodermis, seu testatis omnibus. Ostreæ verò feminino genere Latinis tantùm de specie unâ.* Objectant illud Lucilii *:

* Apud Agellium lib. 20. cap. 8.

* *Luna alit ostrea, & implet echinos.*——

Quoque eodem usi similiter Horatius, Plinius, Juvenalis, Agellius, aliique. Verum non quæritur, an & *ostreum*, & *ostrea*, sint Latina: sed an *ostreum* pro specie istâ, quæ *ostrea* vocatur, dici soleat. Rectè sic usurpari, negat Charisius lib. I. negat etiam Caper de verbis dubiis: idque eâdem, ac apud Charisium legitur, ratione compulsus: *Ostrea*, inquit, & *ostreas*: *quia nullum animal speciale neutrum est.*

In insectis itidem aberrari, cognoscimus ex eo, quòd *cervum volantem* vulgò dicunt, pro *scarabæo Lucanico*; ut vocabat Nigidius Figulus, Romanorum post Varronem doctissimus. De vocabulo hoc testis Plinius lib. XI. cap. XXVIII: nisi, quod Scaligero Conjectaneis in Varronem est visum, pro *Lucanico scarabæo*, *scarabæum Lucam* malis vocatum: sicuti pro *elephanto*, *bovem Lucam* dixere: ut diximus Oratoriarum Institutionum lib. IV. cap. VI. sectione II. & VIII.

Valde etiam erravit Calepinus, cùm *cicindelam* vocari ait lucer-

nam pensilem, totâ ardentem nocte. Quippe *cicindela* semper est insectum, quod Græcè λαμπυρὶς. Atque in hoc animante etiam deceptus magnus naturæ mystes, Cæsar Scaliger. Nam huic in poëmatis *nitedula* dicitur, quæ Plinio *cicindela*: non absurdè quidem nempe à nitore partis posterioris; unde & Græcis λαμπυρὶς, & λαμπυρὶς vocatur. Imò in glossis Philoxeni legas: *Cincindela*, λαμπυρὶς. Attamen, ut puto, præter vetitum morem; quibus *nitedula*, Servio teste, est muris exigui genus: unde Cicero pro Sextio: *Quoniam id etiam fatum civitatis fuit, ut illa ex vepretis extracta nitedula Remp. conaretur arrodere.*

Proximum post animalia locum obtinent plantæ. In horum vocabulis, partiumque nominibus, non minùs delinqui solet. Ut cùm vulgò dicunt *palmam*, pro *buxo*. Hoc verò non aliunde est, quàm quia in vernacula sic lingua obtinet. De vernacula autem in causa est, quòd Palmarum festo buxi ille usus soleat, quia palmam terræ nostræ ignorent.

Alcinum plerique vocant nucleum; atque ita quoque accepit Torrentius in Augusti epistola apud Suetonium Augusto cap. LXXVI: *Panis unciam cum paucis acinis uvæ comedi.* Putavit Torrentius, acinum non posse comedi: eoque legere jubet, *cum paucis uvis duracinis.* Verùm *acinus* non notat τὸ πυρῆνα sive nucleum, aut vinacium; sed baccam; quæ constat folliculo sive cute, carne, succo, sive liquore vinco, & nucleo. De quibus plura ad allata Augusti verba Casaubonus.

Nusquam verò proclivis magis est error, quàm herbarum nominibus. Ut cùm *barbam Jovis* appellant, quæ veteribus *sedum majus*: aut si *angelicam* dicant, quæ *spondylium* antiquis. aut cùm *morsum gallinæ* ajunt pro *alsine*, vel potiùs *anagallide*: aut *rosam Hieruntinam*, vel *B. Mariæ rosam*, pro *amomo*, vel, ut Gesnerus mavult, *aspalatho*: aut *barbam Aaronis* pro *aro*: *cochlearian* pro *Britannica*, ut Plinius vocat: aut *ferum oculum* pro *asyla*: (anagallidis est species, sed colore distans:) aut cùm *pence* dicitur, quæ est *larinx*: aut si *cyprum* nominent pro ligustro, quod Dioscoridi φίλυρέα: aut cùm *anguilam cabalinam*, aut *filium ante patrem* vocant, quæ veteribus *tussilago*: aut quando *caprifolium* dicunt pro *periclymeno*: vel *sigillum Salomonis* pro *polygonato*.

Ac hujusmodi adferre etiam poteram alia multa: quia nusquam procli-

proclivior est error, quàm in plantis. Atque hoc inde provenit, quòd antiqui, quia vulgò notissimum foret, quibus vocabulis plantæ quælibet notarentur, eò sæpè descriptionem adderent nullam, vel saltem non aliam, quàm quæ etiam plantæ alteri, & interdum pluribus, conveniret. Hoc solidam botanicæ rei intelligentiam multùm moratur: ut apud me conqueri memini eximios medicos, & herbariæ rei peritissimos, Justum Raphelengium Francisci filium, cujus in Dodonæum utiles exstant commentarii; & Adolphum Vorstium in Leidensi Academia laudatissimum Medicinæ, & rei Botanicæ Professorem, collegam ante hos annos XII. conjunctissimum: item in florentissima hac Amstelodamensi Republ. Medicum eximium Egbertum Bodæum, ejusque prolem præclaram, τὸν μακαρίτην Joannem Bodæum Stapelium; cujus eruditæ lucubrationes nunc prodeunt in Theophrasti de plantis Historiam.

Hoc si nobis usu venit in Latinis, & Græcis; quanto magis id locum habere putabimus in Hebræis! Ac propterea etiam multùm debemus LXX. Interpretibus. Nam absque illis foret, & paucis Aquilæ, Theodotionis, aliorumque fragmentis; non video, quid certi statuere possimus de multis plantarum vocabulis, quæ in veteri instrumento se offerunt.

Uti post animantes plantæ, ita post plantas proximum obtinent locum fossilia: sicuti sunt metalla, ac lapides. In metallis est stannum. Porrò *stannum* vulgò dicunt, quod Belgis **Tin**/ Germanis **Zinn**/ Gallis *Estain*, vocabulis sine dubio è Latino derivatis. Sed perperam ita loquuntur, cùm *stannum* Plinio sit *plumbum candidum*, Græcis κασσίτερος: uti, quod nobis **Loot** / Plinio * sit *plumbum nigrum*, Græcis μόλυβδος. Qua de re sic Philander ad Vitruvium lib. VIII. cap. III: *Plumbum candidum voco, quod falsò hodie omnes stannum dicunt. Est enim aliud quiddam stannum, quam quod nunc audit: nempe quando naturæ duabus argenti portionibus unam plumbi nigri immiscuit.* * Lib. 34. cap. 16.

In lapidibus terrâ effossis sunt *cementa*; quo vocabulo, jam ante tot secula, pro *intrito* abusus est vetus Scripturæ interpres. Genes. cap. XI. 3. de Babylonis structura: *Habuerunt lateres pro saxis, & bitumen pro cemento.* Pro *cemento* in LXX. est πηλός, hoc est *lutum*. Hebraicè est חמר, *chomer*: quod terram notat aquâ maceratam, vel illiusmodi ex calce, & arena. Nimirum jam interpretis hujus ætate

vulgus videtur hoc *cementum* dixisse. Unde similiter Accursius exponit: & in veteri Onomastico legas: *Cementum* γύψος, *novia*. Latinum interpretem plerique alii in suis tralationibus secuti: ut Pagninus, Vatablus, Munsterus: ubi *arenatum* Castellio, *intritum* Junius. Et sanè Latinis *cementum* longè aliud est; nempe lapides rudes, ac temere cæsi, sive lapidum majorum frusta farcturis in structura inservientia, à *cædendo*, quasi *cædimenta*. Quod pluribus ostendit Nonius. At istam veteris interpretis appellationem vel illud Livii refellit lib. 1. de bello Punico: *Nec erat difficile murum subruere, quod cementa non calce durata erant; sed interlita luto, structura antiquo genere.* Similiterque Plinius lib. XXXVI. cap. XXIII. *Ruinarum urbis est maxima caussa, quod farto calcis sine ferrumine suo cementa componuntur.* Vide & Vitruvium lib. 1. cap. V.

CAP. XXIX.

Vocabulorum abusus in re vestiaria: ut cùm capitulum, *vel* capitium, *accipitur pro capitis tegumento: item cùm* pileum, *&* petasum, *vulgò confundunt: vel cùm* trechedipna, *qua collo gestabantur, putant esse calciamenti genus: adhæc cùm pro* braccis *dicunt*, subligar, subligaculum, *aut* campestre. *Item cùm* caligas *vocant tibialia nostra.*

† *Annotat. Foster. Syllog. 3. cap. 61.*

* *Varronem ita esse usum, est apud Marcellum. Vellem verba apposuisset. Nunc falsum puto tam inconsideratum Grammaticum.*

* *Lib. 2. vel, ut in veteri Vinea est, lib. 5.*

* *Sic etiam est in Mss nostris.*

QVæ de multis animantibus, plantis, fossilibus, diximus, ea naturæ sunt opera: venio ad illa, quæ debentur arti. Ubi imprimis considerationem merentur, quæ vel amictum tangunt, vel habitationem, ac domûs instrumenta.

In amictu à capite initium esto. Baptista Pius † credebat, *capitulum* quandoque accipi * pro *capitio*. Atqui ita Plautum uti Curcul. act. II. sc. III. Sed bis errat. Nam *capitulum* pro parvo capitis tegmine dixit. Et *capitium* non est, quod cum vulgo credidit, capitis tegmen; etsi hoc jam creditum sit ætate Nonii Marcelli; erroremque ejus secutus fuerit Isidorus in nono Originum. Imò & vulgò *capitium* dici capitis tegmen, scripserit B. Hieronymus epistolâ ad Fabiolam. Quippe longè aliud nos docet Varro in IV. de L. L. *Capitium*, inquit, *ab eo, quod capit pectus, id est, ut antiqui dicebant, indutu comprehendat.* Adducit pro se Nonius hoc è Varrone de vita Pop. Rom. * *Neq; id ab orbita matrum familias institui, quod ea pectore, ac lacertis erant apertis, nec*

capi-

capitia habebant. Sed hic locus contra Nonium facit, ac liquidò comprobat, *capitium* esse muliebre pectoris tegumentum. Sanè inter muliebria quoque ab Ulpiano reponitur L. XXIII. D. de auro, argent. leg. *Muliebria*, inquit, *sunt, quæ matrisfamilias caussa sunt comparata, quibus vir non facilè uti potest, sine visuperatione: veluti stola, pallia, tunicæ, capitia, zonæ, mitræ (quæ magis capitis tegendi, quàm ornandi caussâ, sunt comparatæ) pinguia, penulæ.* Quamquam & Hadrianus Junius in Nomenclatore suo hinc colligat esse muliebre capitis tegmen. At quærunt aliqui quomodo nautica, aut dormitoria nostra capitum tegumenta vocari debeant, si minùs cum vulgo *capitia* dicere liceat. Nobis sanè liquet, hæc *pileos*, vel τριχορεγικὰς, *pileolos* vocari debere. Nam convenit forma cum pileis Romanis, quarum figuram cernere est ex nummis Romanis: in quibus pileus symbolum est libertatis. Et favet nobis B. Hieronymus epistolâ ad Fabiolam †: *Rotundum pileolum, quale pictum in Ulysse conspicimus, quasi sphæra mundi sit divisa, & pars una ponatur in capite.* Pilea verò hæc, non uti hodie apud nos obtinet, fuisse ex lanis, vel villis coactis, cujusmodi coactilia, vulgò *feltra* dicuntur: sed ex pannis fuisse, sive ex filamentis contexta, fidem facere hoc poëtæ possit: *Tritis pilea suta de lacernis.*

† *Tom. 3. p. 59. edit. Frobeni. an. 1553.*

Quomodo & Persarum tiaræ, quæ, & κυρβασίαι, & κιτάρεις ἐρωδιαί, erant è panno. Unde Herodotus in VII: Περὶ τῇσι κεφαλῇσι εἶχον τιάρας καλεομένας πίλους ἀπαγίας. *Circum caput habuere dictas tiaras, pileos non compactos.* At tegumenta ista, quibus in publicum prodimus, *petasi* potiùs dicantur. Petasi enim, ut ex statuis Mercurii cernere est, latos habuere margines ad umbram faciendum, eoque peregrinantibus in usu erant. Nec alia est caussa, cur tribuerint Mercurio, Deorum nuncio. Pileus tamen Thessalicus & ipse latis marginibus: unde Hephæstion Grammaticus, φέρασοι ἦσαν οἱ Θετταλικοὶ πῖλοι *. Eoque Theophrastus in quarto de historia Plantarum cap. x. ubi de faba Ægyptia sermo, ait folia ejus magnitudine esse similia πίλῳ Θετταλικῷ †. Ac Dioscorides, in secundo Historiæ suæ, ait folium habere μέγα ὡς πέτασον *. Ridiculè verò nonnulli ajunt *petasum* esse calciamenti genus: quod etiam legas in notis ad oram Colloquiorum Erasmi, sive ex ab Erasmo ipso, sive alio. Et plerique ei probando adducere solent locum è Tullii epistolis ad famil. ubi mentio nuncii petasati. Sed omnino *petasus* est capitis gestamen, quale, ut dixi, Mercurio tribuitur. Hinc Athenæus lib. XII. (ubi ex Ephippo refert, ut Alexander M. aliquando

* *Grandes erant Pileos Thessalici.*

* *Pileo Thessalico.*

† *Magnum ut petasum.*

† Pag. 537. edit. Commelin. an. 1597.

Mercurii habitu usus sit) habuisse ait † τὸ πίλαδι τῇ κεφαλῇ, καὶ τὸ κηρύκειον ἐν τῇ χειρί. *Petasum in capite, caduceum in manu.*

Nec multùm dissimilis est error, cùm *trechedipna* censent fuisse calciamenti genus, quo currerent ad convivia. Quippe ea ab Hieronicis collo gestabantur, ut hoc symbolo agniti admitterentur ad σύνοδον δημοτικὴν *, quæ hieronicis in omni agone sacro communis esse solet. Nec obstat, quòd dicerentur τρεχέδειπνα ex τρέχω †, & δεῖπνον *, ac τρέχειν † sit pedum non colli. Nec enim sic vocata, quia iis, sed quia cum iis currerent. Festinabant enim ad convivium sacrum ob commodiorem locum, & ut dixi, ex isto colli symbolo agnoscebantur. Propriè verò ipsi hieronicæ τρεχέδειπνοι: sed niceteria hieronicarum, hoc est victoriæ præmia, quæ ceromatico, sive oleo & cera inuncto gestabant collo. eò τρεχέδειπνα sunt vocata, quia iis uterentur τρεχέδειπνοι. Sic etiam, Jos. Scaliger * locum eum cepit Juvenalis sat. III.

* Publicum convivium.
† Curro.
* Convivium

* Lib. 5. de Emendat. temp. cap. de primo agone Attico.

Rusticus ille tuus cepit trechedipna, Quirine,
Et ceromatico fert niceteria collo.

Sed de capitis tegumentis satis. De ventris etiam, ac crurum tegmine, aliquid dicam.

Subligar, aut *subligaculum*, haut rectè pro *braccis* dicunt, cum his Romani veteres abstinuerint: illorum usus esse soleat in histrionia adnates, femoraque contegenda. Affinia his, non eadem, ut putarunt, *campestria*: quibus juventus succingebatur, cùm se exerceret in campo Martio; unde & *campestribus* nomen.

Caligas quoq; vulgò pro tibialibus usurpant. Ac videtur sic usurpâsse jam olim Fortunatus, Pictavorum Episcopus, de vita S. Germani, cap. XXXVI: *Cum die Dominico, ut loquimur, caligas circinâsset.* Ubi *sarcinâsset* malim. Sanè tibialia sua sarcire monachi ipsi solent. Veteribus verò *Caliga* erat στρατιωτικὸν ὑπόδημα, *calciamentum militare*, ut ait Dio lib. XLVII. Cujus figuram conspicere est in veterum statuis. Hinc *caligati* milites apud Quinctil. in Declamat. & L. II. D. de his qui not. infam. atque alibi non uno loco; item Justinianum Novell. LXXIV. Nempe sic dicti milites gregarii, nullumque habentes in armata militia officium militare. Itaque Cajus Cæsar, Germanici filius, quòd manipulari habitu inter milites educaretur, *Caligula* nomen accipiebat: ut est apud Tranquillum in ejus vita cap. IX. Tacitum in primo Annal. Dionem lib. memorato. Indeque Ausonius in Cæsaribus.

Cajus

Cujus, cognomen caligæ cui castra dederunt.

Atque iterum:

Post hunc castrensis caligæ cognomine Cæsar.

Est & apud Suetonium in Caligulæ vita †: *Modò in crepidis, vel cothurnis, modò in speculatoria caliga, nonnunquam socco muliebri, conspectus est.* Ubi videre est, conjungi quatuor hæc pedum tegumenta; crepidam, cothurnum, caligam, & soccum. † Cap. 52.

CAP. XXX.

Similiter peccari in nomenclatura urbium, ædificiorum, vel horum partium, & variæ supellectilis. In oppidis, ut cùm Antiochiam *dicunt pro* Chalepio, *seu* Aleppo, *quæ est* Berrhœa: *cumque* Pergamum, *vel* Pergamus, *quæ est Phrygiæ majoris civitas, sumitur pro* Pergamis, *urbe, vel arce Trojana. In ædificatione, ut quando confundunt* templum, *&* ædem sacram; officinam, *ac* tabernam; cubiculum, *vel* triclinium, *&* cameram: *item cùm* secessum *dicunt pro* latrina. *Adhæc in supellectile, cùm per* amphoram *intelligunt* cantharum: *per* mantile *item* mappam, *aut contrà. Præterea in re militari, quoties* scutum *vocant, quod est* clypeus, *vel contrà: aut cùm* jaculum *usurpant pro* sagitta. *Itidem in re nautica, quando in prosa* ratem *dicunt pro* navi.

A Bamictu me confero ad habitationem. Cujus locus vel civium est communis; ut oppidum: vel magis proprius cuique familiæ; ut sua singulis domus.

In oppidorum propriis etiam sæpe peccatur. Ut cùm multi, Villanovanum, & alios, secuti, (in his & Hadrianus Junius est in oppidorũ Nomenclatura) *Antiochiam* dicunt pro *Berrhœa*. Nam *Aleppo* esse *Antiochiam*, perperam putant: cùm Aleppo sit inter Antiochiam, & Hierapolim, utrimque distans dici itinere: ut est apud Procopium in secundo Persicorum. Etiam in Jure Orientali est *Berrhœa, sive Chalepo*. Cedrenus etiam Χαλεπὸν nuncupat. Ex *Chalepo* autem factum *Aleppo* κατ' ἀφαίρεσιν. Quod ex Zonara quoque Petro Gillio est firmatum.

Atque hic quidem locorum vicinitas imposuit. Est verò, cùm itidem errorem parit vocabulorum vicinitas. Quomodo *Pargamus* & *Pergama*, vulgò confundunt. Nam Diomedes, & tot alii, censent, eâdem significatione prius illud numero singulo, alterum dici plurali.

Sed

Sed *Pergama* generatim dicuntur πὰ ὑψηλὰ, *loca editiora*; ut ait Suidas: nempe eâdem origine, quâ montes Germanis hodièque bergen dicuntur. Speciatim verò, ac κατ' ἐξοχὴν, sic vocantur arces Trojanæ: ut ex Marone constat 11. Æn. & iis, quæ Servius ad eum annotavit. *Pergamum* verò civitas Asiæ inclyta, Galeni patria erat, Plinius lib. v. cap. xxx. *Longè Clarissimum Asiæ Pergamum, quod intermeat Selinus.* Ubi in Dalecampiana editione lemma capitis est: *Æolis, Troas, Pergamus.* Mallem *Pergamum* edidisset; ut in Plinio est. Nec tamen *Pergamus* pro urbe ausim damnare; nam Stephani est, sive Hermolai Byzantii in Ethnicis: Πέργαμος, πόλις Ασίας. *Pergamus, urbs Asiæ.* Intelligit verò Phrygiæ, vel Mysiæ majoris civitatem, ad Caicum sitam; de qua antea nobis Plinius. Verùm de isto non adversor. At *Pergamus* pro Trojana vel urbe, vel arce, nemo veterum, ut arbitror, dixit. Sed ne *Pergamum* quidem: ut certum videatur, perperam singulare illud, & plurativum, à Grammaticis prope omnibus, pro eodem haberi.

Ab communi sede, qualia sunt urbes, veniamus nunc ad partes earum: ut est ædificatio operum tum publicorum, tum privatorum. Ad publica refer ædes sacras, & templa; quæ distinguenda. Nec enim *ædificium* de æde sacrâ dixeris. Imò nec *templum* idem, ac *ædis sacra*. Sanè Curia Hostilia non potuit vocari *ædis sacra*: *templum* tamen erat, quia auguratò esset constitutum.

In privatis sunt *officinæ*: quam vocem malè ponunt pro *taberna*, & contrà. Siquidem *officina* dicitur, quasi *efficina*; ut *officium*, quasi *efficium*. Eoque *officina* non sit, nisi ubi artifices opus faciunt. Atque idem voluit Andreas Schottus, cum lib. III. Tullianarum quæstionum*, sed perperam, putat, quia in eo opifices agant sic dici, quasi *opificinam*. Interea rectè, quid *officina* sit perspexit. At *taberna* fuerit, ubi merces venduntur, aliáve opera. Dixerim igitur *officinam librariam*, ubi libri compinguntur: at *librariam tabernam*, ubi solùm divenduntur. Conjunxit Paullus Sentent. II. *Quod cum discipulis eorum, qui officinis, vel tabernis præsunt, in magistros, vel institores in solidum actio datur.* Nempe officinæ præest *magister*; *institor*, tabernæ.

* Pag. 264.

Adhæc Belgæ, ac Germani, & gentes aliæ, cubiculum, ac triclinium sive cœnaculum, nuncupant *cameram*: unde non Accursius solùm ita interpretatur: sed hodièque Latinè etiam loquentes, scribentesque, sic utuntur: in his Julius Syrenius Brixianus lib. I. de

Prædesti-

prædestinat. cap. XXIV. Atqui veteribus *camera* est fornix, sive testudo: hoc est, tectum in curvitatem formatum; ut Nonius interpretatur.

Secessum vulgatus ait interpres pro *latrinæ*, Matt. xv. 17: sed præter consuetudinem classicorum scriptorum. Verùm Græci similiter dicunt ἀφοδον: hoc est, *diverticulum*. Nec hac parte vulgatum interpretem sequi dubitavit Erasmus. Estque tam honesta aptáque ea appellatio, ut reprehendere propterea vix ausim.

Ad domum quoque pertinet omnis generis supellex. In hac etiam parte erratur: ut cum vulgò *amphoram* dicunt pro *cantharo*. Nam *amphora* potiùs est mensuræ vinariæ genus, continens urnas duas, sive sextarios XLVIII. Habebat pedem quaquaversum quadratum, item à lateribus ansas binas: unde & nomen. Nam *amphora* est ex ἀμφορεὺς: hoc quasi ἀμφιφορεὺς, quia utrimq; gestaretur. At *cantharus* est vas potorium, quale quod κατ' ἀποκοπὴν inde **Kanne** dicitur Germanis, ac Belgis, imò & Ungaris. Unicam hoc ansam habuisse, indicat illud Maronis in Eclogis:

Et gravis attritâ pendebat cantharus ansâ.

Ubi Sileno videmus tribui: idque aptissimè, quia proprium esset poculum Liberi patris: ut est apud Macrobium libr. v. *Sat.* cap. XXI. Fuisse collo oblongo; & angusto, liquet ex marmoribus vetustis; ubi Liber cum ejusmodi effingitur. Atque hinc videmus, cujus figuræ potiùs magis conveniat *canthari* appellatio. Interim fatemur, Germanicum *kanne* laxiùs solere usurpari.

Mensis etiam inserviunt *mantile*, & *mappa*: quæ vocabula malè vulgò confundi, suspicio est nostra. Nunc *mappam* vocant, quod mensæ insternitur: *mantile*, quo, qui mensæ adsident, manus tergent. Atque ita etiam hæc verba interpretatur Hadrianus Junius, in Nomenclatore suo. Mihi contrà videtur, *mantile* esse id linteum, quod mensæ insternitur: mappam autem, quod gremio insternitur à singulis. Colloquium Scholasticum una cum Glossis vett. à Stephano prius, hinc à Vulcanio editum †. *Mappam* μάπτρον. *Mantile*, ἐπιτραπέζιον. Confirmat hanc sententiam Martialis lib. II. epig. XXIX: † Col. 285.

Attulerat mappam nemo, dum furta timentur.
Mantile è mensâ surripit Hermogenes.

Dum, inquit, metuit quisque, ne si mappam ex more ad convivium ferat, eam furto auferat Hermogenes: malunt venire absque

mappis. At Hermogenes, ubi se elusum videt, ne vacuus rediret domum, abstulit ipsum linteum, quo mensam straverat convivator. Quæras, quo igitur manus erant detersuri convivæ? Credo, eâ mantilis parte, quæ non tam mensam tegeret, quàm undique dependêret, ut hodiéque fit. Nempe convivæ isti redieread priscum morem, quo, ante usum mapparum, tersere manus mantili: quod postea factum mappis, ubi eas à Pœnis didicere. Nam & res, & vocabulum ipsum *mappa*, à Pœnis esse, ex Quinctiliano ostendimus cap. quarto. Et quia antea is mantilis foret usus, quem dixi; etiam nomen inde datum. Ex parte id vidit Isidorus, cùm sic scribit lib. XIX. Originum cap. XXVI: *Mantelia nunc pro operiendis mensis sunt; quæ olim, ut nomen indicat, tergendis manibus fuere.* Fallitur Isidorus, si existimat, unquam mensas Romanis aliter stratas, quàm mantili: sed verè illud, quòd mantili ait etiam manus detersas: indéque nomen datum. Nam (quod Salmasius optimè docuit suis ad Trebellium notis) vocatur *mantele*, quasi *manutela*: ut *manſuetus*, quasi *manusuetus*, χφονθὺς: item (sit venia verbo) *masturbare*, vel potiùs *manstурbare*, *manuturbare*, χφυργεῖν. *Mappa* verò pro eo, quod mensæ insternitur, apud neminem veterum legas: imò nec antiquis mappæ fuerunt, ut jam diximus. *Mantile* verò, pro eo quod mensam tegit, etiam alibi clarè usurpat idem Martialis lib. XIV. ep. CXXXVIII: cujus lemma, *Gausapa villosa, seu mantile.*

Nobilius villosa tegant tibi linteа citrum.
Orbibus in nostris circulus esse potest.

Sententia est: Insterne mensæ tuæ citreæ gausapam villosam, quæ mantilis usum præstabit. Mihi non est mensa tam preciosa, nec ejus pretii mantile: sed, ne maculetur mensa, sufficit circulus ligneus, cui lagena imponatur. Est & Trebellii Pollionis in Gallieno: *Mantilibus aureis semper stravit.*

Sunt & habitacula tum castrensia, ut tabernacula; tum aquatica, ut naves. Tabernaculis custodimus arma; in quibus clypei, & scuta, ad nos tuendos; sagittæ, & jacula, ad hostem petendum. Ex his *clypeum, & scutum*, confundunt vulgo: cùm scutum fuerit oblongum; unde Græcis θυρεὸς vocatur: clypeus, qui græcis ἀσπὶς, sit rotundus: un- † 3. Æn. de Maro de Polyphemi oculo †:

Argolici clypei, aut Phœbea lampadis instar.

Livius lib. VIII: *Clypeis antea Romani usi: deinde, postquam facti sunt stipendiarii*

ſtipendiarii, ſcuta pro clypeis fecere. Atque idem dixerat lib. I. *Militibus prima claſſis arma imperata, galea, clypei, ocreæ, lorica, omnia ex ære: ſecundæ verò claſſis arma imperata, ſcutum pro clypeo.* Servius ad IX. Æn. ait, clypeos fuiſſe peditum, ſcuta equitum. Sed & pedites uſi ſcutis; verùm longioribus.

Similiter vocibus abutuntur, qui *ſagittas*, pro *jaculis*, dicunt. Nam *jacula* jaciebantur manu: *ſagittæ* mittebantur arcu: unde ſagittarii, Feſto teſte, *arquites* vocabantur. De ſagittis ſatis apertum. De jaculis argumento eſt, quòd Jupiter paſſim dicitur fulmina ſua jaculari dextrâ. In jaculis etiam haſtæ velitares: quæ & iccirco jactari dicuntur. Feſtus: *Advelitatio, jactatio quadam verborum figurata, ab haſtis velitaribus.* Ideo ſagittariis & ipſæ conjunguntur. Salluſt. Jugurth. *Iere ſagittarii, & cohors Peligna cum velitaribus armis, itineris properandi cauſſâ.* Livius lib. XXXVIII: *Conſules ingentem vim pilorum, & velitarium haſtarum, ſagittarum, glandiſque paravere.* Idem lib. XXIV. *velites* iccirco pro *jaculatoribus* dixit, & *ſagittariis* oppoſuit: *Sagittarii funditores, & velites etiam, quorum inhabile telum ad remittendum imperitis eſt.* Ac quandoque ad errorem præeunt Grammatici vett. ut cùm *corythi* vocem plerique pro *ſagitta* uſurpant. Defendunt ſe Nonio Marcello: qui ſic interpretatur illud Maronis *;

Corytique leves humeris, & letifer arcus.

Atqui locus ille contrarium evincit. Nec enim tela, ſed pharetra de humeris ſuſpenditur. Et ſanè Etymologus ait, dici χωρυτὸν, παρὰ τὸ χωρεῖν τὰ βρυτὰ, τυτίσι τὰ τόξα, ἢ τὰ βέλη. Helychius ſimiliter exponit †: *pharetram* interpretatur Lutatius Placidus in IX. Thebaidos *: aperteque ſic uſurpatur X. Theb. --- *Cæleſtibus implet Coryton telis.* Ut Naſonem †, & poëtarum alios *, præteream.

Ad navigia pertinent naves longæ, & triremes; quas vulgò confundi, oſtendimus cap. primo.

Ratem pro *navi*, ſic propriè preſſéque nuncupatâ, dicere, fas eſt poëtæ: in proſa non item. Nam ratis è trabibus fit, atque aſſeribus ſubitò nexis. Jungit igitur, ut diverſa, Cicero VII. Verr. *Cum aut navibus, aut ratibus conarentur accedere.* Cæſar in primo de bello Gallico: *Navibus junctis, ratibuſq; compluribus factis.* Livii quoq; eſt: *Navibus ab Annibale incenſis, rates ad traiiciendum exercitum in magna inopia egrè comparantem.* Ac ſimiliter non uno in loco jungit Ulpianus. Nec præterire poſſum illud Plinii lib. VII. cap. LVII: *Navem primus ex Ægypto in Græciam Da-*

* Æn. 10.

† *Arcus thecam ſaccum*
* *Verſ.* 703.
† *Lib. 5. el. 8.*
* *Sil. lib. 15. &c.*

naus advexit: *antè ratibus navigabatur, inventis in mari rubro, inter insulas à Rege Erythra.* Ubi Erythra Rex videtur pater Idumæorum Esavus, sive Edom: quod vocabulum ἐρυθρὸν † notat. Et alibi * ostendimus, ab hoc Erythra nomen esse mari Erythræo, non ab aquæ rubore.

† *Rubrum.*
* *Lib. 4. Orator. Institut. cap. 11. sect. 5. & lib. 2. de Idololatria, sive Theologia gentili cap. 34.*

CAP. XXXI.

Recedere Grammaticos à recto loquendi usu, quando dictionem *dicunt pro* vocabulo; *ac* technicè *ajunt accipi, ubi vox pro se ipsâ sumitur. Recedere ab eodem Logicos, quando opponere hæc duo malunt, esse* potentia, *&* actu; *quàm* virtute, *&* re ipsa. *Idem Astrologos, & alios, qui* crepusculum *dicunt, quod* diluculum *est: aut* solstitium *usurpant pro* bruma. *Adhæc Musicos, quando* choraulem *vocant, qui est* symphoniacus. *Peccari etiam in vocabulis virtutum, ac vitiorum: ut cùm* luxuriem, *pro* intemperantia, *dicunt; eumque confundunt* ingluviem, *&* inluviem; *aut quando* humilitatem *appellant, quæ dicenda erat* modestia. *In civili etiam Philosophia perperam à multis* comitia *vocari, qua procerum sunt conventus: maleque nuncupari provinciarum* unionem, *qua* concordia, *aut* fœdus, *debuit nominari.*

POteram hic finem facere substantivis. Sed, ut fœcunda est errorum seges, alia etiam se offerunt non pauca. Quare novum faciam initium: ac ut varietate aliquâ hæc tam tetrica constent; non jam per naturalem rerum seriem ibo, sed disciplinarum.

A Grammaticorum imprimis filiis habemus, quòd vulgo *dictio* obtineat pro *vocabulo*. Nam nunquam ita locuti Cicero, vel æquales: imò nec diu postea: sed iis *dictio* est oratio, vel dicendi genus. Quinctilianum objectant, cui tropus est dictio: at, inquiunt, tropus in una voce consistit. Verum tropus etiam in multis esse vocibus solet. Potuit igitur Fabius, ut *dictionem*, sic *sermonem* dicere. Atque hoc verba ipsa ostendunt, quæ sunt lib. IX. cap. I: *Est igitur Tropus sermo à naturali, & principali significatione translatus ad aliam ornandæ orationis gratiâ: vel ut plerique Grammatici finiunt, dictio ab eo loco, in quo propria est, translata in eum, in quo propria non est.* Sententia igitur est, Tropum esse improprium sermonis sive dictionis genus. Validius alicui telum illud videatur, quòd idem lib. I. c. IX. dicat: *Ex peregrino, & nostro, componuntur dictiones:* Ut *epitogium*, & *Anticato. Sed, qui eo pugnant,*

Fabium

Fabium non inſpexerunt. Nec enim vox *dictiones* iſtic comparet, ſive in optimo noſtro Mſo, ſive editione Aldi, Vaſcoſani, Rob. Steph. Gryphii, vel aliis.

Technicè à Grammaticis poni dicuntur, quæ pro voce uſurpantur, non habitâ ratione ſignificationis. Ut in illo; Priſci *topper* ajebant, pro *citò*. In qualibus Græci addunt articulum neutrius generis. Ut, τὸ Ἀτρείας. Potiùs dixero, vocem pro ſe ipſa, non pro re ſignificatâ, poni. Vel etiam, aliquid *materialiter* ſumi: cùm, quod audimus, ſit vocis materies, & quaſi corpus: ſignificatio autem ſit forma, & velut anima. At τεχνικῶς Iſocrati, & aliis, ſignificat *artificioſè*.

Itidem eſt, cùm parum ad purum ſermonem atttendant Logici, ac philoſophi. Ut quando Ariſtotelis interpretes in motûs, vel animæ definitione, dicunt *potentiâ* aliquid *eſſe*, vel *vitam habere*: vel cum ajunt, quippiam *potentiâ eſſe ovum*, *actu verò avem*. Nam Latinis *potentia* vox notat facultates rerum magnarum, principatus, atque exercitus. Potiùs pro eo *virtute* dicamus cum B. Hieronymo. Ut cùm præfatione in vet. Teſt. ait †: *Cera mollis, & ad fingendum facilis, etiamſi plaſtæ manus ceſſerit; virtute tamen totum eſt.* Vel ſi parum ejus in talibus auctoritas movet; ſanè pro eo, quod Græci dicunt δυνάμει ὄντας, dicemus *eſſe poſſe*. Itidem nec *actu eſſe* dicemus pro eo, quod Græci ajunt ἐνεργείᾳ ὄντας, ſed *re*, vel *reipſâ eſſe*. E. G. Ovum reapſe ovum eſt; at gallina eſſe poteſt. Revera quid eſt ſemen, ſed poteſt fieri flos.

*Sive prologo galeato ad Pauliſſum.

A Mathematicorum, & Aſtrologorum vulgo, habemus *crepuſculum*, pro *diluculo*; *ſolſtitium*, pro *bruma*. Ut de priori priùs dicam, duplex ſtatuunt creſpuſculum; matutinum, & veſpertinum: nempe quia non minùs ante Solis ortum, quàm poſt occaſum, lux ſit crepera, dubiáque. Sed aliter, qui purè caſtéque ſunt locuti: à quibus *diluculum*, ac *mane*, opponi *crepuſculo* ſolet. Columella lib. XII. cap. I. *Primo mane* (villico) *cum familia prodeundum eſt; & crepuſculo, peractis operibus fatigato, redeundum.* Plinius lib. XVIII. cap. XXV. *Matutini, veſpertinive cognominati, prout alternis eorum mane, vel creſpuſculo, contingit.* Cenſorinus de die natali cap. XXIV: *Incipiam à nocte media, quod tempus principium eſt, & poſtremum eſt diei Romani. Tempus, quod huic proximum eſt, vocatur De media nocte. Sequitur Gallicinium, cum galli canere incipiunt. Dein Conticinium, cum conticuere. Tunc ante lucem, & ſic Diluculum, cùm Sole nondum orto, jam lucet. Secundum diluculum vocatur Mane, cùm lux videtur Solis. Poſt hoc Ad meridiem. Tunc meridies, quod eſt medii diei nomen. Inde De meridie. Hinc ſuprema*: quamvis

Plurimi Supremam post occasum Solis esse existiment. Et mox: *Post supremam dicitur Vesper: ante ortum scilicet ejus stella, quam Plautus Vesperuginem, Ennius Vesperum, Virgilius Hesperon appellat. Inde porrò Crepusculum, sic fortasse appellatum, quia res incerta crepera dicuntur; idque tempus noctisne sit, an diei, incertum est. Post id sequitur tempus, quod dicimus, Luminibus accensis; antiqui Primâ face dicebant. Deinde Concubium, cum itum est cubitum. Exinde Intempesta, id est, multa nox, quia nihil agi tempestivum est. Tum, Ad mediam noctem, dicitur: & sic Media nox.* Gloss. Philoxeni: *Crepusculum, ἡ ἑσπερινὴ ὥρα.* Et favet origo, si *crepusculum*, ut puto, ὑποκοριστικὸν sit à *crepus*, hoc verò sit âb ערב, ἑσπέρα. Adversus ista obtenditur hoc Servii in II. Æn. *Sunt solida noctis partes, secundum Varronem, hæ: vespera, conticinium, intempestum, gallicinium, lucifer. Diei: mane, ortus, meridies, occasus. De crepusculo verò, quod est dubia lux (nam creperum dubium est) quæritur. Et licet utrique tempori possit jungi; usus tamen, ut matutino jungamus, obtinuit: licet Lucanus dixerit, Longa repercusso nituere crepuscula Phœbo.* Etiam in Glossis Cyrilli est: Λυκόφως, *crepusculum, diluculum.* Item, Ὀρθρινὸς, *matutinus, crepusculus.* Ubi *creperus* legit Vulcanius; *crepuscus*, Savaro. Qui & *crepulascentem horam* Sidonio lib. VIII. epist. III. vocari ait, non *vespertinam*, ut interpretatus Beroaldus in I. & II. Met. Appuleii: sed *matutinam*, ut *crepusculi* vocem cepit Servius. Sed summùm ex his evincas, Servii, Sidoniique ætate, ac deinceps, *crepusculum* pro *diluculo* etiam acceptum. Nobis verò potiores sunt Columella, Plinius, Censorinus: quibus *crepusculum* tantummodo est ab Solis occasu.

Nihilo rectiùs *Solstitium æstivum* dicunt. Quâ parte etiam erravit doctissimus Theodorus Gaza in translatione Aristotelis Hist. Animal. lib. IX. cap. XXII. sive ex Cæs. Scaligeri distinct. cap. XXVIII. sect. CXCIII. Verba Aristotelis sunt ista: Ὀχλωρίων δὲ τὰς τροπὰς τὰς θερινὰς φανερὸς μάλιστα γίνεται. Quæ Gaza sic reddidit: *Virea æstivo solstitio potissimùm venit in conspectum.* Nempe quia Græcè est τροπὴ θερινὴ, gemino etiam vocabulo sibi exprimendum putavit. Frustra sanè, cùm τροπὴ θερινὴ nihil aliud sit, quàm *solstitium*. Nec fugit hoc acrem censorem Cæsarem Scaligerum, in commentario ad locum memoratum; ubi sic scribit: *Solstitium cùm dicit æstivum, non rectè scripsit. Unum tantùm solstitium est, idque æstivum. Sed bruma dicitur, & non brumale solstitium.* Firmat hæc Maro I Georg.

Humida

Humida solstitia, atque hiemes orate serenas.

Quem ad locum pulchrè Servius: *Optanda hæc, quæ per naturam non sunt, quò possit utrinsque temporis asperitas mitigari; & æstatis calor pluviis, & frigus hiemis serenitatis tempore.* Ut satis liqueat, hic *solstitia*, & *hiemes*, opponi. Sed fortasse Servius ista hausit ex antiquiori aliquo interprete Maronis. Nam ibidem multa reperias de gemino solstitio. Nempe jam Servii tempore *æstivum* etiam *solstitium* dixisse videntur. Sanè apud æqualem ejus Macrobium quoque legas in Somn. Scipionis cap VI. *A solstitio hiemali ad æstivum septimo pervenit signo.* Sed hæc ætati tribuenda, qua vixit uterque. Nam Theodosiani sunt ævi scriptores. Etiam apud Censorinum, qui seculo, & amplius, antecessit, cap. XXI. scriptum: *Ab æstivo solstitio.* Sed *æstivo* est ab imperito librario; qui periculum putabat, ne bruma intelligeretur. Atqui veteres, uti dictum, tantummodo *solstitium* vocarunt, cùm Sol Cancrum ingreditur: at cum Capricornum, non *solstitium*, sed *brumam* appellarunt. Hinc Cicero lib. II. de Nat. Deor. *Solis accessus, discessusque, solstitiis, brumisque cognosci.* Seneca Nat. Quæst. lib. III. cap. XXIX de Cancro & Capricorno locutus, *illic*, inquit, *solstitium, hic bruma conficitur.* Columella quoque lib. IX. cap. XIV. ubi tempora anni dispertitur, priùs ait, *Ab exortu Virgiliarum ad solstitium; quod fit ultimo mense Iunio, circa octavam partem Cancri.* Ac postea: *Ab occasu Virgiliarum ad brumam; quæ fere conficitur circa* VIII. *Calendas Ianuarii, in octava parte Capricorni.* Ajunt, apud Columellam quoque lib. IX. cap. XVI. legi *solstitium brumale.* Sed verba hæc istic loci non comparent. Atque, ut alibi sic loquatur, de quo nunc inquirendi non est otium, non eò etiam dixerint *solstitium æstivum.* Solumque fuerit hoc argumento, jam Claudii Cæsaris ævo sic loqui cœpisse; collabi jam incipiente puritate sermonis Romani.

Satis immorati sumus *crepusculi*, & *solstitii* vocabulis; quibus cùm alios, tum Mathematicos abuti ostendimus.

Ad Matheſin verò etiam pertinet Musice. Hujus doctores cum vulgo pro *symphoniaco* dicere amant *choraulem*; cujus erat tibiam in choro inflare, choroque præire. Quantum verò hæc differant, vel proverbio istoc edocemur: *Malus choraules, bonus symphoniacus.*

De Physicis nihil nunc afferam: quia pleraque huc pertinent superiori capite nobis dicta, & quæ inferiùs apponam, quando de Medicis, horum progenie, loquar. Venio igitur ad philosophiæ practicæ doctores: ac primùm agam de Morali.

Hic

Hic verò me continebo inter duas virtutes; temperantiam, & modestiam. Ad priorem pertinet, quòd promiscuè utantur vulgo *abstinentia*, & *continentia* vocabulis. Item quòd *luxuriem* vulgo appellant intemperantiam, & vinositatem. Quâ ratione etiam cadat in eos, qui nihil habent: uti parasitos, quos tamen veterum, ut puto, nemo *luxuriari* dixisset. Sed iis *luxuries* est immoderata profusio circa victum, & vestimentum. Festus: *Luxa membra è suis locis mota, & soluta: à quo luxuriosus, in re familiari solutus.* Item huc pertinet, quòd, vocum similitudine decepti, *ingluviem*, & *inluviem*, confundunt; quarum illa ab inglutiendo est, eóque ad voracitatem pertinet; hæc ab lavando, eoque sordes designet; ut jam olim Agrœcio monitum. Itaque ex voracitate imbecilles ac pallidos, *ingluvie albos*, dicit Sulpicia in Satyra. At á diuturnis sordibus Tacito VI. Annal. dicitur aliquis *obsitus illuvie*. Et fœtentem anhelitum esse sæpius ex *oris illuvie*, ait Ulpianus L. XII. §. ult. de ædilitio edicto. Deque graveolentia corporum similiter usus Jul. Firmicus lib. VI. Matt. cap. XXXI: *Quorum corpora hircini odoris tristem illuviem desudatis gravibus humoribus evaporent.*

Ad modestiam venio, quàm Philosophi Christiani, Theologos secuti, *humilitatem* nuncupant. Perperam sanè, cùm humilitas vitium sit ejus, qui animo sit vili, abjectoque: eoque nec ambiat, nec custodiat honores virtuti suæ debitos. Nempe aliud est animus *submissus*, sive *demittens* sese; quo nihil Christianæ religioni magis consentaneum: aliud verò animus *humilis*; quod propriè sit *vilis*, *sordidus*, *fractus*: unde Cicero in Antonium, ac de Finibus, conjungit, *humilis*, & *abjectus*: uti pro Fonteio, *demissus, atque humilis*. Idem Tusculan. Quæst. lib. V: *Nam cùm statuisset verbera, tormenta, cruciatus, patria eversiones, exilia, orbitates, magnam vim habere ad malè, miseréque vivendum; non est ausus elatè, & amplè loqui, cùm humiliter, demissèque sentiret.* In Cantico B. Mariæ, cùm dicitur, *Respexit ad humilitatem ancillæ suæ: humilitas* nec virtus est, nec vitium: sed signatur humilis conditio. Græcè enim est Ταπείνωσις, non Ταπεινοφροσύνη: quomodo Græci *modestiam* vocant. Vide, quæ ibi Erasmus, Maldonatus, Lucas Brugensis, aliique, annotarunt. Objectant, Speusippo in Platonis Definitionibus *humilitatem* esse *facilitatem animæ, omnis expertem iracundiæ*. Quasi non Speusippus scripserit Græcè: Latini verò pro eo *modestiam* fuerint dicturi.

Qui de civili prudentia agunt, quando varias Rerumpublicarum formas describunt, ineptissimè conventum imperii Romani sive Germanici

manici, vel Ordinum Hollandiæ, aut Belgicæ, *comitia* appellant: quæ populi, non optimatium, aut principum imperii, erant. Ita tamen loquitur Paullus merula in diatriba de statu Reip. Batavæ †. Sed quid virum optimum, & doctissimum nominamus, cùm pauci aliter loquantur, vel scribant? † Pag. 130. edit. Lugdunensis in 32.

Etiam iis, qui de Rep. agunt frequens in ore est, & scriptis, *unio provinciarum*, pro *fœdere*, vel *concordia*. Nempe præter seculorum aliquam multorum auctoritatem, decipit eos vocum alarum ἀναλογία. Nam cùm viderent, à *regendo* dici *regionem*, à *legendo legionem*, à *conciendo concionem*: existimarunt, similiter ab *uniendo* dici *unionem*; eoque *concordiam* signari. At classicis *unio* semper *margaritam* notat: nisi quòd rustici etiam sic dixerint cæpam Pompejanam, vel Ascaloniam, aut Marsicam simplicem; teste Columella lib. XII. cap. X. glossæ Philoxeni: *Uniones*, μαργαρίται μεγάλοι μονόκκοι. Vulgari consuetudine etiam abripi se passus est Cæsar Scaliger, lib. III. de Re Poëtica cap. CIV; ubi de natura singulorum loquens, *Quorum*, inquit, *conditio universis spectat ad unionẽ*. Quæritur, an non rectum saltem sit *unio*, pro eo, quod Celso est *unitatem facio*. Sanè in Onomastico Græcolatino est, *Unio*, ἑνόω. Et in Cyrilli glossis, Ἕνωμαι, *unior*. Imò sic usus Appulejus lib. II. Met. *Vnita ratio numinis, religionisq; esset*. Ibid. *Numine uniti*. *Adunare* pro eo maluit Plinius: ut Irenæi interpres lib. V. c. XX. Et in glossis est, *Adunatus*, ἀθροισμένος. Imò & extra compositionem usurpat. Tertullianus *unare*. Quod si ante Appuleii ætatem non dixerint *unire*; quid mirum, si nec inde *unio* formarint?

CAP. XXXII.

Perperàm à Medicorum filiis complexionem *dici*, *pro* temperamento: elephantiasin, *pro* lepra, *& contrà*: picam, *pro* malacia gravidarum: potum *pro* potione: apothecam, *pro* pharmacopolio. *Item à Jurisconsultis malè* reatum *poni pro* crimine: noxam, *pro* noxia. *& è contrario*: oppositionem, *pro* intercessione: *ac similiter in aliis peccari*. *Denique à Theologis vitiosè* superstitionem *accipi*, *pro* falso quovis Dei cultu: symbolum, *pro* symbola, *& contrà*: articulum fidei, *pro* capite ejusdem: personam, *pro* individuo rationali; personarum acceptionem, *pro* vitio non facientis discrimen personarum: divus, *pro* sanctus: Sors, *pro* Fors: angustiam animi *in Christo*

patiente, *pro* angore: acceptilationem *in Deo Patre*, *pro* agnitione plenissimæ satisfactionis: indulgentiam, *pro* veniat Papali: tonsuram, *pro* rasura: capellam, *pro* sacello: abusus Ecclesiæ, *pro* corruptelis, *quæ irrepserint*.

A Mathematicis, ac Philosophis, nunc considerationem intendam in Medicos, Jurisconsultos, & Theologos.

A barbaris medicis est *complexio*, pro συσάσει φυσικῆ, temperamento qualitatum naturalium, qualitatum temperatione & crasi, atque hoc usu inter barbaras λέξεις retulit Goclenius Sylloge vocum obsol. & barb. p. 299. Ipsum aliàs vocabulum non est barbarum, & Latinis est *copulatio*. Rhetoribus etiam sumitur pro conclusione alicujus argumentationis.

Vulgò quoque *elephantiasin* dicunt pro *lepra*, & *lepram* pro *elephantiasi*: quæ etiam confundunt lexicographi. Atqui plurimùm differunt: estque *elephantiasis*, quæ Latinis *vitiligo*; quam, ut Festus ait, etiam ἀλφὸν appellant. Morbo hoc cutis albescit maculis subasperis, sic ut elephanti esse cutis videatur. Vide Cornelium Celsum libro tertio cap. vigesimo quincto.

Itidem vulgò, sed sine veterum exemplo, *pica* à medicis vocatur, quod *gravidarum malaciam* Plinius appellat lib. xxv cap. vi. Dixeris, Græcis nominari κίττλαν; idque, ut Plinius ipse agnoscit, ab ave κίττλη. Si igitur κίττλα est *pica* avis, & inde κίττλης vocabulum transfertur ad signandam gravidarum malaciam: nihil obstare, quo minùs Latini etiam, Græcorum more, pro eo possint *picam* dicere. Potuisse olim, fateor. Sed non idem jus nobis, quod olim Romanis. Et quid opus novum fingere usum vocis, ubi nulla urget necessitas? Nec tamen de isto magnopere contendero. Utinam tam verisimili argumento defendere alia liceret plurima, in quibus recessimus à veterum usu?

Potus, pro *pharmaco*, non dicitur; sed *potio* tantummodo. *Potio* verò generale est nomen; & Ciceroni, Varroni, aliis, sumitur, non de eo duntaxat, quod medici exhibent ægrotis; sed insimul vino, zytho, vel alio, quod bibunt sani.

Etiam medicorum vulgus pro *pharmacopolio* dicit *apothecam*, & *apothecarium* pro *pharmacopola*. Nec negare possis, id nomen quoque competere, si generalem significationem attendamus. Nam ἀποθήκη dicitur, ubicunque aliquid reponitur. Sed si presse, propriéque, cum vett. loqui volumus, *apothecam* potiùs dicemus pro ὑποθήκη, sive grandiori

diori cella vinaria. Ita enim locuti Cicero, Horatius, Columella. Atque hoc etiam nomine Antonium Raudenſem in ſuis ad eum annotationibus taxat Laurentius Valla. Qui tamen generatim ipſe uſus in Thucydideâ tralatione ſuâ lib. VI †: ubi ſic reddidit: *Cum nemo obviam prodiret, regreſſi, caſtellum apud Labdalum excitant, in ſumma crepidine Epipolarum, quâ parte vergunt ad Megara: ut eſſet illud apotheca vaſorum, atque pecuniarum.* Nempe ſic vertit, quia græcè eſt: τοῖς τε σκεύεσι, καὶ τοῖς χρήμασιν, ἀποθήκη. † Pag. 478. ed. H. Steph. an. 1588.

A Juriſconſultis recentioribus, quos propterea etiam caſtigat Budæus, habemus, quòd *reatum* vulgo dicant pro *crimine*. Sed ut nexus inter ea ſit, idem tamen non ſunt. Sanè *reatus* eſt obligatio ad pœnam: ut inter *crimen*, & *pœnam*, medius ſit *reatus*.

Noxa eſt pœna; *noxia* eſt culpa; prout Cornelius Fronto diſtinguit. Et ſic dicitur quis *ſolvi noxiâ*, h. e. *culpâ*: *eximi noxæ*, hoc, eſt, *pœnæ*. Sed rectiùs Feſtus; qui ait, *noxam*, & pro *delicto* poni, & pro *pœna delicti*: ac Cajus etiam L. Plebis. D. de rerum ſignif. ait, *Noxæ* appellatione omne delictum contineri. Indéque *noxalis actio*, quæ ex noxa, & maleficio ſervorum, adverſus nos conſtituitur. C. leg. 1. de noxal. action. Prudentius tamen *noxialem ſtipitem* dixit. Sed is ſcriptor vixit multùm jam collapſo puro ſermone Romano. *Noxialis* enim eſt à *noxia*, quo *maleficium*, non *pœna*, ſignatur. Si voles, confer cum iſtis, quæ habet Auſonius Popma in III. de Differentiis verborum.

Nec placet *oppoſitio*, pro *interceſſione*: ingredi in *materiem*, pro in *cauſſam*: *proceſſus criminalis*, ubi Cicero, *diſceptatio*, *quæſtio*, *judicium*: *una maxima*, pro *regula*, vel *axiomate*, vel *theoremate catholico*: *copia* teſtamenti, vel epiſtolæ, pro *apographo*, ſive *exemplo*: *tenor* epiſtolæ, pro *argumento*, ſive omnibus iis, quæ continentur. Sed in nonnullis horum ſolùm ſemibarbari peccant.

At longum ſit referre, quoties munditiem ſermonis negligant Theologi: ac primùm, quando *ſuperſtitio* ab iis appellatur, cùm certæ verborum, aut geſtuum obſervationi, vel alicujus rei uſurpationi, effectus adſcribitur, neque naturæ rationi, neque verbo Dei, ſubnixus; ut meritò, qui id facit, vel præſtigiator, vel dæmoniacus, exiſtimetur. Caſtæ verò Latinitatis auctoribus, ut Budæo etiam obſervatum Annotationibus in Pandectas *, *ſuperſtitio* potiùs dicebatur, quod nunc appellant *ſcrupuloſitatem conſcientiæ* in rebus licitis: at- * Pag. 649.

que itidem *superstitiosos* vocabant, quos nunc vocitant *scrupulosos*. Nempe olim *superstitio* erat, quæ *Græcis* δεισιδαιμονία: hoc est, absurda divinæ potentiæ formido: unde Tullius in primo de Natura Deorum *religionem*, ac *superstitionem*, eò distinguit, quòd illa sit pius Dei cultus; hæc inanis Dei metus.

Iidem Theologi dicunt, ut convivæ singuli ad symbolum conferre solent portionem suam: sic Apostolos singulos ad Symbolum, quod *Apostolicum* vocatur, contulisse aliquem fidei articulum. Ubi bis peccant: prius, cùm *symbolum* ajunt pro cæna sumtu communi facta: quippe ea *symbola* dicitur. Plauti, Terentiique loca, quæ in contrarium adferunt, corrupta sunt; ut videre est ex melioribus codd. de plura attuli libro de tribus Symbolis. Alter est error, cùm vocitant *articulos fidei*, quos *capita* ejus nominare oportebat. Sanè nolim sic loqui, ut dicam propterea, eos statuæ caput habere: sed tamen hoc fas sit promere, valde eum videri Latinitatis incuriosum, qui, cùm videat, Plautum dicere Truculento †: *Capita rerum mihi expedite*; ac Ciceronem etiam sciat ad Atticum * scripsisse: *Quoddam caput legis Clodium in curia posse fixisse*: eodemque modo esse locutum Cælium non nesciat; malit tamen nihilominus, *articulos fidei*, dicere, quàm *capita*, more Græcorum, quibus vocantur κεφάλαια τῆς πίστεως. *Articulos* verò potiùs pro *partibus* posuere. Ut L. 1. De divisione rerum: *Summa rerum divisio in duas partes deducitur. Nam alia sunt divini juris, alia humani.* Et L. IX. D. de statu hominum: *In multis juris nostri articulis deterior est conditio feminarum, quàm masculorum.* Aliqui arbitrantur, majores illas librorum sectiones non *capita* modo, quod superiùs † negabamus, sed ὑποκεφαλαίως quoque *capitula* dici posse: idque quia Tullii ipsius sit in primo de Legibus: *Nec verò ferent* (Epicurei) *te primum capitulum optimum prodidisse: in quo scripsit, nihil curare Deum, nec sui, nec alieni.* Quomodo & Nizolius legit: sed perperam, cùm in melioribus codd. sit, *caput libri optimi*. Nec caput hic aliud, quàm *propositionem*, vel *sententiam* notat, sive, ut Epicurus ipse vocabat, κυρίαν δόξαν. Nec, si *capitulum* Tullius dixisset, aliter accipi conveniret. Hæc igitur & ipsa ostendunt, potiùs *capita fidei*, quàm *articulos*, appellari convenire.

† *Act. 4. sc. Egone tibi.*

* *Lib. 3. ep. 15*

† *Cap. 26.*

In hisce Christianæ fidei capitibus ajunt *tres in Deo statui personas*. Existimo, Græcos commodiùs nuncupare ὑποστάσεις. Sed de voce *persona* in sacrosancto hoc argumento litem nulli movero; quia satis est,

est, si de re conveniamus. Sed extra hoc argumentum vocabulo eo non sic utar. Nec enim de hominibus dixero, *duæ*, vel *tres personæ adveniunt*. Quippe *persona* tum *larvam* notat; tum affectiones, quibus distinguimur; ut quod quis princeps, vel subditus; juvenis, vel senex; dives, vel pauper; maritus, vel cælebs; parens, vel filius; & sic in cæteris. Ita dixero, *Non hoc personam judicis decet: non convenit personæ militis* &c. Et hoc movit Vallam, ut culparet Boëthium, qui volebat, esse substantiam rationalem individuam. Verùm Valla loquitur de usu veterum Romanorum; Theologis verò laxiùs vox sumitur; quale, ut dixi, cùm in Deo tres statuunt personas. Iisdem etiam frequens, *personarum acceptio*; ut Græcis προσωπολημψία. Ubi *persona* vocabulo more veterum utuntur. Sed pro eo, quod ajunt, in Deo *non esse acceptionem personarum*, mallem dicerent, *non facere personarum discrimen*: quomodo Valerius Maximus ait: *Neque virtus hausturn suum cum aliquo personarum discrimine largum, malignumve præbet; sed omnibus æqualiter exposita.*

In primo Symboli hujus capite profitemur, nos credere in unum Deum; ubi ab *Dei*, vel *Deorum* nomine distingui solet nomen *Divorum*. Atque eo vocabulo non Theologi solùm abuti solent; sed etiam Jurisconsulti, & Legislatores. Trifariam verò receditur à significatione eâ, quam habuit apud antiquos. Primum cum *Divos* vocant defunctorum eos, quos sanctorum, ac beatorum in numero esse convenit. Hanc loquendi formam etiam in Retractationibus suis rejicit Bellarminus. Eandem his verbis refellit Joannes Filesacus, Theologus Parisiensis, de idololatria politica cap. 1: DIVI. *agnominationem, ut dicam, quod sentio, uni Deo convenire, germano vocis significatu, planè contendo: communi, & vulgari loquentium usu, vix ante seculum attributam iis video, qui sanctitatis, ac beatitatis sua certissima, & vivi, & mortui, argumenta dederunt. Longolii, aut alterius per similis Ciceroniani scriptoris, delicatum fastidium nihil moror: cui* SANCTI, *vel* BEATI *vox palato non arridebat, ac nescio quid barbari sapiebat.* Continuò addit: *Divos, & Divas, profanis scriptoribus, nihil aliud, quàm Deos, & Deas, significare, certissimum est; ut Divus Apollo, Diva Minerva, & similes locutiones, quoties occurrunt: & nullus, nisi qui à literis humanioribus alienus, id negaverit.* Alter, majorque vocabuli abusus is dicendus, quod *divos* appellant Cæsares defunctos, bonos, malos; nam gentiles quidem sic loquebantur: sed postquam sacris quibusdam ritibus in Deos

essent relati; quæ consuetudo moribus nostris non obtinet. *Sed* maximè spissus error est ille, quando Cæsares etiam *Divos* vocant, qui supersunt. Quippe Romanis *Divi* sunt vocati, vel qui ex hominibus morte obitâ cælo erant locati; quemadmodum Servius ait lib. v. Æn. vers. 45; & lib. XII. vers. 39: vel qui semper in cælis egissent; quæ Varronis, & Atteii, sententia fuit: quibus *Divi* sunt perpetui; *Dii*, qui propter sui consecrationem timentur; ut Dii majores. Maro promiscuè *Deorum*, & *Divorum* nomen usurpat. Nec sanè dubito, quin *Divi* sit ex *Dis*, interjecto digammâ Æolico; ut factum in aliis tam multis. Nec iis, quæ diximus, obstare existimandum, quòd †Augustus ab Horatio † *divus* audit, dum superstes. Quippe vivus is flamines habuit, non in Urbe quidem, attamen in provincia; ut Dio scripsit, ac in Italia quoque: quâ de re ita Suetonius *: *Templa quamvis sciret etiam proconsulibus decerni solere: nullâ tamen in provinciâ recepit, nisi communi suo, Romaque nomine. Nam in urbe quidem pertinacissimè abstinuit hoc honore.* Hæc sanè nihil ad Cæsares nostros; quibus superstitibus nemo templa, vel aras erexit, aut flamines constituit.

† *Lib. 3. od 5.*

* *In August. cap. 52. Plura vide operis nostri de idololatria origine & progressu lib. 3. cap. 17.*

In enarratione ejusdem capitis, quando credere nos dicimus, creatorem cæli, & terræ, etiam comprehendi ajunt gubernationem universi: neque enim sortem dominari rebus humanis, sed providentiam divinam. Sed *Fortunam* pro *Sorte* dici oportuit. Scio, apud †Horatium † legi, *Seu fors*, *seu Ratio*. Sed & istic, & omnibus similibus in locis, *Fors* legi debet: quod satis sciunt, qui meliores manu exaratos codices versarunt.

† *Sat. 1. lib. 1.*

In capitibus, quæ deinde in Symbolo consequuntur, ubi de Passione Christi agitur, sic scribunt: *Dominus meus Jesus Christus inenarrabilibus animi sui angustiis me ab angustiis, & cruciatibus inferni liberavit.* De re adsentio. Sed ut *loci*, vel *temporis angustiam* rectum scio: ita *angustias animi* pro *angore*, vel *anxietate*, non dixero.

Multi quoque, quòd Christus Passione suâ satisfecerit pro peccatis nostris, id ratione Dei Patris appellant *acceptilationem*. Quomodo pro barbaro *quitancia* dicere non modò Cornelius Crocus jubet: sed etiam Hadrianus Junius in Nomenclatore suo. Sed ex Ulpiano constat, *apocham* appellari, quando eò cessat obligatio, quia pecunia verè est soluta: *acceptilationem*, si non soluta sit, sed perinde habeatur ac soluta. Unde Theophilus reddit, εἰκονικῶ καταβολῶ ῥήμασι τυπικῶς

τυπικῶς ἢ νομίκως: glossarium juris, τὸ εἰκονικὸν λῦσιν, ἢ τύπον μόνον καὶ σκιὰν σώζουσαν ἢ λήθιως, οὐ καὶ ἔργον. Quare non assentiendum Theologis, qui *acceptilationem* vocant, cùm dicere volunt, Christum Deo Patri pretioso sanguine suo pro peccatis nostris plenissimè satisfeciisse. Sanè *Socinum* sic loqui, mirum non est; sed eos, qui ejus sententiam refellunt, quando de satisfactione Christi scribunt.

Sunt & alia Ecclesiastici usus, quæ temere abeant ab usu veterum. Sanè Papalem potiùs *veniam* dixero, quàm *indulgentiam*; cùm posteriori hoc denotetur propensa nimium voluntas aliquid permittendi.

Etiam, quæ Græcis εὐχολόγια, *preces horarias* vocare malim, quàm *Horas*; quemadmodum & *librum*, vel *codicem*, *precum horariarum* præferam appellationi *breviarii*: ut quo longè aliud notetur, sicut ex Tranquillo liquet; nempe codex nomina, ac reditus annuos, similiaq;, breviter, ac summatim, complectens.

Nec placet, quòd & *tonsuram* vocant in sacerdotibus, quæ *rasura* dicenda. Quamquam Græcis interdum confunduntur κείρεσθαι & ξυρεῖσθαι. Quæ optimè distinxit Tiberius apud Dionem †: Κείρεσθαί μου τὰ πρόβατα, ἀλλ' οὐκ ἀποξύρεσθαι βούλομαι. *Tonderi pecus, non radi volo.* Latini etiam semper distinguunt; quibus alii *capillati*, alii *tonsi*, alii *rasi*, alii *vulsi*. *Capillati* iidem ac *intonsi*; quales pueri, & sequior sexus. *Tondebantur*, quibus capilli forpice resecti. *Radebantur* novaculâ ad vivam cutim. *Vulsura* fiebat volsellis, pice, resinâ, aut medicamentis. Sed *vulsura* interdum cum *rasura* confunditur; *tonsura* Latinis cum *rasura* non item. Quare nec placeat, *jus tonsura*, pro *jure rasi verticis*.

† *Lib. 57. p. 698. edit. H. Steph.*

Capella etiam malè dicitur pro *sacello*; ut *capellanus* pro *sacellano*, vel potiùs *à sacello*: ut si quem Regi dicas esse *à sacello*.

Pro *abusibus* Ecclesiæ dixero *corruptelas*. Haut aliter nempe, ac in rebus civilibus loquimur; quando hic par ratio.

CAP. XXXIII.

De adjectivis in falsa significatione sumtis. Quomodo à Theologis dicitur aqua benedicta, *pro* sacra; devotus, *pro* religioso; demeritum, *pro* peccato; infernus, *pro* inferis. *Imò in omni studiorum, ac vitæ genere, talia obtinent quàm plurima: ut* alta vox *pro* clara: amantissimus, *pro* carissimus: archiater, *pro* mediorum præcipuo: bruta animantia, *pro* rationis expertibus: curialis, *pro* aulico: discretus, *pro eo, qui prudenter cuncta di-*

cta discernat: expertissimus, *pro* experientissimus: extractum, *pro* excerpto: ferox, *pro* sævo: fortis, *pro* munitus: gratiosus, *pro* festivo: & eleganti: hospitale, *pro* xenodochio: luscus, *pro* strabone: lingua materna, *pro* vernacula: mechanicæ *artes*, *pro* sellulariis: minerval, *pro* didactro: minutæ, *pro* primis perscriptionibus: modicum, *pro* exiguo: neutralis, *pro* medio: plebejus, *pro eo* qui de plebe, *& è contrario*: practicus, *pro* gnaro usus forensis: præsidens, *pro* præside: prætextatus sermo, *pro* honesto, castoque: promercale, *pro* venale: purus, *pro* merus: quota, *pro* parte: regius vates, *pro* rege vate: sordidatus, *pro* sordidus: secundo Kal. *pro* postridie: septimana, *pro* hebdomas, *vel* hebdomada: sestertium, *pro* mille nummis sestertiis: socius, *pro* sodali: studiosus, *pro Græco* σπουδαῖος: suspensus *ab officio*, *pro* summotus, *vel* abstinere jussus: unus, *pro* quispiam.

HÆc fere sunt, quæ de substantivis occurrebant. Nunc de adjectivis loquamur. Ubi non minùs à plurimis Theologis recedi solet à puritate dictionis Romanæ. Ut cùm dicunt, *Aqua benedicta*, pro *sacra*: aut *devotus*, pro *religioso*, quæ plurimùm distant: aut *demeritum* pro *peccato*, cum *demereri* sit *merendo* obstringere merito aliquo aliũ sibi obligare: aut *prælatus*, pro *antistite*: & fortasse non multò melius est, cum *inferni* voce utuntur pro *inferis*. Sic ubi in Symbolo, quod *Apostolicum* vocatur, est *Descendit ad inferos*: in Aquilejensi erat, *Descendit ad infernа*; ut testis est Rufinus, expositione *Symboli*, qui liber inter Cypriani scripta invenitur. Ab Symbolo Romano utrumque abfuisse, ex eodem cognoscimus: de quo egi libro de tribus Symbolis. *Inferos* autem Latinè potiùs appelles, quàm *infernа*: quia hoc veteres semper usi adjectivè: unde *inferni Dii*, *aqua infernа*, *infernа stagna*, aliaque id genus legas. Eóque illud Aquilejensis, seu Aquilegiensis Symboli, haut aliter excusâris, quàm quòd κατ' ἴλλοψιν sic dicatur, pro *ad loca infera*. Sed cùm ἴλλοψιν istiusmodi nesciant, qui purè locuti: satius est loqui cum antiquis.

Quia de Theologis dixi, animus erat proficisci ordine ad Jurisconsultos, Medicos, cæteros: uti in substantivis superiori capite agebamus. Sed quæ sese animo offerunt, magnam partem ejusmodi sunt, ut referre vix queas ad certam disciplinam, aut facultatem. Labore igitur eorum faciliùs defungar, si servemus literarum ordinem.

Alta voce est pervulgatum, barbarum tamen. Pro eo *clara* dicunt Plautus, & Horatius.

Aman-

Amantissime pater, vel avuncule, scribi solet. Pro eo dicendum, *charissime*. At *amantissimus* est, non qui maximè amatur, vel amari debet; sed qui amat maximè.

Archiatrus, ἀρχίατρος, naturâ quoque est adjectivum; ut & simplex ἰατρὸς, ac Latinis *medicus*; hic *vir*, illic ἀνὴρ intelligitur. Sed perperam vulgò vocatur medicorum primus; quasi qui inter eos is habeat ἀρχὴν; quâ formâ dicimus *achiepiscopus*, *archidiaconus*, & similia. Antiquis enim est principis medicus, ἄρχοντος ἰατρὸς, quod & Casaubonus monet in xv. Strabonis.

Bruta plerique omnes appellant, quæ Græcis sunt ἄφωνα. Atqui *brutum* signat *immobile*; ut innuit Servius in x. Æn. vel *grave*, atque *obtusum*; ut explicat Nonius: vel μωρὸν †; ut interpretantur glossæ vett. Itaque & hominum quidam sunt bruti; ut indicat, quòd Junio *Bruti* cognomen sit inditum, quia stultitiam simulârat; & contrà bestiæ quædam brutæ non sunt; uti elephantus, canis, alia: at verè animal brutum sus; cui Chrysippus, & Varro, dixere animam pro sale datam, ne putisceret. Certè non quævis animalia, quæ ratione destituuntur, eadem esse bruta, vel illud Plinii indicat lib. xi. cap. xxxvii: *Bruta existimantur animalium, quibus cor durum riget; audacia, quibus parvum est; pavida, quibus prægrande.* Manifestè etiam brutum & callidum, in ipsis mutis animantibus, opponit Plinius lib. ix. cap. xxix: *Polypus*, inquit, *cùm alioqui brutum habeatur animal, ut quod ad manum hominis adnatat, in re quodammodo familiari callet.* Ac subiicit deinde, in quo vafricies ea reluceat. Lactantii tamen est lib. de Ira Dei cap. vii: *Proprius homini sermo est: tamen & in brutis quædam sim litudo sermonis.* Sed hic *mutis* minùs conveniisset, quia deinceps ostendit, inesse bestiis, si non sermonem, saltem aliquid simile sermoni. Præterea negare non possumus, rationis expertia præ homine bruta videri, & in ipsis ἀλόγοις * alia aliis magis esse bruta. Unde Cæsar Scaliger lib. ii. de Hist. Animal. sect. cxxxiii: *Elephantus terrestrium omnium maxima bellua; sed non maximè bruta.*

† *Stultum.*

* *Rationis expertibus.*

Curialis malè dicunt pro *Aulico*: quomodo Joannes Salisberiensis ante annos quingentos inscripsit libros viii. de nugis Curialium. At Plauto *curiales*, qui ejusdem curiæ; ut *tribules*, qui ejusdem tribus. Curiæ vox quot modis sumetur, tradit Limnæus T. i. Jur. publ. l. 3. c. 9. n. 68. seqq. & in Annot. ad Capitol. Car. v. art. 29. p. 304.

Discretus veteribus semper passivum de iis, qui secernuntur; ut

discreta semina: nunquam verò activum pro eo, qui rerum momenta discernit; quomodo dicunt virum *discretum*.

Expertus vulgò Medicus dicitur; sed potius pharmaco convenit. Ut apud Scribonium Largum, præfat. ad C. Julium Callistum: *Non solùm, quas* (compositiones) *desideraſti; verùm etiam ſiquas alias expertas in præſenti habui, in hunc locum contuli.* Sic Cicero pro Cornelio Balbo: *Experta, atque perſpecta virtus.* Livius initio libri XXI: *Haut ignotas belli artes, ſed expertas primo Punico bello.* Item, *Experta prodimus*, apud Plinium lib. XVI. cap. XIII. Est & Suetonii in Tiberio cap. XIX: *Confidens, ut ajebat, oſtento ſibi, ac majoribus ſuis in omni ducatu expertiſſimo.* Medicum verò, vel alium multa expertum, non ἁπλῶς *expertum*, vel *expertiſſimum*; ſed *experientem*, & *experientiſſimum*, dixeris. Sic Tullius III. in Verr. *experientiſſimus, ac diligentiſſimus arator.* Et IV. in eundem: *C. Cacurii, promtiſſimi* (Lambin. *promti*) *hominis, & experientis.* Pro Cluent. *C. Aurius, vir fortis, & experiens, & domi nobilis.* Similiter Horat. lib. I epiſt. XVII, *Experiens vir.* Et Ovid. XIV. Met. fab. V.

Neritius Macareus, comes experientis Vlyſſei.

Eodemque modo usurpatur L. ex aula C. de privil. eorum, qui in ſac. palat. militant. Vix etiam *expertus* pro eo reperias, qui aliquid comperit. Ut, *Expertus ſum ejus nequitiam, vanitatem, iracundiam; fidem bonam malam.* Nec pro illo Ciceronis, *Id certis auctoribus comperi*, dixerim, *expertus ſum.* Quod potiùs valet *tentavi, exploravi, periculum feci.*

Extractum ait vulgus legulejorum, pro *excerpto*.

Ferocem usurpant pro *ſævo*, ac *crudeli*: cùm nomen id conveniat elato, superboque animo. Unde *ferox* aliquis dicitur *formâ*, apud Plautum; *fortunis*, Attio; *robore corporis*, Tacito in primo Annal. *victoriâ*, & *viribus*, Livio lib. I. Cui & *juvenes* dicuntur *feroces*. Uti *Latium ferox*, Horatio; & *ferox Hector*.

Fortiſſimam vocem *civitatem*, quæ multa animi fortis dedit exempla: qualis Athaniensis, ac Spartana. Sed de ea, quæ naturâ, vel arte sit munita, perperam sic loquuntur. Cæsaris est: *Longè firmiſſima totius provinciæ civitas.*

†*Lib. 5. cap. 13.* *Gratioſus* vulgò dicitur, qui Gallis *gratieux*, Græcis χαρίεις. Itaque Vibius ille Crispus, quem Fabius † dicit *ingenii jucundi, & elegantis; gratioſus* ab iis diceretur. Item *gratioſam* vocarent, quæ formâ, & moribus

moribus, esset bellis. Sed Latinis *gratiosus* aliud est: ac, ut Agellius indicat lib. IX. cap. XII, nunc activè, quod rarum est, dicitur de eo, qui gratias adhibet, sive qui favet: nunc verò, quod crebrius, passivè, de illo, qui gratias admittit, sive cui favetur. Ut cùm Cicero Plancium ait *tribulibus gratiosum*: hoc est, multum apud eos gratiâ valere, & auctoritate.

Hospitale advenis solum, apud Plinium legas lib. XVII. cap. X. Seneca epist. CIII. hunc mundum, quia nos peregrinos excipit, *hospitalem locum* nuncupat. Fortasse his exemplis defendi utcunque possit; quòd *hospitale* vocant domum publicam, peregrinos excipientem. Sed malim, Græcorum exemplo, vocare *Xenodochium*: Ξενοδοχεῖον, τὸ τοὺς ξένους ἐποδεχόμενον, ut ait Suidas. Habes L. XXXI. Cod. De episc. & cler. Si tamen etymon spectes, cauponis etiam conveniat: ut ξενοδόχος *caupo*. Sed sine dubio publica xenodochia, qualia in civitatibus majoribus, id nomen præcipuè merentur.

Luscos passim audias vocari, qui sunt strabones: quod inde est, quia Celticum *lousche*, & Belgicum loſch, è *luscus* descendunt. Verùm veteribus *luscus* est *unoculus*, sive Græcè malis, μονόφθαλμος; qui Martiali *defioculus*, quoniam alter oculus defiat: Plauto autem *cocles*, quasi κύκλωψ. Cyclopes enim μονόφθαλμοι. Id *luscum* esse, indicat, quòd Juvenalis sat. X Hannibalem vocat *luscum ducem*. Alterum enim frigore oculum amiserat; ut ibi annotat vetus interpres. Sanè unoculum fuisse, etiam Livius de eo prodidit, ac Plutarchus initio vitæ Sertorii. Martialis quoque est lib. III. epig. VIII:

Thaida Quinctius amat. quam Thaida? Thaida luscam.
Unum oculos Thais non habet: ille duos.

Ubi, cùm dicitur, *ille duos*, δὺο κοινῶς repetendum *non habet*. Nam sententia est, Thaida scortillum naturâ altero carere oculo: sed Quinctum, qui talem amare possit, verè utroque carere: non quasi cæcus sit naturâ, sed quia affectu, stultoque amore sit cæcus. Idem lib. IV, ep. LXV:

Oculo Philanis semper altero plorat.
Quo fiat istud quæritis modo? lusca est.

Eo, inquit, uno duntaxat oculo plorat, quia alterum, quo ploret, non habet. Idem lib. IX. ep. LIX, in luscum furem; sed uno plus oculo, quàm alii duobus, videntem:

Aspicis hunc uno contentum lumine.—

Et postea:

Hunc tu convivam cautus servare † memento.
Tunc furit, atque oculo luscus utroque videt.

† *Id est, observare.*

Est & Hieronymi in scriptoribus Ecclesiasticis: *Acacius, quem, quia, luscus erat, μονόφθαλμον nuncupabant.* Ubi Sophronius, ἐπειδὴ ἦν ἑνὶ ὀφθαλμῷ πηρός ἦν.

Maternam linguam, pro *vernacula*, audias sæpe. Nec negari potest, eandem esse. Non tamen sic veteres locuti: quos solos æmulari oportet.

Mechanicas artes, patrocinante Calepino, perperam dicunt pro sellulariis illis cerdonum, sive illiberalibus, quas Græci βαναύσους appellant. Operâ quidem manuum in mechanicis opus; sed magis ingenio: ut ex Aristotelis Mechanicis, ac Vitruvio liquet. Item Mechanicis Athenæi, Apollodori, Heronis, & aliorum. Sic Lucilius apud Festum:

Sicut e Mechanici cùm alto exiluere petauro.

Sueton. Vespas. cap. XVIII: *Mechanico quoque, grandes columnas exiguâ impensâ perducturum in Capitolium pollicenti, præmium pro commento non mediocre obtulit.* Similiter Seneca ep. LXXXIX, & Paullus L. XXXI. Si putator. D. ad L. Aquiliam. item L. II. C. de Excusat. artic. Plura si voles, vide, quæ de Mechanicis artibus diximus opere de natura, & nexu, atque usu omnium disciplinarum.

Minerval item adjectivum, quod & *e Minervale*: ubi *as* intelligitur. Eo significatur non τὸ διδακτήριον, etsi ita in veteri Onomastico vertatur, & vulgò sic accipi soleat: sed munusculum id, quod discipulus, primùm in Scholam receptus, dabat doctori suo. Quo de vide ex Varrone, & aliis, notata Nicolao Loënsii Ἐπιφυλλίδων lib. II. cap. XIII.

Minutas audias è leguleiis, pro pactorum perscriptionibus primis, sive schedis, vel adversariis, unde quid postea concinniùs exscribitur. Sunt qui *pittacium* vocent. Sed est hoc index, vel libellus pice illitus. A πίττα † est πίττακος πίτταcιον, unde *pittacium* Lampridio.

† *Pix.*

Modicum, pro *pusillo*, passim obtinet: cùm ita dicatur antiquis, quod intra modum se continet: cui contrarium, *immodicum*, quod modum excedit. Sanè, non, quicquid non immodicum, id pusillum; quia *modicum* interjectum est inter *exiguum*, & *immodicum*. Nempe quod exiguum, idem verius est intra modum. Cicero lib. IV. epist. ad Servium Sulpitium: *Modicè hoc faciam, aut etiam intra modum.* Quæ verba etiam Agellius adducit lib. XII. cap. XIII. Sic verò explicat:

explicat: MODICE *dixerat, id est, cum modo æquo, & pari: deinde, quasi hoc displiceret, & corrigere id vellet, addit;* AUT ETIAM INTRA MODUM. *Per quod ostendit, minùs sese id facturum esse, quàm quod fieri modicè videretur; id est, non ad ipsum modum, sed retro paululum, & citra modum.* Similiter *modicè* medium est inter *frequenter*, & *rarò*. Unde Columella: *Magisque conducere agricolæ, frequenter id pluùs, quàm modicè facere.* Quamquam verò *modicus* nunquam pro *exiguo* ponatur: videntur tamen Stoici, miri verborum aucupes, *modicum* accepisse, tanquam intra mediocritatem. Sanè Tullius in Paradoxis Stoicorum sic scribit: *Meam autem quoniam pecuniam contemnis, (& rectè: est enim ad vulgi opinionem mediocris, ad tuam nulla, ad meam modica) de mea filebo, de te loquar.* Videtur autem jam Domitiani, ac Trojani ævo etiam pro *exiguo* usurpatum. Nam Taciti est lib. v. Hist. *Claudius, defunctis regibus, aut ad modicum redactis.* Ac apertiùs quoque lib. III. epist. III: *Adhuc illum puritia ratio intra contubernium tuum tenui, præceptores domi habuit, ubi est vel erroribus modica, vel etiam nulla materia.* Nec aliter Tertullianus, cùm lib. adversus Praxeam hunc adducit Scripturæ * locum: *Propter hoc minoratus à Patre, modicum citra angelos.* Quippe hic Græcè est βραχύτι: quod potiùs est *paullisper*. Item adducit illud eodem loco: *Modicum adhuc temporis vobiscum sum.* Qui locus est ex Joan. VII. 33. ubi Græcè est μικρὸν χρόνον, *paullisper*, sive *exiguo tempore*. Idem lib. II adversus Marcionem: *Nec magnus vobis placet, nec modicus.* Ubi manifestè *modicum* vocat, quod priùs dixerat *pusillum*. Hæc sanè ostendunt, utcunque necdum optimo Tullii ævo, imò nec ante imperium Flaviæ gentis, fuerint in usu; eoque homini eleganti ita loquendum non sit: neutiquam tamen censendum esse barbarum, ac Sorbonicum; ut notis in Cic. Catonem scripserat Carolus Langius, is quem Belgarum optimum, doctissimumque initio operis de Constantia Justus Lipsius appellat. Sed sic quidem Langius in editione, quam Guiljelmus Sylvius exhibuit. Eâ verò quam Andreas Schottus postea dedit, dicere contentus est, usum *modici*, pro eo, quod *mediocre*, esse Latinum: *exiguo* autem, alienum. Et sanè, si sic jam Severi ævo, imò & Trajani, loquebantur homines doctissimi; quid attinet, id vocare Sorbonicum: cùm Sorbona demum ante annos circiter quadringentos, puta anno MCCLII à Roberto, divi Ludovici Regis fratre, fuerit instituta?

* *Ad Heb.* 2, 7.

Neutralia nomina, & positionem neutralem, apud Fabium legas lib. I.

cap. IV, & V. Etiam *verba neutralia* Grammaticis est pervulgatum. De cujusmodi artis vocabulis non contendimus. At probare non possum, quod vulgo etiam *neutrales* dicantur, quos Cicero *medios* appellat.

Patibilis qualitas vulgo nuncupatur, quæ Aristoteli παθητικὴ ποιότης. Sed Latinè *afficientem* dixero, quia animum afficit, vel corpus. Nec tamen hic valde adverser. Scio obiici, illa in *bilis* passivè sumi; ut *visibile*, quod videri potest; *probabile*, quod probatur; *impenetrabile*, quod nequit penetrari. Sed id non est perpetuum. Nam Maroni *penetrabile frigus*, quod penetrat. Sic *delectabile*, quod delectat: *intestabilis*, qui nequit testari: *sonabile*, quod sonat. Quare per me licet, ut color, odor, similiaque sensuum objecta, philosophis dicantur *patibiles qualitates*, quia afficiunt sensus, & passionem adferunt. Nam sentire est pati: sed passio ea est perficiens, non perimens, sive corrumpens.

Plebejum aliquem dicunt, quia sit *de plebe*; *de plebe* esse ajunt, quia sit *plebejus*: cùm hæc plurimùm distent. Nam *de plebe* significat ordinem; *plebejus* autem genus dicit. Sic M. Cicero plebejus quidem erat: nec enim è patricia erat familia, sed equestri duntaxat: idem tamen, cùm ædilis curulis, prætor, consul foret; de plebe esse minimè dicendus fuit. Potuere nimirum & *plebeii*, esse, qui curulem gererent magistratum; & *de plebe* esse, qui patricii forent: ut qui sua decoxissent, aut ob mores Senatu essent ejecti. Sic *patricios* cum *nobilibus* confundunt. Cicero orator, novus homo fuit; ac, gesto curuli magistratu, suæ solùm imaginis ponendæ jus habuit. At filius ejus, qui patris imaginem in armario habuit ligneo, nobilis fuit: ut de se tale quid dicere potuerit, quale de quarto rege Livius lib. I: *Ancus Martius, nobilis unâ imagine Numæ.* Patricius tamen non fuit; nec vel nepotes, si quos habuisset, patricii esse potuissent; quia non duxissent originem à Patribus illis, quos Romulus, & reges cæteri, Patres creassent; unde orti dicebantur *majorum gentium patricii*: Imò nec iis, qui exactis regibus ad supplendum Senatum essent electi à Bruto; à quibus qui genus ducerent, vocati sunt *patricii minorum gentium*: vel postea etiam Senatusconsulto sunt in patricios relati; quomodo gens Claudia, cùm è Sabinos commigrâsset Romam, allecta est inter patricias: vel lege etiam iis essent adscripti; ut lege Cassiâ à C. Julio Cæsare, lege Sæniâ ab Augusto in patriciorum ordinem adsciti. Unde Tacitus sic de Claudio lib. XI: *Iisdem diebus in numerum patriciorum adscivit Cæsar*

Cæsar vetustissimum quemque è Senatu, aut quibus clari parentes fuerant: paucis jam reliquis familiarum, quas Romulus majorum, & L. Brutus minorum gentium appellaverant; exhaustis etiam, quas dictator lege Cassiâ, & princeps Augustus lege Saniâ sublegêre.

Practicus bonus dicitur vulgò: pro eo Budæus in Forensibus dicere jubet, *homo non modò juris scientissimus, sed etiam formularum ac forensis usus callentissimus.*

Præsidens pro *præside* etiam legas apud Pseudoprosperum in Antiquitatibus Hethruscis.

Pratextatus sermo, si audimus Paullum Diaconum in Festi epitome, is dicitur, qui nihil habet obscenitatis. Sed non intellexit Festum. Nam *pratextata verba* sunt, quæ obscena. Tranquillius Vespas. cap. XXI: *Erat enim dicacitatis plurimæ, & sic scurrilis, ac sordidæ, ut ne prætextatis quidem verbis abstineret.* Agellius lib. IX. cap. X: *Tot & tam evidentibus, ac tamen non prætextatis, sed puris honestisq; verbis, verendum illud concubii pudici secretum dixisse.*

Promercale, pro *venale*, usurpat Angelus Politianus, cùm in tralatione Herodiani ait *promercale imperium.* Sed Catoni, Columellæ, Suetonio, Agellio, atque omnibus antiquis, *promercale* vocatur, quod quis venale habet extra ea, quæ usui suo servat. Quare laxè etiam nimis Onomasticon vetus: *Promercalia*, ὤνια.

Purus Grammaticus, pro *merus*, non est ejus, qui sese purè loqui studeat. Nam *purus* idem est ac *immaculatus*, ab Hebræo בר *bar*; quod idem notat, sive per cholem, *bor*, h. e. *puritas*, sive *munditia* potiùs, quando nec *puritas* puri est sermonis; ut alibi diximus.

Qualis liber vulgò audias, pro eo, ubi dici debuit, *quis liber*, vel *quid libri?*

Quota pro *parte* barbarum est. Ut *de quota litis paciscitur*: pro *depaciscî partem rei controversæ.*

Regens Collegii vulgare est, pro *moderatore*; sed veteribus ignotum.

Regium est, quod est regis; non rex ipse. Etsi igitur plerique pro Davide dicant *regium Prophetam*, vel *psaltem*: malim tamen, *rex propheta*, vel *psaltes.* Potiùs Nathan dicatur *regius propheta*: etsi non quatenus propheta; quomodo *vir Dei* erat.

Sordidatam de quavis sordida ne dixeris; sed de ea duntaxat, cui vestis omnis obsoleta, & sordibus attaminata: quomodo rei dicuntur *sor-*

tur *sodidati*. Nempe *sordidati*, & *candidati*, planè sunt pugnantia. At *sordida* etiam est, cui vultus & manus illuvie squalent. Terent. Heautot act. II. sc. III :

Scin hanc, quam dicit, sordidatam, & sordidam?

Secundo Kal. non dicimus, etsi *tertio, quarto*, dicatur. Nempe *secundus* est ex *sequundus*, sive *sequendus*, factum. At dies is non sequitur Kalendas, sed antecedit. Commodè dicitur *decimo*, vel *sexto*, vel *tertio ante calendas*. Sed dixeris durè; *qui sequitur ante calendas*. Itaque veteres *Pridie Kal.* q. d. *priori ante Kalendas die* dicere maluerunt. Vidi δυσκοίσοφον, qui *secundo Kal. Sextiles* pro *secundo Augusti die* scriberet, & primitus id rectum contenderet. Sed cætera in eo similis erant farinæ; qualia nec tulisset Orbilius in illis, qui necdum ære lavantur.

Septimana etiam accensendum adjectivis. *Septimanus* enim dixere, ut *primanus, tertianus, decumanus*. Malè verò, labante sermone Romano, substantivè usurparunt pro eo, quod ἀναλόγως *septiduum* vocaretur : quomodo dicimus *biduum, triduum, quatriduum*, &c. Altero tamen usus Cyprianus, vel quisquis scriptor libri de operibus Christi cardinalibus †: *Necessaria est per omnem hujus vita septimanam jugis resectatio putredinum.* Sunt & Theodosii, ac Valentiniani, Cæsarum verba in Codice Theodosiano L. Dominico, De spectaculis, *Dominico, qui septimana totius primus est dies.* Lata ea lex Theodosio XI, & Valentiniano Cæs. Cons. Utitur item Rufinus in tralatione Origenis περὶ ἀρχῶν lib. IV. * : ubi *septimanas annorum* legas. Idem habes apud eum in tralatione Apologiæ Pamphili apud origenem. Ac similiter Martianus capella lib. VII. de Heptade : *Quid omnium in naturâ nonne huic probatur numero deservire? In principio septimani partus hominem absolutum, perfectumque, demittunt.* Imò & Vulgatus Interpres II Maccab. XII. 31. *Die solemni septimanarum instante.* Ubi Græcè : Τῆς τῶν ἑβδομάδων ἑορτῆς ὕσης ὑπογύου : Ac apud Priscianum est (si iis auctor libelli de mensuris, ac ponderibus :) *Septimanus, unde septimana dierum septem* †. Hodie verò quotusquisq; doctissimorũ etiam, non similiter loquitur? In quibus Joseph. Scalig. cùm alibi passim, tum in VII. de Emendatione Temporum, Annotationibus in Computum Judaicum* : *Ingressus Israëlis in terram est primus annus septimana.* Quamquã & hic nõ de hebdomade dierum; sed de hebdomade annorum, anno nempe sabbatico, sermo est. Sed par utrobique est ratio. Folio verò præivit pater Cæsar Scaliger.

† Sermone de ratione circumcisionis.

* Pag. 849. edit. Basil. an. 1536.

† Septem in Putschiana deest.

* Pag. 611. edit Raphel. leng.

Scaliger. Locus est in tralatione Aristotelis lib. VI Hist. Animal. cap. XVI. sect. CLXXIX. Ubi sic philosophus: Διαιρεμένοις εἰς ἑπτὰ ἑβδομάδων ἀριθμόν. Cæsar Scaliger vertit: *Quæ certo septimanarum numero dividi possunt. Hebdomadum*, vel *hebdomadarum*, dicere maluissem. Nam *septimana* est adjectivum: quomodo Scaliger ad eumpse Aristotelis locum ait, *commendat numeri septimani perfectionem*. *Hebdomas* tam Græci, quàm Latini: sed *hebdomada* in recto solùm Latini. Usus eo Tullius dicitur lib. XVI epist. IX ad Tironem: ubi in editione Rob. Stephani legas: *Ne in quartam hebdomadam incideres*. Ac similiter habet editio Lambiniana. In nonnullis tamen codd. est, *quartam hebdomada*, more Græco. Utcunque hoc sit, convenit de codd. Agellii: quos malè corrigere jubet Paullus Manutius. Notis ad locum Ciceronis memoratum. Etiam *hebdomadam* reperio in membranis nostris bene antiquis, quibus nobilia Macrobii fragmenta continentur. Usurpant item vetus Bibliorum interpres, & Isidorus lib. V Originum cap. XXXII. Scio Henrico Stephano, libro de Abusu Linguæ Græcæ, *hebdomada*, pro *hebdomas*, rusticum videri. Sed nihil hic insolens: quando similiter *lampas*, & *lampada*, dixere: ut Manilius lib. I:

——*Quoi tertia lampada dispar*
Conspicitur paribus.

Etiam pro *Ancon*, quod ex Ἀγκὼν, ut Græcis à cubiti forma vocatur, *Ancona* in recto est apud Cæsarem, Plinium, Tacitum. Item ex Νάρβων, quomodo Polybius vocat lib. III, & Ptolomæus; sive more Latino *Narbo*, ut Mela, Plinius, Martialis, & Ausonius appellant; est *Narbona* apud *Eutropium*, *Ammianum*, alios; imò & Tranquillum in Tiberio cap. IV; si quidem codd. editos sequimur. Sed in Mssis constanter est *Narbon.*

Sestertius etiam naturâ est adjectivum; cum dicatur, quasi *semitertius*, quia valet dùos asses, & semissem. Intelligitur verò *nummus*; ut auctor est Charisius in primo; ubi & allatum etymon adducit. Porrò volunt etiam in recto singulari *sestertium* dici pro mille numis sestertiis. Sed, ut puto, sine veterum exemplo: quibus semper est plurale. Nempe *sestertius* est utriusque numeri: sed *sestertia* tantùm plurale. Itaque dixero *decem sestertios*, & *decem sestertia*: significatione tamen plurimùm distante, cùm posterius millies contineat prioris summam. Nempe ut *sestertius* dictus, quia valet duos asses, & semissem: ita *sestertia* dicta, quasi *semitertia*, quia valeant duas minas, & semissem.

Mina verò comprehendit centum drachmas, sive denarios. Atque hoc vocabulorum discrimen etiam tangebamus lib 1. de Analogia cap. xxxvi. Atque alibi item, &, ut puto, accuratiùs dicemus.

Socium dicunt multi, qui *sodalis* vocandus. Nam *sodales* sunt, tum qui ejusdem sunt dignitatis, teste Cajo J. C. tum σύσσιτοι, sive conviviorum ac jocorum participes. Sed *socii*, ut Cicero ait Verr. v, *inter quos res communicata est*. Quomodo *socii populi R.* sunt fœderati, belli pacisque participes. Sic *socii consilii, laboris, periculi*. Vide Vallam lib. iv. cap. xxxviii: cui & subscribit Cornelius Crocus.

Studiosus pro bono, & probo, aliquoties apud Justinianum legimus. At Ciceronis ævo ita locuti non sunt. Nam quod ad illud in Ligarianâ: *Ut tu eum studiosum, & bonum virum, judicares*: assentio Francisco Fabricio, qui è Cratandri codice emendat, *tui studiosum*: quomodo & legit Lambinus. Interea videtur eò veniam mereri Justinianus, quòd imitetur Græcos. Nam ita hi usurpant vocem σπουδαῖος.

Suspensus quis ab officio dici solet. Sed si ea Senatoria sit dignitas, dixero: *Senatu abstinere jussus*. Similiter, ubi ajunt, *suspensus ab officio magistratus ad annum*, rectum sit, *magistratu summotus ad annum*. Nihilo melius: *Suspensus ab officio Ecclesiastico ad tempus*: pro *ad tempus abstinere jussus munere Ecclesiastico*: vel *ab eo ad tempus summotus*.

Unus scriba, pro *quidam*, legas apud interpretem vulgatum Matth. viii. Ubi Græcè similiter, Εἷς γραμματεύς. Credo, jam ejusce interpretis ætate sic loquebantur: præsertim cùm nunc quoque sic dicant nonnulli, secuti hac in re linguam Gallicam, ac Germanicam. Mirum interea, Erasmum quoque *unus scriba* transferre.

Atque hactenus seorsum, priùs substantivis, inde adjectivis, inflitimus. Est verò cùm falsa significatio in utroque concurrat: ut cum *salvo conductu* dicimus, pro *fide publicâ interpositâ*. Quomodo Sallustius in Jugurthina: *Ut in castra ad Jugurtham mitteretur, eumque interpositâ fide publicâ Romam perduceret*. Sed hujusmodi fortasse meliùs referantur ad vitia vocum conjunctarum: de quibus postremo agemus loco.

CAP. XXXIV.

De verbis in falsa positis significatione. Appulit navis, *pro* appulsa est: assignare aliquem, *pro* delegare creditorem: benedicere, *pro* laudare: con-

condolere, *pro* συμπάσχειν: confundi, *particulatim pro* pudefieri: deputare, *pro* delegare: desolare, *pro* diruere: despicere, *pro* dispicere: diffundere, *pro* defundere: dispensare, *pro* canone, *aut* legibus solvere: indigitare, *pro* nominare: inquam, *pro* illud volui dicere: mutuare, *pro* mutuò dare: commodare pecuniam, *vel* triticum, *pro eodem: fortasse &* accomodare *aedes*, *pro* commodare; *ac* objicere, *pro* occurrere sententiæ alienæ: pœnitet, *pro* pœnitentiam agit: potare *pro* potum præbere: præsumere sibi, *pro* arrogare: traducere *in linguam aliam*, *pro* vertere.

HAbemus de nominibus. Nunc accipe de Verbis: quæ ipsa etiam dicam κατὰ στοιχεῖα †.

† *Secundum literarum ordinem.*

Abdicare confundunt, & *exhæredare.*

Abjurare item, & *ejurare*,

Abrogare quoque, *derogare*, & *obrogare*: de quorum trium discrimine egi libro de Satisfactione Christi, sive responso ad judicium Ravenspergeri, cap. XXVII.

Appulit navis vulgare est, pro *appulsa est*. Atqui homo, aut ventus, *appellere*, vel *appulisse* dicitur; navis autem *appelli*, vel *appulsa esse*. Nec Cicero, vel scriptorum alii, aliter unquam locuti. Nunc contentus ero illo Livii lib. XXVII *: *Canere inde tuba, simul ab arce, & à porta, & à navibus, quæ aperto mari appulsa essent.*

* Cap. 17.

Assignare aliquem, ex vulgari est mercatorum lingua receptum: pro quo veteres Jurisconsulti, *delegare debitorem.* Puta cum debitor aliũ pro se substituit, qui solvat: cui substitutioni si creditor acquiescat, prior debitor liberatur debito. Iustinianus Cod. de Novationibus, & delegat. *Delegatio debiti, nisi consentiente, & stipulanti promittente debitore, jure perfici non potest.* Hinc non invenustâ tralatione Seneca ait lib. III. de beneficiis: *Debitores nobis delegat Deos; precaturque, ut illi pro se gratiam referant.*

Benedicere Deo, pro *laudare*, in Theologis ferendum. Uti & *benedictus*, pro *laudatus*. Quippe est Hebraismus. Sed classicos qui sequi scriptores volet, eos hac parte nequeat imitari.

Condoleo non est, quod vulgò dicunt, *compatior*, Græcè συμπάσχω: sed idem, quòd simplex *doleo*. Pro συμπάσχειν dicendum, *alicujus casum dolere*, vel *infortunio ejus affici*, aut *dolore ob aliquem commoveri.*

Confundi est vulgare, pro *pudefieri.* Ut illo, *Confisus Domino nun-*

quam confusus abibit. Ac in glossis vett. est. *Confundere*, καταισχύνειν. Ac usus sic Cyprianus De Lapsis. Sed verbum est generale pro *perturbare*. Quare ut ampliorem significationem restringam, dixero, *pudore confundi*; sicut loquitur Ovidius epistolâ Cydippes ad Acontium:

——— *Confusa pudore*
Sensi me totis erubuisse genis.

Sanè non minùs *pavore*, vel *dolore confusus*, legimus. Quomodo Livius lib. VI: *Confusam eam, ex recenti morsu animi, cum pater fortè vidisset, percontatus, Satin salva?* Sermo est de M. Fabii Ambusti filia, C. Licinio Stolini, plebejo homini, nuptâ. Hæc confusa erat non pudore, sed dolore: porrò ipsa fatebatur, *eam esse causam doloris, quòd juncta impari esset*; ut ibidem ait Livius.

Deputare vel valet *amputare, resecare*; vel *reputare, censere*; non autem *delegare*: eoque perperàm *deputatos* appellant, qui dicendi sunt *delegati*.

Desolare urbem, vel *arcem*, pro *diruere*, Italismus est. Atque hoc pacto in suppositiis Hethruriæ antiquitatibus legas, *diruere castrum*: cujusmodi, quàm novitius ille fœtus sit, ostendunt. At veteribus *desolare* est *ad solitudinem redigere*. Sed *desolare agros* dicimus, necatis, vel abductis colonis.

Despicere, & *dispicere*, malè permiscent. Illud enim est aspernantis, ac propriè deorsum spectantis: hoc est attentiùs considerantis, eoque animum versantis in omnia; ut oculos solent nunc huc, nunc illuc referre, qui studiosè aliquid quærunt.

Diffundere, pro *defundere*, perperam dicunt: malè etiam interdũ confunduntur in libris: cùm *defundere* sit ex lagena in cyathum fundere: *diffundere* ex lacu fundere in varias amphoras, ac cados; ut in his asservetur, donec ejus sit usus: quod Proculus clarè docet L. XVI. vinum cum vasis D. De trit. leg. Itaque *diffusores* etiam rectè dixeris, quos Belgæ vocant **wyn verlatere**.

Dispensare Papa, vel Rex perhibetur, pro eo, quod est, *canone*, vel *legibus solvere, legis gratiam facere*. Ecclesia canones condit; Princeps fert leges. Sed ubi Princeps firmârit Ecclesiæ canonas auctoritate suâ; vim illi legis accipiunt; ut canonum talium corpus verè tum sit Νομοκάνων. Latinis veteribus *dispensare*, à *dispendo*, est *disponere, distribuere, procurare*; unde *dispensator*, negotii curator.

Indigitare, viri eruditi usurpant, pro *nominare*, & quasi digito commonstra-

monstrare. Negabat Joannes Auratus, sic unquam accipi; semperque poni ajebat, pro *indigitem facere*. Contrà Germanus Valens Pimponcius contendebat, priori modo sumi à Macrobio lib. I Saturnalium cap. XVII; atque alia etiam argumenta proferebat. Nec dubitat Godscalcus Stewechius, hac significatione eam vocem restituere Arnobio in IV. adversus nationes: *Qui Patrocles Thurius scriptorum in titulis indigitatur*, pro quò in vulgatis est *indicatur*. Verùm *indigitare* quidem Latinum est; sed notat *invocare*, atque ita quoque utitur Macrobius. Unde libri rituales, *indigitamenta*: in quibus formulæ precũ ad Deos invocandos. Nempe ab antiquo *indu*, pro *in*, & *citare*, hoc est, *vocare*: ut plenius in Originum libris dicemus.

Inquam, (quo sermo paullùm interruptus continuari apud antiquos solet) nunc præter morem veterum in usu est etiam erudissimis quibusque, cum illud corrigere volunt, quod perperam excidit. At Plautus pro eo hunc loquitur in modum: *Illud volui dicere*: ut Mil. Glor. act. III. sc. II. & Mostell. sc. Melius amo: & alibi.

Mutuare dicunt, pro *mutuo dare*: ac pro se adferunt illud Plauti:

Siquis quid mutuaverit, sit pro proprio perditum.

At nusquam id legere est: verùm Trinumno † invenias:

Siquis mutuum quid dederit, sit proprio perditum.

* Sc. Stasime facete.

Sic editt. & antiquæ, & nuperæ: ut mirum sit, erroris hoc tamdiu relictum in ἐξηγητικῷ Ambrosii toties repastinato. Ac *dare mutuum* similiter legas apud Terent. Heaut. act. III. sc. III: & Cic. epist. III. lib. XI ad Att. At *mutuare* est antiquum, pro *mutuari*; hoc est, mutuò sumere. Quomodo Cæcilius Asoto loquitur apud Nonium *: *Adamicum curret mutuatum, mutuet meâ caussâ*, hoc est, mutuetur. Et cùm aliis censet Emmanuel Alvarus †, similiter Valerium Max. uti lib. VI. cap. II. ubi sermo de Machærâ, Macedonicâ muliere. Sed ea editio, quam ex optimis Mssis Stephanus Pighius expressit, habet: *Potiùs præsidium à libertate, quàm ab innocentia, mutuata*: non *mutuavit*.

* Cap. de cõtrariũ generibus verborum.

† Cap. de verbis dativum regentibus cum accusativo.

Quia verò de *mutuandi* verbo est sermo; disquiramus eâdem de vocibus *commodandi*, & *accommodandi*. Notum discrimen, quod inter *mutuum*, & *commodatum*, Agrœcius ponit, atque item Paullus L. II de rebus cred. Unde consequitur, Latinum non esse *commodare pecuniam*. Verùm Plautum objectant Asinariâ act. III sc. III: ut qui dicat, *commodare viginti minas argenti*. Sed sermo est de commodis argenti minis. Sic enim est in melioribus libb.

Quid ego aliud exoptem amplius, nisi illud, cujus inopia est,
Viginti argenti commodas minas, hujus quas dem matri?

Verùm, inquiunt, ipsius est Ciceronis in IV. Verr. *At publicè commodâsti tritici modiûm milia.* Quomodo & legit Marius Nizolius. Sed enim, qui locum in castigatioribus codd. inspexerit, reperiet in eo opponi *privatim nocere*, & *publicè commodare*. Nam primùm ait: *Quibus tu privatim injurias publicas, contumeliasque imposuisti* &c. Posteaque subdit: *At publicè commodasti. Non sine magno quidem Reip. provinciaeque Siciliae detrimento. Tritici modiûm* LX *millia emta populo Romano dare debebant, & solebant: abs te solo remissum est. Accõmodare*, pro *commodare*, dixit, inter cæteros, Cælius Calcagninus Epistolicarum Quæst. lib. II. epist. XII: nempe contra illud Cornelii Frontonis: *Commodat, mutuam pecuniam: accommodat, aptat.* Quomodo nempe Maro Æn. II: ——*Laterique Argivum accommodat ensem.* Verùm hoc qui discrimen aspernantur, objiciunt illud Cornificii ad Herennium lib. IV: *Ait se aedes maximas cuidam amico ad nuptias accommodâsse.* Quo pacto etiam editum à Rob. Stephano, & aliis. Nec rejicere ausim: præsertim cùm ibidem legas: *Apagete, inquit, cuidam aedes accommodavi.* Cornelius tamen Crocus damnat: atque ait, unam hirundinem non facere ver. Imò & Lambinus corruptè sic legi putat, ac *commodandi* verbum reponit. Omnino tutiùs abstinetur.

Objicere vulgò perhibetur, qui adversus aliquem disputat: sed aliter veteres; qui pro eo dicunt, *occurrere*, vel etiam *contradicere*. Cicero lib. III. Tusc. *Contrà dicuntur haec: Quis tam demens ut sua voluntate mœreat?* Scio, eum, qui exprobrat, objicere probrum: sed non propterea objicere dicendus, qui aliquid obducit sententiæ alienæ. Interim, quia nunc vulgò ita loquuntur in Scholis, etiam cùm Rhetores Προλήψεως explicant naturam: nolim super eo multùm ferram reciprocare. Præsertim cùm apud Fabium legam lib. IX. cap. II: *Mirè verò in caussis valet praesumtio, quae πρόληψις dicitur, cùm id, quod objici potest, occupamus.* Nempe jam tũ sic Rhetores loquebantur. Non tamen, quantũ memini, similiter *objectionem* dicit pro argumento in contrarium adducto: Pro quo Cicero, *quae contra dicuntur, adversariorum adjumenta, contraria.* Imò ne quidem pro *exprobratione* memini me legere apud idoneum scriptorem.

Pœnitet, pro *pœnitudine ducitur*, legas apud non neminem. Ut in illo viri docti, *ille pœnitebit citò*: pro, *illum citò pœnitebit.* Aliquid interim

interim est, quòd pro eo loquendi modo possis ex Justino promere. Vide lib. IV. cap. XXX. *in Panitetur*.

Potare etiam Latinis est *bibere*. At pro *potum præbere*, quomodo *cibare* pro *cibum dare* dicitur, apud classicum scriptorem nusquam invenio. Sed loquuntur hoc pacto scriptores Ecclesiastici. Cyprianus sermone de bono patientiæ: *Ut cibaretur Christus felle, qui cibū cælestē dedit; aceto potaretur, qui poculum salutare propinavit*. Beda de Orthogr. *Potamus eum, cui potum porrigimus*. Sed *potionare*, pro *potionem dare*, rectum est. Unde Suetonius in Caligula cap. L: *Creditur potionatus à Cæsoniâ uxore, amatorio quidem poculo, sed quod in furorem verterit*.

Præsumere sibi multa imperitè dicitur, pro *plura sibi arrogare*, vel etiam *sumere*, aut *adsumere*. Itaque dixeris, *Mihi non tantùm sumo*: vel, *Non adsumo id mihi*.

Pransus sum, pro *prandi*; item *cœnatus sum*, pro *cœnavi*, passim nunc legas, & à doctissimis viris audias. Sed *pransus*, aut *cœnatus sum*, non dicitur: verùm *prandi tecum, cœnavi apud patrem; pransus paullùm obambulo, cœnatus literas accepi*, vel *cœnato litera tradita*; quod idem est, ac *à prandio*, & *post cœnam*. Hinc Nonius Marcellus: *Cœnatus, ut pransus, ut potus, ut lotus id est, confectâ cœnâ*. Ostendit deinde hoc illo Varronis lib. III de vita Pop. Rom †. *Ut ejus convivium, qui triumpharet in Capitolio, videretur esse proprium, ut ipse potiùs domum reduceretur cœnatus à convivio*. Sic Horatius lib. I. sat. VI:

† *Apud Nonium in* Cœnatus.

Pransus non avidè, quantum interpellet inani
Ventre diem durare, domesticus otior.----

Sententia est: A parco prandio, planéque ejusmodi, ut duntaxat, instar interpellantium, sive eorum, qui sermonem alterius interrumpunt, obstet, quo minùs possim dici totum diem ventre fuisse inani; ab istiusmodi inquam prandiolo domi otiosè duro. Nec sanè Plautus, Cicero, vel ulli veterum, aliter loquuntur. Vide, quæ diximus lib. III. de Analog. cap. XXI.

Traducere aliquid ex Græca lingua in Latinam, vel Gallicam, pervulgatum est, præsertim Italis, & Gallis: nempe quia illi sic usurpent suum *tradurre*, hi suum *traduire*. Sed, qui purè locuti, pro eo dicunt, *vertere*.

Tribulare, pro *adfligere*, & *tribulatio*, pro *adflictione*, profecta sunt ab usu Ecclesiastico. Veteribus enim *tribulare* est tribulo, similive instrumento, comminuere. Ita usurpat Cato de R. R. cap. XXIII.

Video

Video esse, qui istic *turbato*, pro *tribulato*, reponant: sed omnibus codd. invitis.

CAP. XXXV.

De particulis significatione falsâ usurpatis. Ita *non esse adverbium affirmantis quippiam*: etiam, *nonnisi toto post Ciceronem seculo, sic esse usurpatum.* Non *pro* ne *jam Quinctiliani ætate in usu esse cœperat: sed ab eo damnatum. Improbatum* demagis *pro* minus, *in quo & Festus peccat: rejecta item* particulatim, *pro* speciatim: particulariter, *pro eodem*: saltem, *pro* solùm: insanè bene, *pro* valde bene: ferociter, *pro* sævè: *locus* fortiter *munitus, pro* validè: modicè, *pro* parum: gratiosè, *pro* eleganter, jucundéque: vicissim, *pro* mutuò: primò, secundò, terriò, *pro* primò, deinde, præterea: deinceps, *pro* deinde: ubi, *pro* quò: intrò, *pro* intus, *& contrà*: prorsum, *pro* prorsus: diu, *pro* dudum: abhinc, *de tempore futuro*: ad, *pro* ante diem: apud, *pro* ad: juxta, *pro* secundùm: quoniam, *&* quia, *pro* quòd.

DE verbis hæc sufficerint. Supersunt particulæ: in quibus non minùs aberratum. Ac primùm in Adverbiis: ubi initio se offerunt, quæ transcendunt decem rerum omnium classes. Nam univesè ad *ens* pertinent, *ita*, & *non*. Quorum prius vulgo habetur pro ad firmanti adverbio, quasi respondeat τῷ *non*. Sed parùm eruditorum eam esse opinionem, ait Erasmus Annotat. in Matth. V. 37. Pro se adferunt Terentii locum ex Andria act. v. sc. II:

——— *S. Quid istic tibi negoti est. D. mihin?*
S. Ita. D. mihine? S. tibi ergo ———

Sed *ita* naturâ suâ est similitudinis adverbium; atque integrè hic sit, *ita est, uti dicis*. Idem judicii est de loco Horatii sat. v libri II. vers. II: ubi Lambinum vide.

Nec *etiam* respondero, nisi quando & aliud antè est affirmatum: ut cum significat *quoque*: quemadmodum apud Plinium lib. II epist. VI: *Etiamne libertos? etiam.* Non ante Plinii ætatem aliter hac voce usos, existimem. Sed si hujus satisfacere posset auctoritas, fatendum sit, ejus ætate sic responderi solitum à quibuscunque, affirmare aliquid volentibus. Nam lib. IV epist. XIII legas: *Huic ego, Studes? inquam. Respondit, etiam.* Nullus hic sermo alius, quò *etiam* referatur, ante-

anteceſſit : ut parebit inſpicienti locum. Sed multùm jam tum degenerârat ſermo Romanus.

Non, pro *ne*, jam in uſu eſſe cœperat ætate eâdem. Sed barbarum dicitur ipſi Quinctiliano : cujus illud lib. I. cap. V : *Cognata ſunt*, NE, *ac* NON *adverbia : qui tamen dicat pro illo, Ne feceris*, NON FECERIS, *in idem incidat vitium ; quia alterum negandi eſt, alterum vetandi.* Quare nolim ſic loqui, *Non occidas* : vel, *non facias adulterium* : ſed, *ne occidas*, item, *ne fac. adult.* Vnus obiici poſſit Terentii locus Hecyr. act. III. ſc. II : *Non viſam uxorem Pamphili, cùm in proximo hic ſit agra.* PAR. *Non viſas : ne mittas quidem viſcendi cauſâ quemquam.* Ad quæ ſic reſpondet Cornelius Crocus : *Poteſt quibuſdam movere ſcrupulum, quaſi vetet, cùm reverâ neget, ſi propiùs complecteris.* Cenſeo ego, Ciceronis ævo non eſſe ſic locutos : eoque damnari à Fabio : uti Ciceroni vitioſum *non ſcio*, quod idem Terentius uſurpat ; ut vidimus.

Quantitatis adverbiis accenſentur, *demagis*, *particulatim*, *ſaltem*. Primo uſus Lucilius. Quo pro *minus* uſurpant, Feſto quidem, ſive potiùs Paullo Diacono, ſe tuentur. Sed *de* hic eſt ἐπιτατικὸν ; unde vetus gloſſarium exponit σφοδρῶς, ac Nonius *valde magis*.

Particulatim notat *membratim*, aut *ſeparatim*. Sed vulgò uſurpant pro eo, quod Ciceroni eſt *ſpeciatim* : ut de reditu ſuo ad Senatum : *Legem ſpeciatim initio de ſalute mea promulgavit.* Alii pro eo dicunt *particulariter* : quod barbarum puto. Nec enim quia *ſpeciatim*, & *ſpecialiter*, dicatur (Columellæ lib. III. *generatim*, & *ſpecialiter præcipere*, opponuntur) eò etiam *particulatim*, & *particulariter*, dici exiſtimandum.

Saltem uſurpari ſolet pro *ſolùm*. Quomodo cum vulgo inter alios loquitur vir eximius lib. de Amphitheatro cap. V : *Theatrum*, *quod Nero poſtea magnificum in campo Martio erexit, fuit ſaltem è ligno.* Ubi mallem dixiſſet, *ſolùm è ligno*. Veteribus enim *ſaltem* ſignificabat, τὸ ἔλαχιστον, ſive *minimùm*. Sed ſcrupulum injicit locus ille Plinii lib. XIII. Hiſt. Nat. cap. XI. *Ne terram quidem ipſam totam fuiſſe, quæ nunc Ægyptus intelligitur, cùm in Sebennytico ſaltem ejus nomen omnis charta naſcatur : poſtea addaggeratam Nilo.* Quomodo etiam habet vetus editio Parmenſis. Nec vetus cod. Mſus multùm abit, ubi pro *ſaltem* eſt *altem*. Sulpecta tamen lectio Dalecampio ; qui pro *ſaltem* reponit *ſolùm*. Verùm, inquiunt, attendere oportet, quod & Varro ſic loquatur lib. XVI. rerum divinarum : unde iſta excerpſit B. Auguſtinus lib. VII. de Civ. Dei cap. XXI : *In Italia compitis quadam dicit ſacra Liberi celebra-*

lebrata cum tanta licentia turpitudinis, ut in ejus honorem pudenda virilia colerentur : non saltem aliquantùm verecundiore secreto, sed in propatulo exultante nequitiâ. Verùm locus ille parùm movet. Nam & ista, & imprimis, quæ deinde ex Varrone subiungit, satis indicant, non instituisse Augustinum Varronis verbis; sed sententiam ejus, partim Varronis verbis expressisse, partim suis. Imò nihil prohibet, quò minùs etiam in allatis Augustini verbis *saltem* valeat *minimùm*. Nempe ut sententia sit, si gentiles sacra adeò turpia amarent, minimùm in occulto ista celebrare debuisse, non palàm omnibus.

Insanè etsi naturâ suâ sit Qualitatis; quandoque tamen sit Quantitatis: ut quoties sumitur pro *valde*. Nec significationem eam damno; nisi cùm sermo est de iis, quæ sunt virtutis, ac judicio sapientum promerentur laudem. Justus tamen Lipsius non dubitat in talibus dicere, *insanè bene :* eoque nomine vapulat ab Henrico Stephano, libro de suspecta Lipsii Latinitate. Lipsio autem fundus hujusmodi sermonis est Plautus, & istoc Varronis in VI. de L. L. *Plautus, cùm vehementer vellet dicere, dicit insanè ; quòd insani omnia faciunt vehementer.* Quomodo Bacchidibus est act. IV. sc. V:

Insanum magnum molior negotium.

Sed enim non multùm hæc juvare Lipsium videntur. Nam molliter satis Plautus ait, *insanum magnum* : ubi sermo est de audaci impostura hominis nequam. Quemadmodum & Tullius pro Milone commodè ait, *insanas moles substructionum :* in qualibus modus sæpe exceditur, more insanorum. Sed *insanè*, & *bene*, sociantur durè. Paullùm tamen ad excusandum Lipsium valet illud Mostell. act. III. sc. III. *insanùm bonam porticum.* Interim & hoc similius Tulliano isti, quod adduximus. Nam in porticu struendâ, ornandâque, quis non videt, insanorum more posse peccari? At longè dissimile est, si dicas; *Epictetum insanè bene philosophari*; aut, *B. Augustinum insanè doctè scripsisse*; aut, *B. Cyprianum insanè piè vixisse.*

Qualitatis etiam sunt adverbia *ferociter, fortiter, modicè, gratiosè*; quorum postremum est apud Ulpianum. Sed primo istorum malè vulgò utuntur, pro *savè, ac crudeliter* : altero abutuntur, cùm urbem ajunt *fortissimè munitam*, pro *validè munitam* : tertio item, cùm usurpant pro *parum* : quarto denique, cùm ponunt pro *jucundè, & eleganter.* Quid verò castè loquentibus denotent, diximus cap. XXXIII, cum ageremus de adjectivis, unde ista derivantur.

Relationis

Relationis adverbia sunt *vicissim*, ac *mutuò*. Quæ vulgò confundunt. Ut cùm pro eo, quod Græci dicunt φιλεῖν ἀλλήλους, ajunt, *vicissim amare*; cùm rectum sit, *mutuò*, vel *invicem diligere*, vel *amare inter se*. Relationis etiam sunt, quæ ordinem signant. Ut sunt *primò*, *secundo*, *tertiò*: qualia licet verè nomina sint in auferendi casu, cum κατ' ἔλλειψιν reticeatur nomen *loco*; tamen vulgò adverbia censentur. Quare nunc inter particulas iis locum relinquamus. Porrò sic planè usus nunc obtinet, ut illis utamur rationes numerantes, quibus aliquid probamus. Olim autem id notabant, quod dici solet, *primâ*, *secundâ*, *tertiâ vice*. Plinius lib. I. epist. V: *Ecce tibi Regulus. Quæro, inquit, Secunde, quid de Modesto sentias.* Et mox: *Rursus ille Quæro, quid de Modesto sentias.* Et paullo pòst: *Tertiò ille, Non jam quid de Modesto; sed quid de pietate Modesti sentias.*

Hujus etiam loci est *deinceps*: quod perperam usurpant nonnulli pro *deinde*; cum valeat idem, ac ἐφεξῆς. Cicero lib. IV Tuscul. *Gravissimus auctor Cato in Originibus dixit, morum apud majores hoc exemplar fuisse, ut, deinceps qui accubarent, canerent ad tibiam clarorum virorum laudes, atque virtutes.*

Denique etiam peccatum in locis, temporisque adverbiis. Loci est *ubi*. Hoc pro *quo*, vel *quorsum*, imperitos uti, penè omnes sciunt eruditiori hoc seculo. Sed ajunt, jam Appuleii ætate (vixit autem ille sub Divis fratribus) ita loqui consuevisse vulgus Romanum. Narrat enim lib. IX. Milesiarum, quendam, quia non satis Latini foret sermonis gnarus, minùs intellexisse rogantem, *quorsum vacuum duceret asinum*: at tum demum percepisse, quid vellet, cùm idem diceret; *ubi ducis asinum.* Scio, id velle Beroaldum; qui eum ad locum hæc annotavit: *Militem, Grammatica institutionis ignarum, inducit militariter loquentem, prævaricato Grammaticorum decreto; minimèque observantem placita Donatistarum**. Imò & similiter Andreas Alciatus lib. I. Prætermissorum †, voce *Sermo Latinus.* Nam κατὰ στοιχεῖα * is liber digestus est. Sed enim, & hos, & alios non paucos, postea secutos, decepit vulgata lectio. Nam uterque usus codd. Appulleii, in quibus foret: *Ergo igitur agrè subiciens miles: Ubi, inquit, ducis asinum istum?* Sed pro *agrè* meliores edit. habent *Græcè*: quod & membranæ nostræ comprobant. Quare ut miles linguâ priùs locutus Romanâ; (quod ex Luciano etiam liquet, quem sequi, atque exscribere Appulejus solet:) ita postea Græcè est locutus: ut hinc de lingua Romanâ nihil possit colligi.

* *Mirifica Beroaldi locutio, cùm Donatus seculis duobus sit posterior Appuleio.*

† *Pag. 673. edit. Iunctinæ an. 1546.*

* *Secundùm literarum seriem.*

Intro, & *intus*, malè confundunt. Qui error videtur & in vulgo obtinuisse Romano. Sic enim Charisius lib. 1: *Intro est in locum, Intus in loco, dicimus: ut etiam apud Graecos ἔσω, εἴσω, καὶ ἔνδον. Ideoque Lucilius ait:*

Nam velut INTRO aliud longè est, atque INTV' videmus:
Sic & APVD TE longè alid † est, neque idem valet AD TE:
INTRO nos vocat ad sese; tenet INTVS apud se.

† *Antiquò pro* aliud.

Prout eos versus restituit Janus Dousa Pater. Ex libro autem Satyrarum nono esse arguit, quòd illo egerit de recta scribendi ratione: ut non modò ex Terentio Scauro, & Isidoro, constat; sed etiam ex fragmentis ejusce libri, quæ supersunt. Nec aliter, ac Lucilius præscribit, loqui ausim: etsi non ignorem è Cornelio Celso, in Cælii Foro Romano, obduci ista: *Inspirandumque, ut ea medicamenta intus compellantur.* De quo inferiùs, ut puto, erit dicendi locus.

Ut *alibi*, & *alicubi*, sic differunt *aliunde*, & *alicunde*. Nam *alibi*, in alio loco; *alicubi*, in aliquo loco: *aliunde* ex alio loco; *aliunde* ex aliquo loco.

Est etiam loci adverbium *prorsum*: cùm id valeat, *planè*, *omnino*. Hoc de errore sic Cæsar Scaliger in Arist. Histor. Animal. lib. II. cap. XIX. sect. CXXXVII: *Prorsus, quod vulgus praecisè: at prorsum, τὸ ὀρθόν. Sic enim Latinè accipiendum est ab iis, qui integrè castèque in oratione Romana versantur: ut apud Terentium* †; *Cursari rursum prorsum.*

† *Hec* 3.1.

Temporis verò adverbia sunt *dìu*, & *dudum*; quæ malè permiscent. Sanè, *Quamdiu rediit?* pervulgatum est. At Plauti est, *Quamdudum è foro rediisti domum?* Similiter audias vulgò, *Iamdiu hora est prima*, vel *sexta*. At Terentii est *:

* *Hec* 4.4.

Iamdudum dixi, idemque nunc dico, Lache.

† *Eun.* 4.4.

Item †, PH. *Quamdudum venit Charea? DO. Modò.* Nempe *dudum* est de spatio breviori; *diu* de longiori. *Iamdudum verò*, plus est, quàm *dudum*. Uti & *jampridem* amplius est, quàm *pridem*. Cic. lib. II. ad Att. epist. V: *Cupio equidem, & jampridem cupio Alexandriam visere.*

Etiam temporis est *abhinc*: sed præteriti. Cic. III. Verr. *Quaestor Cn. Papirio Consuli fuisti abhinc annis quatuordecim.* At perperam usurpant de tempore futuro. Ita dici solet, *Desinent inducia abhinc annis septem.* Sed veteres mallent, *post annos septem.* Vel etiam, *ad annos septem.* Quomodo Tullius ait I. Tuscul. *Et ego doleam, si ad decem millia annorum gentem aliquam urbe nostrâ potituram putem?*

Aberra-

Aberratum item in præverbiis, sive, ut usitatiùs vocantur, præpositionibus.

Ad, & *apud*, jam olim fuisse confusa à vulgo Romano, liquet è versibus Lucilianis; quos pullò antè adduximus.

Aliter etiam præverbio *ad* abutuntur: ut cùm ajunt, *Ad* XII. *Kal. Sept.* item *ad* III *Non. Iul.* & similia. Veteres enim pro eo, *A. D.* XII. *Kal. Sept.* item *A. D.* III. *Non Iul.* Ubi A. D. valet *Ante diem.* Nempe idem valent, III. *Non. Iul.* & *A. D.* III *Non Iul.* Sic, *ipsis Idibus*, & *A. D. Iduum.* Inter alios de isto vide Ciacconium ad primum Cæsaris de bello Gallico.

Iuxta Varronem, vel *iuxta Aristotelem*, dicimus pravâ vulgi consuetudine; quæ & abripuit Josephum Scaligerum. Sic enim ille in fine notarum ad Dionys. Catonem: *Hac Publiana, quamvis inter nugas theatrales jactata, tamen quid rectum, quid utile sit, iuxta Horatium, melius Chrysippo, & Crantore dicunt.* Etiam Lipsius lib. II. Physiol. Stoic. dis. v. κατ' ἀυτὸς, vertit, *iuxta ipsos.* Et scio, similia in nostris etiam reperiri. Sed veteres dicerent pro eo, *secundùm ipsos*, *secundum Horatium*, & ita in aliis. Vidimus de eo etiam in Originum libris: quæ non repono.

Pro paucis diebus commodare, vel *mutuo accipere*, perperam, pro *in*, vel *ad paucos dies.* Uti Livius: *Obsidio vix ad paucos dies tolerabilis. Utrùm in unum annum facti sint.* Nec abludit hoc Terentianum*: *Eun. 5. 6.

Sed in diem istuc, Parmeno, est fortasse, quod minare.

Belgæ id concinnè, **t'is op borg**. Vt *in diem vivere*† dicitur, qui non est sollicitus de crastino. †*Cic. 2. Off.* & 2. *Philip.*

Insuper peccatum in conjunctionibus. Ita *quoniam*, & *quia*, pro *quòd*, vergente Latinitate, vulgò dixere. Eâque consuetudine vulgatus quoque interpres (ut non quidem sequi, ignoscere tamen debeamus) Matthæi cap. II. transtulit: *Tunc Herodes videns, quoniam illusus esset.* Ubi Græcè: Τότε Ἡρώδης ἰδὼν, ὅτι ἐνεπαίχθη. Ac similiter idem alibi.

Vel pro *sive*, Latinum non est. Vt cum dicunt; *Diana, vel Phœbe nihil aliud est, quàm Luna.* Similéque, *Nescit homo, utrùm odio, vel amore, dignus sit*, Pro, *an amore.*

FINIS LIB. I.

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE VITIIS SERMONIS,

FALSOQUE SVSPECTIS,

LIBER II.

In quo multo etiam glossa, sive difficiliores voces Latino-barbaræ, explicantur, & illustrantur.

CAP. I.

Secundo hoc libro duo nobis proposita esse refertur; quorum prius est, ut, sicuti libro fecimus superiori, ita hoc denuo pro vocibus barbaris reponamus Romanas; & Latinarum quidem, sed non ex consuetudine Romanâ, usurpatarum significationem, atque usum verum, aperiamus. Alterum autem est, ut, quò melius intelligantur scriptores, qui, desinente, aut desito jam puriori sermone Romano, claruerunt, explicemus compluria barbara, vel semibarbara, quæ apud eos leguntur. Particulatim verò primo hoc capite, tum de vitiis aliquot Orthographiæ agitur, tum Prosodiæ. In Orthographicis primus datur locus vocabulis, quæ Hebræis debemus. In iis peccari, quando pontifex ille Abimelech *vocatur, qui est* Achimelech; *cumque* Adon *dicitur, pro* Ahod; Berſabe, *pro* Bethſabe; Elchana *pro* Elcana; Helias, *pro* Elias; Heſter, *pro* Eſther. *Iod rejectum in* Eſaias, *&* Ezechiël. *Unde sit, quòd temporibus Karoli M. dixerint* Zaſu, *pro* Jeſu. Jeruſalem *rectiùs scribi, quàm, cùm spiritu,* Hieruſalem. *Scribendum* Mæcenas, Anicius, Marcia *gens,* Hirtius. Gajus *pronunciatum, etsi* Cajus *scriberetur; cujus mortis ratio adfertur.* Londenſis *aliud, ac* Londinenſis; *&* Dacia, *ac* Dania; *quæ Radevicius, & alii, confuderunt. Britannia gemino* Nexarandum, *contra* ἀναλογίαν. Muſéum *scribi oportere: item* ſtrategema, *&* cimelion: *inque Latinis* ſervitium, *&* ædilitius, Temperius, *&* temporius *dici.* Laterna, *sine N, etymo adſtrui.* Caritas *sine spiritu scribendum.* Domnus *de iis, qui dignitate funguntur Eccleſiaſticâ. De diviſione literarum. In modulo ſyllaba præcipuè peccari in Græcis: maximè in propriis nominibus. Interim id fieri etiam in appellativis, & quidem Latinæ originis.*

Magnum

MAGNUM jam iter confecimus in carpendis vocibus vitio creatis. Valde autem se deceptum sentiet, qui, hac quasi nixus industriâ nostrâ, putârit, abunde se caviſſe sibi à barbaris, si iis abstinuerit solis; nam tantummodo luculentum barbarorum specimen dedimus; ut juventus, hisce animadversis, edderetur cautior, omniáque appenderet ad stateram sermonis Romani; nec aliquid usurparet, nisi cujus idoneum ex veteribus sciret auctorem. Interim innumera supersunt nihilo meliora iis, quæ attulimus: cujusmodi qui mediocris fuerit judicii, atque industriæ, haud difficulter per se obſervârit, modò eam institerit viam, ad quam prævivimus. Quia tamen nec juventuti tantum sæpe judicii est; nec ætate provectis tantum ab re sua otii sit, hoc ut laboris subire velint, aut possint: jam finem imponenti superiori libro, ac mecum cogitanti, quantum esset, quod præteriissem, in mentem illud venit, facturum me rem non ingratam puritatis, ut vulgus barbarum loquitur, sive, ut dicere malim, puri sermonis amatoribus, si novam iterum aciem talium ostendam, cumque ea confligere denuo parem; ne illa, quæ in scriptis non vulgarium dico animarum, sed interdum doctiſſimorum etiam hominum, dictionis, alioqui lectiſſimæ, honorem non leviter labefactant; deinceps etiam inquinent adolescentiæ sermonem; quæ, priorum auctoritate compulsa, vestigiis eorum insistere non vereretur. Ut verò gemino prosim nomine, stat animus, deculpatis illis quotidiani sermonis vocibus, quas dicebam, admiscere γλώσσας ξενικὰς, sive peregrina vocabula à labantis, vel collapsæ Latinitatis scriptoribus usurpata; eáque subinde paullo luſiùs explicare, ut eâdem lucem afferam multis superiorum seculorum monumentis; quæ verbis concepta cepas, & allium olentibus; sed res sæpe non minùs solidè, nervoséque explicant, quàm à magnis nostri seculi ingeniis factum. Miscellum hunc laborem aggressuris initium esto ab iis, ubi ὀρθογραφίας, vel προσῳδίας vitium se offert. Utrobique autem brevitati sic studebo; ut, quæ dicam de duobus iis, uno hoc capite complectar: nempe tum quia alibi de istis pluribus dictum nobis; tùm quia ad ea propero, quæ ad integra pertinent vocabula, majoriſque mihi esse usus videntur.

In ὀρθογραφίᾳ nuspiam error est proclivior, quàm in propriorum illis, qui accepimus ab Hebræis. Cujusmodi præter ea, quæ superioris libri capite x attuli, multa sunt alia. Sanè *Abimelech* Pontifex, Abiathari parens, qui à Dœgldumæo interemtus, secundùm Hebræos

codd.

codd. Latinoſque *Achimelech* vocari debet. *Adon* Sulpitio Severo, aliis *Aioth*, pro אהוד *Ahod*, vel *Ehud*, LXX Αὼδ: uti quoque eſt in editione Romanâ. *Berſabe* nuncupatur Sulpicio Severo, ſecuto interpretes LXX; quæ in Hebræis codd. & hos ſequenti Hieronymo, *Bethſabe*. Quamquam nec τῶν ἑβδομήκοντα † is error videtur: ſed codicis vitiati. Nempe LXX. ſcripſere θ: ſed pars inferior tempore in altero eſt latere detrita, ſic ut ϱ exiſtimaretur. *Elcana* rectiùs, quàm *Elchana*; quod apud Sulpitium Severum. Etiam *Elias* malim, quàm *Helias*: *Eſther*, quàm *Heſter*. At non itidem *Eſaias* damnem, pro *Ieſaias*, abjecto Jod; quod etiam fit in *Ezechiël*, pro *Iezechiel*.

† *Septuaginta interpretũ*

Zaſu, pro *Ieſu*, legimus in Annalibus Francorum à Pithœo editis *: *Sic me Deus adjuvet Zaſu patrocinia*. Unde & *patrocinia* pro *patrocinium* dixiſſe colligas: niſi *patrocinio* reſcribendum. Cæterùm *Zaſu* non eſt ex peculiari librarij inſcitiâ: ſed partim ex uſitatâ permutatione literarum A, & E; partim ex eo, quòd vulgo vicinus eſſe ſonus literarum Z, & I conſoni: unde & ναυπηγὸν καδίδραν, quam Græci ζύγα, hanc Latini *juga* appellant: ac à ζεύγω quoque eſt *jugo*, & *jungo*.

* Pag. 510. ed. Wechel. an. 1594.

Hæc hominum ſunt nomina. Sed etiam in locorum vocabulis aberratur. *Jeruſalem* ſcripſero ſine H: contrà quàm facit Apollinaris plal. cxxxvi, Ἰερουσαλήμ. Et tamen *Hieroſolyma* cum H dicam: nempe ut morem geram errori eorum receptiſſimo; qui cùm de Solymis, apud Homerum, & alios, legiſſent, & de fama urbis Jeruſalem audiiſſent multa, ſic dici putarunt; quaſi ἱερὰ Σόλυμα: cùm *Jeruſchalaim* propriè ſignet *viſionem pacis*: ut explicant Hieronymus epiſt. ad Marcellam, Ambroſius, ſive Hilarius, diaconus Romanus, in epiſt. ad Rom. cap. xi, Auguſtinus Tom. iv de cathechizandis rudibus cap. xx: ut Gregorium M. Nicetam, & tot alios, mittam.

Similiter error committitur in propriis Latinis, Græciſque: ac primùm, hominum. Ut *Mecœnas*, pro *Macenas*, cùm Græcè ſit Μαικήνας. *Anitius* per T, cum in lapidibus ſemper exaratũ ſit per C: fortaſſe διὰ τὸ νίκης. Sed & *Martius* quidem à *Marte*; à *Marco* autem *Marcius* dicendum: ut *Ancus Marcius*, & inclyta apud Romanos *Marcia* gens. *Hirtius* ab *hirte*, non *hirco*. Nam priùs comprobant libri, nummi, lapides.

Quod verò non injuriâ aliquis miretur; jam olim fuit, ubi ratio ſcribendi abiret à pronunciatione. Ut cum *Gajus* pronunciarent, *Cajus* ſcriberent. Cujus rei cauſſam non pigebit adferre. Sanè αὐτόχθονες † præ cæteris erant honorati. At γαῖοι, ſive γηγενεῖς, idem ac αὐτόχθονες. Itaque

† *Suo è ſolo geniti, ſive Aborigenes.*

que scholiastæ Æschyli, & Aristophanis, Χαῖον interpretantur *nobilem*: quod & apud Hesychium legas. Quamquam & *dominum* possis exponere: quod convenit illi in sponsalibus; *Ubi tu Cajus, ego Caja*. G verò pronunciari solere, docet inter alios Ægyptiacæ Syenes præfectus Terentianus Maurus:

Asperum quia vox sonorem leniore interpolat,
Vel priores G Latini nondum ab apice finxerant;
Cajus prænomen inde; C. notatur, G sonat.

Omne hoc inde est, quòd prisci illi Romuli nepotes non haberent literam G; sed pro ea C scriberent: unde, LECION, PUCNANDOD, MACESTRATOS, EXFOCIUNT, in columna Duilliana, pro *legion, pugnando, magistratus, effugiunt*. Postea pro sono diverso diversas posuerunt figuras. In *Cajus* id non factum, dum quisque more veteri suum mavult nomen exarare. Vetus tamen remansit sonus; quia persisterent *Gajus* pronunciare, sicut antea. De propriis hominum hactenus.

Erroneæ (si sic loqui licet) ὀρθοεπείας in locis exemplo erit, quando commutantur nomina *Londa*, & *Londini*; *Lundensis*, & *Lundunensis*. Uti factum à Radevico de gestis Frederici Ahenobarbi cap. VIII, & seqq. ubi Eskilus *Londinensis* vocatur, qui à Londa, Daniæ metropoli, *Londensis* erat appellandus. Siquidem Eskilus ille secundus fuit Danorum archiepiscopus, vicinæ Sueciæ primas, ac Ecclesiarum ibidem curator: ut ex Saxone Grammatico, & aliis, constat. Itaque non *Londinensis*, sed *Londensis*, rectè de eodem exaratum, apud Petrum, Abbatem Cellensem, lib. I epist. XXIII, & lib. V ep. V, & lib. VI. ep. XV, & lib. VII ep. VI, & lib. VIII ep. I, XIX, & XX. Atque in notis ad hunc Cellensem observat doctissimus Sirmondus, spissiori etiam errore apud Innocentium III epist. CCCXXI, pro *Londensis* legi *Lugdunensis*.

Hic civitatum nomina confunduntur. Est verò cùm idem in totis contingat regionibus. Uti in *Dania*, & *Dacia*. *Daci* enim, pro *Danis*, crebrò legas apud medii ævi scriptores: sicuti monitum Abrahamo Ortelio in Thesauro suo. Ac liquet hoc ex Ottone Frisingens., & Radevvico; uti jam observatum Nicolao Serrario scholiis in Translationem S. Bernvvardi. Sanè prior lib. I gestorum Frederici Barbarossæ, cap. XXIV. refert, ut Daciæ Rex postulârit à Cæsare investituram Daciæ. Alter narrat, ut Merseburgi controversia de regni

Daciæ succeſſione fuerit à Cæſare diremta. At ab iis oris longè diſſiti erant Daci; qui nunc Tranſylvani, Raſcii, Servii, Bulgari. Similiter Petrus Abbas Cellenſis lib. VIII epiſt. XIX ad Eskilum antè memoratum: *Ecce veſtra Dacia remota eſt à noſtra Francia.* Quæque Matthæus Pariſius in Hiſtoria ad an. CIↃ CCLI narrat de filiis Aldemari quondam Regis Daciæ; quorum Henricus crudeliter à fratre Abele interemtus, Abel propterea à magnatibus Daciæ in exilium ejectus; ea nonniſi de Daniæ regno poſſunt intelligi. Interim nihil in ſcriptoribus mutandum; quia non librariorum is lapſus, ſed ſcriptorum.

Ut verò aliarum rerum, ſic etiam in regionum, & urbium ὀρθογραφία, attendere oportet ad *ἀναλογίαν* vocabulorum, quæ aliis ſunt locis impoſita. Nec tamen id ubique locum habet. Alioqui enim dicendum eſſet *Britania*, unico N: ut *Aquitania*, *Hiſpania*, *Mauritania*, & id genus alia. Nempe tum ſolùm ſequenda eſt *ἀναλογία*, cùm eam conſuetudo veterum vel peperit, vel aluit; nam, ut ait Comminianus †, *Ridiculum eſt legem adverſus conſuetudinem ferre; quæ ſola in noſtro ſermone dominatur.*

† *Apud Chariſium Soſipatrum.*

Atque hoc Comminiani præceptum non ſolùm habet locum in locorum propriis; ſed etiam *in communibus*, quæ *appellativa* dicuntur. Inque his ſimiliter originis plurimùm ratio habetur; ſive ea à græco fonte ſit, ſeu Latino. Itaque cum Græci dicant Μουσεῖον, perperam ſcribitur *Muſæum*, pro *Muſéum*. *Strategema* in ſecunda vocalem habet ſecundam, quia Græcè eſt στρατήγημα. Quod ſi Dores ſequi malis, ut fere ſolent Romani; ſaltem A fuerit porrectum. *Ciminilia* legas lib. primo Decretalium Gregorii IX, Tit. XXIII de Officio archidiaconi. Omnino, ut Carolo Molinæo jamdiu monitum, *cimelia* dicendum, ex græco *κειμήλια*, quo ſignantur res pretioſæ ſe poſitæ. Atque idem error commiſſus Tit. XL de verborum ſignificatione, ubi *in cimilinis* exaratum, pro *in cimelio*.

In Latinis ſimiliter *ſervitium* per T ſcribendum, quia eſt à *ſervitum*. *Ædilitius* per T, quia dicimus *ædilitas*. *Temporius* malim à *temporis*; nec *temperius* propterea damnâro; quando veteres, ut *pigneris* dixere, unde *pignero*; ſic etiam *temperis*, (quod apud Plautum*) unde *tempero*. At *temperius* ejuſdem ac *tempero* originis eſt; nam propriè *temperius* accedit, qui magis tempore, ſeu tempori venit. Itaque Ciceronis eſt lib. IX epiſt. XVI: *Memini te mihi Phamea cœnam narraro; temperius fiat: cætera eodem modo.* Quomodo & legit Paullus Manutius, ac *maturius* exponit. Fatetur vero, non alibi ſe id vocabuli reperiſſe, quàm apud Cor-

* *Persâ act. 5 ſcen. 1.*

Cornelium Nepotem ; unde hæc adducit verba in Vita Terentii, à Tiberio Donato scriptâ: (Suetonium Tranquillum dicere debuerat, quem verè esse auctorem, extrema Vitæ verba clarè docent:) *Nepos auctore certo comperisse se ait, C. Lælium quondam in Puteolano Kal. Martiis admonitum ab uxore, temperius ut discumberet, petiisse ab ea, ne interpellaretur.* Sic est in veteri Tarvisina anni CIↃ CCCC LXXIV. Illa tamen Rob. Stephani anni CIↃ IↃ XLI, item Parisina Lindenbrugii, *temperius* habent. Sed puto, veteribus libris standum. Sanè sic Mssi etiam codices Ciceronis loco memorato : quos secuta illa Rob. Stephani anni CIↃ IↃ XLIII, & Lambini Santandreana an. CIↃ IↃ LXXX; imò & Hamburgensis Guilielmii, ac cruteri. Ut non multum movear, quod H. Stephanus in suo Pseudocicerone* *temperius* legere malit, quia Cicero *tempori* scribat, non *tempore*.

* Pag. 148.

Lanterna hodie pronunciant variæ gentes. Atque hoc inde est, quòd, labente Romani sermonis puritate, in multis N infercirent, præter consuetudinem priorem. Itaque *lanterna* etiam exaratum est apud Matthæum Parisium in vitis XXII Abbatum †. Sed aliud etiam etymon suadet; cùm ex eo sit nomen, quòd à latere gestetur; vel quia lateat, ac concludatur lumen. Nec dispar obstat quantitas, cùm suppetant & alia multa, quæ à modulo primogenii recedant.

† Pag. 52. vers. 3.

Est ubi ex origine nihil subsidii petere sit: ut in *carus*; pro quo vulgò *charus*, quasi à χάρις foret: ut suspicatus jam olim Petrus Schottus epistolâ ad Rodolphum Agricolam*. Sed Hebræa esse originis vel potiùs Chaldæa, ostendimus in Originum libris: nempe ab יקר *jekar*, quod notat *pretiosum, carumque esse*; qualia quæ sunt, amari à nobis solent. Sed quicquid de etymo sit [nonnulli enim à *carendo* esse, eoque Latini ortûs putant] planè sine spiritu *carus*, vel *karus*, non *charus*, scribendum: quod tum ex lapidibus, & nummis, tum ex optimis libris, in his Pandectis Florentinis, & Virgilio carpensi, liquet. Pluribus id docet Aldus in Orthographia: eandemque scripturam probat Achilles Statius ad Catulli Epigr. II.

* In Centuria epistolarum Philologicarum edita à Goldasto.

Posteriora etiam secula in suorum temporum rebus aliquid sibi juris vindicant. Quamobrem, qui ubicunque *domnus* in Mssis reperiunt, *dominus* reponunt, næ illi scriptoribus sunt injurii: quando sic multis obtinuit seculis, (sicut libri Mssi testantur) ut *domni*, pro *domini*, de Ecclesiastica dignitate fungentibus diceretur.

Neq; solùm peccatur diversitate literarum : sed etiam vocum divi-

sione. Ut cum scribunt, *doc-tus, nos-ter, Eras-mus:* pro *do-ctus, no-ster, Era smus.* Verùm obtendunt nobis hoc Cæsaris Scaligeri de Caussis L.L. cap. I: *Neque aliter scribere debemus, quàm loquamur.* At hoc ne florente quidem Româ, perpetuum fuit; quia *Gajus* dicerent, *Cajus* scriberent; ut antè vidimus. Fateor tamen sic fere fuisse olim. At dispar ratio nostrorum temporum. Quid enim, an quia dicimus *pe-rire*, pro *per-ire*, eò sic scripserim, neglectâ origine, ac veteri pronunciandi ratione? At, inquiunt, si quis sic efferat hodie, ridendum se propinet. Non diffiteor; sed dispar est ratio scribendi: ubi exarandum ut veteres, & loquebantur, & scribebant: utcunque nunc, inviti licet, abripiamur cum vulgo: cui in sermone obsequimur, ne brachia videamur tendere contra torrentem, ac imitamur hac parte Ciceronem; qui sic ad brutum scribit: *Quin ego ipse, cùm scirem, ita majores locutos esse, ut nusquam in vocali adspiratione uterentur; loquebar sic, ut pulcros, Cetegos, triumpos, Cartaginem, dicerem, Aliquando, idque serò, convicio aurium, cùm mihi extorta veritas esset, usum loquendi populo concessi; scientiam mihi reservavi.* Loquar igitur cum junioribus, ne ludibrium debeam indoctis; & eruditioribus etiam laureolam videar in mustacio quærere. At in scribendo, sequar eruditiorum illos, qui antiquos sequuntur duces. Nam quis dubitat, quin veteres dixerint *do-ctus*, cum à *doceo* ἀναλόγως sit *docitus*; ut ab *habeo habitus*, à *moneo, monitus*: à *docitus* verò *doctus* κ᾽ συγκοπὴν. Sic *a-gmen* protulere, quia esset ex *agimen*; ut à *moneo monumen*, unde *monumentum*. Nec tamen *o-stendo* scribendum, sed *os-tendo*, quia est ab *ob*; cujus posterior in S commutatur. Nisi malis, veteres, ut *ab*, & *abs*, sic *ob*, & *obs* dixisse; de quo alibi monuimus.

Nec in ὀρθοεχείᾳ solùm peccari videas, sed etiam προσῳδίᾳ: quod vocabulum græcis tonum, spiritum, & tempus, comprehendit; Latinis solùm tonum, & tempus: quia his adspiratio vulgò literis accensetur; ut vitium ejus ad ὀρθοεχαφίαν potiùs referatur.

Toni, qui *accentus* κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur, vitium est, si *utique* dicas, vel scribas, cum accentu in mediâ, quando sumitur pro *omnino*, vel *certè*: ut in illo Ciceronis ad Att. lib. XIII. ep. XXI: *Eodem die, utique postridie.* Et lib. XIII ep. IV: *Velim antè possis: sin minùs, utique simul.* Dispar ratio, si dicas, *frui, utique opibus.* Sic *itaque* pro *ergo* cum accentu in primâ: in secundâ, pro *& ita.* Quomodo veteres esse locutos, ostendit hoc Terentii Andr. III. III. *Imò ita volo, itáque postulo, ut fiat.* Et Eunucho II. III:

--*Red-*

——*Reddunt curaturâ junceas.*

Itáque ergo amantur.

Ubi Donatus: *Itáque, Atque ita fit, ut amentur.* Ratio discriminis est, quòd *itáque*, pro *& ita*, duas res notet; uti & duæ suæ sunt voces. At *itaque* pro *ergo*, vel *igitur*, vox est una, licet composita, remque designat unâ. Quamobrem nec enclitica locum habet in istis, *atque*, *neq;*, *namq;*, *quisque*, *sive*, *ubique*, *ubicunque*. Nisi forte & *ubique* reperiatur, non pro *omni in loco*; sed pro, *& ubi*: ut si dicas, *Ubi tres, ubique vel duo fuerint congregati in Christi nomine.*

At in accentu pariter, ac quantitate, peccant, qui dicunt *regimen*, pro *régimen*; *competitor*, pro *competítor*. Præcipuè verò in Græcis errari solet. Sic Lactantius, si libris nonnullis fides:

Ecclesia pastos ubere, lacte, sinu.

Item Odo Cluniacensis præfatione alterâ Moralium in Job:

——*Claro quem climate tensa*
Ecclesia reboans laudet——

Quasi non græcè sit ἐκκλησία. Inque his ipsis nuspiam toties se turpiter dare multi solent, quàm in propriis: quia abitrantur ejusmodi esse arbitrarii juris: quod Servio scriptum in illud I Æn. *Huic conjux Sichæus erat.* Id verò ad omnia extendere, ridiculus sit error: ut cùm poëtæ Christiani, quæ Græcè per E, vel O breve, scribuntur, non verentur producere: vel cum corripiunt, quæ exarantur per H, vel Ω. Sic secunda in *Euphemia*, licet Græcè sit Εὐφημία, brevis est Sidonio Apollinari in Panegyrico:

Gaudeat Euphemia, sidus divale parentis.

Ac primam in *Stephanus*, & alteram in *Ambrosius* producit Ennodius Ticinensis: cum Græcè sit Στέφανος, & Ἀμβροσίος. Sed idem in Latinis etiam, nec propriis, toties in metrum peccat, ut pigeat meminisse. Andreas Schottus medicinam sæpius studet facere; sed invitis libris: ut dubium non sit, quin perperam ipse scripserit Ennodius, magnam partem culpâ seculi, quo vixit. Mirum verò renatis literis à multis sæpe tam fædè impingi. Sic Sixtus Senensis†, uti Alciatus de jureconsultis fecerat, ita ipse de Scripturæ interpretibus judicium laturus, hunc in modum carmen concludit:

At brevis, & facilis, non est spernenda tyroni
Lyrensis expositio.

† *Post peroration. lib. 3.*

Ac repetit Serrarius in Prolegomenis Bibliacis cap XXVII, quæst. XVIII. Atqui prior in *tyroni* veteribus est porrecta, & tertia in

tia in *expositio* est correpta, cùm sit ab *expositum*. Summus vir, Justus Lipsius, epithalamio ad Victorem Giselinum sponsum postremam in *coluit* produdit in clyconio hoc, *Marspiter coluit agrum*: & paullo antè corripit *vis* in hoc trochaico:

Frange jam nucem marite, si vis esse nucleum.

* *Pag.* 467. Εἰσαγωγὴ παιδείας editor in Logicis * ait:

In simili qualitas una est, in dissimili haut est.

Sed hisce eo facilius ignoscendum, quòd aliis studiis valerent; nec inter poëtas nomen profiterentur suum. Non contradico. Sed sæpe etiam illi, qui quantivis pretii videntur, modulum syllabæ negligunt. Horum malim nunc nominibus parcere: præsertim quando abundè id de plerisque ostendimus in secundo de arte grammatica.

CAP. II.

Repetitum, quod libro dictum priori, tria esse genera vocum barbararum: alia enim esse barbara originis, nec recepta in civitatem: alia originis Latinæ, ac nihilominus ignota Latinis: alia Latinis usurpata, sed in alia, quàm fiat, significatione. Amiralius *priori parte sui esse ab Arabibus; posteriori Græcum videri.* Alembix, *pro cadi, vel olla genere, esse ex Arabico, & Græco.* Aldii, & Aldiones; aldiæ, & aldionæ. Allode, *sive* allodiũ *vocari, quorum penes aliquem dominium sive proprietas sit; ut quæ patrimonii sint: & origine vocem Germanicam videri.* Ambassiatoris, *pro legato, genuinum* ἔτυμον. Arimannus, *sive* Erimannus, *pro cliente domini sui.* Assasinorum *vox Turcica, pro hominibus conductitiis ad aliquem interimendum.* Auca, *pro* anser*e, sitne ab Arabibus, dubium, an Græcis.* Augis *nomen esse ab Arabibus: Græcis, Latinisq; apogeum dici, aut* absidem summum: *at* jugum *Ciceroni aliud esse; nempe signum Libræ.*

HInc jam ad ea me conferam, ubi non tam in ratione scribendi, vel accentu, aut syllabæ modulo, peccetur; quàm in ipso vocabulo. Quæ trium generum sunt, ut initio operis dicebamus. Primùm quædam sunt ortu barbara, nec civitate donata: qualia, nisi jam longo usu in varias se linguas diffuderint, maximè interpretationis egent: quia, quid significent, difficilis est conjectatio omnibus linguæ ejus ignaris, unde sunt profecta. Deinde alia sunt, quæ originem

ginem suam debeant Latio, vel Græciæ: nec tamen apud ullum reperiantur idoneum puri sermonis auctorem. Denique sunt non pauca, ubi vox quidem Latinis auribus est nota; sed eo peccetur, quòd in aliena, sive Romanis ignotâ, significatione usurpetur. De singulis igitur horum classibus aliqua adtexam: ac ordiar ab iis, quæ ortu ipso barbariem prodant: ut quæ genus suum ducunt ab illis, quos Romani, Græcique, pro fastu suo, barbaros dixere: præcipuè ab incolis magnæ matris nostræ Germaniæ: vix tamen alia adferam, quàm quæ reperias apud scriptores alicujus nominis; quorum & verba plurimùm subjiciam. Interea ex innumeris solùm pluscula, & quæ se offerent primò, adducam. Nec enim Lexicon scribimus mixobarbarum: sed tantummodo *sylloga* ejus, sive *specimen*, damus.

Admiralius qui vulgo vocatur, is Græcò vocabulo est *thalassiarcha* dicendus, vel Latino, *maris præfectus*. Quod si barbarum placet, origo potiùs *Amiralius* exigat. Omnino enim est ab Arabico *emir*, seu *amira*; quod *dominum* signat. Itaque *Amiras* & Amireus, est Paullo Diacono. Similiter Ivo Carnotensis in Chronico, quod longè auctius est in bibliotheca Nob. & præclari viri, Guilhelmi Noomsii, Arlanderveniæ Domini: *Arabum Amiras, missus ab Humaro, cepit Cæsaream Palæstinæ*. Sigebertus in Chron. *In regno Saracenorum quatuor prætores statuit, qui Amirai vocabantur; ipse verò Amiras vocabatur, vel Protosymbulus*. Matthæus Parisius ad an. CIↃ CCIII: *Procurator civitatis, qui linguâ eorum* (Turcicâ) *emir dicebatur*. Item ad an. CIↃ CC LXXII; ubi agit de Eduardo, regis Angliæ primogenito, prope Achon periclitante: *Amiralius Joppensis, natione Sarracenus: qua dignitas apud nos consulatus vocatur*. Similiter scriptores Græci. Nam apud Zonaram legas in Michaële Paphlagone, Hequenem Calipham dictum esse Amiram. Et Elhadech Calipham similiter esse appellatum, narrat Nicetas lib. v de imperio Manuelis Comneni. Ab *amiras* igitur est *amiralius*: pro quo, qui etymon nescirent, quasi ab *admiratione* esset, *admiralius* dixere; vel *admiralus*, ut est in Chronico Cassinensi lib. III cap. XLIV. & alibi. Imò & *admiratus*, vel *admiraldus*: ut apud Rogerum de Hoveden Tom. II Annal. Quin & *Admiraldus* legas apud Turpinum de vita Karoli M. cap. XVII, & XX; Othonem Frisingensem lib. VII cap III, & V; Cæsarium lib. IV Mirac. cap. XV; & Bekam in Chronico, ubi de Guidone. Longissimè autem abit *admiravisus*: quod apud Matthæum Parisium in Historia reperias; uti & memoratum *admirals* vocabulum.

cabulum. Clarissimus socer meus Franciscus Junius, Notis in Codinum de Offic. censet, *Amiralii* vocem esse hybridam; ac conflari ex Arabico *emir*, sive *amira*, *dominum* aut *principem* significante, & Græco ἅλι@, *marinus*. Id displicet doctissimo Gretzero Comment. in Codin. cap. II: *Credat*, inquit, *qui volet: ego adsensum cohibeo*. Hic, præter morem, satis modestè: qui quavis occasione non sine fannis arietat in Junium; & alios, itidem candidissimi pectoris, & præclaræ doctrinæ: inque his etiam amicissimum collegam meum, Joannem Meursium; quo vix alius literas minori tractabat ambitione. At quis non videt, quantopere Gretzero ipsi Meursianum glossarium usui, & auxilio fuerit? Utinam fœdus iste scribendi modus, qui sic nostris temporibus in famam hominum grassatur, sublatus esset de terris, scriptoribus salvis. Sed ad *amiralium* redeo. Cujus etymon Junianum cur sic aversetur Gretzerus, vellem ipse addidisset. Nam res clamitat, non esse simplex, quale *Amiras*; sed compositum. Quare, relicto Gretzero viro sanè πολυμαθεστάτῳ †, in hoc eximio Junio accedere non dubitavit Reverendus, ac clarissimus Guiljelmus Watsius, S. Theologiæ doctor, in Glossario, quod Matthæo Parisiensi, longè feliciùs à se edito, adjunxit. Etiam vide, si plura de voce ista voles, Spelmannum Equitem, & Jo. Meursium, in glossariis suis: illum in *Admiralius*; hunc in Ἀμηράλι@.

† *Varia ac multi juga doctrina.*

Alambix, vel *alembix*, vasis genus apud Medicos recentiores, voce hybridâ. Nam ut ex *al*, articulo Arabico, & græco μεγίστη, est *almagestus*; ex eodem articulo, & χυμεία, *alchymia*: ita ex articulo illo Arabum, & ἄμβιξ, est *alambix*, vasis genus. Ἄμβιξ est apud Athenæum lib. XI; imò & Dioscoridem lib. V cap. CX: ubi de confectione hydrargyri, agit ex minio. Cujus verba interpretans Plinius lib. XXXIII cap. VIII, pro ἄμβιξ *calicem* dixit. Hesychius exponit χύδαρ, κάδον, *ollam, cadum*.

* *Lib. I. Tit. 6. leg. 4. & Tit. 30. l. 5. & Tit. 25. leg. 82. & lib. 2. Tit. 44. l. 1.*

Aldius, & *aldia*, *aldio*, vel *aldion*, & *aldiona*, voces sunt à Germanis acceptæ; quas sæpius legas in legibus Longobardicis *: ac *aldius* videtur, qui antea servus, si libertatem consecutus, ut interim veteri domino foret obnoxius; *aldiones*, talibus prognati: *aldia*, *& aldiona*, de feminis hujusmodi dicuntur. Meminit & horum Henricus I ejus nominis imperator, in donatione facta Ecclesiæ Novariensi; quam legere est apud Baronium in opere annalium Ecclesiasticorum Tom. XI ad an. CIↃ XIV †: *Ejus* (præsulis) *precibus annuentes jam dictum comitatulum in ejus Ecclesiæ potestatem omnino transfundimus- cum expellic, do-*

† *Pag. 51 ed. Moret.*

lis, domo cultili, massaritiis, casis, sediminibus —— aliisque universis redhibitionibus, cum servis, & ancillis, aldionibus, & aldianis utriusque sexus, ad jam dictam plebem, vel curtem pertinentibus.

Allodium est apud Ivonem Carnotensem epist. CLXVIII; Goffridum, abbatem Vindocinensem, lib. I. epist. II; & apud eundem alibi; Radevicum, Canonicum Frisingensem, de gestis Frederici I. lib. IV. cap. XXXIV, Anastasium Papam in diplom. ad Heloissam, Cæsarium libro II. Miracul. cap. XII. Item in Chronico Cameracensi †, & Cistercienst*, apud Bekam †, alios, de quibus Goldastus Not. in Cunr. Faber. cap. 14. pag. 225. *Alodiarius* pro eo, qui allodium obtinet, usurpat Goffridus abbas lib. I. epist. XXIX. *Allode*, Flodoardus Historiæ Rhemensis lib. III. cap. XXVIII. e *Allodium* Latinè dixeris, *res mancipi*; quomodo & Sigebertus nuncupat: nempe alia nostra sunt solùm χρήσει, sive usu; alia etiam κτήσει, sive mancupio; quomodo hæc opponit Lucretius lib. III:

Utaque mancupio nulli datur, omnibus usu.

Itaque *allode esse*, & *ex beneficio obtineri*, opponuntur Kapitular. Karoloi M. lib. I. cap. CXXXII: *Si Deo donante, aut in beneficium, aut in allode, annonam habuerit.* Ubi *allode* est, cujus proprietatem habemus, eoque liberi est juris. Illi adversatur, sic ex regio habere beneficio, ut non in proprietatem sit datum, sed in feudum; unde quis propterea alteri fidem, & operam debeat. Itaque etiam *allodium*, & *patrimonium*, sæpius conjunguntur. Ut in Martelli Comitis Præcepto de tutela Monasterii Vindocinensis: *Monasterium ipsum, & res illius universas B. Principi Apostolorum Petro, & Romanæ ejus Ecclesiæ, allodium obtuli, & patrimonium.* Ex ea Comitis oblatione Abbas Vindocinensis factus *alodiarius B. Petri*; ut vocatur in tabula fundationis. Cùm verò *alodium* & *feudum*, sibi mutuò adversentur; ac *allodialia* sint patrimonialia, & à majoribus transeuntia ad hæredem: placet eorum conjectura, qui putant, *alodium* fieri ex Belgico * **al-out**, quasi quòd jam ab antiquis temporibus possessum sit, tanquam proprium; non verò obtineatur ex regio beneficio, propter quod homagium debeas. Quamquam & poterat fundus, qui feudi fuisset, verti in allodem, si princeps cederet proprietate: cujus rei non pauca suppetunt in Historiis exempla. At de etymo planè decipitur Hadrianus Junius, cùm *alodia* dici putat: *In Nomenclatore, voce* Prædium optimo jure: quasi *alaudialia*, quia in eorum laudem auctor non veniat.

† *Lib. 3. c. 10.* * *Pag. 34* † *In vita Godebaldi epiſcopi 24.*

* *Vox Gothe-Saxonica est ab* **all** & **ðe**, possessio, *qua contra Vossium docet Loccenius Addit. Antiq. Sueog. p. 162.*

Ambasciator vel *Ambassiator*, pro *Legato* legas apud varios superiorum seculorum scriptores; in his Petrum de Vineis lib. I. epist. VIII,

& lib. III. epist. LXXXII. Doctissimi homines derivant à voce *ambacti*, Gallis significante hominem mercenarium, teste Festo, & glossis vett. Aliis displicet, vocabulum illustris legatorum dignitatis à tam vilium hominum ministerio deduci. Sed enim vox *ambacti* generatim notat ministerium, etiam honestius; ut dictum nobis lib. I. cap. II. *Ambasciator* igitur κατ' ἐξοχὴν sit vocatus, quasi minister Regis, vel reipublicæ. Nisi magis placet, esse vocem Gothicam, aut Longobardicam, ac propriè significare, qui publico nomine iter facit, ab *ambascia*: quod iter legationis ergo susceptum notat in Legibus Burgundicis; ubi legas: *Quicunque asinum alienum, extra domini voluntatem, præsumserit; aut per unam diem, aut duos, in ambascia sua.*

Analogium, pluteus, in quo Evangelium aut Missale ponebatur. Wilhelmus Thorne Chronic. cap. 21. §. 10. *Ante altare S. Gregorii ad analogium debet dici.* Ex græco facta vox, nam Suidæ ἀναλογεῖον (aliis ἀναλόγιον), ἐν ᾧ τίθενται τὰ βιβλία. Testimonia vide apud Goldastum in Ratpertum cap. 9. pag. 177.

Arimannus, sive *erimannus*, sæpius in Legibus Longobardicis occurrit. Posteriorem vocabuli partem esse **man**, h. e. *virum* vel *clientem*, satis est apertum. De priori certant. Sunt qui ab Ἄρης deducant; ut signet *Martialem virum*, sive militarem. Quomodo & *Arimanium*, Persicum numen, à bellandi furore, ab Ἄρης, & μανία, dictum tradiderunt: ut apud Cælium etiam Rhodiginum legas lib. VII. Antiqu. Lectionum cap. XIV. Sed de numine istoc quid existimemus, satis ostendi lib. I. cap. V. operis de Theologia gentili, & Physiologia Christiana. Eâ verò significatione, qua in Legibus Longobardicis sumitur, omnino videtur vox Saxonica; ac prior vocis pars fuerit **here**, h. e. *dominus*; ut signet *dominicum virum*, sive *clientem*. Nempe sic dictus, qui, prædio accepto, redditus domino obnoxius, planè, ut sic dicam, minorum gentium vasallus. Similiter *arimanna*, vel *erimanna*, sit *clienta dominica*. Habes in diplomate Conradi I. Imperatoris, dato anno CIↃ XXXIX: *Villas, mansos, servos, & ancillas, erimannos & erimannas.* Vide integrum apud Carolum Sigonium lib. VIII. de Regno Italiæ.

Assasinorum vocabulum Turcis debemus; à quibus & res ipsa. Sic autem dicuntur conductitii ad alios interimendos, præcipuè viros principes. Adi de iis, è Græcis quidem Nicetam Choniatem initio libri secundi; è Latinis verò Matthæum Parisium in an. CIↃ CL, & CIↃ CCLVII, Guilhelmum Tyrium lib. XX. cap. XXXI, Jacobum à Vitriaco

Historiæ

Historiæ Orientalis cap. XIV. Vide & Henrici Spelmanni glossarium, & illud Guilhelmi Watsii ad Matthæum Parisium.

Anca, πτηνὸν †, ut interpretantur glossæ Philoxeni. Et paullo antè ibidem, *Ancellus, στρουθίον* *. Isidorus in glossis: *Ancella, ortygometra.* Glossarium Arabicolatinum: *Anca, anser.* Sic accipitur non modo à Rhasis interprete, pluribusque aliis scriptoribus: sed etiam in Legibus Longobardicis. Ut Tit. XC IX. §. 18, & 20. Item in Legg. Alemann. Tit. CI: *Si acceptor, qui anchan mordet,* III. *solid. solvat.* Ubi *acceptor* idem, ac *accipiter*; velut inferiùs dicetur. Italis etiam *oca* vocatur, ex *anca*, AV in O conversò; ut à *plaudo, explodo.* Porrò inter ea, quæ barbaræ sunt originis, locum sibi poscit, si fuerit ab Arabico אוז; cui & vicinum est Rabbinicum אזן Et hoc verisimilius reddit, quòd in Lexico Arabico-Latino, legi dicebamus. Adde quòd hodiéque Turcæ marem anserem *ecke* nuncupant. Sed fortasse vel Latinæ sit originis; nempe ut *anca* χὴν *συντομὴ* sit ex *avica*: vel Græcæ; ut *anca* sit ex ὁ *χὴν*; sive Doricè ὁ *χὰν*: quo de etymo dixi in Castigationibus ad veterum Tragicorum fragmenta. At prorsus displicent, qui derivant ab Græco *ἀὴχλὼ*, h. e. *cervix*: uti opinio est ejus, qui glossas addidit Nicolao Clemangi.

† *Volucris*
* *Passerculus.*

Aux Astrologis vocatur punctus circumferentiæ eccentrici maximè à centro mundi remotus: prout describitur Purbachio in Theoria Solis. Est ea vox ab Arabum עוג. *aug*, quod ab אוג. *aveg*, h. e. *curvare, deflectere.* Nihil verò Arabico istoc opus, cum suppetat Græcum *apogêum, ἀπόγειον*, uti vocat Ptolomæus: cui, quod vulgò *oppositum augis*, vocatur *perigêum περίγειον*. Etiam pro *auge*, dixeris *summam apsida*, vel *absidem*; quâ voce Plinius utitur lib. II. cap. XV: *Primæ circulorum, quos Græci absidas in stellis vocant: etenim Græcis utendum erit vocabulis.* Et mox: *Ergo ab alio cuique centro absides suæ exsurgunt.* Video esse, quibus punctum ἀφελείας summum non ἁψὶς, sed ἁφὴ, videatur dicendum; quia in curvatura rotæ terram contingat, quod Græcis ἅπτεσθαι. Et Theodorus Gaza videtur eò inclinare in tertio Grammatices. Itaque & *hapsis*, atque accusandi casu *hapsin*, non *absida*, putant dicendum. Sed nunc hæc, nunc illa in rotæ curvatura pars terram tangit: & in fornice figuræ ejus dimidium habemus. Aliqui item arbitrantur pro *auge* à Cicerone dici *Iugum*: quod etiam legas in Indice Nizolii, ac Cellarii, qui Ciceroniano additur Thesauro. Sed per *Iugum* ab eo Libræ signum intelligi, liquebit illi, qui conferre

ferre volet Ciceronis verba de tempore Romæ conditæ, in II. de Divinat. Cum iis, quæ de hoc ipso narrat Solinus cap. I.

CAP. III.

De inceptis à litera B. Vti sunt ista: bacauda, *de agrestibus latronibus; ostensumque, quàm variè vox* bacaudæ *scribatur, & sumatur.* Baillivus, *pro* Prætore, *vel* Judice. Balbuca, *pro* sero lactis: *non item* presso lacte; *quod aliud est.* Bancus, *pro* scamno. Bandum, *pro* vexillo. *Banleuga*, pro spatio Juris dictionis. *Bannus*, pro proscriptione. Barbecanum, *pro* munimento. Barca, *pro* navigii genere. Bargus, *pro* arboris ramo. Baro *de dignitate, sed Regi obnoxiâ.* Bauca, *pro* armillis. Begina, *pro* virgine sanctimoniali. Bidellus, *pro* viatore. Birrus, *pro* lacerna. Bladus, *vel* bladum, *pro* frumento. Bombax, *pro* serico. Boscus, *pro* sylva. Brasium, *pro* hordeo aquis macerato: *unde* brasiare, *pro* cervisiam coquere. Brunea, *vel* brunia, *pro* lorica, *vel* galea. Brunus, *pro* fuscus. Bunuarium, *quasi pro* jugero. Burdo, *pro* mulo. Burga, *pro* cloaca. Burgus, *pro* turri, *vel* oppido. Burricus, *pro* equo. Buticularius, *pro* œconomo.

DE plusculis à principe literâ inchoatis jam vidimus. Venio ad eam, quæ illam proximè excipit.

Bacauda non aliud est, quàm *bagauda*; quo latrones signari, à Prospero in Chronicis, quæ Pythœus edidit, item Salviano lib. V, diximus lib. I. cap. I. *Sed & vacauda, & vacanda*, vel *bacanda*, aliterque etiam, pro eo scribi solet; ut ostensum Eliæ Vineto, notis in lib. IX. Eutropii, & imprimis Arnoldo Pontaco in iis, quæ ad B. Hieronymi Chronicon magnâ industriâ, nec doctrinâ minore, annotavit. Interim nec quosvis ea vox latrones signat: sed solùm eos, qui rusticum antea opus facientes, armis sumtis, ferro flammâque vastant omnia. Nec solùm latrones illi sic vocantur: verùm etiam sic dicitur ipsa eorum conspiratio. Cœpit hoc vocabulum à tempore Diocletiani: in cujus vita ita scribit Aurelius Victor, editus à Schotto: *Namque ubi comperit Carini discessu Ælianum, Amandumque, per Galliam, excitâ manu agrestium ac latronum, quos Bagaudas incola vocant, populatis latè agris, pleraque urbium tentare.* Hic clarè videmus, quid sint *Baganda*. Eosque optimè describit Mamertinus in Panegyrico Maximiani: *Cùm militares habitus ignari agricolæ appeteverunt, cùm pastor equitem, cùm hostem barbarum suorum cultorum rusticus vastator imitatus est.* Eorundem & meminit

minit Eumenius, Oratione pro scholis instaurandis; ubi vulgò quidem editum: *Latrocinio Batavica obsidionis obsessa.* Sed Justus Lipsius in III. Annal. Taciti clarè adversus Rhenanum, ac Pighium, docuit, *Bacaudica* legi oportere. Atque idem Livineio visum in Castigationibus ejusce scriptoris. Habes & apud Eutropium lib. IX: *Ita rerum Romanarum portitus, cùm tumultũ rusticani in Gallia concitassent, & factioni suæ Bacaudarum nomen imponerent; duces autem haberent Amandum, & Ælianum: ad subigendos eos Maximianum Herculeum Cæsarem misit.* Eutropium secutus B. Hieronymus in Chronico: *Diocletianus in consortium regni Herculium Maximianum adsumsit: qui rusticorum multitudine oppressa, quæ factioni suæ Baccaudarum nomen indiderat, pacem Gallis reddit.* Ex utroque horum discimus, *Bacaudarum* nomen ipsos sibi adsciviſse. Ut verisimilis non sit opinio doctissimi Arnoldi Pontaci; qui putabat, sic vocari ab Hebræo בגד *bagad*; quod significat *prævaricari, perfidè agere*, sive, ut ipse exponit, *extravagari, incurrere in aliquem*; ut sit ex *bogedim*, significante *incursores, excursores.* Non dubitandum enim, quin rustici illi nomen sibi imposuerint non ex Hebræa lingua, quam ignorabant; sed ex sua, hoc est, Gallicâ. Eoque verisimilius est; seu ab ipsis, seu à Gallorum aliis, id nomen fuerit; venire à *Bagan*; Quomodo Vascones hodiêque rusticos vocant, qui caulas populantur; ut est apud Pontacum, ipsum Vasconem. Nisi à moribus Bagaudarum, seu Bagandarum, hæc appellatio potiùs remanserit. Habes & Bagaudarum nomen (ut Prosperum, & Salvianum, de quibus dixi, præteream) apud Orosium lib. VII. cap. XXV; nisi quòd editum *Vacaudas*: item Freculphum Tom. II. lib. III. cap. XIV, & Sigebertum ad an. Christi CCCCXXXVII, & CCCCXLII: ex Græcis etiam Zosimum: cujus illud, Οἱ περὶ τὰς Ἄλπεις Βαγαύδαι. Ab iis Fossatense castrum, quod leucâ distat Lutetiâ Parisiorum, olim *castrum Bagaudarum* fuisse appellatum, refert Nicolaus Faber, extremis verbis eruditæ præfationis, quam fragmentis Hilarii à se editis præmisit. Josephus Scaliger notis ad Hieronymi Chronicon arbitratur, eosdem signari, cùm in veteri inscriptione legimus, PRINCIPIS GENTIUM BAQUATIUM. Non repugno; sed ampliandum censeo.

Basilivus, pro eo, quem *officialem* vocant, hoc est, pro *prætore*, vel *judice*, sæpe legitur in superiorum sæculorum scriptoribus; uti & *baillia* pro ejus *officio*: quod vocabulum quàm latè patuerit, argumento est, quòd etiam officium in cœnobiis notârit. Ut in Legg. Foreſtæ:

Monachus baillivam suam, siquam habet, amittat. c. ult. De offic. Arcludias. Spelmanni glossarium adi, & illud Guiljelmi Watsii, Matthæo Parisio additum; & illud Guil. Somneri, Scriptoribus Anglicis additum.

Balbuca, pro sero lactis, sive, si Petrum Nannium audimus, pro lacte presso. Sed Maroni *lac pressum* ipse caseus vocatur; quia manu, ac postea etiam pondere impositò, premitur. Unde Maro eâpse eclogâ, dixerat antea, *Pinguis & ingrata premeretur caseus urbi.* Nec sanè credibile est, Melibœum à Tityro invitari ad serum lactis potiùs, quàm caseum; quia alterum illud, caseum habenti, sordidius fuisset.

Bancus, pro *scamno*, ex Germanico **banck**, vel Italico *banco*. Siffridus presbyter Epitom. lib. I: *Dum iter pergens in quadam Ecclesia hospitatus fuisset, & fessus super bancum quiesceret.* Similiter Leonardus Presbyter in Chronico Bavariæ: *Super bancum juxta caminum considens.* Habes & sæpius in Ritualibus Ecclesiæ Romanæ. Imò in Synodo Florentinâ similiter πάγκος vocatur. Possint tamen & posteriora secula *banci* vocem ex *abaci* corruptisse, καθ' ἀφαίρεσιν, & N inserto; ut in *totiens*, *thensaurus*, & similibus. Pro qua sententia est, quòd sæpius insemibarbaris scriptoribus legas, *in abaco sedere*; pro eo, quod alii, *in banco*, dixerunt.

Bandum, pro vexillo, sive signo militari; ut explicat Simocatta Histor. Mauric. lib. III. cap. VI. Paul. Diaconus in Heraclio: *Tulerunt interea Romani banda Persarum* XXVIII. Idem de gestis Longobardorum lib. I. cap. XX: *Tato verò Rodulphi vexillum, quod bandum appellant, abstulit.* Radevicus de gestis Friderici I, lib. IV. cap. LXXI. *Cum bandis, & aliis papalibus insignibus.* Suidas: Βάνδον καλοῦσι Ῥωμαῖοι τὸ σημεῖον τὸ ἐν πολέμῳ*. Etiam Procopius, de bello Vandalico lib. II. sect. II, Romanam ait vocem. Et Theophylactus Simocatta lib. III. cap. VI. Sed omnino acceptum à Germanis; quibus **band** *vinculum*, *nexus*, quia, qui sub eodem bando militarent, arto nexu inter se ligarentur. Nisi malis, quia fascia quædam de bandi, sive vexilli perticâ dependêret; nam fascia *bandum* dicitur. De tota hac re vide Goropium Becanum Gigantomachiæ lib. III†. Sanè similiter manipulum fœni in militia casci illi nepotes Romuli alligare solent perticæ: unde & *manipulus* in militiâ, ac *manipularis miles*, in usu remansit. Non dubium verò, quin sit **baner-heer** ex **bander-heer**, quia *bando* præesset.

* Bandum *vocant Romani signum militare.*

Banlenga apud Goffridum Vindocinensem legas, cùm alibi, tum lib. II. epist. XVI. Vox est conflata ex *bannum*, & *lenga*. *Bannum* varia si-

ria signat à summa jurisdictione pendentia : qualia edictum publicum, mulcta, bonorum proscriptio, exilium. *Lenga* olim generatim notabat quodvis terræ spatium ; pro quo & *leuca*, & *leuva*, dixere. *Banlenga* igitur spatium id, quod jurisdictione terminatur. Vide sis Sirmondũad memoratã Goffridi epistolam, & quæ mox dicam in *Bannũ*.

Bannum à germanico Ban/Acht/ pro *proscriptione* ; unde *banniti*, *bannerati*, *banditi* ; pro *profugis*, vel *proscriptis*. Item *bannire*, pro *proscribere*, *aquâ & igni interdicere* ; *banniati* quoque pro *proscripti*. Usi his vocibus Ivo Carnotensis, Petrus de Vineis, Matthæus Parisius, Beka, & alii magno numero. Quandoque tamen *banniendi* vox latiùs patet ; & ad quamvis jurisdictionis supremæ obligationem se extendit. Unde Fulbertus Carnotensis epist. XIV, quæ est ad Normanniæ principem : *Quod nostris hominibus novam engariam induxerit*, banniendo *scilicet*, *ut irent ad molendinum sancti Audoëni, quinque leucis, ut fertur, ab eorum auspiciis remotum*. Pro *mandato*, *edicto* & *proclamatione* usurpari notat Somnerus in Glossario. * De vocis non tam *Banni* quàm Acht origine & significatione agit Limnæus Annot. ad Capitul. Caroli V. artic. 32. verb. in die Acht/ pag. 248, 249, 250.

Barbecanum, vel *barbacana*, quod barbaris *fortalitium*. Nempe castellum, vel propugnaculum notat, ex cadis terrâ repletis Quâ in voce scitè lusit rex Hispanus, qui de Præfecto propugnaculi ajebat, Huic à missâ barba-canâ reservata barba cana. Hoc est, amisso propugnaculo, vivere etiamnum ; licet promeritum, ut ei caput cum canâ illa barbâ præcideretur. Vox est ab Arabibus profecta ; unde primò accepere Hispani. * Barbacana *novem turribus circumsepta* apud Dicetum Imagin. Histor. col. 646 ; *fossatis & barbacanis munire*, ibid col. 695. Usus Matthæus Parisius ad an. CIↃ CLXXXVIII ; item Petrus Histor. Albigensi, cap. LXXIX, & alibi.

Barca, pro minuto navigio, omnis generis merces portante ; ut est apud Isidorum lib. XIX cap. 1. Gloss. *Barca*, *cymba*. Usus Abbo de Obsid. Lutet. lib. I, ac II, & Matthæus Parisius in Henrico III. ad an. CIↃ CCXXII, atque alii multi. Contentus ero verba adferre Arnoldi presbyteri in Chronico Slavorum cap. VIII : *Cum abbate Bartholdo barcam ingrediens navigio eum insequitur*. Mirum, nec refugere Angelum Decembrium ; qui primùm de politia literaria librum claudit his verbis : *Ita præparatis ornatissimè barcis advimus*. Si tamen Latinis id genus navigii ignotum, immeritò culpaveris. Vsi & Græci posteriores : ut liquet ex veteri nostro glossario Mso ; quod commodatò

modatò habuit Clarissimus & amicissimus Jo. Meursius, ac in eruditissimo suo Glossario sub nomine Glossarum Græcobarbararum, sæpe advocat ad partes. In his est: Ακάτια, οἱ βάρκις. Item, Ακάτιον, ἡ βάρκα. τὸ λίμβος.

Bargus, vel *bargum*, pro *ramo*: unde Lege Salicâ LXIX; *Siquis hominem de bargo, vel de furca, sine voluntate judicis demiserit.* Hoc est, de arbore suspenderit. Gloss. *De barga, de ramo.* Et convenit Tacitus lib. de moribus German. *Proditores, & transfugas, arboribus suspendunt.*

Baro Romanis quidem bardum, ac fatuum, notat; voce ductâ à varis, seu varris, h.e. stipitibus; ut iidem sint *barones*, ac Lucilio *varones*, seu *varrones*: at Germanis *baro*, vir; ut in glossis Philoxeni, *Baro*, ἀνήρ. Ac particulatim sic dicuntur *viri regis*, h.e. qui Regi bello inservirent mercede: unde Isidorus Originum lib. IX cap. IV: *Mercenarii, qui serviunt acceptâ mercede: iidem & barones.* Et καὶ ἐξοχὴν, qui verè viri, hoc est, virilis animi, ac fortis, quosque rex ob res fortiter gestas, terris, ac jurisdictione ex auxisset; quique ob dignitatem acceptam essent regi obstricti, atque homagium deberent. Ut duo in baronibus concurrant, & honos, quo præcellunt alios, & homagium, sive clientela, quam, ob beneficium, deberent regi suo. Usi sic eâ *baronum* voce auctor Aimoino adscripti libri V. cap. XLIX ad an. CIↃ XCV, & Otto Frisingensis de gestis Friderici I. lib. II. cap. XIII, ad an. CIↃ CLIV. Plura nõ apponã, quia accuratè, diatribâ suâ de Baronibus, potissima de iisque complexus est eques Spelmannus. Astipulatur comendatque unà Speelmannum Somnerus Glossario ad veteres Historicos Anglicos.

Banca, vel *banga*, dubitant viri eruditi, num signet structuram, sive ædificium, quod hodiéque **bau**/ut **bauwen** ædificare. Sanè sic *baugam* accepit Amerbachius. An potiùs arcum; qui & nunc **boog**. Quomodo sumi, suspicio est doctissimorum hominum. An verò armillam: quando illa veteribus Saxonibus **beach**: ut constat ex veteri glassario Latino-Anglo-Saxonico. Postrema imprimis sententia placet. Sanè & Papias: *Banca, armilla.* Et glossarium Latino-Theotiscum Lindenbrogii: *Dextralia, lata armilla*, **bougin**. Præterea in Capitularibus, & Constitut. Karoli M. prohibetur, ne baugæ, & bruniæ, quæ militaria esse præmia debent, dentur negotiatoribus: pro quo alibi in Capitul. *Ut armillæ, & brunia, non dentur negotiatoribus.* Ubi, quin *baugæ* sint armillæ, non possumus dubitare, cùm de *brunnis* addatur;

tur; quâ voce loricas signari, inferius ostendam. Sanè & armilla, & galeæ, militi conveniens, non negotiatori. Et militē, re fortiter gestâ, armillis donandi mos est perantiquus. Livius lib. x: *Equites omnes, ob insignem pluribus locis operam, corniculis, armillisque argenteis donat.* Ac similia de armillis pediti datis crebrò apud eundem. Festus quoque: *Armillas ex auro, quas viri militares ab imperatoribus donati gerunt, dictas esse existimant, quòd antiqui humeros cum brachiis Armos vocabant.* Probandæ rei philologis notissimæ non ulteriùs insistam.

Begina, pro ea, quæ, virginitate in perpetuum votâ, se dicavit Christo: quam *sanctimonialem* priores dixere, &, καὶ ἀφαίρεσιν, postea *Monialem*. Usus eâ voce Cæsarius lib. II Mirac. cap. XXI. Est & in vita Gertrudis ab Oesten: *Inter beginas degens.* Quâ in vita etiam *Beginagium* legas de loco, in quo agunt. De Beginarum origine vide, quæ scripsit vir summus, idemque condiscipulus, & amicus vetus, Erycius Puteanus.

Bidellus, vel potiùs *bedellus*, aut *pedellus*, si est à pedo, sive baculo, quem gestat. *Viatorem* Latinè dicimus aut *Apparitorem*. Quamquam alii aliunde originem arcessunt; qui *officialem*, vel *exactorem*, aut *coactorem*, malunt interpretari. Sed neque ista sunt aliena à munere viatoris. Habes sæpius in Edictis: uti illo Galliarū Regis Ludovici IX de Off. &c. *Ubi bedelli, & servientes ad remota loca mittuntur, eis absque superioris literis non credatur.* Usus & Leo X Papa* in Bulla de munere, auctoritate, & privilegiis, Rectoris, & reformatorum, lectorumque &c. *Bidelli verò, seu nuncij prafati, aut eorum alter, rotuli collationatam copiam habeant penes se, in quo scripta sunt nomina omnium lectorum, & quâ quisque horâ sit lecturus, & juxta illius ordinem, & tenorem, scholas circumeant.* Sed de hoc iterum lib. seq. cap. II. Plura apud Speelmannum.

* Bullarij Tom. I. p. 405

Birrus, sive potiùs *byrrhus*, vilioris est vestis genus, ac, si Isidorum audimus lib. XIX Orig. cap. XIV, est ex πυρρὸν, h. e. *rubrum*. Ita enim locus is restituendus. De origine ea, etsi veram non putem, nolim contendere. Interim, quia valde incerta, in ijs hanc vocem, quæ origine sint barbara, reposuimus. Doctissimus amicus noster in Critico Arnobiano legi ait apud Possidonium in vita B. Cypriani. Sed est apud Paulum Diaconum in passione B. Cypriani; non eum, qui vitam scripsit; cui *Pontio* nomen fuit. Imò *lacernam* hic vocat, quòd Paulus *birrum*. Græcis videtur ea vox antiquior: ut quæ sit apud Artemidorum

rum lib. II Ὀνειροκρ. cap. III. Latinis jam in usu tempore Vopiscі erat: qui vixit sub Constantino M. Sed magis frequentata vox tempore Theodosii: in cujus Codice legas, L. Sine exceptione, Tit. De habitu, quo uti oportet intra urbem. Usus quoque Theodosiani ævi scriptor Servius in Virgil. XII, 628, ad illud, *Pacem Trojano ab rege petendum*: ubi simile esse ait, ac si dicas: *Petendum est mihi equum, codicem, birrum*. Item, qui sub Theodosii liberis vixit, Sulpicius Severus, dialogo I cap. XIV: *Illa, ut byrrhum rigentem; hæc, ut fluentem texat lacernam*. Invenio & apud Martianum Capellam lib. IV de Dialectica. Sed de hujus ætate nihil certi dicere habeo. Uti neque de veteri Juvenalis scholiaste; qui ad Sat. VIII *Santonicum cucullum* interpretatur *birrum Gallicum*. Hinc ὑποκοριστικῶς, *birretum*, Ceremon. lib. I cap. VI. Adi & Pithœum lib. I. Adverſ. cap. XVI, Meursium in Glossario, voce Βίρρος, & Spelmannum in *Birrus*.

Bladus, vel *bladum*, à Saxonibus acceptum, ac *semen* designat; sæpe & *fructum*, etiam arborum, ac vitium; præcipuè tamen *frumentum*, ac quicquid in area teritur. Unde *imbladare*, pro *seminare*: *imbladata* autem *loca*, *frugibus consita*: & *imbladatio*, *frugum satio*. Usi hisce Ingulphus, Abbas Croilandensis; Matthæus Parisius non in historia modò, sed etiam in Additamentis, ut vocant *; Petrus de Vineis lib. V. epist. LXXXVII, & XCI. Theodoricus à Niem lib. I de Schismate cap. VI; rex Richardus I apud Hovedenum ad an. Ↄ CXCVIII; Jacobus de Paradiso libro de Statu, & officio Ecclesiastico personarum cap. IV. &c.

* Pag. 154. vers. 19.

Bombax, pro *serico*, habes, inter alios, apud Jacobum à Vitriaco lib. I. Histor. Orient. cap. LXXXVI. Verùm hoc alius sit loci, si factum ex *bombyx*. Posteriores Græci βάμβαξ, & βαμβάκιον, vel βομβάκιον: quod apud Nicolaum Myrepsum. Imò & Galli, ac Hispani, sic fere vocant: & Belgæ **bombasyn**; quod non multum abit à **boom-sy**/*sericum arboreum*; secundùm illud Maronis II Georg. *Velleraque ut foliis depectant tenuia Seres*. De hoc plenius in Originum opere, ubi bombycinam vestem, & Sericam, distinguimus.

Boscus pro sylva, ut Belgis **bosch**; nec multum recedunt Itali, Galli, Hispani. Usus Matthæus Parisius in Hist. literis Regis Joannis ad an. Ↄ CCXV. Adhæc Rogerus de Hoveden Annal. Tom. I. Item in Chronico Cistercensi † est: *Ne in boscо area, aut balistâ, jaculari audeat*.

† Pag. 67.

Brasium apud Matthæum Parisium, cùm in Historia, tum in Abbatum S. Albani. Vitis, sumitur pro hordeo aquis macerato, in fornace arefacto, & molâ redacto in farinam: unde cervisiarii coctores conficiunt

ficiunt potum illum, quem vulgò ex verbo *bibere*, sive nomine *biber* (id apud Charisium, & in Glossis legas) **bier** nuncupamus. Utitur quoque hoc *brasii* vocabulo Thomas Walsingam in Hypodygmate Neustriæ: Ac similiter Thomas De-la-Moor in Eduardo II †: *Adhanc Insulam victualibus abundantem, vino, oleo, melle, frumento, brasio, piscibus, salsis carnibus, & terrestri carbone instuffatam, Regem volentem ad navigare ventus contrarius prohibuit.* Belgis *brasium* dicitur **mout** ex Germanico **malt**; quod ex Latino *molitum*. Hinc *brasiare*, pro *coquere cervisiam*, iisdem scriptoribus, & in Legg. Burgorum Scoticorum cap. LXIX. Sed pro *brasium* etiam *brassinum* dixere; ut edicto Philippi, Galliarum Reg. *Duas cupas cervisiæ de unoquoque brassino.* Pro *brasire* item in usu erat *braxare:* quod legas apud Cæsarium lib. VIII. Miracul. cap. LXII, & Joannem à Leidis lib. I cap. II. Unde *braxatrix*, pro ea, quæ cervisiam coquit, apud eundem Cæsarium, itidem lib. VIII Miraculorum cap. LXII.

Brunea, vel *brunia*, habes Lege Salic. cap. III. §. IV, Leg. Ripuar. Tit. XXXVI. §. XI, Leg. Lõgob. Tit. VI. §. I, Capit. Karol. lib. III. cap. XIV, & LXV, & lib. VI, cap. CCXII: item constitut. Caroli tit. XXXI, sive edicto Pistensi, cap. XXV: *Bruniam, vel quacunque arma donaverit.* Dubium verò, num *loricam*, an potiùs *galeam* signet; de quo inferiùs dicam in *Halsperga.*

Brunus, pro *fusco*, ut Germanis **braun**/Belgis **bruyn**/Italis *bruno.* Turpinus in vita Karoli M. *Erat Karolus capillis brunis, facie rubeus.* Usus & Turocius in Historia Hungarica.

Bunuarium vox est à Saxonibus accepta: qui sic vocarunt, non *jugerum* dico, ut plerique interpretantur; sed tamen quasi jugerum, saltem certam arabilis terræ mensuram; ut ex Legg. Longobardicis, Marculfo, & Papia, liquet. Hodicque Germani, ac Belgæ, **bonder**/& **bunder**/ dicunt. Utitur *bunuarii* vocabulo Hincmarus Remensis epist. I ad Hincmarum Laudunensem. *Bunaria* pro eo est vel *bunuaria*, in vett. formulis, inter eas, quas Marculfo Bigvonius extremo loco subdidit: Earum hæc numero est tertia: *Bunuaria tanta de re arabili — tam de alode, quàm & de comparato, ad me legibus obvênit.* Item in Chronico Cameracensi lib. I cap. LII. A *bunduario* est *bunduarius*, qui bunuarium possidet. Sed pro eo & *bunajarius* legas in Diplomate Karoli Magni, Wormatiæ dato an. Io CCXC: *Mansionarius V solidos; absarius, XXX denarios; bunajarius, XV; quorumlibet larium possessores, VI suppleant.* Integrum diploma à Velsero habuit, & Gunthero suo subjunxit Rittershusius. Alii adducunt è Constitutione Caroli Crassi de Feu-

dis. Amplissimi Velseri hac in re fidem sequimur. *Bunnarius* autem καὶ συστροφὴν dicitur pro *bunuariarius*: quam vocem jure, ut absonam, repudiarunt aures: uti & in aliis quibusdam factum, dum εὐφωνία magis, quàm ἀναλογία, attenditur.

Burdo, pro *mulus*, apud Victorem lib. 1 de Persecutione Vandalicâ cap. 1. & Joannem Moscum Limonarij cap. xxv. Etiam *burdones*, baculi, quos gestarent ad sui tutelam. Petrus in Historiâ Albigensium cap. LXII: *Baculos, quos linguâ communi burdones vocamus*. Sic utitur Galfridus Monæmuthensis lib. XII cap. VII. Indeque *burdonarii*, qui ejusmodi baculos gestarent, in eadem Albigensium historia, cap. eodem.

Burga Isidoro in glossis, pro *cloaca*. Nempe à **bergen**, ut *latrina à lateo*.

Burgensis plurimùm pro *cive* accipitur; quomodo hodieque Germani, ac Belgæ, appellant **burgers**. Sic *burgensis* vocabulum usurpabant Ivo epist. CI, CXXXVI, & CCLXIII, Goffridus abbas lib. I. epist. XVII, Cæsarius lib. V Miracul. cap. XXII, Petrus Historiâ Albigens. cap. XXII, & LXIII, Karolus VI Gall. R. Edict. III de Off. baill. Constitut. Neapol. lib. I Tit. IX leg. XXXI, item lib. II Tit. III, leg. XXXII. Adhæc Beka in Conrado, item Hermanno &c. Interdum tamen civi opponitur: nempe cùm burgenses in burgo habitant; cives in oppido; ac diversos habent magistratus. Ita in A. B. tit. 8. ubique Limnæus Observ. 4. p. 335. Ita Remensium alii Burgenses, qui habitarent in burgo, sive castro S. Remigii; alij cives, qui intra urbis mœnia; ut apud Alexandrum III epist. IX, quæ ad Abbatem S. Remigij, & Falconem, Decanum Remensem. Sed rarum est id discrimen; quia fere ita factum, ut prope munimentũ, quod *burgum* dixere, exstruerẽt domicilia, quò tutiores forent: unde & ædificia, quæ burgi præfecto parebant, *burgi* nomine continebantur. Luitprandus lib. III de rebus per Europam gestis cap. XII: *Et quoniam ipsi domorum congregationem, qua muro non claditur, burgum vocant*. Postea sæpe & mœnia accessere; factumque oppidum, remanente veteri vocabulo, *burgi*, uti & *burgensium*; qui etiam *burgani* vocabantur; nempe quasi burgi incolæ. Nomen quoque inde datum *burggraviis*; quæ vox apud Cæsarium lib. II Mirac. cap. VII: ut hinc *Burggraviatus*, apud Hedam, & alios. Imo & *Burgundiones*, (quos Plinius †, quinque enumerans Germaniæ populos, Vindelicorum partem facit) nomen habent à burgis; hoc est, crebris habitaculis, locisque munitis, quæ in limitibus exstruerent: ut Orosius indicat lib. VII cap. XXXII, Isidorus lib. IX Originum

†Lib. 4. cap. 14.

cap.

cap. II, Luitprandus Histor. lib. III cap. XII. Quos verò Latini vocant *Burgundiones*, ijs Agathias lib. I nomen tribuit Βυργουζιώνων; ubi & -ῆμ- τὸ θνικὸν nuncupant. Nec *Burgundiones*, & *Burguziones*, multùm abeunt; quia in Z inest D, cùm valeat D S. At N omissum, quia lingua Græca non admittit N ante S, vel Z: unde & Ὀρτήσιος dixere Græci, pro Latino *Hortensius*: & alibi ejus generis plura adducimus. Cæterùm ex eo, quòd de *Burgundionum* appellatione ex veteribus dicebamus; colligimus non ita dictos ab ea significatione *burgi*, quâ oppidum designat (nec enim oppida condiderant, cùm hoc nomen acceperunt) sed eâ, quâ significat locum munitum, sive castellum. Sanè in Glossis Isidori est, *Burgos, castra*. Apud Vegetium verò, Rei militaris lib. IV, cap. X, legas, *castellum parvulum* vocari *burgum*. Ac firmat, quòd in Etymologico Magno κάστρον exponitur ὀχύρωμα: quod & ipsum sonat *munimentum*. Et sanè *burgum* esse ὀχύρωμα, arguit, quòd etiam *burgum* vocarent, si se plaustris adversus hostem cingerent, ac munirent. Hoc ex Ammiano, Procopio, & aliis, videre est. Ac propterea non putem, *burgum* esse ex πύργ-, quod *turrim* signat. Nam *burgus* quoque erat citra arcem, vel turrim; ut si vallo, & fossâ, se cingerent, utcunque inferius solùm calæ forent. Quibus aliud videtur, ajunt, *burgus* propriè *turrim* notare: unde glossæ illæ, quæ Cyrilli dicuntur, quia repertæ in codice, qui B. Cyrilli quædam continet: Πύργ-, *turris*, *bugus*: ubi *burgus* esse legendum, satis liquet; & compluribus id jam observatum. Facilis autem mutatio literæ Π in B; quomodo Latini ex πύξ-, fecere, *buxus*; à πυρρὸς, *burrus*, unde Comicum *Burria*. Ac Delphenses, ut in Hellenicis monet Plutarchus, βατῶν, & βικὸν, proferebant, pro πατῶν, & πικόν. Et Macedones non dissimili mutatione dixerunt, Βερονίκη, pro Φερενίκη. Ut, si *burgus*, & πύργος, idem sint; non dubitandum videatur, quin Germanicum hoc fuerit ex Græco. Sed enim mihi latiùs videtur patere *burgus*; &, ut idem signarent, possint propterea convenire, quia ab eâdem sint origine. Ut si dicamus, esse ab Chaldaico ברח *pherach*; quod est *crescere*. Nempe quia turres, præter aliarum structurarum morem, tantopere in altum excrescant. Denique *burgum* non esse vocabulum, quod, postquam imperium Romanum Constantinopolim translatum fuit, Germani à Græcis acceperint, arguere videtur; quòd multò antè id habuerint Germani. Atque hujus rei vel fidem fecerit oppidum *Asciburgi*: cujus tanta est antiquitas, ut olim sint fabulati, ab Ulysse esse conditum: sicuti locuples nobis auctor est

*Lib. de moribus ac populis Germaniæ.

Cornelius Tacitus *. *De Burgi nomine varioque usu Wendelinus Glossario Salico vocum Adnaticarum verb. Berg. p. 135. atque ex eo aliisque Limnæus Observ. 3. ad Aur. Bull. c. 8. p. 333. 334.

Buricus, pro *equo*. Paullinus epist. x, quæ ad Sulpicium Severum: *Longè dispari cultu, macro illum, & viliori asellis burico sedentem.* Ejusdem verò is temporis scriptor, ac B. Hieronymus; qui similiter epist. ad Pammachium: *Vbi ferventes buricos mannos, & tonsatulos pueros* &c. Omnino deceptus est Erasmus, cùm *buricos* dici putat mannos è Buri, Achaiæ civitate. Planè enim vel *buricus*, vel *mannus*, è glossemate in contextum irrepsit. Sed potiùs *mannos*; cùm hoc vocabulum sit notius. Gloss Isidori: *Mannulus; caballus, burichus.* Est & in Philoxeni glossis: *Mannis, βυεύχοις.*

Buticularius, qui Germanis **butelier**, Gallis *bouteilier*, œconomus, sive promus condus. Carolus M. Appendice III cap. VI: *Odo buticularius de foreste suâ interrogandus est.* Utitur & Hincmarus epist. III cap. XVI, & XXIII. Est verò *buticularius*, à *buticula*, vasis genere. Papias: *Obba, genus vasis, butica.* Uti à *butica* etiam *buticula*, inde *buticella*: quod in veteri instrumento est apud Cujacium. Quemadmodum verò *buticella* est à *buticula*; unde *buticularius*: ita *buticula* originem ducit, sive à *butis*, vel *buttis*, quod apud Marculphum in Formulis; sive à *buto*, vel *butto*, quod apud Anastasium bibliothecarium in Leone III: *In venerabili monasterio sancti Saba fecit buttonem argenteum cum canistro suo.* Ac similiter in Leone IV legas, *buttonem de argento purissimo.* Romani autem, imperio Constantinopolim translato, accepere eam vocem à Græcis. Siquidem βύτις his fuit vasis genus. Glossæ olim Cyrillo adnexæ: Βύτις, *cupa.* Βύτιον, *cupella.* Sanè à *cupa*, Gallis *coupe*; at à *butto*, vel βύτις, *bouteille.* *Cupa* vocabulo pro vase, Nonio teste, usus Varro; qui Sat. Περὶ μύθου, *cupas vinarias*; & Sesquiulysse, *cupas acris aceti* dixit: & alibi ait, *operculum ad cupas*, cumque amphoris conjungit. Βύτις verò legas Basilii Eclog. XL IV: uti βύτιον, apud Theomnestum lib. I cap. XXXIV.

CAP. IV.

Acceditur ad ea, quæ ab litera C inchoant. Cujusmodi sunt ista: Camba, *pro loco, ubi cerevisia coquitur.* Camborta, *pro virgis superioribus, quibus colligatur sepimentum.* Cambuca, *pro pedo.* Camisia, *pro eo, quod* indusium *dicimus, ac veterum* interulæ, *sive* subuculæ, *respondet.*

Car-

Carpa, *vel* carpio, *pro pisce, qui veteribus* cyprinus. Caniclinus, *pro camerario, vel cancellario, aut non absimili dignitate.* Catus, cattus, catta, *pro* felc: *item* cattus, *vel* gatta, *pro machina militari.* Caucu-lator, caucolator, coclearius, *pro* præstigiatore. Caucus, cauca, caucum, *pro* calice: *Græcis pro eo similiter* καῦκα, καυκίον, καυκάλιον. Clenodium, *pro monili, gemmis, & aliis, propter pretium, solitis reponi.* Cofia, coifa, cufia, κυφία, *pro capillorum reticulo, sive lineo capitis tegumento.* Contrada, *vel* contrata, *pro regione.* Conucula, *pro colu.* Corrodium, *sive* corredium, *pro obsonio, quod principis viri mensæ penderetur.* Cota, *vel* cotta, *pro vili gurgustio, aut lectulo: unde* cotarii, cotmanni, cotarelli, *quibus cotæ sive cottæ pro domicilio forent.* Cotagiarium, *pro alimento in caritate annonæ date egentibus.* Consuetuma, *pro* consuetudine, *& custumarium, pro eo, quod obtinet vulgo.* Cruselinum, *pro parvo vase fictili; & unde Belga* croes/ *Galli* cruche *acceperint.* Cucurba, curcuba, *vel* corcuba, *pro funo nautico: item pro fune* crupes, *vel* cruppa. Custus, *pro sumtu.*

HInc jam ad tertiam literarum intendemus considerationem nostram.

Camba vetus est vox Germanica: ac signat locum, ubi cerevisia coquitur: ut Kiliano etiam notatum in suo linguæ Belgicæ Etymologico. Nunc pro eo dicitur, **brouwerie.** Sic, qui olim **cammer** & **camber**, (unde barbaris *cambarius*) is nunc **brouwer.** Antiquissimus, à quo *camba* vocem usurpatam meminerim, est Macharius quidam in sua, & conjugis Gondradæ, donatione; quæ anno contigit Io CCCLXXXV. Habes verò in Chronico Cameracensi lib. I cap. LII. Istic legas: *Mansi serviles sex. Est ibi cambauna.* Item cap. LXVI, in Præcepto Regis Karoli VII, quo Ecclesiæ Cameracensis immunitates instauravit: *Carisiolum, cum terris cultis & incultis, molendinis, cambis, silvis.* Etiam reperio sæpius in Donationibus Ecclesiæ Belgicæ apud Miræum; ubi Zuencheboldus usurpat, Lotharingiæ Rex, in Donatione factâ Monesterio Nivellensi anno Ioccexcvii*: *Ipsa res* (quas delegavi) *ha sunt infrà scripta: ipsius monasterij mansi duo, molendinum unum, camba dua.* Item Balduinus, Comes Montensis, in Donatione Monachis Benedictinis Hasnonienſibus facta an. clo LXXXVI †; *Cùm terra usque Gangeoli, pratum liberum ei dedimus, & omnium cambarum, in novo burgo factarum, vel faciendarum, tertiam partem reditnum, ad Comitem, pertinentem, attribuimus, præter cambam Aquicinensium.*

* *Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. cap. 46 p. 80.*

† *Apud eumdem cap. 108 pag. 211.*

AC

Ac eadem penè verba habes in Donatione Balduini, quæ proximè eam apud Miræum *antecedit. Plures alios, qui eâ voce utantur, adducerem, nisi id abundè in notis suis ad Chronicon Cameracense fecisset Georgius Colvenerius Theologus, inque Duacensi Academia Regius professor.

*Pag. 110.

Camborta, virgæ, quarum colligatione sepimentum continetur. Glossar. *Camborta, quæ sepem desuper firmant.* Habes in Lege Salicâ Tit. XXXVI. §. 1, & Lege Ripuariâ Tit. XLIII.

Cambuca, vel *camboca*, est apud scriptorem vitæ S. Winoci abbatis cap. XIII: *Cum precibus, reliquiis, & cambuca Sancti, longiùs processerat.* Et ante eum sic Walafridus Strabo, in vita S. Galli lib. I cap. XXVI: *Baculum ipsius* (Columbani Abbatis) *quem vulgò cambocam vocant, per manum diaconi transmiserunt.* Unde etiam, quid voce eâ signetur, cognoscimus. Idem docet versus vulgaris:

Pastor cambucam, sambucam fert phaleratus.

Atque hinc doctissimus Spelmannus rectè animadvertit, apud Durandum sic legi oportere Rationalis lib. III cap. XV: *Baculus ergo* (pastoralis) *à lege, & Evangelio, sumitur, quia & virga pastoralis, & cambuca, & pedum, & ferula, nuncupatur.* Ubi pro *cambuca* perperam vulgò *sambuca*, etiam in Venetâ anni ↀIↃ IↃ LXXXI.

Camisia posterioribus seculis dicebatur, quæ Græcis ἐσωτέρα, Tertulliano ad verbum *interula*, lib. de Pallio; quando ait, *Si quid interula superest, vacat zonæ tormentum*: Horatio autem *subucula*, lib. I epist. II:

——*Subucula pexa*
Trita subest tunica.

Sed & Græcis non χιτὼν quidem, quo vocabulo *tunica* signatur; sed χιτωνίσκος, & ἐσωφόρεια, vocabatur. Vel si hæc aliud erant Latinis, & Græcis; quò magis inclinem: saltem illud, quod huic indumento (*indusium* dicimus) nostris temporibus respondet. Venit ea vox à Gallico *chemise*: unde ὑποκάμισον, quo ex Latinis usus quoque Anastasius in vita Joannis Eleemosynarij. Ac paullo antè appellavit *esophorium*, ex Græco ἐσωφόριον: ut Salmasio dictum ad Tertullianum de Pallio. *Camisia* vocabulum habes in Leg. Salica Tit. LXI; item apud Theganum, Chorepiscopum Trevirensem, opere de gestis Ludovici Pii*, cujus temporibus vixit: *Nihil illis diebus induit præter camisiam, & femoralia.* Est & Fortunati, in vita S. Radegundis lib. I: *Subtonem, camisias, manicas, cofias, fibulas.* Sed quid attinet in re adeò vulgata adscribere multorum verba? Satis igitur sit dicere, eo uti etiam Cæsarium

* Pag. 304. edit. Wechelian. anni 1594.

sarium lib. II. Miraculorum cap. XI, & lib. VIII. cap. XXXII: item Chronicon Cameracense lib. III. cap. XII, & Chronicon Cisterciense†: adhæc Rogerum de Hoveden Annal. Tom. II. atque alios magno numero.

† Pag. 77. & 78.

Carpa, vel *carpio*, piscis, non quidem ab auro carpendo, sed barbarâ origine, sic vocatur, qui veteribus est *cyprinus*: ut ostensum nobis lib. IV Theologiæ Gentilis, & Physices Christianæ, cap. XIII. Pluráque de eo attuli ejusce lib. cap. XXXI, & aliis in locis. *Carpa* vocabulo usus Cassiodorus lib. XII Var. epist. IV. *Carpio* autem dicitur Cæsario Miraculorum lib. II cap. XXXI.

Caniclinus Latinis, ac Græcis similiter *κανικλείων*, vel *ὁ ἐπὶ κανικλείου*, idem, vel prope idem, ac *camerarius*, vel *cancellarius*. Prius est apud Guntherum Ligurini sui lib. VIII:

——*Tempore servus eodem,*
Argolici Regis (Græci cognominis usu
Hic Caniclinus erat, nobis Camerarius idem
Esse potest) domino secretâ fraude parabat
Sanguinis insidias.

Alterum est apud Radevicum de rebus Frederici ejusdem lib. I. cap. XLVII: *Unus de servis palatii, caniclinus videlicet, quem nos Cancellarium dicere possimus, principi suo fraudem molitus est.* Meursii Glossarium adi in *κανικλείων*. Usurpat & Guilhelmus Tyrius lib. XII. cap. VI.

Catus, vel *cattus*, pro *fele* sive *aluro*, vox usitata germanis; indéque & Italis, gallis, Anglis, Hispanis. Usurpat Cæsarius lib. IV. Miracul. cap. XXXIII, & lib. V cap. VI. gloss. *Catta, αἴλουρος*. Et aliæ: *Κάττα. catta*. Et sanè Græcis quoque posterioribus pro *aluro* dictum *κάτταν*, Euagrius significat lib. VI. cap. XXIV. Etiam *cattus* pro instrumento bellico, ab hoc animali est: ut & alia quædam: sicuti indicat hoc in Appendice ad Othonem Frinsingensem de rebus gestis Frederici I. cap. XXIII: *Cæsar omnem reliquum apparatum, quem ad oppugnationem civitatis fecerat, Talpas, Vulpeculas, Ericios, Cattos (talibus enim censentur nominibus) jussit exuri. Gatta* pro eo est apud Radevicum in ejusdem Friderici vita lib. II. cap. LIX. Imò quid si & dicamus, à Martiale retineri vocem Germanicam, ac Sarmaticam, quia de exoticis felibus, in de advectis, ubi cattæ vocarentur, sermo fieret? Locus est lib. XIII epigr. LXIV:

Pannonicas nobis nunquam dedit Umbria cattas

Nam aves signari, non credo Domitio, vel Radero. *Cattus* verò

† Pag. 289. * Ad an. 1290. etiam est apud Abbatem Urspergensem†, item in Chronico Colmariensi*, in Historia Albigensi†, apud Bekam in Chronicis*. Nec tamen omnes isti eodem modi usi, ac nunc *cattos* dicimus: qua de re aliquid Justus Lipsius Poliorceticôn lib. I, dialogo VII.

† Cap 63. * In vita Guidonis.

Cauculator idem, qui *præstigiator*, ex Germanico **gaukler** / pro quo Belgæ, **guchelaer**. Karolus M. Kapitul. lib. I capit. LXIV: *Ideo præcipimus, ut nec cauculatores, & incantatores, nec tempestarii, vel obligatores fiant; & ubicunque sunt, emendentur, vel damnentur.* Quæ etiam habemus apud eundem in Constitutionem opere†: ubi Vitus Amerbachius annotavit, in archetypo malè exaratum esse *caucolatores*. Sed facilè, pro dialecto gentis, O, & V commutantur: ut sat minuta sit hæc observatio. Interea verum, per V potiùs sonuisse: quando & apud Otfridum Evangelii lib. IV cap. XVI pro eo habes *gougulares*. Quia verò germani & **cokler** dixere, cò & *cocleari* vocabantur. Vnde Kapitulorum Kar. M. lib. I cap. XXI: *Item in eodem concilio* (Chalcedonensi,) *ut cochlearij, malefici, incantatores, & incantatrices, fieri non finantur.*

† Pag. 249. edit. Moguntina an. 1602

Caucus, cauca, cancum, pro *calice*, vel *patera*. Postremum est in Glossis Arabicolatinis: item in Vitis Patrum*. Alterum in Græcolatinis, ubi sic: καῦκα, *patera*. Primum est apud Bedam lib. II Histor. Eccles. cap. XVI: *In locis, ubi fontes lucidos juxta publicos viarum transitus conspexit, ibi ob refrigerium viantium, erectis stipitibus, & æreos caucos suspendi juberet.* Similiter posteriores Græci non καῦκα modò, de quo jam vidimus; sed etiam καυκίον, dixere: de quo sic Suidas: καυκίον παρ' ἡμῖν, κύλιξ ὑπὸ τῶν σοφῶν. Quasi dicat, vulgò quidem vocari *cancium*: elegantiores verò, & qui ad veterum præscriptum loqui amant, *calicem* pro eo dicere. Καύκιον etiam habes apud Theocriti scholiasten: Item in farragine epistolarum S. Bonifacij, vel ad eum scriptarum, epist. XL legas, ab Æthilberto Rege ei missum *caucum argenteum, intus deauratũ*. Alii καυκάλιον nuncupant; ut Meursio ostensum ex Lausiaca Palladii historia, & Oneirocriticis Achmetis.

* Pag. 145. & 149.

Clenodium dixere pro re, ob pretium, solitâ recondi. Omnino est ex germanico **kleinodie**. Legas barbarum hoc apud Ludgerum in vita S. Suiberti cap. IX, Cæsarium lib. III Miracul. cap. V, item in annalibus Egmondanis, & apud Bekam in Godefrido, ac Turocium in Historia Hungaricâ. Vtcunque verò Teutonicum esse vocabulum conveniat; de origine tamen minùs est apertum. Ludovicus De-la-Cerda, in Adversariis sacris cap. XLIV, putabat, esse à κλέος, hoc est, gloria: videlicet

cet quia ex torquibus monilibus, & id genus cæteris, qui talibus capiuntur, ingens sibi decus ac splendorem, sperent. Sed cur non potiùs credamus, etiam origine esse Germanicum? nempe ut à sapientibus, qui soli sunt idonei vocabulorum architecti, hoc nugis istis nomen impositum sit ex eo, quia tantum stultitiæ inserviant; usus verò sint vel nullius exigui; quod significabitur, si sit ex Germanico klein, hoc est, pusillum, & nood, necessitas. Quasi dicas, exiguæ necessitatis. *Concinniùs verò Loccenius deduxit ex klein & od/res, possessio parva, sed pretiosa, ut gemma &c. quam docti viri in v. *Allodium* explicationem vise.

Cofia est apud Fortunatum de vita S. Radegundis lib. I: *Stubionem, camisias, manicas, cofias, fibulas.* Ubi *cofias* censeo esse lineum capitis tegumentum, quo mulieres utuntur, & clerici tuentur capitis rasuram, sive coronam. Nempe ut idem sit ac *coifa* apud Matthæum Parisium in Historia anni ClɔCCLIX: *Et cum non posset objectis respondere* (Wilhelmus de Valentia) *quia multis erat irretitus sceleribus: voluit ligamenta sua coifæ solvere, ut palam monstraret, tonsuram se habere clericalem.* Et mox: *Satelles verò eum arripiens, non per coifæ ligamina; sed per guttur eum apprehendens, traxit ad carcerem.* Item quod aliter *cuphia.* Papias: *Cidaris, mitra, tiara, pileus sacerdotalis, cuphia.* Græcis, *ad caput oppositio, κυφία*, ut pro *μιτρὸς, σμικρός.* Utitur Codinus de Officiis Constantinop. cap. v. Quod verò Latinis *cuphia*, id Italis *coffia*, Belgis huve, Germanis haube: unde sine dubio *cofia*, & *cuphia*, originem ducunt. Hæc valde firmantur glossis in Juvenalem, quas in membranis habeo: *Reticulum vocatur receptaculum crinium, quod vulgo cufiam vocamus, & parvum retitum, quo crines colligantur.*

Contrada, vel *contrata*, valet *regio, ditio*; factumque ex Germanico, ac Belgico contrei/quod idem signat. Constitut. Siculæ Tit. XLVIII: *Si oves, vel alia animalia, de una contrata in aliam ducta fuerint.* Sic & usus Matthæus Parisius Histor. ad an. ClɔCCXXIX: *Contrada tota descendit inde usque ad maritimam castri Joppen.* Item Petrus de Vineis lib. II. epist. LIV, & lib. III epist. XI. Odoricus de Foro-Julij Peregrinationis suæ cap. II. §. V: *In hac contrata utuntur homines navigio, quod vocatur Jassefutum* *. Video esse, quibus placeat, esse origine Latinum, ex voce *constrata*, quia una esset via, sive eadem essent *strata viarum*; ut loquitur poëta*. Verùm non vicinas notat plateas, aut vicos, sed vicinos tractus. Quare, si origine sit Latinum; ex *contractus*, q. d. tractus vicinus, factum putem; posteaque latiùs extensam significationem. Interim, quia etymon utrumque incertum, inter voces origine barbaras huic etiam locum dedimus.

* *Hac de voce loquar lib. 5.*

* 1. Æn.

Conucula idem, ac *colus*. Habes Leg. Ripuar. Tit. LVIII. §. 18. Glossar. Latino Theotiscum Lindenbrogii: *Colus, Chunchla*. Ex quo Italicum *Conochia*, & gallicum *Quenouille*. Nisi verius est, *chunchla* esse contractum ex *conucula*, id ὑποκοριστικῶς † esse factum ex *colucula*, quasi minutam colum dicas: ac *conochia* itidem, quasi *colochia* dicatur. Quippe L sæpe abit in N; quomodo à χυλίζω, *grunnio*; à λύμφη, *nympha*; Belgæ à σκιλδ, schenen; & id genus multa. Interea cùm & etymon istoc *conucula* sit incertum, locum vocabulo huic quoque inter origine barbara concessimus. Atq; item facimus in similibus nonnullis.

† Per diminutionem.

Corredium, vel *corrodium* obsonium, quod superioris mensæ debet inferior. Henricus Huntidonensis lib. VI: *Vbi frater suus corrodium regale maximum paraverat.* Sæpius etiam habes Constitutionum Sicularum sive Neapolitanarum lib. III. Tit. XVIII.

Cota, vel *cotta*, ac, cum productione vocis, *cotagium*, notant tum cavum, sive cavernam, latibulum, speluncam; tum etiam casam, tuguriu̇m, gurgustium. Vox est à Saxonibus; unde & Anglis cote, vel coate. Ac Belgis hodiéque cot easdem habet significationes: nec seorsum modò, sed etiam in compositis: ut verckens-cot, hara; honds-cot, q.d. canile; mest-cot, quod Varroni *saginarium*; hoere-cot, genea, lupanar: quomodo & Latinis *lustra* tum ferarum sunt, tum meretricũ. Quia verò & cellæ monachorum gurgustioli similes sunt: eò quoque ab ipsis, modestiæ; à malignis, contemtus caussâ, *cotta* videntur nuncupatæ; ac præcipuè is cellæ locus, ubi requiescerent, & somnum caperent. Imò hæc princeps fuerit significatio; si Saxonibus *cota* vox à κεῖτο: quod similiter tum hominum cubile, vel lectum; tum ferarum lustra, ut apud Plutarchum, non semel significat. Nec novum sit, Saxonicam vocem esse à Græcis: cujus rei exempla, ac causssam, jam olim Walafridus Strabo attulit, & nos ex eo lib. I. hujus operis cap 1. Sed de etymo quisq; sentiat, ut volet; saltem de vili cubili, aut lectulo, usus Petrus Damiani lib. II epist. XV *: *Prior quidam fuerat, nomine Ioannes; qui lentis quibusdam infirmitatibus macilentus videbatur semper, & gracilis. Hac itaque sui corporis imbecillâ tenuitate confisus, sæpe jacens in lecto completorium decurrebat. Accidit autem, ut demoriatus quidam non procul abesset; qui multa hominum secreta, & obscenos actus, impudens propalaret. Cumque prafatus Ioannes damonem exire præciperet, & quibusdam exorcismi quæstionibus flagellaret: Tune, ait, ille es, qui sub cotto quotidie completorium insusurras: & modò me quasi Sanctus, ejicere, & juris mei vasculum de meo vis dominio liberare? A*

*Pag. edit. Parisian. 1610.

cota,

cota, pro casa, vel gurgustio, qui in ea habitarent, vocati *cotarii, cotmanni, cotseti, cotarelli*, vel *coterelli*. De quibus Equitem Spelmannum adi. Solùm de postremo adferam locum Rigordi de gestis Philippi Aug. †. *Quodam die Ricardus, Comes Pictavienſis, multitudinem cotarellorum ad Caſtellum Radulphi pro ſuccurſu miſerat.* Usus & alibi. Timidè illud addo, fortasse & à *cota* esse *cotagiarium* ; fere ut à *congio, congiarium*. Glossæ Mss: *Cotagiarium, πτωχεία.* Græca vox *penuriam, ac caritatem frumenti*, signat. Ut suspicari lubeat, *cotagiarium* esse, quod in caritate annonæ cuique cotæ, seu familiæ, de publico daretur.

Couſtuma, consuetudo, ex Gallico **coſtume**/sive **couſtume**. Necrologium Trecense: *Dedit Eccleſia tempore, quo vivebat, pro univerſario ſuo faciendo, couſtumas, quas habebat apud Polliacum.* Imò & in forma fidelitatis, quam Gualterus, Castellanus Cameracensis, Gerardo Episcopo juravit, habes in Chronico Cameracensi lib. III cap. XL : *Poſtpoſitis Karlenſibus cuſtumiis, talem honorem tibi obſervabo, qualem Lotharienſes milites dominis, & epiſcopis.* Multoque hos Childericus II. Francorum Rex, in Donatione Monasterio S. Dionysij in Francia facta †: *Quicquid fiſcus noſter tàm de garantia, quàm de merceria, ibidem tenuit, vel de qualibet couſtoma ibidem poſſiduit.* Sic & Græci posteriores, (ut apud Meursium videre est ex glossis græcobarbaris) Κυστούμιον, ἤθος. Καλοκύστυμοι, καλοήθεις. Κακοκύστυμοι, κακοήθεις. Hinc *cuſtumarium*, quod ad consuetudines pertinet. In his vectigalia. Item liber de iis, quæ consuetudine obtinent. Quid si autem tam galli, quàm græci, hoc vocabuli acceperint à Latinis? Nec enim absurdum videtur, **coſtume**/ ex *conſuetudo*, literis aliquot extritis, factum esse.

† *Apud Miraeum in notitia Eccleſ. Belg cap. 12. ſive pag. 17.*

Cruſelinum quid sit, indicant illa Cæsarij lib. XII Miracul. cap. XLI: *Portabat enim vas parvum, & fictile, quod vulgo cruſelinum.* Suspicor *cruſelinum* esse à **Kruſelin**, h. e. minutus cyathus. Nam germanis, ac Belgis, **Kroes**, cyathus: credo à κρωσὸς, unde similiter gallicum *cruche*. Sanè quòd Cæsarius *cruſelinum* dicit esse parvum vas, id convenit cum eo, quòd **Kruſelin** linguâ germanicâ habeat formam diminutivam. Quodque idem ait, esse vas fictile, id consentaneum ei, quòd Eustathius* κρωσὸν interpretatur κεράμιον κρατῆρα ὕδατος, ὑδρίαν. *fictilem craterem aquæ, hydriam.*

* *Pag. 976. ed. Romana.*

Cucurba, funis nautici genus. Isidorus lib. XIX Orig. cap. IV: *Spiræ, funes, quibus in tempeſtatibus utuntur, quas nautici ſuo more cucurbas vocant.* Ita est in gemino nostro Mso membranaceo. In nonnullis

tamen libris legas, *curcuba*. Et magis convenit cum Glossario Arabico-Latino; ubi est *corcuba*. Exponitur autem *lorcum*. Verùm placet emendatio Clarissimi Meursij, extritâ literulâ, *lorum* legentis. Ex *curcuba* contractum videtur *cruba*, vel *cruppa*. Glossæ Philoxeni: *Cruppa, κάλως παχύς, funis densus*. Ibidem *crupes, χοινία*, i. funes. Vel fuerit *cruppa*, à Germanico **grub**, id est, crassus: quod convenit interpretationi Philoxeni.

Custus, pro *sumptu, impensa*; ut Anglis, & Belgis, **cost**. Matthæus Paris. *custum apponere*: item, *ad proprium custum*.

CAP. V.

De iis, quæ origine sunt barbara, & à D incipiunt. Datus, & detius, *pro* tessera. Dagua, *pro* pugione. Dardus, *pro* jaculo. Debatum, *pro* lite, *vel* controversia. Doana, *vel* dohanna, *pro* telonio. Drappa, *vel* drappus, *pro* panno. Dogus, *pro* canali. Drudes, *vel* drudi, *pro* Fidelibus. Durcones, *navigii genus*. Durpili, *pro* limine.

NUnc jam ad quartam literam venio.

Dadus, & *detius*, tesseram notant, quæ Italis, & Hispanis, *dado*; unde *dadus*: Gallis *dé*, vel *det*; unde *detius*. Prius semel, iterumque, usurpant Constitutiones Neapolitanæ, seu Siculæ, lib. III. Tit. LVII: alterum verò Guilhelmus Neubrigensis Rerum Anglicarum lib. III cap. XXII.

Dagua est pugio; quem &, ex Festo, *clunaculum* dixeris; quia ad clunes soleat religari. *Gladiolum* quoque interpreteris. Est ab Italico *daga*; uti hoc à germanico **tagben**, sive **dagge** / vel **deg**; quæ posteriora duo Belgis in usu, à Saxonibus accepta: unde & Anglosaxones habent **dagger**. Et, credo, cuncta sint à græco θήγω, sive Dorico θάγω, hoc est, *acuo*; vel saltem & græcum, & illud Saxonicum, ab communi fuerint origine. Quæ de *dagua* diximus, firmantur illo in Consilio Pisano II †: *Nec daguas, seu cultellos, ferant ultra longitudinem palmi unius, præter palefranarios cum dominos suos comitabuntur.*

† Pag. 159.

Dardus pro jaculo, à Gallico *dard*. Abbo de Obsid. Lutetiæ lib. I:

At turris nocturna gemit, dardis terebrata.

Ac post aliquam multa:

Arce ruit, dardumque ferens, castella petivit.

Habes etiam in nonnullis glossariis.

Deba-

Debatum, à gallorum *debatre*. *Dissensionem* semel, iterumque, exponit Declaratio cujusdam Constitutionis Alani, Ducis Britanniæ, an. CIↃ LXXXVII. Legas & in Edictis Ludovici XI Galliarum Reg. *; item Stilo Curiæ Parlam. cap. v. Sic *debatare*, pro *disceptare*, *disputare*. Uta- pud Nicolaum de Seps, *in contrarium debatante*. * Pag. 19.

Doana vocabulum est lib. I Sicularum Constitutionum Tit. XXXIX, lege II Frederici Imper. *Magnis feudis, quæ in quaternionibus doana nostra baronum inveniuntur inscripta*. Et Tit. XLI, Lege ejusdem Freder. *Et Baroniis, & magnis feudis, quæ in quaternis doana nostra scripta sunt*, Item Tit. LVIII. & LIX, *Dohanna de secretis*. Adhæc Tit. LIX, L. II: *Doanas tam terræ, quàm maris*. Est ab gallico *doanne*, & *douane*. Græci, Latinique, *telonium* nuncupant; Belgæ **tolhuys**: uti & Angli **custome-house**/quia consueta ibi vectigalia pendantur.

Dogus, pro *canali*. Gregorius Turonensis de gloria martyrum, sive de miraculis lib. I cap. XXV: *Tertiò verò convocatâ virorum multitudine, fossas in circuitu basilicæ fieri jussit, ne fortè dogis occultis lympha deducerentur in fontem*. Atque hujus quidem loci fuerit *dogus*, vel *doga*, si origine sit Hebræum; quod Casaubonus censet. Verùm opinionem eam accuratius expendemus, cum de *doga* agetur * inter barbara à Latinis, vel Græcis, orta. * Lib. 3. cap. 10.

Drappa, vel *drappus*, notat *pannum*. Prius habes apud Marculfum lib. I cap. XII. & lib. II cap. XVI. Item Formularum Solemnium nonâ & quadragesimâ; alterum LXVII, & LXXXIII. Sed & *drappalia* pro eo, formulâ LXXII, LXIX, CXXV, CLXXV. Apud alios etiam reperiri, Spelmannus ostendit. Inde peti malo. Est vero *drappa*, vel *drappus*, non à Græco δρᾶπις, quo, Hesychio teste, byssus notatur: sed à Gallico *drap*, quod itidem *pannum* notat. Unde Gallis *drapenier*, Hisp. *trapero*, Anglis **draper**. Item Belgis **draperie**/officina lanaria, sive pannaria: **drapenieren**/vel **drapieren**/*pannum efficere, lanificium exercere*.

Drungus, pro *globo hominum*. Vopiscoin Probo, & Vegetio Rei Militaris lib. III cap. XVI. Unde *drungarius*, pro *tribuno*; utcunque non pluribus, quàm quinquagenis, præesset; ut ex Vopisco† pâret. Græcis *drungarij*, χιλιάρχαι; ut liquet ex Leonis Imp. Tacticis. Quod ad originem, variis è linguis vocem eam arcessunt. Sed imprimis placet, esse Saxonicam à **dringen**, h. e. *stipare, cogere*: unde dicimus, hi **drong** my/h. e. *urgebat, cogebat*: ut *drungus* propriè notet multitudinem in unum coactam, sive conglobatam. Sanè hoc valde cum eo convenit, quòd Vegetius * *drungos* interpretetur *hostium* † In Probo. * Lib. III. cap. 16.

globos

† Lib. 24. cap. 15.

globos. Scio, in plerisque libris ibi esse, *grumos*: sed *drungos* ex Mso restituit Stevvechius, ac similiter in Adversariis † legit Turnebus. Etiam allatum *drungi* etymon confirmat illud Leonis, Δρουγγὶ, ὡς μάζα. Quae si diceret, hominum multitudine ita confertâ, uti condensantur ficus in massa, sive globo. Ut non persuadeat Leonclavius, cùm in Historiæ Turcicæ Pandectis cap. CLXXII. censet, potiùs dicendum *druncus*; quomodo pronunciabat Theodosius Zygomalas Nauplïensis è Peloponneso, Patriarchalis Protonotarius. *Druncum* verò idem Leonclavius sic dici credebat, quasi truncum, hoc est, baculum, sive sceptrũ, imperii militet insigne. Mirùm tam docto viro hæc excidisse. Nam ut mittam cætera, quantum truncus distat à baculo, pedo, vel sceptro!

* Pag. 139.

Drudes, vel *drudi*, vasallorũ genus. *Drudes* vocantur in vita S. Udalrici, ab anonymo scriptâ*: *Drudes suos donis congruis sibi complacare satagebat. Drudi* dicuntur in Rhemensibus, & Rotomagensibus capitulis, ad Regem Ludovicum, anno Ↄ CCCXVIII: *Sine solatio, & comitatu drudorum, atque vassorum, nuda, & desolata exibit anima vestra.* Ubi videmus, *drudes* à *vasallis* aliis distingui. Ad verbum ea vox significat *fideles*, à Germanico, **dru**/ vel **tru**; quod est *fides*. Nunc pro eo fere dicitur, **treuw**/ Belgis **trouw**; unde **truwen**, vel **druen**; quod nunc **trouwen**, id est, ducere uxorem, vel nubere. Itaque & sponsa olim **druchte**/ vel **druthe**: ut liquet ex lege Salicâ Tit. XIV. §. X. Glossæ apud Lindenbrogium: **Druchte**, *sponsata*. Vetus pronunciatio etiam remansit in nomine *Gertrudis*: ex **ger**, id est, *omnino planè*; & **tru**, quod valet, *fida, fidelis*.

Durcones navigii mediocris genus, quo Abbo ad Lutetiam pugnatum ait in ejus Urbis obsidione lib. I:

Antéque durcones multi repetunt morientes,
Quàm lapides jaciant.

Si à Germanis vox; fortasse ab **hulc**, quæ est navis oneraria, à Græco ὁλκάς. Alioqui Belgis **durc**, & **dorc**, sentina.

Durpilus, vel *durpilum*, limen; quod Belgis hodiéque **durpel**, vel **dorpel**. L. Salica Tit. LXI, qui est, De Chrenechruda: *Postea intrare debet in casam suam, & de quatuor angulis de terra illa in pugno suo colligat, & stare in durpilo, hoc est, in limitare.*

CAP. VI.

De cœptis à secunda vocali. Eathelingus, *pro nobili, ac præcipuè pro regni hærede; & quàm variè ea vox scribatur.* Eorla, *pro viro honorato, ac*

parte-

particulatim pro consule, hoc est, Comite vel Duce. Escarletum, *pro coccino, atque obiter de* robæ *vocabulo.* Esterlingus, *vel* sterlingus, *pro denario; & unde id vocabuli sit.* Estoverium, *pro necessariis victui, & amictui.* Evva, *pro Lege.*

PErgamus nunc ad incipientia à litera E. Vbi primò se offert *Eathelingus.* Cui tamen alius, atque alius, debeatur locus, pro vario scribendi modo. Nam & *athelingus* reperias, & abjectâ ulterutrâ vocali *athelingus*, aut *ethelingus*: præterea *edhilingus*, *edhlingus*, vel *edlingus*. Generatim autem hæc vox *nobilem* significat: at κατ' ἐξοχὴν sic nuncuparunt regni hæredem, quem & *domicellum* vocabant. Sic sumebatur, cùm, ex more, acclamarent, *Vivat athelingus noster.* Sed generali illâ significatione apud Nithardum legas lib. IV*, Saxonicam gentem distributam in *Edhilingos*, *Frilingos*, *Lazzos*: quod ibidem exponitur in *nobiles, ingenuiles, serviles.* Est & Gothefridi Viterbiensis Chronici parte XVII, an. Ↄ CCLXXVI: *Omnes Reges illi* (Longobardorum) *Adelingi, id est, de nobiliori prosapia, quæ apud illos dicitur, Adelinga.* Hodieque Germanis, ac Belgis, **edel**, nobilis; **adel**, nobilitas. *Ling* verò non est pars compositi, *progeniem* signans, quod traditum nonnullis: sed solùm vocis est productio. Sanè ut ab *Oriente* est *Orientalis*: sic Germanis, **Easterling**, Belgis **Oosterling**: quod idem ac *Orientalis.* Itidè à **camer** est **camerling**, cubicularius. Similiaq; **jongeling**, **vondeling**.

Eorla, & κῦρ συνηχωῦ *Erle*, propriè signat virum honoratum, ab, **ear**, vel **ar**, h. e. *honos*: pro quo Belgæ, **eer**. Sed Danis particulatim ea vox pro *consule* sumitur; hoc est, *Comite.* Sic enim *Consulis* vocabulo superioribus usi seculis. Nec pro *Comite* modò, sed etiam *Duce.* Æthelwerdus Saxo lib. IV cap. III: *Undecim consules ruunt, quos illi* (Dani) *Eorlas solent nominare, & rex eorum unus.* Vide &, quæ ex Æthelstano. Spelmannus observavit.

Escarletum, è Gallico *escarlate*, uti hoc à Germanico **scharlach**, vel **scharlat**, Belgis **scharlaet**, vel **schaarlaet**, Anglis **scarlet**, Italis *scarlato.* Significant verò *coccum*, vel *coccinum.* Matthæus Parisius Hist. ad an. Ↄ CCXXXVII: *Obviam ei obtulerunt tela escarleti, & vasa pretiosa.* Et in an. Ↄ CCXLVIII: *Dedit eis vestes pretiosissimas, quas robas vulgariter appellamus, de escarleto præelecto, cum pellibus, & fururiis variis cisimorũ.* Ubi *roba* est *vestis*, à Gallico *robbe.* Sed de hoc, & *fururia*, inferiùs. Uti & *Scarleto*, pro *escarleto.* Nunc in *escarleti* vocabulo consistam:

* Pag 478.

quod etiam habes apud Thomam Walsingam in Henrico V †: *Equus Papæ phaleratus* cum rubeo escarleto.

Esterlingus, & *sterlingus*, apud Matthæum Parisium, atque alios, præcipuè Anglicanos scriptores, legas. Utrunque origine esse barbarum, minimè dubitandum. Nec tamen eò rejiciendum; quando hoc nihilo deterius est, quàm vulgata illa vocabula *daleri*, *ducati*, *florent*, ac similia. Nam pecuniæ novitas nova exigebat vocabula. Notat ea vox Anglis *denarium*: de cujus pretio est in decreto Eduardi primi. Dubium autem, an priùs dictum sit *sterlingus*; inde more Gallico E sit præmissum: an verò E illud sit ab origine vocis. Posterius verisimile facit, quod Annales Anglici referant, artem flandi, feriundi auri, & argenti, ab iis, qui ab Anglis **Esterlings**/ Belgis **Oosterlingers**/ nationibus Daniæ vicinis, cum multi eorum in Angliam venissent, magna cepisse incrementa: atque istoc in caussa esse, cur Angli eorum nomine nummos, quos dixi, nuncuparint. Sed obstare videtur, quod Odericus, sive Vitalis, Uticensis cœnobita, Historiæ Ecclesiasticæ lib. V, ad annum CIↃ LXXXII, quo tempore Odericus ille jam erat septennis, *sterilenses* appellet; non *sterlingos*. Sic enim scribit: *In primis advenientibus monachis eum cementario ad jaciendum monasterii fundamentum, ad inchoationem hujusmodi porrigam XV libras Sterilensium*. Propterea nobilissimus Spelmannus negat, se aliquid in alterutram partem statuere ausum. Interim & Linwodi, & Buchanani etyma abunde refellit: cujus sententiam etiam probat clarissimus Watsius in suo ad Matthæum Parisium glossario. Putat verò, non absonum esse, si vocem *sterlingi* credamus esse ex eo, quia stellæ figura in ea compareret. Stellæ enim Anglis **stars**, uti Belgis **sterre**. Gallis E præmisso, *estoile*. Sed adire te malim eruditos ipsius Watsii labores. Jungendus omnino Somnerus in Glossario.

Estoverium, vel *estuarium*, significat *materiem*, *alimentum*, *fomentum*: à gallico *estoffer*, sive veteribus *estoffer*: quod propriè notat *materiem præbere*; ac particulatim *exhibere alimentum*, *nutrire*, *fovere*. Ut *estoverium* signet *nutrimentũ*, atq; adeò, quicquid opus homini advictum, & amictum: ut in charta libertatum à Joanne Angliæ rege concessarum, apud Matthæum Parisium ad an. CIↃ CCXV: *Statim provideatur ei* (viduæ) *domus competens, in qua possit honestè morari, quousque ei dos sua assignetur, & habeat rationabile estoverium suum interim de communi*. Similiter loquuntur leges Stoicæ. Habes & apud Bractonum lib. III tractatu II cap. XVIII, num. II; ubi sermo de quodam ob feloniam,

ut vo-

ut vocant, in carcerem conjecto: *Salvo eidem capto, & familiæ suæ necessaria, quamdiu fuerit in prisona, rationabili estovario suo.* Puto autem, Gallicum *estoffer*, cum propriè notet, ut dixi, *materiem suppeditare*, venire à Germanico **ſtofferen** / *e*, more gentis, præpositio. Id verò à **ſtoffe**; quo significatur *materies*, sive, ex quocunque aliquid fit. Propriè autem **ſtof**, pulvis: ut cùm antiqui Germani hanc vocem ad quamvis materiem accomodarint; videri possit non alieni fuisse à sententia Democriti, & Epicuri; qui putarunt, omnia ex atomis originem ducere: ut ex Aristotele, & antiquis ejus interpretibus; item Lucretio, Laërtio, & aliis, constat.

Evva, lex: ut est in Glossario Latino-Theotisco, quo apud Magnum Florentiæ Ducem usus fuit clarissimus Lindenbrogius. Sic in Cantico Canticorum†, [illegible] veteri linguâ Francicâ reddito, ante annos penè sexcentos, accepit Willeramus Abbas. Verba ejus sic sonant, non quidem in codice curâ optimi, & doctissimi Merulæ edito; sed in vetustissimis nostris membranis: **Wir ne wollen nieth vergezzan / daz diu gnada dines** Evangelii **ſuozer is / danne diu ſarphi dero ewo.** Quæ Belgicè sic reddas: **Wy en willen niet vergeten / dat de genade uwes Evangelii ſoeter is / dan de ſerpe ſmaek der Wet.** *Ewva* vocem, pro *lege* usurpant leges Alamannicæ, Boicæ, Longobardicæ; item Capitularia Karoli M: unde & olim *landewva*, quod nunc **landrecht.** Doctissimus amicus noster, in Etymologico suo, existimabat, ab eodem fonte tria hæc promanare; *ewva*, pro lege; **ewwe**, pro ævo, & **ehe**, quod contractè **ee**, pro fœdere matrimoniali. Nam legem ferri, ut in omne ævum duret, & lege quadam niti matrimonii fœdus. Nihil equidem hic video absurdi. Sed, qui attendat quantum vocabula ista, & modo scribendi, & significatione, distent; judicabit, ut puto, speciosè ista dici; interea nihil fortasse solidi tinnire.

† Cap. 1. vers. 4.

CAP. VII.

De inchoantibus ab F. Faderphium, *vel* fadelphium, *pro eo, quod parens, vel frater, largitur sponsæ.* Faia, *pro ilice, vel quercu.* Faida, *vel* feida, *pro inimicitia; unde* faidosus. Falda, *pro stabulo; unde* faldeo, *pro loco, ubi excernuntur cibi retrimenta.* Fano, *tum pro sudario, vel mappula; tum etiam pro veste sacerdotum, vel diaconorum.* Fara, *pro stirpe, sive progenie.* Farleganus, *pro scortatore, vel adultero.* Fauces, *pro radicibus montis:* Felonia, *pro culpa, quâ vasallus amittit fendum.* Feltrũ

pro lana coactili. Fiala *pro eo, quod Græcis, ac Latinis, chelys.* Flasco, *pro lagena.* Flocus, *vel* frocus, *pro cucullo monachorum.* Focis, *pro canali.* Foderum, *vel* fodrum, *pro pabulo, sive alimento.* Forbannitus, *pro relegato.* Forbatutus, *pro eo, qui alterum prior percusserit; qui &* fordanno. Foresta, *pro silva: unde* forestagium, forestarius, afforestare, *&* deafforestare. Fotrum, *pro capsa scyphorum.* Fredum, *pro multa, quæ principi debetur.* Friscinga, *pro porco adulto.* Frocca, *vel* froccus, *pro monachali veste.* Fulfrea, *vel* fulfreal, *de homine ingenuo, ac libero: ubi & de* frea, *& inde derivatis,* Fustanium, *pro panno gossypino.*

NVnc, ut instituimus, de illis videamus, quæ à sexta litera incipiant. *Faderfium* (pro quo & *fadelfium*, & *phaderfium* dixere) Longobardica vox est, conflata ex fader, sive *phader*, pater; & *erfe*, sive erve; hoc est, hæreditas; ac significat, quod à patre, fatréve, donatur virgini, quando nubit. Gloss. *Faderfium, dotem.* Habes in Longobardicis legibus. Vt lib. I Tit. IX, Leg. XII: *Habeant filii morginga & faderphium suæ matris.* Similiter lib. II Tit. I. Leg. IV. *Habeat ipsa mulier morgengab, & quod de parentibus ejus adduxerit, id est, phaderfium.* Ac ejusdem libri Tit. XIV. leg. XV. *Vidua habeat sibi morgengab, & methium: de faderfio autem, id est, de alio dono, quantum pater, aut frater, dederit ei, quando ad maritum ambulaverit, mittat in confusum cum aliis sororibus* &c.

Faia in legibus Longobardicis exponitur *glans*, lib. I Tit. XIX. Leg. VIII. Sed, qui locum inspexerit, satis videt, non fructum notâsse; verùm arborem glandiferam. Nempe legislator secutus est errorem eorum, qui putarunt, ut φηγὸς Græcis, sic Latinis *glans*, & *fructum* significare, & *arborem*: quæ veteres semper distinguunt; quomodo Maro IV Georg.

Nec de concussâ tantum pluit ilice glandis.

Faida, & *feida*, inimicitia. Est à Germanis, quibus *inimicus*, feind; vel fiant, uti Belgis viand, Danis fiende. Nec tamen quasvis signat inimicitias, sed capitales; unde *faida* in glossis, *vindicta mortis* exponitur. Præterea istæ signantur, quas propinqui utrimque susceperint; juxta illud Taciti de moribus Germanorum: *Suscipere tam inimicitias, seu patris, seu propinqui, quàm amicitias, necesse est.* Qua de consuetudine multis Spelmannus. Vocem *faida* habes in capitibus Karolinis lib. IV; ubi titulus XXVII est, *De faidis coercendis.* In lege etiam LV est, *de faidis pacandis.* Sæpius quoque legas in legibus Saxonicis; imprimis

mis autem Longobardicis. Hinc *faidosus*, cui cum altero istiusmodi inimicitia intercedit. Utuntur hoc Leges Salicæ, Bajuvariæ, Saxonicæ, Frisicæ, Longobardicæ. Item Kapit Kar. M. lib. III, Tit. IV, & lib. V Tit. CCXV.

Falda veteri Saxonum linguâ signat *stabulum, septum, ovile*, sive *locum conclusum*: Thomas, Walsingam in Richardo II*: *Imprimis ad diffiduciandum Abbatem, faldas, quæ† fecerat in Fauconvvod, & silvis aliis, esse frangendas ipsâ nocte*: atque inde *faldagium, faldfoca, faldvvrthi, faldistorium*: quæ, quibus, & quomodo sumantur, malo, ab industriâ doctissimi Spelmanni petas. Solùm nunc dicam, videri mihi, & à *falda* esse *faldeo*. Nempe ut à *falda*, sedem episcopalem cancellis circumseptum *faldistorium* nuncuparunt: sic & loca septa, in quibus ad exonerandum alvum laterent, vel sellam familiaricam, quia solii speciem haberet, *faldeonem*, ut arbitror, dixerunt. Supplementum Historiæ Francicæ Gregorii Turonensis cap. XXXIV: *Ad ventrem purgandum in faldeone sedebat.* *Ita Romwaldus apud Baronium in An. 1177. §. 71: *Postquam Papa loqui desiit, Imperator, de faldistorio surgens &c.*

* Pag. 255.
† Pro quas.

Fano quid sit, indicat Glossarium Latino-Theotiscum, in quo est: *Linteolus*, fanon. Est & Papiæ: *Fano, operimentum quoddam.* Sunt verò hæ significationes diversæ. Illa glossarij eò pertinet, quòd sumitur pro sudario, vel muccinio. Unde Alcuinus de divinis officiis, cap. de singulis vestibus: *Sudarium, quod ad tergendum sudorem in manu gestari mos est, quod usitato nomine fanonem vocamus.* Inde etiam hoc in legibus Alamannicis Tit. LXXXIV: *Ille involvant in fanone.* Item quod in glossario Latino-Theotisco *Mappa* exponatur *hancfano*; *Mappula, tischfano*. Ac similiter Guiljelmus Durantus *fenonem candidum* interpretatur *mappulam albam & nitidam.* At Papias in animo habuit significationem, quâ pro sacræ vestis genere caperetur. Ea sacerdotum fuit. Rabanus Maurus De institutione Clericorum lib. I cap. XIII: *Quartum verò mappula, sive mantile, sacerdotis indumentum est, quod vulgo phanonem vocant; quod ob hoc eorum tunc manibus tenetur, quando Missa officium agitur.* Fuit & diaconorum. Chronicon enim Richerspergense refert, Zosimum Papam anno CCCCII constituisse, ut *diacons in ministerio altaris levam semper tegerent palliis, id est, fanonibus.* Ubi videmus pallij genus fuisse. Deniq; etiam subdiaconi utebantur. Leo Marsicanus Historiæ Casinensis lib. III cap. LXXIII: *Fanones aurei pro diaconibus tres, & alii quatuordecim.* Ac postea: *Imperialis fano aureus totus.* Similiter usur-

ter usurpat Matthæus Parisius in vita Gaufridi XVI Abbatis S. Albani: *Orarium, cum fanone, auro & gemmis adornatum.* Atque hinc Veronæ linteamina serica, & picta, deq; hastis dependentia, appellant *confanones*; Onuphrio Panuino teste. Hispanis vocantur *pendones*. *Fanonis* voce utitur Otho II Imperator pro vexillo imperiali in Diplomate à Chifletio exhibito in Commentario Lothariensi cap. 2. pag. 10. Hasce si attendas significationes, sine dubio fuerit à Saxonibus **fan**, sive **phan**, vel **ban**, aut **pan**; quæ omnia notant *pansus*, sive *expansum*, aut *extensum*. Unde est, quòd vexilla Germanis **fane**, Belgis **vane** nuncupentur. Imò neque **baniere**, & **vendel**, quæ idem signant, alius videntur originis. Atque eâ significatione vocabulum hoc genuit vocem **van-lehen**; quæ in bulla Karoli IV Imp. legitur, ac signat *feuda vexillaria*, voce conflatâ ex **van**, id est, vexillum, & **lehen**, sive **leen**, hoc est, feudum. Etiam Marquardus Freherus, in Chronico Laurishamensi, ubi de temporibus agitur Bennonis, Abbatis XXXII, ac legitur *de septem principalibus beneficiis, qua vulgò appellantur Vollehen*; censet, pro *Vollehen* debere *Fallehen* reponi. Sic vero ejusmodi feuda dicebantur, quia conferentur traditione vexilli; quod à solo fieri poterat Imperatore. Sed vix video, quomodo item hac ab origine petatur, cùm pro instrumento sumitur chirurgico: ut legum Alamannicarum Titulo LIX. §. VI: *Si autem testa transcapulata fuerit, ita ut cervella appareant; ut medicus cum pinna, aut cum fanone, cervella tetigit, cum* XII *solidis componat.* Ubi per *cervellum* intellige cerebellum.

Fara est legum Longobardicarum lib. III Tit. XIV: *Si quis liber homo migrare voluerit aliquò, potestatem habeat intra dominium regni nostri cum fara sua migrare.* Ubi *fara* notat progeniem, sive familiam, vel totam prosapiam. Nec enim in lege Longobardica certiorem habere interpretem possumus, quam hominem Longobardum, Paulùm diaconum lib. II Hist. cap. IX, ubi legas: *faras, id est, generationes vel lineas.* Atq; ostensum Lindenbrogio, sic etiam usurpare Otfridum Evangelij cap. XVI, & XVIII.

Farlegani, & *forlegani*, scortator, adulter. Glossarium Latino-Anglico-Saxonicum: *Adulter*, **forligen**. Prior pars vocis videtur, **fore**, sive **voor**, quod nunc *pro* potiùs valet; sed olim *supra* Saxonibus significabat. Altera pars est **legen**, sive **liggen**, jacere, cubare. Unde & cubile ferarum Belgis **leger**, & **ligger**. Quare **forlingen** ad verbum sonet *incubum*, sive feminis incubantem. Habes *Farlegani* vocabulum in L L. Alfredi regis Anglo-Saxonis cap. X †. Item in L L. Frisonum

† Pag. 31.

titulus

titulus nonus est *de fargelanis*; sequuntur verò leges de mœchis, & stuprum inferentibus.

Fauces Alpium quando apud posterioris ævi scriptores legimus, non putandum semper intelligi angusta ac pervia inter montes itinera; quæ πύλας Græci, imò & αὐχένας vocant; Itali verò *clusas*, uti Hispani *esclusas*, solent nuncupare: atque adeò etiam *clausas*, vel *clusas*, videas dici ab Abbate Urspergensi, Anastasio Bibliothecario, atque aliis. Non, inquam, hæc significatio perpetua est. Quandoque enim *faucium* vox est ortu barbara à prisco Germanorum vocabulo **ſuazin**, h. e. pedes. Sic usus Walramus Abbas in Paraphrasi Cantici Canticorum. Pro eo nunc dicitur **voeſſen**, & **voeten**. Ab antiquo illo pronunciandi more monasterium ad pedem sive radicem Alpium Juliarum situm *Fauces* dixere: ut observatum Goldasto in glossario ad Ekkehardum Jun. de Casibus S. galli cap. I.

Felonia delictum & improbitas vasalli adversus Dominum. Est à *felo*; qua voce usus Matthæus Parisius in Historia: *Sub nomine felonis*. Origo à Germanico **faelen**, vel **feelen**, h. e. *errare, delinquere, cadere*. Est verò, ut Hostiensis ait, *Felonia* (sive ut alij scribunt, *Fallonia*) *culpa, seu injuria, propter quam vasallus amittit feudum*. Quàm varia sint feloniarum genera, Henricus Spelmannus, Eques Anglus, in eruditissimo suo glossario ostendit.

Feltrum, sive *filtrum*, tegumentum è pilis coactis; ab germanico **vil-te**, vel Italico *feltro*. Habes Leg. Bajavar. cap. VI, & alibi; item apud Helmoldum Presbyterum in Slavorum Chronico: uti quoque Florentium Wigornienſem in Chronico: adhæc Heithonum Armen. Histor. Orient. cap. XVI: *Et extendentes quoddam filtrum nigerrimũ ſuper terrã, deſuper ſedere fecerunt Chanyium*. Ac mox: *Et de filtro nemo debeat admirari; quoniam fortè pulchriorem pannum nõ habebant, aut facere ignorabant*. Similiter S. Odericus, peregrinationis ſuæ cap. V; *Gens hujus terra moratur in tentoriis ex filtris magnis factis*. Vita S. Meinradi, sive Meginradi, cap. IV, §. XIV †: *Nudo ſuppoſuerunt filtrum, ſupponentes etiam, & quædam fragmenta*. Diodorus Euchion Polychemiæ lib. III cap. IV: *Refrigeretur, & per diem quieſcat, poſtea per feltrum diſtilletur*. Hinringus Lector: *Caballos quinque cum ſaumis, & ruſias, & filtros, cum ſtraduria ſua, ad noſtrum iter ad Romam ambulandum*. Gregorius de Heimburg. (qui tẽporibus claruit Pij II Pontificis) in Apologia pro Sigismundo, Archiduce Austriæ, adversus Læliũ, epiſcopũ Feltrensem, scitâ adlusione: *O feltrum groſſum, Feltrenſi populo dignum* ! Quamquam ibi corruptè editum est *philtrum*, pro *filtrum*, aut *feltrum*. De origine

† *In vitis SS. ad 12 Jan.*

falsus Balbus in Catholico: *Filtrum dicitur, quia ex filis, id est, pilis animalium fiat: unde filtratus.* Manet vox & in Teutonico, & Gallico idiotismo.

† *A bibendo.*

Fiala sumitur non pro *phiala*, poculi plani ac repandi genere, ἀπὸ τοῦ πίειν† sic dicto; sed pro organo musico; eo, ut videtur, quod *chelyn* dixere, ac Galli etiam *phiole*, Itali *phiola*, Germani ac Belgæ fioole, vel vioole vocitant. Cæsarius lib. VI Mirabilium cap. VII: *Cùm vice quadam jocularem introduxisset, & ille dulcedine fiala, dormientem excitâsset; surgenti servus occurrit, dicens, Quo vultis ire, Domine? Respondente illo, Melodiam audio dulcissimam, sed nescio ubi sit; servus subjunxit: Redite ad lectum vestrum; Monachi Tuitienses in organis cantant.* Nisi pro *fiala* scribendum *fiola*, per quartam vocalem; ut gentibus sonat, quas dixi. Et hoc verius puto. Nam etiam apud Suenonem est, Saxonis grammatici æqualem, in Compendio Historiæ Danicæ. cap. III: *Quos ingenti tripudio cœtus comitatur* * *histrionum, in fiolis, citharis, choris, & tympanis, modulantes.*

* *Melius dixisset*, comitantur, *vel* comitati. *vel mox pro* modulantes, modulantium.

Flasco non significat *coronam pretiosam*, quod doctissimus noster amicus scripsit: sed lagenam; vas figulinum, aut vitreum, vino conservando idoneum. Quomodo & Græci recentiores φλάσκη, & φλασκίον, dixere. Imò & apud Papiam legas; *Flasca, Græcè: pro recondendis phialis primùm facta sunt; unde & dicta sunt.* Videtur putâsse, *flascas* esse sic appellatas, quasi *phialascas*. Omnino autem est ex Germanico flasch, aut flesche: unde & Italicum *flasco*, Hispanicum *flascon*, Gallicum *flacon*. *Flasco* sic usurpant Albinus Flaccus de vita S. Willibrordi cap. XVI, Walafridus Abbas Augiensis de vita S. Othmari Abbatis lib. I cap. IX, Hincmarus de vita S. Remigii, Andreas presbyter in Chronico Bavarico; cujus verba: *Ignorans, quod calliditate quadam geminus potus in eodem flascone sibi offerretur.* Joannes Tyrocius in Chronico Hungarico lib. II cap. LXXXVIII: *Propter timorem hostium fecit illam* (coronam sanctam) *includi in flasconem.* Similiter Joannes à Leidis lib. II. cap. XXVII, & XXIX. Etiam pro eo *flaxonem* dixere; si sana est lectio Florentij Wigornensis in Chronico: *Flaxonemque vino à se benedicto plenum dedit.*

Flocus, vel *frocus*, (utroque enim modo vox ea scribitur) pars erat cultus monachalis ad caput operiendum. Goffridus, abbas Vindocinensis, S. Priscæ Cardinalis: *Domnus Ernaldus, quem decanum vestrum dicitis, si sibi secundum justitiam placuisset, teste flocello de capite suo, potiùs in nostra, quàm in vestra sorte, manere debuisset.* Ubi *flocellus* (quod ex

floculus,

floculus, uti hoc ex *flocus* factum) cucullum, seu cucullam, signat: ac quia caput tegeret, aliter *coopertorium* dicebatur: ut in Matthæi Parisij Additionibus. Hanc *coopertorij*, & *froci*, interpretationem etiam legas apud Turrecrematam in Regulam S. Benedicti, Tractatu CXXI, cap. LV. Goffridi autem verba inde lucem capiunt, quòd, (ut Sirmondus ad eum locum annotavit) qui è canonicis facti essent monachi, eoque flocello usi essent; si postea mallent ad canonicatum redire, tum quoque, ex Urbani II decreto, aliorum præter canonicorum morem, gestarent frocum: quod ideò à Godefrido, Vindocinensium Canonicorum decano, fieri ait. Sane de priori mutatione etiam est apud Ivonem epist. CCLXII, quæ scripta ad Pontium Abbatem. De altera autem Pontius hic testatur.

Foderum, sive *fodrum*, notat *alimentum*, *pabulum*: estque non à *fovendo*, sed à foden/vel voeden/hoc est, *pascere*: unde & Belgæ pro eo voeder; *solentque conjungi verba: foder und mahl/de præfatione cibi & potus pro hominibus & jumentis. Habes apud Aimoinum lib. V cap. III. Item in vita Ludovici Pij †: *Inhibuit à plebeis ulteriùs annonas militares, quas vulgo foderum vocant, dari.* Guntherus Ligurini lib. VIII *:

Ac primùm Ligures super hoc à Rege rogati,
Vectigal, portus, cudendæ jura monetæ,
Cumque molentinis, telonea, flumina, pontes,
Id quoque quod fodrum vulgari nomine dicunt,
Et Capitolicium certo sub tempore censum,
Hæc Ligures sacro tribuerunt omnia fisco.

† *Pag* 344. *edit. Commelin.*
* *Vers.* 570.

Conradus I Imp. diplomate, quod habes Legum Longobardicarum lib. III Tit. VIII Leg. IV, & inde apud Car. Sigonium lib. VIII de Regno Italiæ: *Fodrum autem de castellis, quod nostri antecessores habuerunt, habere volumus: illud verò, quod non habuerunt, nullo modo exigemus.* Idem Sigonius lib VII ejusdem operis an. Io CCCCLXXIII: *Foderum summa quædam frumenti fuit, quam advenienti in Italiam Regi, populi solvere tenebantur: pro quo sæpe etiam æstimata pecunia pendebatur.* Vide & de eo Ottonē Frisingensē lib. I de gestis Frederici II cap. XIII. Sed & legas apud Radevicū de gestis ejusdē libro I cap. XLI, & lib. IV cap. X, & alibi apud eund. Item Petrum de Vineis lib. II. epist. XXIX.

Focis est canalis, ab Italico *foce*; uti hoc à Latinis. Nam à *faucis*, *focis*; *au* in O abeunte: quomodo dixere *caurus*, *corus*; *plaustrum*, *plostrum* à; *claustrum*, clooster. Leo Marsicanus libro I Chronici Casi-

nensis cap. XVI: *Grimoaldus concessit S. Benedicto —— Piscariam de civitate Lesina, una cum ipsa foce sua.* Similiter libro III. cap. LXIII.

Fodratura malim, quàm, ut in nonnullis est libris, *fordatura*; nisi hoc ex altero factum κ̓ μετάθεσιν. Saltem prius est origini propius; cùm & Belgæ dicant **voedering**, & Angli **furring**, pro pelle, vel panno, quo vestis suffulcitur, ac duplicatur, à verbo **foeren**/ vel **voeren**; quod est suffulcire vestem, Barbaris *foderare*. Concilium Generale Constantiense, Sessione quadragesimatertiâ, Canone de vita & honestate Clericorum †: *Decernimus penitùs abolendum, quòd clerici & persona Ecclesiastica — longas cum magna superfluitate vestes, etiam fissas retro, & in lateribus cum fodraturis ultra oram excedentibus, etiam in fissuris, deferunt.* A *foderare* est *foderatus*, quod vulgo **gevoert**. Utitur Cæsarius lib. VIII Miraculorum cap. LIX.

† *Editionis Coloniensis Quetteliana an.* 1538. *fol.* 362. *at Coloniensis Biniana anno* 1606. *pag.* 1650.

Forbannitus vox est Longobardica; quæ *relegatum*, *proscriptum*, *exulem*, significat: ut vox naturâ sit adjectiva; sed substantivè usurpata. Est verò à verbo *forbannire*: quod apud Petrum de Vineis lib. V epist. CVIII: *Propter contumaciam forbannimus eum in persona, & rebus.* Conflatum verbum ex alijs duobus: prior pars est Italicum *fuori*: vel Latinum *foris*; unde Italum illud, quod itidem *extra* significat. Altera pars est *bannire*; de qua in *Bannum* vidimus cap. III. Itaque & integrius *foris bānitus* dicitur. *Propiùs ex Germanico: **verbant**, ver in for* mutato. Prius illud habes in Legg. Longobardicis lib. I. Tit. XXV leg. LXII. *De latrone forbannito, si liber homo susceperit eum, XV solidis componat, & servus CXX percussionibus vapulet.* Similiter in Legg. Salicis, Ripuarijs, Siculis. Item in Kapitularibus Karoli M. ut lib. V cap. CXXXI; cujus titulus. *de toloneis forbannitis.* Etiam *forbannum* pro *proscriptione* legas in ijsdem Kapitularibus lib. V cap. L: *Ut Comes, qui latronem in forbannum miserit.* Quæ verba, atque adeò totius legis, hausta sunt ex legibus Longobardicis lib. I. Tit. XXV, leg. LXIII.

Forbatutus, qui prior percussit, ex Germanico **for**/ sive **voor**/ id est, *ante*, & Gallico *batre*, sive Latinè *batuere*, h. e. *ferire*, *percutere*. Universè verò per eum, qui prior verberavit, intelligendus omnis ille, qui prior intulit injuriam. Habes in legibus Ripuarijs Tit. LXXVII, qui est *de homine forbatudo*: item in decreto Childeberti Regis cap. IV: *Index loci illius solatio collecto ipsum raptorem occidat, & jaceat forbatudus*, h. e. pro jure cæso habeatur. Adhæc in Formulis veteribus incerti scriptoris sect. XXIX*: *Ego hodie ipsum facio infra damnum, & forbatudum infra noctes* XLII. Item in veterum Formularum libris: uti

In Codice Legum antiquarum Lindenbrogij curâ Francofurti editarum an. 1613. *p.* 1288

Formul.

Formul. Sollemn. CLX†: *Ego hodie ipsum facio fordanno, & forbatudo.* Ubi *fordanno* idem videtur, ac vox ea, quæ sequitur. Quippe quæ sit ex **for**/id est *ante*, & **dannen**, h. e. *salire, insilire*; voce non abludente à **danſen**, .i. *saltare, tripudiare*, fortè à Chaldæo דוץ *dutz*, quod Jobi XLI accipitur pro *gaudio exilire*. *Fordanno* igitur ad verbum sonet, *qui prior fecerit insultum.*

† *Parisina editionis à Bignonio procurata pag.* 143.

Foresta, foreſtis, & foreſtum, idem notant. Primum sæpius est in Constitutionibus Canuti Regis, quæ inscribuntur *De foresta*. Item apud Sigebertum Gembl. de vita Sigeberti, regis Francorum: *Tradidit ei ex ipsa foresta* XII *leucas in latitudine*. Item Lupoldum Bebenburgium lib. de zelo veterum Germaniæ principum. Alterum est in vita S. Meinvverci: *De foreſte, quod incipit de Delphana flumine.* Similiter in vita S. Henrici Imperat. cap. XI, & XV. *Foreſtum* verò habes sæpius in Legibus Longobardicis: item apud Dithmarum Episcopum lib. III*. *De moneta, & foreſto, inter Salam, & Mildam, fluvios.* Ut mittam Hedam, & alios. Imò & *foraſtum* pro eò est apud Baldericum Noviomensem in Chronico Cameracensi lib. I. cap. CVIII, in diplomate Cæs. Ottonis III. Sunt verò ista à Gallis, qui dicunt *foreſt*: uti & Belgæ subinde **foreeſt** pro *sylva*. Dubium interim, an *foreſtum* originis sit Latinæ, ex eo dictum, quia foris esset, sive extra urbem, & agros; an potiùs Galli, & alij, id acceperint à Normannis. Hinc *foreſtenſe*, apud Hedam †; *foreſtagium*, pro jure foresti, in Constitutionibus Neapolitanis, ac Siculis lib. I Tit. LIX; *foreſtarii*, præsides foresti, in ijsdem Constitut. lib. I. Tit. LXXVI. & lib. III Tit. XXXVIII; item apud Aimoinum lib. V. cap. XLVII, Petrum Blesensem epist. XXI, ac in vita S. Philiberti, & Matthæum Parisium in Histor. ad an. CIↃ CCXIII*, nec non in Additamentis Vitarum †; adhæc in vita S. Henrici Imp: cap. XI, & XV: item in vita Hugonis episcopi Lincolniensis, &c. Atq; ab eodem fonte non semel apud Matth. Parisium legas *afforeſtare*, pro *in foreſtum convertere*; sive foresti partem facere. Cui contrarium *deafforeſtare*, h. e. id, quod foresti, sive saltus pars erat, alium in usum convertere.

* *Pag.* 17.

† *Pag.* 176.

* *Pag* 239. *edit. Londinenſ. an.* 1640.

† *Pag.* 154.

Fotrum, est capsa, qua deferrentur scyphi: ut ostendit Cæsarius lib. IX Miracul. cap. XXIX: *Fotrum, in quali ſcyphi à convivantibus portari ſolent argentei, oſtendit.* Paullo pòst subdit: *Quomodo pertinet ad ſtatum ſuum viſio fotri hujus?*

Fredum frequens est in Legg. Salicis, Ripuarijs. Longobardicis, alijs: item in Capitularibus Karoli M. & Ludovici Pij. Loca non in-

dicabo, quia abunde id factum doctissimi Lindenbrogij industriâ. Habes quoque apud Marculfum Formularum lib. I. cap. III. Aimoinum lib. V de gestis Francorum cap. XVII, in privilegio Pipini, Aquitaniæ regis, filij Ludovici Pii; & in diplomate Stephani Papæ, anno Ↄ CCCC XIII dato, apud Aubertum Miræum in Orig. Cœnobitarum Benedictinorum cap. XXVIII: præterea in Chronico Cameracensi lib. I cap. XXXVII, puta in literis Ludovici Pij: & ejusce libri cap. LXII, in literis Regis Arnulphi: item ejusdem operis cap. LXXVI, in literis Othonis imperatoris, hujus nominis primi: adhæc cap. CVII in literis Othonis III; quas, ex archivis Novariensis Ecclesiæ acceptas, etiam refert Baronius Annalium Ecclesiasticorum Tom. XI ad annum CIↃ I*. Variant literæ: utrobique tamen *fredorum* vocem legas. Quid *fredi* nomine intelligatur, docet his verbis Gregorius Turonensis de Miraculis S. Martini lib. IV cap. XXVI: *Affirmavit Rex, quosdam ex his, qui absoluti fuerant, ad se venisse, compositionemq; fisco debitam, quam illi fredum vocant, à se indultam.* Quæ ex Turonensi etiam adducit, trecentis eo annis junior, Flodoardus, lib. IV Historiæ Ecclesiæ Remensis cap. L. Sic igitur statuendum, *fredi* nomine intelligi compositionem, sive mulctam, Regi, sive principi, debitam, ad pacem cum eo faciendam. Quod ad nominis caussam; *freda*, vel *fredum*, propriè est *pax*; quæ Germanis **frid**/ Belgis **vrede**. Μεταληπτικῶς verò accipitur pro transactione ad pacem impetrandam; h. e. pro multa, quæ penderetur Regi, sive fisco, ut quis sic consequeretur pacem apud Regem.

Freta per T dicitur in Constitut. Karoli Magni*: *Vt omnia debita, quæ ad partem regi solvi debent, solidis XII denariorum solvant, excepto freta, quæ in Lege Salica conscripta est: illa iisdem solidis, quibus cætera compositiones solvi debent, componatur.* Ubi observatione dignum, quod de duplici solidorum genere ait; uno XII denariorum, altero XL: de quo paucis ad locum adlatum Vitus Amerpachius; pluribus Lindenbrogius in Glossario, voce *Solidus*. *Fredi* vocabulum, & functionem, etiamnum obtinuisse temporibus Frederici II Imp. ex ejus edicto cognoscere est.

*Pag. 289. edit. Mogunt. an. 1602.

Friscinga, vel *frisgunga*, porcus qui necdum ad justum pervenerit incrementum. Interim differre à nefrende, sive porculo subrumo, aut lactente, arguit, quòd *friscinga*, & *porcellus*, distinguantur Kapitular. Kar. M. lib. IV, cap. LXXIII: ubi legas, Episcopo dari debere *friscingas tres, porcellum unum*: Abbati, Comiti, & ministeriali Regio *friscingas duas, porcellum unum*: vasallo Regio, *friscingam unam, porcellum unum*. Verrem potiùs, quàm scrofam, exponere videtur Hincma-

rus Clero, & plebi Tornacensi: *Exigendo denarios, aut verres, seu frisa scingas.* Nisi mens illa, sufficere, si alterutrum detur. Alios etiã, qui usurpent, si voles, Lindenbrogij glossarium adi, & Sirmundũ ad Caroli Calvi c. v. Esse vocẽ eam à Germanis, ostendit illud, in veteri glossario Latino. Theotisco, quod in bibliotheca est Ducis Florẽtini: *Friskinga*, frusling. Nẽpe, ut puto, est à germanico frisch, h. e. *novus, recens*; pro quo Belgę vrisch. Angli frish/Itali *fresco*, Hispani *frisco*. Ut licet de subrumo ñ dicatur, nec vetulo: tamẽ cõveniat anniculo. Sanè Helvetij hodieq; Vadiano teste, porcum silvestrem anniculum, aut paullò adultiorem, frischling vocant. Imò & Tolosatibus porci istiusmodi appellantur *fresingues*; ut monitum Pithœo.

Frocca, vel *froccus*, vestis monachalis: puto eadem, ac *roccus*, laxè eâ sumta significatione: h. e. non quatenus rock tunicã notat: sed quatenus comprehendit id vestimentum, quod tunicę injiceretur vulgo: uti lacerna, sive chlamys, quam & *byrrhũ*, & *manduam*, vocarunt. Sanè Spelmannus auctor est nobis, Londinenses bajulos froc appellare lineam illam vestem, quam cęteris indcunt. Et apertè à tunica distinguit Ingulphus Saxo in Histor. Croilandiæ: *Induit omni anno totum convẽtum cũ secta suâ de tunicis; omni altero anno de cuculis; & omni tertio anno de froccis.* Volunt, pro eodem, caninâ literâ, ut sæpe, in L abeunte, etiam *flocum* legi. Ut apud Aimoin. de gestis Episcoporum, & Abbatum Turonensium, in Abbate XIX: *Et insuper ordinavit, quòd flocũ cum cuculla portaremus, sicut modò deferimus.* Etiam Galli promiscuè dicunt, *Floc de Moine*, & *Frot de Moine*. Nempe *floci* vox ambigua est. Quandoq; sumitur pro cuculla: ut ex ijs liquet, quę de flocello superiùs dicebam*. At Ingulphus, & Aimoinus, clarè à cuculla frocũ, sive flocũ distinguunt: ut proximè vidimus. Ac similiter Matthæus Parisius in Vitis abbatum S. Albini: *Tam formam cuculli, & frocci, quàm colorem transmutavit primitivum.* Hæc pluribus sum prosecutus: quia *froccum* esse idem, ac *cucullam*, cujus formam habet scapulare, Breulij sententia sit, in Notis ad Regulam Benedicti†.

† Pag. 132

Fulfrea, vel *fulfreal*, in glossis exponitur, *sive ingenua, sive libera*. Nempe sic dicitur, qui, quæve, plenâ fruitur libertate: ex eo, quòd *plenus* Saxonibus foll, uti Anglis full, Belgis vol: ut liber Germanis frey, Anglis free, Belgis vry. Unde & *Frea*, libertatis præses, uxor Wodani*; ejus, à quo feria quarta nomen accepit, ut sexta à Frea. Hęc enim vrydag; illa wodens dag, sive woonedag. Sed & *frea* in Legibus Longobardicis dicitur puella ingenua, vel libera in mundio,

* Paulus Warnefrid. de Longobardis lib. 1 cap. 8.

sive sub tutela. Ac mulier quoque Saxonibus *freo*: nempe non quælibet nupta, sed libera. A *freo* autem germanis frauw, Belgis vrou. Itaque propriè *dominam* notat. *Fulfreal* habes in Legg. Longobardicis lib. I Tit. XXV. Leg. VI. quæ Rhotaris est: *Si mulier libera fulfreal super furtum comprehensa fuerit.* Sententia est, si furata sit mulier plenæ libertatis, qualem dicimus fulfrealem. Illustris etiam lôcus ille ejusdem libri Tit. XXII. Leg. V: *Siquis liber homo habuerit servum, vel ancillam; aldium, & aldiam, conjugatos; & instigante inimico humani generis, cum ipsa ancilla, qua servum ejus in maritum habuit; aut cum aldia, quæ cum aldione ejus copulata est, adulterium perpetraverit: ita statuimus, ut perdat ipsum servum, aut aldionem, cujus uxorem adulteraverit; & simul vadant liberi, & absoluti fulfreales, tanquam si thingati,* (hoc est, manumissi) *fuissent, ubi voluerint: quia non est placitum Deo, ut aliquis homo cum uxore aliena debeat fornicari.* Item lib. II Tit. XII Leg. I: *Liberam uxorem, id est, fulfreal.* Et Tit. XIV Leg. XVII: *Libertus homo, qui fulfreal factus est.* Etiam habes Tit. XXXV Leg. I. III, VIII.

Fustamum, vel potiùs *fustanum*, est id, quod Belgis fuffein; gallis *fustaine*: nec multùm abit vox Anglica, Italica, Hispanica. Sic verò dicitur pannus xylinus, sive gossypinus. Utitur liber Remesiensis sect. CCLXV: *Dedit prædictus Abbas prædicto Hugoni unum fustamum, & Basilia conjugi sua* (ejus, puta Hugonis) *alterum, & prædicto infantulo* XII *denarios.* Andreas Abbas in vita Othonis, Episcopi Bambergensis, lib. I. cap. XLV: *Quicquid ex privatâ pecuniâ fustam, & purpura, coëmere poterit, his jumentis in Pomeraniam dirigas.* Nec hac significatione, vel *fustani* vocem refugit Erasmus in Colloquijs; vel *fustanici*, Ludovicus Vives.

CAP. VIII.

De inchoatis à litera G: ut sunt ista: Gabarus, *pro insipido loquuteio.* Gabella, gabellum, *vel* glabrum, *pro vectigali, vel censu.* Gandeia, *pro navigii genere.* Garterium, *pro fascia crurali.* Gasachius, *pro adversario.* Gafrum *pro crustulo.* Galliardus, *pro eo qui agilis, ac hilaris.* Gasindus, *pro famulo domestico:* gasindium, *pro familia.* Gastaldus, *pro regio œconomo, hospitum curam gerēte: proque eo &* castaldus *dici: & unde sit, quòd hæc vox etiam exponatur* Comes. Geldus, *pro pecunia.* Gesta, *profece.* Gilda, *vel* gildonia, *pro tribu, sive tribulium collegio.* Girgillus, *pro hombo.* Grafio, *vel* gravius, *pro præfecto,*

fecto, vel Comite. Græcolonus, *vox nihili apud Luitprandū, pro Græcosonus; quomodo dicitur Græcus interpres.* Grandebalæ, *pro pilis subalaribus: ubi & de* granone, *pro mustace.* Grangia, *pro horreo.* Grani, *pro capillis sparsis,* Griseus *color, pro cinereo.* Gualdum, *pro sylva.* Guardia, *pro custodia:* guardianus, *vel* gardianus, *pro custode; uti &* gardingus. Guerra, *pro bello.* Gufum, gofum, *vel* gufa, *pro veste vili, eáque villosa.* Guntfanones, *vox ex corrupta Alcuini lectione nata.* Gurdus, *pro insipiente, ac insulso. Laberij versus numeris redditi.*

NOn diutius huic literæ insistam; quando ad sequentem G, ut arbitror, jam dudum tacita me vocat exspectatio.

Gabarus pro insulso, barbaro, est apud Isidorum in glossis, & inde apud Papiam. Similiterque Excerpta Pythœana è glossis. Censeo esse ab Italico *gabare:* uti hoc à germanico, & Belgis usitato **gabberen**, hoc est, nugari, inepto uti sermone.

Gabella, vel *gabellum*, est vectigal, vel tributum, aut census. Anastasius in vita Stephani III: *Rex reddere promiserat Faventiam cum castro Tiberiaco, seu gabellum, & universum ducatum Ferraria integrum.* In Constitutionibus Neapolitanis *gabella* dicitur Tit. LIX. §. I. *Gablum* Leo Decimus, in redintegratione populi Romani ad sua privilegia*: *Propterea quòd ex redditibus gabella vini forensis hujusmodi, postquam lectorum studii salaria soluta sint, liceat præfatis conservatoribus*, &c. Et paullò pòst: *Donamus quoq; eisdem conservatoribus, & populo, in perpetuum gabellam omnē vini forensis.* &c. Etiā alibi usurpat. Verba adduximus in *Dohana.* Est ab Italis, qui *gabella* vocant. Unde & Anglis: ut Inæ LL. Mss. cap. LXVI: sicuti videre est apud Spelmannum. Qui gabellam exigerent, ac colligerent, hinc *gabellati* dicebantur: ut in Constitut. Neapol. lib. I Tit. LIX, & LXXVI. Legatur Somneri glossarium in V. *Gablum* & *Gavelgilda*; Speelmannus V. gabella.

* Bullarij Tom. I. pag. 395.

Gandeia quid sit, docet vetus Juvenalis Scholiastes ad illud Sat. V:

> —— *Illud enim vestris datur alveolis, quod*
> *Canna Micipsarum prorâ subvexit acutâ.*

Genus, inquit, *navis, qua Gandeia dicitur: ut sit gandeia Micipsarum, id est, Afrorum. Gandeiam enim soli Afri, id est Zamai; vel, ut alij, Byzaceni; ut alii, Barcæ invenerunt. Significat oleum Tripolitanum.* Perperam, pro *gandeia*, rescribi hic *chelandrium* oportere, doctissimus Meursius arbitrabatur. Siquidem Chelandria Afrorum erant: ut dicemus libro pro-

proximo, cap. IV. Possit aliquis suspicari, pro *gandeia*, rectius reponi *galeia* Sed obstat, quòd *galeia* sit navis longa; cujus figuram Latinum nomen indicat: at *gandeia*, navis oneraria; qualis rotunda. Itaque onerarias naves, & longas, passim opponi videas, apud Livium, & alios.

Gardianus, & *gardingus*, qui sit, in *Guardia* dicemus.

Garterium, pro periscelide, sive fascia crurali: vox illustrata ordine equestri ab Eduardo III, Angliæ rege, instituto. Est à Gallo-anglico **gartier**; quo & ipso id notatur, quod *periscelidem* novè vocat Budęus.

Gasachius, pro adversario, Leg. Sal. Tit. LII, §. II. & Tit. LIII, §. I. Ex Germanico **ge**/id est, *cum*: & **sache**/ *caussa, lis*. Ut nomen sit ex eo, quia de eodem cum aliquo lis sit. Vel ex **gegen**, pro quo Belgæ **tegen**/id est, *contra*, & nomine jam dicto. Quomodo contractum fuerit ex **gegensacher**/quod Græcè ἀντίδικος.

Gafrum legas apud barbaros ex Germanico **wafel**/ quod etiam apud Belgas obtinet: similiterque Angli **wafre**. W solet converti in G: unde & Galli pro eo *gauffre*, vel *goffre*. Sic *gafrarium* legas pro eo, quod Belgis, **wafel-yser**. Hadriani Junij in Nomenclare opinio est, quàm *Belga* **wafel**/Galli *gauffre* vocant, eam *crustulum* Horatio† dici. Ac idem utensile, quo coquuntur, *artoptam* esse arbitratur. De quo dissentio.

† *Lib. I. sat. 1 & l. 2 sat. 4.*

Guillardus, vel *Galliardus*, reperio apud nonnullos, ex Gallico *gaillard*; hoc est, agilis, hilaris: unde & tripudij genus agile, ac lætum, *galliardum* vocant. Videtur Gallica vox esse à Gallico ardore, qui agilitatem ac lætitiam parit. Nisi posterior vocis pars sit ab **aert** / sive **aert** / significante ingenium atque indolem: quomodo dicimus **goedaerdich**/hoc est, bonæ indolis.

Gasindus, vel *gasindius*, pro servo domestico, habes apud Marculphum lib. I form. XXIII: *Omnes causse suæ, suorumq; amicorum, aut gasindorum*. Item lib. II form. XXXVI, cujus lemma: *Si aliquis servo suo gasindo suo, aliquid concedere, voluerit*. Ubi *gasindum* id esse, quod dixi, cognoscimus ex primis hisce capitis verbis: *Iustissimè nostris subleuantur muneribus, qui nobis fideliter, & instanti famulantur officio*. Sic *gasindium*, pro familia: quomodo hac voce in legibus Longobardicis utitur Rachis Rex Tit. VI Leg. IV, & Rotharis Rex Tit. XCI Leg. XIII: ac similiter Pipinus Italiæ Rex, Tit. XIV. Est id vocabuli à Germanico **gesinde**: quod item familiam notat. Observatum summo viro, Hieronymo Bignorio†, in veteribus nonnullis formulis ac capitulis etiam

† *Notis in lib. 2. Marculfi cap. 36.*

etiam, pro *gasindo* dici *ministralem de intus casa*: nempe ad discrimen famulantis extra casam sive domum; in agris puta. Quamobrem non absurdè, ut puto, conjectabam, vocem *gasindus* conflari ex *casa*, pro *domo*, & *intus*. Nisi magis placet nobil. Spelmanni opinio, esse ex Francico case pro domo, & Saxonico *hynde*, pro famulo: ut sic dicatur quasi cashyndus. Videtur tamen non de famulitio solùm, sed & consanguineis, dictum. Nam in iis, quæ ex veteribus Glossis Pithœus excerpsit, legas: *Gasandus, hæres. Gasanda, coheres.*

Gastaldus, vel *gastaldius*, propriè est aulæ præfectus, sive procurator rerum exterarum, sive peregrinarum; uti hospitum; unde & nomen. Nec enim dubitandum, quin vox sit composita, ac prior pars sit **gast**; quæ Germanis, & Belgis, notat hospitem. Solùm ambigi possit, num posterior pars sit **halten**/id est, tenere; an **ald**/vel **alt**; id est, famulus. Si prius placet, *gastaldus* dicetur, quasi **gasthalter**/vel **gasthalder**/h.e. qui convivio alios excipit. Atque hoc Vito Amerpachio placuit, ad editas à se constitutiones Carolinas. [a] Sin posterius malis, fuerit ex **gastalt**/nempe quatenus **alt**/vel **ald**/notat famulum, ministrum. Ut ad verbum signet, hospitibus fumulantem. Dixeris, **alt** idem esse ac vetus; servos verò ab ætate pueros dici solere, ac Græcis similiter παῖδα. Scio; sed & adulti sic vocabantur; ut ostendimus lib. IV. Orat. Instit. cap. XII. sect. IV. Præterea **alt**/vel **ald**, Germanis non quemvis signabat famulum; sed ingenuum; nam inter servos, & aldios; ancillas, & aldias, distinguebant. Sic aldia, de illa, quæ nata sit liberâ matre, ut exponitur in Legibus Longobard. lib. I. Tit. XXX. leg. V. Sive autem prius, sive posterius etymon malis; gastaldius fuerit, qui regi, vel principi, inservit in curandis hospitibus. Ac hujusmodi propria est significatio, ut idem fuerit, ac architriclinus, vel œconomus, & in palatio Occidentalis Imperatoris, jam ab Othonis Magni temporibus, dapifer. Idemque Græcis ὁ μέγας δομέστικος, ut ostendunt, quæ de ejus munere scribit Codinus Curopalates libro de Offic. Constantinop. Postea Gastaldi latiùs extensa fuit significatio; nempe ad civitatum, & provinciarum præfectos; quomodo non in legibus modò Longobardicis sumi videas, sed etiam à Paulo Warnefrido lib. V. Hist. Longobardicæ cap. XXIX. Similiterque usus in diplomate suo Conradus I. quod anno dedit cIↃ XXXIX. *Neque aliquis Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdacio, procurator ullus, hanc sanctam Dei Ecclesiam inquietet.* Integrum si voles diploma, reperies apud Carolum Sigonium lib. VIII. de regno Italiæ. Pro gastaldus

[a] Sin posterius malis, fuerit ex gastalt/nempe quatenus alt/vel ald/notat famulum, ministrum. Ut ad verbum signet, hospitibus fumulantem. Dixeris, alt idem esse ac vetus; servos verò ab ætate pueros dici solere, ac Græcis similiter παῖδα. Scio; sed & adulti sic vocabantur; ut ostendimus lib. IV. Orat. Instit. cap. XII. sect. IV. Præterea alt/vel ald, Germanis non quemvis signabat famulum; sed ingenuum; nam inter servos, & aldios; ancillas, & aldias, distinguebant. Sic aldia, de illa, quæ nata sit liberâ matre, ut exponitur in Legibus Longobard. lib. I. Tit. XXX. leg. V. Sive autem prius, sive posterius etymon malis; gastaldius fuerit, qui regi, vel principi, inservit in curandis hospitibus. Ac hujusmodi propria est significatio, ut idem fuerit, ac architriclinus, vel œconomus, & in palatio Occidentalis Imperatoris, jam ab Othonis Magni temporibus, dapifer. Idemque Græcis ὁ μέγας δομέστικος, ut ostendunt, quæ de ejus munere scribit Codinus Curopalates libro de Offic. Constantinop. Postea Gastaldi latiùs extensa fuit significatio; nempe ad civitatum, & provinciarum præfectos; quomodo non in legibus modò Longobardicis sumi videas, sed etiam à Paulo Warnefrido lib. V. Hist. Longobardicæ cap. XXIX. Similiterque usus in diplomate suo Conradus I. quod anno dedit cIↃ XXXIX. *Neque aliquis Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Sculdacio, procurator ullus, hanc sanctam Dei Ecclesiam inquietet.* Integrum si voles diploma, reperies apud Carolum Sigonium lib. VIII. de regno Italiæ. Pro gastaldus

[a] Placet aliud etymon Loccenio, q. Fasielbalter/castelli gubernator. [b] Pag. 713. & 714. ed. Moguntiæ, 1602.

etiam dixere *caſtaldus*; quia facilè G in C mutatur, & contrà. Habes apud Abbonem Floriacenſem de vitis Pontificum. *a* In veteri gloſſario *Caſtaldus* exponitur *Comes*: nempe eâ Comitis ſignificatione, quâ idem, ac ἐπίτροπος, ſive *procurator*: de qua in *Gravis* voce inferiùs dicam. Alioqui *Caſtaldus* Comite eſt minor. Carolus M. in donatione S. Paulino, patriarchæ Aquileienſi, factâ ante hunc epiſcopatum: *b Omnibus Epiſcopis, Abbatibus, Ducibus, Comitibus, Caſtaldis, vel omnibus fidelibus noſtris, præſentibus, & futuris.* In veteri dictionario eſt: *Gallus major Dominus.* Sed emendandum, *Major domûs*: quomodo legimus Pipinum ex Majore domus in regno ſuffectum eſſe Childerico.

a Pag. 106.

b Apud Baronium tom. 9. Annal. an. 802.

Geldus, vel *geltus*, ſive *geldum*, vel *geltum*, ſignificant pretium, ſive æſtimationem, &, ut vulgo dicunt, valorem: à Saxonico **geldan**/ pro quo Belgæ **gelden**/hoc eſt, valere. Ac inde *geldus*, pro pecunia, quâ cuncta æſtimantur. Videntur autem & Græcobarbari eo uſi, quando in lexico Philoxeni lucar exponitur διαπρεπὴς γάλτης. Sic enim pro γάλτης, rectè legi jubet Meurſius in Gloſſario. Nec tamen per *geldum* ſemper pecunia ſignatur: verùm & ea, quæ pecuniâ exſolvuntur. Ut annui reditus, tributum, exactiones, mulctæ. Henricus Huntington lib. VII. Hiſtor. ad an. CIↃ C. *Vicinos vverrâ, ſuos exercitibus frequentiſſimis, & geldis continuis vexabat.* Ubi ſatis videmus, pro tributis, & exactionibus ſumi. Etiam pro reditibus regiis, & cunctis ei quotannis perſolvi debitis, uſurpat liber Rameſ. Sect. CCXCIII. *Gelda autem Regis communia, quæ per omnem comitatum currunt, ſolvet Ebronius &c.* Ingulphus in Hiſt. *Quieti, & ſoluti ab omni ſcotto, geldo, vicecomitum auxiliis.* Matthæus Pariſius: *Terras quietas ab omnibus geldis.* Habes & in Legibus Alemannorum Tit. II. Leg. LXX. LXXI. LXXIII. Multa ex hac voce componuntur: ut in præfati legum Alfredi, *godgeldus*, quod effertur diis: *deofulgyld*, quod offertur diabolo. Sæpius verò in compoſitis pro mulcta capitur, ſive pretio, quod pro delicto exſolvitur. Unde *vvergeldum*, pretium, quo vir occiſus æſtimatur: de quo dicam cap. XIX. Et huc etiam pertinent, quæ cap. XIV. ſubdam in *Oflegelt*. aliaq; de quibus adeas malim Spelmanni & Somneri gloſſarium.

Geſtam legas ex eo, quod Belgis **geſt**/vel **giſt**; pro purgamento, quo recens cerviſia ſe defæcat, ac piſtores utuntur, ut panis ſit levior. Sic uſus Matthæus Pariſius ad an. CIↃ CCIII. *In ſale obolum, & in geſta obolum, & in candela quadrantem.*

Gilda hodieque Belgis **gilde**/Anglis **gylde**. Sic dicitur ſocietas, vel

vel collegium arctioris conjunctionis gratiâ constitutum, sive à mercatoribus, sive opificibus, sive aliis: in quo qui sunt, stipe conferunt, & ad conservandum sodalitium bona quædam habent communia, tanquam fratres, unde & *confratria* Hincmaro nuncupatur. In Carolomanni Capitulis tit. II. apud Veneris Palatium: *Volumus, ut Presbyteri, & ministri Comitis, villanis præcipiant, ne collectam faciant, quam vulgo geldam vocant, contra illos, qui aliquid rapuerunt.* Causa nominis ex eo, quòd pecunia quædam, (hæc Germanis, ac Belgis, *geldus*, vel *geldum*, ut supra dictum) communis foret partim ad convivia publica, quæ certis temporis intervallis celebrarent, partim ad alios sumtus collegii totius nomine utiles. Ea pecunia colligebatur tum ex eo, quod darent, qui pars fieri collegii vellent; tum etiam ex mulctis, & aliis. Hinc *gildones*, & *congildones*, socii ejusdem gildæ, &, ut vocant, confratres. Ut in L. L. Inæ Mssis cap. XIX: *Si quis ita occisi veram exigat, licet in veritate, quod pro fure sit occisus, & non respondeat ipsius occisi congildonibus* &c. A *gilda* idem *gildonia* factum, pro eo, quod gilde schap dicitur. Habes *gildonia* vocabulum (pro quo perperam in libris nonnullis *gildoma*) in Capitularibus Caroli Magni lib. V. c. CXXIX. *De sacramentis pro gildonia invicem conjurantibus, ut nemo præsumat facere.* Similiter Hincmarus in Capitulis anno datis ID CCCLII: *Vt de Collectis, quas geldonias, vel confratrias vulgò vocant, tantum fiat, quantum ad auctoritatem, & utilitatem, atq; rationem, pertinet.* vid. Somnerus Glossario v. Congildones & Fridgild.

Girgillus, γιργίδιον, vel γίμβος, Isidoro Orig. lib. XX. cap. XV, & in Glossis: item exceptis Pythœanis è veteribus glossis, ubi exponitur *rota hauritoria*. Et Onomastico Latinogr. Fortasse fuerit à גלגל *galgal*; quo *rota* significatur Psalm. LXXVII. 19, & Jesai. XVII. 13. Saltem id verisimilius puto, quam ut sit à gyro: unde foret *gyrulus*, *gyrillus*.

Gracolonus monstrum vocabuli, legas apud Luitprandum in Legatione ad Nicephorum, Imperatorem Græcum. a Locum integrũ apponam: *Tunc appositi sunt custodes, qui mihi, & meis, à domo mea exitũ prohiberent. Latina lingua pauperes, qui me eleemosynarum gratiâ adierunt, comprehendentes ceciderunt, custodiæ tradiderunt. Gracolonũ meũ id est, Græca lingua gnarum, non permittebant egredi, saltem ut sumtus emeret: sed cocum solum, Græca lingua ignarum: qui non signorum signis, sed digitorum, seu capitis nutibus, cum venditore emtor loquebatur; tantiq; nummis emebat quatuor, quanti Gracolonus obsonium uno.* Puto, utro-

a Pag. 104. edit. Ingelstad. ann. 1600.

utrobique *Græcosonus* reſcribi oportere: ac ſic vocari, qui Græcè ſonaret. Facilis literæ *l*, & *ſ*, commutatio.

Grafio, graphio, gravio, vel *gravius*, ejusdem eſt dignitatis vocabulum. Cujus antiquitatem oſtendunt cum alia, quæ mox adferam; tum quòd utantur leges Salicæ Tit. XXXIV. §. V. Tit. XLVII. §. II. Tit. LII. §. II. Tit. LIII. §. II. atq; alibi. Adhæc Carlomannus Rex in actis Synodi Francicæ habitæ anno Ↄ CC XLII: *Adjuvante graphione, qui defensor ejus Eccleſiæ.* Item Fredegarius Scholaſticus in ſupplemento Chronicorum Francicorum Gregorii Turonenſis cap. XIV: *Cum Ducibus, & Graphionibus, ſecum habens Saxones*: Paullus Diaconus de geſtis Longobardorum lib. V. cap. XXXVI: Leo Oſtienſis in Chronico Caſinenſi lib. I. cap. XIV: *Epiſcopos omnes, & Abbates, Ducesque, & Graphiones, ac plures, qui ſecum venerant, honoratos, ſubſcribere mandans.* putant nonnulli, in quibus & Adolphus Mekerchus, *a* eſſe χαρτοφύλ. *b* Quomodo idem foret, ac γραμματεὺς, ſive *ſcriba*. Sed fortaſſe adſentirem, ſi grafio archivis præfuiſſet, vel eo eſſet functus munere, quo illi, quos nunc *à ſecretis* vocamus. At verò longè aliud notat; nempe *judicem*, vel *præfectum*. Gloſſæ Latino-Theotiſcæ: *Præſes*, **gravo**. Ut omnino origine Teutonicum eſſe, exiſtimem: ac fortaſſe à **grauw**, quod eſt, *canus*, & μετὰ λευκῶν τριχῶν, *ſenex*. Sic ab ætate fuerit appellatio, ut Græcis πρεσβῦς, & πρεσβύτερος, ac Latinis *Senatores*, & ætatis mediæ ſcriptoribus *ſeniores*; ex quo vulgò remanſit *ſiegneurs*. Hanc ſententiam firmat, quòd in antiquo diplomate regio legas: *Indictum fiſcalem, quem grafionem appellant.* Nec obſtat illud Suggerii de Poſſeſſ. B. Dionyſii: *Ab oppreſſione exactorum regiorum, quos dicunt grafiones.* Nam iidem & *judices*, & *exactores* mulctarum, pœnarumque. Hujusmodi munus committi fere iis ſolet; qui in palatio apud Cæſarem, vel Regem egiſſent. Ac quamquam, in provincias miſſi cum gravii ſive præſidis ac judicis poteſtate, non amplius Principem comitarentur; vetus tamen dignitatis nomen retinuerunt: ſic ut qui Teutonico vocabulo forent Gravii, hi ab elegantioribus hominibus Latino Comitum nomine appellarentur. Hinc Aventinus lib. VII: *Quos nos Graphios, literatores Comites vocant.* Rigordus in Vita Philippi Auguſti Regis ad an. CIↃ CCVIII: *Eodem anno quidam Comes Palatinus, qui eorum linguâ* **Land-graef** *vocabatur, id eſt, Comes Palatij.* Quamquam non ſatis commodè Landgravium interpretetur Comitem Palatinum, qui potiùs *Phalzgravius*. At *Lantgravius* eſt *Gravius* ſive Comes *Landæ*, h. e., terræ, vel provinciæ: ut *Marcgravius*, marcæ

a Lib. de Pronuntiatione Linguæ Græcæ.

b A ſcribendo.

c Legati. *d* Seniores.

marca sive limitis: *Gogravius*, præfectus pagi, sive tractus alicujus terrestris, cujusmodi tractus Germanis **gow**: *Mergravius*, major præpositus, ex **mergrave**/vel **me:greve**: quomodo Teutones, Frisios, & Flandros, suos vocâsse Consules, legas in Legg. Eduardi Confess. cap. xxxv. Comitibus verò tributam fuisse potestatem judiciariam, indicat Gregorius Turonensis: qui paullo ante annum vixit sexcentesimum. Sic enim ille de S. Nicetio: *Nam vidi ego quodam tempore Basilium Presbyterum missum ab eo ad Armentarium Comitem, qui Lugdunensem urbem his diebus potestate judiciariâ gubernabat.* Et de B. Gregorio Episcopo: *In comitatu positus regionem illam per XL. annos justitiâ comitâte correxit.* Idem cognoscimus ex Capitularibus Caroli M. lib. III. cap. LXXVII: *Neq; ullus Comes Palatij nostri potentiores causas sine nostra jussione finire præsumat: sed tantùm ad pauperum, & minus potentium justitias faciendas, sibi sciat esse vacandum.* Eginhartus in vita Caroli M. *Si Comes Palatij litem aliquam esse diceret, quæ sine ejus jussu definiri non posset; statim litigantes introducere jussit, & veluti pro tribunali sedens, lite cognitâ, sententiam dixit.* Item Walafridus Strabo de Divinis offic. *Quemadmodum sunt in palatiis Prætores, vel Comites Palatij, qui secularium causas ventilant: ita & illi, quos summos Capellanos Francs vocant.* Et si verò cum in provincias mitterentur, ut judiciis præessent, non amplius forent in regio comitatu: tamen Comitum nomen adhæsit ex veteri consuetudine. Imò & tandem illa appellatio sæpe honoraria solùm fuit, cùm iis Comitum nomen à Principe daretur, qui nec in comitatu fuissent regio, nec Gravii sive Judices Provinciarum forent.

Grandebale sunt pili sub axillis, quos volsellis molliores jubent evelli. Ita Calepinus in editionibus antiquioribus. Nam in illâ, quæ Passeratii dici solet, frustra quæras. Ac sic me loqui docebant puritiæ meæ præceptores: quamquam hi non tam movebantur Calepini auctoritate, quàm doctissimi Hadriani Junii: qui idem tradit in aureo Nomenclatore suo; quod sanè miror. Omnino enim vox est barbara. Imò difficile est dictu, unde eam hauserit Calepinus. Antiquiores eo lexicographos adii: sed silent. Prior vocabuli pars videtur est **graen** pro pilo. Sanè Belgis **graenen**, Kiliano etiam teste, idem ac **Tnevelbaert**, h. e. *mystax*. Et in antiquis Frisonum legibus *grano* sumitur pro *mystace*. Ut Tit. XXII. qui *De Dolg* inscribitur, h. e. de vulneribus: ubi præcipitur, ut, si quis nasum præciderit, solvat XXIV. solidos; si solùm transfoderit, XV; si aurem abscideri, XII;

si maxillam inciderit, ut; unicum si dentem interiorem excusserit, vel inciderit summam frontis rugam, aut palpebram, aut supercilium, aut grandem præciderit, is duos tantummodo solidos annumeret. Quæ satis verisimile reddunt, non aliud esse *granonem*, quam *mystacem*. Atque eadem penè, sed, pœnæ pretio variante, legas in Additione Sapientum Tit. III. Etiam Gesnerus annotavit ex Alberto M. feles amittere ferociam, si quis eis granonem abscideri: hoc est, pilos circa os. Posteriorem verò in grandebalis partem censeo esse *ala*: quod contractum ex *axilla*. Ut *grandebala* sic dicantur, quasi *granones alarum*, non particulari illâ *granonum* significatione, qua *mystacem* notant; sed laxiori, pro *pilis* etiam aliis: de quo in *Grani* mox dicam. Vel *grandebala* fuerit conflatum ex tribus, quasi *granones de alis*. Nam genitivus à Germanis, ac Belgis, per præverbium exprimi solet: ut cum dicimus, **de goedheit van God**/pro, **Godes goedheit**. Aliter & deducere possis. Sed piget tam minutis meditationculis, præsertim in voce barbara, insistere.

Grangia, prædium, villa, aut horreum: quomodo & Galli, & Angli, **grange**/à granis. Quamquam & latiùs vox patet, cum pro stabulis etiam equorum, boum, ac similibus locis, sumatur in Legibus Anglicanis; ut ad eas observatum Lindewodo, approbante Somnero in Glossario. Usus quoque Cæsarius lib. I. Mirac. cap. II. semel iterumq; & lib. III. cap. XXV, lib. IV. cap. LVII, lib. V, cap. V, lib. VII. cap. XV, lib. IX. cap. LIV. Hinc *grangiarius*, pro villico. Idem Cæsarius lib. V. cap. XXXIII: *Hæc apud nos ejusdem, puto, loci grangiarius recitavit*. Similiter lib. VII. cap. XXXVIII. Item Chronicon Bohemicum de re Joanne cap. XVIII: *Eodem tempore frater Laurentius, hodie grangiarius, infirmatus ad mortem*. Arbitror, idem ac *grangia*, esse *granchia*, apud Eugenium Papam in diplomate ad Heloissam: *Terram, in qua granchia vestra est, & oscham in eodem loco*.

Grani dicebantur Gothis mystacis pili, ut ex iis puto colligi posse, quæ in *Grandebala* paullo antè dicebamus. Nisi potiùs sic vocantur capilli sparsi. Isidorus lib. XIX. Etymolog. cap. XXIII: *Nonnulla etiam gentes, non solùm in vestibus, sed & in corpore, aliqua sibi propria quasi insignia vindicant: ut videmus cirros Germanorum; granos, & cinnabar, Gothorum*. Quo ex loco videmus, non debere in vestibus reponi: ut fallatur Joannes Garsias, quando ait, fuisse genus vestis laicæ oblongæ. Rectè interim in Concilio Bracarensi primo, quod temporibus Justiniani Imperatoris celebratum fuit, *granos* ex Mso, cùm pri-

ùs

ùs gradus legeretur, reposuit. Locus est Can. XI. *a Item placuit, ut Lectores in Ecclesia, in habitu seculari ornati, non psallant; neq; granos gentilis ritu demittant.* Plusçula etiam de hoc granonũ vocabulo apud nobilissimũ Salmasiũ legas in Plinianis ad Solinum Exercitationibus. *b*

a Tom. 2. Concil. pag. 645 edit. Binniana an. 1606.

Griseus color, qui Latinis *cinereus*, vel *cineraceus*, ac Græcâ voce etiam *leucophæus*, à Germanico **grys**: unde & Italis *grisо*, Gallis *grisе*. Usurpat Cæsarius Miraculorum lib. VI. cap. V. & lib. VII. cap. XXXIX. item Turocius Chronicorum Hungaricorum Part. II. cap. LXXII. *Cujus corpus in monasterio griseorum monachorum de Pelis tumulatur.* Similiter *cucullam griseam* dixit Beka in Othone II. Episcopo XXXIV.

b Pag. 963.

Gualdã pro nemore, ex German. **wald**. Leo Marsicanus in Chronico Casinensi lib. I. cap. LIX. *Cellam de Gentiana cum gualdo, terris, & sylvis.*

Guardia, & *guardium*, vel *vvardia*, & *vvardium*, notant custodiam, tutelã, vigilias; à Germanico **warden**/unde Gallicũ *garder*. i. e. custodire. Nempe W in G V, vel G, solet converti, Belgæ, extrito D, pro **warden** dicunt **waeren**/& **bewaeren**. Sed & w in simplex G convertitur. Itaq; & *gardia* legas pro *guardia*. Ut in edicto Philippi IV. Gall. Regis, *c* item in Stylo Cur. Parlam. cap. II. *Illorum, quos habent in gardia speciali.* Ut & *Garda*, sicut Guntherus habet lib. 8. v. 332. *Feudum guardæ*, quod custodi prædiorum, vel alius rei, datur mercedis nomine. Vide Feud. lib. I. Tit. I, & VI. Ac similiter Feudistis *guardie*, pro custode: qui & *guardinus*, vel *gardianus*: quomodo *Ecclesia guardianum* dixere, qui ad hoc delectatus ab Imperatore, vel Rege, ut Ecclesiam contra potentum injuriam defensitaret. Atque hinc etiam liquet, cur, qui Dominicanis *Prior*, is Franciscanis *Gardianus* vocetur. Ab eadem origine est *Gardingus*, quod de Regis, & palatij custodibus usurpatum. Victor, Episcopus Tunnunensis in Chronico. *d Idem Belisarius, prælio superans, Gunthimer, & Gebamundum, Gardingos regis, fratres superat.* Habes etiam in legibus wisigothicis, & Concilio Toletano XIII. cap. II. Vide infra lib. 2. c. 20. in Warda & Wardea.

c Pag. 159.

d Pag. 38. ed. Ingolstadiensis an. 1600.

Guerra, bellum, non solùm illud publicè susceptum; sed etiam, quod privatim geritur à familiis inter se dissidentibus: cujusmodi inimicitia dicitur *faida*, ut superiori capite monebamus. Est à Germanico **werre**/hoc est, dissidium, inimicitia, bellum; ac similiter Galli *guerre*; Itali, & Hispani, *guerra*, Angli **warre**. Vocem puram putam Gallicam existimat Somnerus in Glossario, atque à Gallis in alias terrarum partes translatam. Germanicæ linguæ originem adscribit Limnæus ad Aur. Bull. cap. I. §. observ. I. pag. 105. Apud Belgas etiam hodie-

hodieque **werren**/& **warren**, nunc turbare notat, & intricare, nunc dissidere, contendere. *Guerra* vocabulum ne in Carmine quidem refugit Guilhelmus Brito Philippidos lib. IX:

Immortale odium, & guerram Reginaldus habebat:

Uti nec Baptista Mantuanus:

Cur tam ridiculis agitur popularia corda
Observare opus est guerris?

In prosa verò innumeri penè usurparunt. In his Ivo Carnotensis, epist. XXII. Baldericus in Chronico Cameracensi lib. III cap. XLII. Gaufridus Abbas Altæ Tumbæ, in vita S. Petri, Archiepiscopi Tarentasij, cap. XXII. Cæsarius lib. IV. Miracul. cap. XCIV. Guilielmus Tyrius lib. III. cap. XI. Matthæus Parisius an. CIↃ CCXIII. Constitutiones Siculæ lib. I. Tit. VIII. Leg. I. Concilium Pisanum II. Beka in Ottone, Episcop. XXXVI, & Guidone, Episcop. XLII. Vid. Goldastus I. Aleman. rer. Not. ad Cunr. Fabar. c. 14. p. 224.

Gufum, & gofum, pro spisso, & soloci filo contexto, villosoque. Isidorus in Glossis: *Bigerum, vestis gufa, seu villata.* Pro eo & *cufa dixere*, proclivi literarum C, & G, commutatione. Glossæ Philoxeni. *Gufa* κρωκάλια. Ubi κρωκάλια optime restituit maximus Salmasius, Notis in Vopiscum. Nam κρωκωτὸς, & κρωκάλιον, villosæ vestis genus: quomodo Nazianzenus utitur in Testamento. Ac reperias etiam in Glossis Græcobarbaris. Imò & Isidorus in Glossis: *Camasus, amphimallus.*

Guntfano nihili verbum est. Habes in scriptoris incerti fragmento de ritibus veteris Ecclesiæ, edito à Wolfango Lazio: *a Insuper etiam laicorum schola cum vexillis, atque guntfanonibus, à longe præeunte.* Sed fragmentum hoc est ex Alcuini libro de Divinis Officiis: quem habes in bibliotheca Patrum auctarii Tom. I. ubi *b* excusum; *cum vexillis, atque fanonibus.* Abunde verò de fanonibus superiori cap. diximus. Sed, ut video nunc, opinioni isti valde adversatur, quòd Itali vexillum non *fanonem* modò, sed etiam *gonfalonem* appellant: quòd etiam Romæis, qui præest militiæ Ecclesiasticæ vexillo, *gonfalonarius*, pro *gontfanonarius* appellatur: quòd item Florentinis, temporibus prioribus, magistratus fuit, qui *Gonfalonarius justitiæ* vocaretur: deniq; quòd in Constitutionibus Caroli Calvi tit. XXXII. sive apud Tusiacum cap. XIII. *Providentiam habeant, qualiter —— cum omni plenitudine, & necessario hostili apparatu, & ad tempus suos homines illuc transmiserit cum gunifanonario.*

a Pag. 168. ed. Antverpiensis. Bellovi an. 1560. *b* Parisina edit. an. 1610 fol. 246.

Gurdus in Glossis Isidori exponitur *lentus, inutilis*: in Misso membrana-

branaceo nostro glossario, *ineptus, inutilis.* Glossæ aliæ: *Gurdus,* ὀμφλὸς: ubi sine dubio rectum, ἀμβλὺς; quod valet, *obtusus, hebes.* Sanè Hispanis *gordo* significat *pinguem.* Pinguis autem pro *obtuso*; ut Aristophani μίγας, & παχὺς, Catullus *longus homo*, Italis *grosso*; quod ex *crassus* esse factum, superiùs diximus. Usus *gurdi* vocabulo Abbo de Obsidione Lutetiæ lib. I †:

Æstibus accingunt carpentum arentibus arcis,
Ante fores gurdi miseranda gramine plenum.

† Pag. 416. edit. Paris. an. 1602. qua additur Aimoino & Leoni Marsicano.

Vbi sic, ut vocant, glossator: *Gurdi, id est, stulti: & hic Nortmanni intelliguntur.* Abbo is claruit paullò ante annum nongentesimum. At non putandum, vocem circa ea demum tempora cœpisse. Nam & bono ævo vox ea fuit nota. Ab Hispanis esse, censuit Quinctilianus, homo ipse Hispanus. Sic enim ille lib. I cap. IX: *Gurdus, quos pro stolidis accipit vulgus*, ex Hispania duxisse originem audivi.* Præterea etiam usos esse Afros, indicat Laberius in Gracomemnone; ut nunc apud Agellium legitur lib. XVII cap. VII; sive potiùs, ut restituendum censeo, cacodæmone. Versus sic vulgo concipiuntur, etiam in editione H. Stephani:

* Quid si, quod Belga Jorde dicat pro simplici, ac fatuo, id non ab aliquo simplici homine, nomine Jordano, originem ducere credamus, sed ex gurdus? Nam G in I ejusmodi sæpenumero commutatur à Gallis, & Belgis.

Hic est ille gurdus, quem ego
Me abhinc duos menses ex Africa
Venientem excepisse tibi narravi.

Quomodo planè ἄμετρος. Sic autem metro suo restitueris:

Hic ille gurdus, quem ego me abhinc menses duos
Ex Africa excepisse venientem, tibi
Narravi.——

Fortasse igitur à Pœnis acceperint Hispani. Dixerit aliquis, si Laberius eâ usus sit voce, Latinitate donatam videri. Non improbarem, nisi contemtim ille de homine Afro sordidâ voce uti voluisset, ut eum rideret: ac præterea vocem sordidam postea elegantiores omnes refugissent; & Laberium, eâ utentem, notassent; ut ab Agellio factum videmus.

CAP. IX.

De barbaris nominibus ab H incipientibus. Haga, *vel* haia, *pro sepe.* Halsberga, *pro colli, & pectoris, armatura: cui simile* bainberga, *pro ea crea: ac obiter etiã dictum de* brunia, *pro galea.* Hambergellus, *vel* habergellus, *vel* haubergellus, *pro lorica hamis conserta.* Harnascha,

pro thorace ferreo. Harpa, *pro instrumento musico è lyra veterum enato.* Helmus, *pro galea.* Heraldus, *pro feciali.* Herebannum, *vel* haribannum, *pro multa militari eorum, qui detrectarent principem sequi ad militiam euntem.* Hereſtrata, *pro via publica.* Heribergium, *pro tabernaculo, vel etiam diverſorio publico.* Heriſtallus, *pro loco, ubi caſtra metarentur.* Herminium, *pro veſte è pelle muſtela Alpina.* Herotochius, *pro duce exercitus.* Hida, *vel* Hyda, *pro caſa cum agello alenda uni familiæ ſufficiente.* Hoba, *pro villa, aut prædio.* Hoſa, *vel* hoſſa, *pro caliga.* Hranne, *pro coloſtro.* Hundredum, *pro portione terræ, in qua viverent centum fideiuſſores; aliterq; vocari* cantredam, *&* wapentachiam. Hurditius, *vel* hurditium, *pro cratibus, quas obducunt urbium muris.* Huſtingus, *vel* huſtingia, *pro ſuprema alicujus diœceſeos curia.*

HInc jam ad octavam me literam confero; ſi modò adſpiratio in literis mereatur locum.

Haga in antiquis principum Donationibus legas. Eſt verò à Germanico hag, quod Belgis hagbe, hoc eſt, ſepimentum, ſeptum. Amicus noſter πολύγλωττος* in doctiſſimo ſuo Etymologico conjectat, eſſe ab ἅγιος, id eſt, ſanctus: quo nec in verſu Latino uti dubitavit Ekehardus Junior de caſibus S. Galli cap. 1:

Tertius hac hagia Salomon dat dona Mariæ.

* *multarum gnarus linguarum.*

Putat nempe *hagam* propriè eſſe lucem; dicique *hagam* quaſi *hagiam*, quia lucus omnis ſoleat à gentilibus numini cuipiam conſecrari: unde & ſylvæ ejuſmodi erant inciduæ. Sed non cenſeo, *hagam* pro luco inveniri; verùm pro loco circumſepto: unde & *circulum* dixere. Itaque Germani novem Circulis, quibus Hunni, atque Avares, ſe in Pannonia ſæpiebant, *hagæ* nomen dederunt: quemadmodum docet B. Rhenanus lib. 1 rerum German. & Sebaſt. Munſterus lib. 1v Coſmographiæ. Sanè militares iſti circuli, quos & *burgos* dixeris, nihil minus erant quàm luci. Quia verò Galli G ſolent convertere in 1 conſonum: eò & pro *haga, haia* reperias. Ut apud Spelmannum in Chartis vett. Anglicanis: *Dominus Rex habet unam Capellam in haia ſua de Kingeſle.* Item apud Carolum Calvum tit. XXXII, poſt cap. XXXVII: *Quicunque iſtis temporibus caſtella, & firmitates, & haias, ſine noſtro verbo fecerint.* Ubi videmus ſumi prò clauſura, vallo, ſeu ſepimento militari.

Halsberga, vel *halſperga*, vox eſt Saxonica, propriéque ſignat thoracem ferreum, ſive armaturam colli, & pectoris, ab hals, collum, &

bergen

bergen, tegere, protegere, munire. Itaque in Glossario Theotisco est: *Collicium, halsberga*. Quomodo & in Legg Ripuarijs cap. XXXVI. §. XI. *bamberga*, pro ocrea, sive crurum armatura, à **bain**, sive **been**, tibia, & codē **bergen**, h. e. servare, conservare. Ut audiendus nō sit Wolfang' Lazius, qui **halsperg** interpretabatur *arcū*. Ex scriptoribus vetustis, qui Germanicè scripserint, voce **halsperg** usus est scriptor rhythmicus de gestis Theoderici Bernensis †: item poëta alius de S. Annone, Colonienſi Archiepiscopo. In Latinis h. *Halsperga* legas apud Karolum Magnum, in diplomate Wormatiæ dato anno Ↄ CCXC, decennio antequam salutaretur Augustus: *Principes cum militibus de Romana expeditione acerbè contendere, eos multò plures halspergas de beneficiis suis sibi ducere, quàm illi fatentur se posse, vel jure debere*. Ac postea: *Hoc in arbitrio dominorum pendeat, à quibus stipendia accipiant, quibus halspergas concedā*. Primus hoc diploma à Marco Velsero sibi transmissum edidit Rittershusius, suoq; Guntheri Ligurino subjunxit. Ex quo plenius de halspergis cognoscere est: ut & de *brunijs*, quæ itidem milites suis debebant dominis, quando ad bellum irent. Verba Karoli Regis sunt: *Cuicunque secundùm hanc legem eadem expeditio imperetur; si ad curiam Gallorum, hoc est, in campum, qui vulgo Rungalle dicitur, dominum suum non comitetur, & ibi cum militari apparatu non repræsentetur, feodo, prater hos, qui cum gratia dominorum suorum remanserūt, in conspectu nostro absque spe recuperationis privetur. Qui autem hominum, sive liberi, sive famuli, dominis suis adhæserint, quot decem mansos in beneficio possideant, tot brunias cum duobus scutariis † singulas marcas accipiant: & sic eundo, & redeundo, cum hoc stipendio, sine omni dominorum damno, vel expensa, nisi quantum ipsis dominis placuerit, fideliter serviant*. Ac aliquanto pòst: *Domino suo, ad quem pertinent, bruniam cum uno scrutario*. Ubi *scutario* legendum, quia sermo de *scutagio*, ut vocant, hoc est, scuti servitio. Habes & de brunijs Kapitularium Karoli M. lib. III cap. LXXV: *Neque bruniam, vel gladium, sine nostro permissu dare, aut vendere, præsumat, nisi tantùm vassallis suis*. Item Additionis IV cap. XCII: *De brunijs, ut nullus foras nostro regno vendere præsumat*. *Loricam* interpretantur: malim ijs adsentire, qui capitis armaturę accensent. Quippe veteri Saxonum linguâ **brynn** galeam signat; fortasse quia muniat, & servet, cerebrum; quod Hollandis **bryne**, & **brein**. Scrupulum interim injicit Glossarium Latino-Theotiscum: *Thorax militare munimentum, lorica, brunia*. Item, quòd, ut diversa, conjunguntur,

† *Sive Veronensis.*

† *Videtur aliquid deesse.*

byrne/und helm, in LL. Anglosax. Æthelstani Reg. cap. xxv. Quomodo & halspergun, brunieum, & helmi, ut distincta, sociantur in rhythmo de Annone Colonienſi Archiepiſcopo†. Vitus Amerbachius* per *brunias* intelligit domunculas; ſed planè errat.

† Pag. 15. & 16. edit. Dātiſc. a. 1639.

* Notis in Conſtitutiones Kar. M.

Hamallus quid ſit, in *Mallus* inferiùs dicetur.

Hambergellus, habergellus, vel *haubergellus*, formâ diminutivâ fiunt ex *hambergus*, vel *hambergium*: uti hoc, (velut ſcitè conjectat Spelmannus) conflatum ex Gallico *haim*, ſive Italico *hamo*, quæ idem ac *hamus*, & Saxonico bergen, hoc eſt, ſervare, cuſtodire, munire, defēdere: ut in *halsberga* diximus. Propriè igitur ſignet loricam hamatam, ſive pectorale ex hamis, hoc eſt, catenis, & ſquamulis, confectum. De quo ſic Maro III Æn.

Loricam conſertam hamis, auroque trilicem.

Ac ſimiliter hamos in lorica agnoſcit Silius lib. V, & Sidonius Panegyrico ad Anthemium: —*Nec ſutilis illi*

Circulus impactis loricam texuit hamis.

Cùm alibi habes, tum in decreto Alexandri Papæ: *Nullus Iudæus habergellum penes ſe retineat.* Nempe non permittendum, ut ſi cum Chriſtianis à lite ad pugnam deveniatur, illis, beneficio habergelli, pectus non æquè ad ictum pateat, quàm homini Chriſtiano.

Harnaſcha, armatura, ex Germanico harnaſch, vel harniſch; unde & Gallicum *harnois*, Anglicum harneis. Doctiſſimus amicus noſter putabat, *harniſch* eſſe ex *arineus* ab ære, quia præcipuè diceretur de thorace æreo. Sed priſcis quidem Græcis armatura ex ære, ut ex Homero, & poëtarum alijs, liquet: Germanis verò potiùs è ferro. *Harnaſcha* vocabulo uſus Radevicus Friſingenſis de geſtis Friderici I lib. III cap. XXVI: *Auferetur ei* (militi) *omne ſuum harnaſcha.* Ac deinde: *Redimat eum cum omni ſua harnaſcha.*

Harniſcara, & *harmiſcara*, legas in Capitulis, & Conſtitutionibus Caroli Magni; ut difficile ſit dicere, utra verior ſit appellatio: &, incerto nomine, incertum etymon. Imò & Legg. Longobard. lib. III. Tit. X. leg. XLIII codices diſſentiunt, quorum alij *harmiſcaram*, alij *ariſcadam*. In Capitulis tamen Caroli Calvi nunquam eſt *harniſcara*: ſed, ut Sirmondo eſt obſervatum, vel *harmiſcara*, vel *harmſcara*, ac quandoque *harſcara*. Habes tit. IX cap. IX*. & tit. XX cap. IX, item tit. XXXIV cap. IX, & tit. XLIII cap. VIII. Pœnæ eſſe genus, ſatis liquet; & *ariſcada* ſi rectum, id notet, quando quis infamis pronunciatur, nec ulteriùs capax publicæ dignitatis: ab Germanico ar, ſive eer/hoc eſt, *honor*, & ſcade

* Pag. 91.

ſive

sive schade, id est, *damnum*; ut propriè signet *honoris jacturam*. Saltem malim id, quàm quod Vito Amerpachio* placitum, ut *armischara* dicatur, quasi **armischeer**, h.e. brachij forceps, aut vincuium.

Harpa, pro instrumento musico è lyra nato, ab ea tamen diverso: ut ostendit hoc Fortunati lib. VII Carm. VIII:

Romanusque lyrâ, plaudet tibi barbarus harpâ.

Quomodo differant chelys sive cithara, & Mercurij lyra sive testudo, item ea, quicum Apollo, Hercules μουσαγέτης, & Arion, visuntur, de lautæ etiam discrimine, & harpæ, vide quæ ad Manilij sphæram barbaricam Josephus Scaliger annotavit†. Ut ab germanico **herp** est *harpa*; ita inde *harpare*, & *harpator*, in vett. Anglorum Legg.

Helmus, pro galea, vel casside, ex germanico **helm**: quam vocem etiam retinent Itali, Hispani, Angli. Ut Latinum usurpant L. Ripuar. Tit. XXXVI, §. XI: *Helmum cum directo pro sex solidis tribuat.*

Heraldus est principis internuncius in bello indicendo, vel agendo de pace, aut inducijs: qui olim *fecialis*, & *pater patratus*. Sanè prior pars vocis in **her-alt**, vel **her-out**, exercitum notat: posterior non tã ætatem signat, quàm dignitatem, senibus solitam conferri: quomodo & inde dicti *senatores*, & Græcis πρεσβεῖς, *legati*, à πρέσβυς, *senex*. Vel potiùs nomen id legato datum, quia legatur ad hoc munus principi suo fidelis: ac facta vox ex **her**, quatenus *dominũ* signat: & **holt**, vel **hout**, i.e. fidus, sive fidelis. Ita is, quẽ antea dixi, Wilramus in eopse Cantico habet, **Her is mir so hold**: quod nunc dicimus, **hy is myn oo trou**. Et vulgare est illud, **houden trouwen**: h.e. *obstrictum, fidumq; esse*. Nã idem **holt/hout/hou**. *Heraldus* igitur minister principis, fidei nomine domino suo commendatus. Credo autem, **holt**, vel **hout**, ex **holden**, vel **houwen**: h.e. detinere, servare; quomodo dicimus **belofte houwen**, servare promissa. Vt **holt** hic sit tenax fidei.

Herebannum, vel *haribannum*, aut *aribannum*, ab Illustri Comite Hermanno Nieunario, in Dissertatione de veterum Francorum sedibus, exponitur, *mulcta, quæ Domino, hoc est, Principi debetur*. Verùm non est bannum dominicum, sed militare. Nec enim prior vocabuli pars est ab **her**, sive **heer**, quod herum, vel dominum, notat: sed ab **her**, vel **heir**, vel **hair**, significante exercitum. Vnde proprium viri **Herman**, vir militaris: proprium loci, portus *Hervius*, sinus exercituum, ut interpretatur Saxo Grammaticus lib. VII; quia **wick**, Danis sinus: **Hereschilt**, clypeus militaris; ut exponitur in Chronico Laurishaimensi; item *heribergium*, *heristallus*, & *herotochius*; de quibus

*Notis ad Constitutiones Karoli M p. 323. ed. Mogunt. an. 1602.

†Pag. 419. & sex seqq. edit. Raphelang.

mox dicam. *Banni* nomen variè admodum accipi solet: sed hic pro mulcta sumitur*. *Heribannum* igitur sive *herebannum*, vel *haribannum*, notat mulctam militarem: præcipue eam, quæ Græcis λειποτάξιον, vel λειποστράτιον, hoc est, quæ solvenda erat, si quis à principe evocatus ad militiam, non advenisset. De quo pœnæ genere sic Gregorius Turonensis Histor. lib. v sect. XXVI: *Rex de pauperioribus, & junioribus Ecclesiæ bannos jussit exigi pro eo, quod in exercitum non ambulassent.* Ubi, *non ambulare in exercitum*, significat, non sequi principem ad militiam euntem, licet sis evocatus. Ea mulcta quanta fuerit, habemus in Capitul. Caroli M. lib. III capit. LXVII: *Quicunque liber homo in hostem bannitus fuerit, & venire contempserit, plenum heribannum, id est, LX solidos persolvat. Aut si non habuerit, unde illam summam persolvat, semet ipsum pro vvadio in servitio Principis tradat, donec per tempora ipse bannus ab eo fiat persolutus: & tunc iterum ad statum suæ libertatis revertatur.* Legas & cap. XIV: *De heribanno volumus, ut missi nostri fideliter exactare debeant.* Item cap. LXVII, & seq. ejusdem libri. Nec non apud incertum in vett. formulis cap. XXXI; & Carolum Calvum tit. XXXI, sive Edicto Pistensi cap. XXVII. Sic quoque Einhardus epist. XXII: *Et ideo non videtur mihi justum esse, ut heribannum solvere debeant, qui non alibi fuerunt, nisi ubi ipse imperator præcepit.* Insuper legas in Gestis Romanorum ante Rollonem Ducem, puta *in* anno DCCCLXIII†: *Sed & à presbyteris, secundùm quod unusquisque habuit, vectigal exigitur, & herbanni de omnibus Francis accipiuntur &c.* Hinc in Capitulis Caroli, & Ludovici, *heribannitor*, mulctæ istiusmodi exactor. Aliter etiam *heribannum* accipitur. Sed de isto, & alijs, malo adiri eruditum Spelmanni glossarium: quod, hactenus dimidiatũ, utinam aliquando, modò supersit, integrũ publici faciat juris.

†Pag 3.

Hereſtrata in Legg. Anglicanis Henrici I cap. XI: *Omnes hereſtrata omnino Regis sunt.* Ex Germanico her, sive heer, dominus, & straet, via, sed propriè lapidibus strata; ut *hereſtrata* idẽ videatur ac *via regia.*

Heribergium est in Adnuntiatione Domini Karoli in edicto Pistensi cap. XXXVII: *Volum' Heribergũ nostrũ, quod præterito anno hic fieri jussimus.* Et post pauca: *& expresse mandamus, ut sicut nec in nostro palatio, ita nec in isto heribergo, aliquis alius sine nostra jussione manere præsumat, nec illud aliquis destruat.* Videtur sermo de loco castrensi. Sanè *heriberga*, & *heribergium*, propriè, primoq; *tabernaculum* notat: ac sic dicitur ab her, sive heir, h. e. exercitus, & bergen, quod est, custodire, servare, continere. In hac sententia valde me firmat willeramus Ab-

bas

bas in Paraphrasi Cantici Salomonici: ubi illud, *Sicut tabernacula Cedar*, vertit linguâ veteri Frăcicâ **thiu hereberga Cedar**. Nũc pro eo **hutten** dicimus. Sed latiùs postea est extensa significatio. Utimur n. pro quovis diversorio publico. Sic *heribergare*, pro hospitio excipere. In Capitulis Karoli M. lib. III cap. LXVI II, quod est de heribanno exactando: *Nec pro heribergare, nec pro alio banno, heribannũ Comes exactare præsumat.* Goropius Becanus putabat, **her** etiam notare *publicus*, vel *communis*: & inde **herberg** dici, quasi publicũ locũ, ubi diversas. Hoc astruebat ex **her-man**, **her-tog**, **her-aut**. Sed in his etiam **her** notat exercitũ: ac eorum primũ sonat virum castrensem, & armis egregiũ; alterum, exercitus ducẽ, tertium verò, fecialem, sive pacis belliq; internunciũ: quamquã de hoc & alterũ paullo antè etymõ adduximus.

Heristallus, locus ubi castra metarentur, ex **her**, sive **heir**, h. e. exercitus, & **stal**, id est, stabulum, atque omnis locus, ubi consistitur. Monachus Paderbornensis lib. I de vita Karoli M.

Nomen heristalli dederat cui barbara lingua.

Locus iste, quia fossâ cingeretur, etiam *fossatum* vocabatur: de quo inferiùs dicemus.

Herminium, vestis preciosa è pellibus mustelæ Alpinæ, sive albæ, quæ Belgis **armelyn**, Anglis *hormine*, Gallis *armelin*, vel *hermine*, Italis *armelino*, Hispanis *armino*, Galfridus Monæmuthensis lib. IX, cap. XIII: *Cujus dapifer herminio ornatus; mille verò nobilissimis juvenibus comitatus est, qui omnes herminio induti fercula cum ipso ministrabant.* Vidi, qui *herminium* putaret esse serici genus, quod Belgæ dicunt **armesy**: sed literæ abeunt; nec *armesy* integrum est, sed **carmesyn** uti & Hispanis *carmesi*, à vermiculo Arabicè dicto כרמז *carmez*; sive articulo addito, *alcarmez*. Is vermiculus gignitur in granis sive baccis cocci, ac liquore hujusmodi vermiculorum pannus coccino sive purpureo tingitur colore. Unum tamen obstare huic sententiæ videtur, quòd *carmesinum* significet purpureum colorem: *armesinum* sic telæ genus, non illum modò, sed alios etiam recipiens colores. Videigitur, an non *carmesinum* quidem inde sit, unde dicebamus: sed *armesinũ* sit ab Armusio urbe, sive Ormo, nobili Persiæ emporio, unde advehi primit' solet. Ac sic potiùs cl. v. Bartholdo Niuhusio videbatur.

Herotochius, sive *herotoch*, idem qui Germanis **her-tog**, h. e. exercitus ductor, ab sæpius jam memorato **her**, sive **heir**, exercitus, & **togen**, trahere, ducere, à quo **tocht des heirs**, inter militare, vel excursio exercitus. In legibus Anglicanis Eduardi Confessoris, sive ejus potiùs Auctario, Titulus est cap. XXXV, *De heretogiis*. Inque Lege

ge ipsa: *In qualibet Comitatu semper fuit unus Herotoch, per electionem electus ad conducendum exercitum Comitatus sui, juxta præceptum Domini Regis.* Nec tamen Britannis *heretochij* majores Comitibus, sed potiùs Vicecomitibus æquales: quod doctissimo Spelmanno ostensum istoc è Legibus Henrici I; ubi recensetur, qui debeant convenire ad generalia Comitatuum placita: *Interfint Comites, & Vicecomites, Heretochij, Trithingrevi, Ledgrevij* &c. At planè deceptus Goropius Becanus, cùm heer-an hertog, *publicus* interpretatur: de quo in *herbergij* vocabulo dictum.

Hida, vel *hyda*, idem ac quod *mansum*, vel *manerium* dixere: puta domus, ac tantum agri ad eam pertinens, quantum sufficiat uni alendo familiæ: sive casa, fundusque magnitudinis ejus, ut unum ei aratrum in annum sufficiat. Ita *hidam* interpretatur Henricus Huntingdon lib. VI, an. Ↄ VIII, sive Regis Edelredi XXX: item scriptor Annalium Waverlienſium, & Matthæus Parisius, uterque in an. Ↄ LXXXIII. Vt planè deceptus sit Polydorus Virgilius, cùm ait, hidam XX jugera complecti. Vtitur & eâ voce Wilhelmus Malmesburiensis lib. I de Gestis Regum: *Semperque ad finem seculi in omnis sua hereditatis decima hida, pauperem vestiri, & cibari præcepit.* Item usurpat Rogerus de Hoveden Annalium Anglicanorum Tom. II; nec non in vita Guilhelmi Senioris. Erat verò Anglia universa in hidas divisa: at quantum rex ex quaque hida perciperet, pro temporibus variabat. Solùm igitur apponam hoc dicti antea Rogeri Huntidon. lib. VI: *Eo tempore cepit Rex ab unaquaque hida Angliæ sex solidos.* Quod ad magnitudinem hidæ, Gervasius Tilberiensis tradit part. I cap. penult. hidam constitisse ex centum acris: hundredum verò ex hidarum aliquot centenarijs.

Hoba est ex Germanico hoube, sive, ut Belgæ dicunt, hoeve: quo nunc villa, aut prædium, significatur: nunc verò certa signabatur agri portio, quæ Saxonibus, Sicambris, Frisijs, hoveslants. Habes in veteribus scriptoribus germanicis, varijsque diplomatis. Ac quia integrũ est *houba*, eo ex diphthõgo, non tantùm, post positivâ omissâ, dicitur *hoba*: sed præteritâ etiam præpositivâ, *huba*: ac in priori, neglecto spiritu, *oba*. Imò & *hioba*, & *hobunna*, pro eo est in Traditionibus Fuldensibus; illud lib. I. cap. LXIX, hoc lib. II. cap. XXV. De *hoba* contentus ero adferre hoc Ansfridi, Comitis Palatij, in Donatione anni Ↄ CCCLXII*. *Mansum in dominicatum, cum ædificijs & omnibus utensilibus, habentem hobas tres, hobas serviles* XIX, *& silvam, in quam* mit-

* *Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. cap. 32. pag. 52.*

mittere possumus mille porcos perfectè saginari. Item istoc ex diplomate Othonis primi: *Dotem quoque Ecclesiæ, id est, duas hobas possessas, & beneficium presbyteri in eodem loco deservientis, id est, unam hobam.* Ubi videmus, *hobam* dici *dotem Ecclesiæ*, ac *beneficium presbyteri.* Proque eodem *colonica vestita* legas cap. IX Concilij Valentini, celebrati anno Ↄ CCCLV. Ab *hoba*, sive *hova*, & waeren, hoc est, servare, est hoveward/die de hoeve bewaert: quasi dicas, custos villæ. Lex Baiovariorum Tit. XIX. §. IX: *Si autem canem, qui curtem domini sui defendit, quem hovavvarth dicunt, occiderit, post occasum Solis in nocte, cum* III *solid. componat.* Habes & in Latinogermanico Speculo Saxonico lib. III artic. LI: ubi Latinè quidem, *canis custodiens curiam, seu canis fundi:* Germanicè autem, Den hoffwartenden hundt.

Hosa, à Germanico hose, unde & Græci ὑσίον formarunt: ut sæpius apud Achmetem videre est cap. CCXX. Est genus calceamenti, quod alij, *ocream*, alij *caligam*, *calceamentum* itidem *militare*, interpretantur. Paullus Diaconus lib. IV de gestis Longobard. cap. XXIII: *Calcei eis erant ad summum poll cem penè aperti, & alternatim laqueis corrigiarum recenti. Postea verò cœperunt hosis uti; super quas, equitantes, tubragos birreos mittebant.* Notkerus, sive quisquis monachus ille Sangallensis, de Gestis Karoli M. lib. II: *Cumque ad obsequium domini cuncti hossas suas vellent extrahere, ille prohibuit, advocatâque Reginâ, ostendit ocreas disruptas.* Eaidem signat Matthæus Parisius in Historiæ suæ anno CIↃCCXLVII: *Pracios issimis vestibus adornati, calceamentisque militaribus, quæ vulgariter* HEUSES *dicuntur.*

Hranne, vel *rhanne*, colostrum, à Germanico rhan, quod item notat, nempe lac, quod paullò post partum mulgetur. Belgis bieſt vocatur. Lex Salica Tit. II: *Si quis porcellum lactantem furaverit de hranne prima, aut de mediana, & inde fuerit convictus; cxx denarijs, qui faciunt solidos* III, *culpabilis judicetur; excepto capitali, & dilatura. Si verò in tertia hranne furaverit; DC denarijs, qui faciunt solidos* XV, *culp. jud. exc. cap. & dil.*

Hundredum sæpe legas in Anglicorum Regum diplomatibus, & ejus gentis scriptoribus. In his Mat. Parisio an. CIↃCCXLII: *Omnes Comitatus Angliæ: omnia hundreta, civitates, & burgi.* Significat verò partem Comitatus, in qua habitarent centum Regij fidejussores. Aliterque dicebatur *vvapentachium*, & *cantreda*. Postremum hoc est gentis Cambrobritannicæ: puta à *centum*. Duæ aliæ voces sunt à Saxonibus: *hundredum* quidem ab *hundred*,

quod Belgis hondert, hoc est, centum. nempe à fidejussorum numero, quem dixi, centenario. *VVapentachia* verò à wapen, h.e. armis: quæ, quoties novus esset hundredi dominus, ei in subjectionis signum reddebant: ut traditum Ranulfo Cestrienſi lib. 1 cap. 1. Sed de etymo *VVapentachij* dicam pleniùs hujus libri cap. xx. Iste verò *hundredarius*, sive hundredi dominus, idem videtur ac germanorum *centgravius*: quasi centradæ, sive cantradæ Comes. Quanquam de isto paullo aliter Marquardus Freherus in Originibus Palatinis cap. v. Sed explicatiùs planè de eo Spelmannus. Nec tamen contendero, planè eandem in Germania rationem fuisse centgraviorum, & præfectorum huntredi, vel cantradæ, in Anglia.

Hurditius, vel *hurditium*, significat crates vimineas, quibus muri obteguntur, ut cedendo magis, quàm resistendo, vim missilium morentur, atque infringant. Planè vox est à Saxonibus; à quibus, & Anglis hodiéque crates, hurd, & Belgis horde. Brito Armoricus lib. 1 Philippidos:

Mangonellorum tormentis saxa rotantur
Ictibus assiduis: hurdicia fracta recedunt.

Et lib. VII:

Haut secus absumit bristegas, valla, domesq;,
Et quæ reddebant tutos hurditia muros.

Imò nec idem refugit *hurdare*, pro *hurditiis* vestire ac contegere. Locus est lib. 1:

Hurdari turres, & propugnacula, muros
Subter fulciri facit.

Hustingus, *hustingia*, vel *hustingum*, Anglicis scriptoribus dicitur suprema alicujus burgi, vel civitatis curia. Quomodo hustingum suum habuit Londinum, suum item Eboracum, suum & wincestria, & Lincolnia, & loca quædam alia. Conflata vox ex Saxonico huys/ domus; & ding, quod est judicium, unde dingen, hoc est, litigare, judicio contendere, causas cognoscere. Sic sumitur in Libro Ramesiensi sect. CCLXVIII, ubi agitur de venditione emtioneque factâ *in præsentia totius Hustingi*. Item in Legibus S. Eduardi cap. XXXV: *Debet in London, quæ caput est regni, ac legum semper curia Domini Regis, singulis septimanis die Lunæ Hustingis sedere, & teneri.* Dignum verò observatione, quòd me docuit eques Spelmannus, hodie, non, ut lex habet Eduardi, die Lunæ, Londini in Hustin-

Hustingo conveniri; sed die Martis: & tamen, ne videatur à Lege veteri recedi, sic veteri formulâ scribi: *Tentus die Lunæ.*

Cap. X.

De nominibus cœptis ab I litera. Qualia sunt jamundlingus, *pro eo, qui in aliena est potestate:* janizarus, *cujus vocabuli origo non è Latina petis lingua debet, sed Turcica: atque obiter de* bardariotis: illaldio, *pro ministro regio:* impotus, *pro alteri insertus arbori:* imprisius, *pro alicujus partibus auctoratus:* imprisonatus, *pro conjectus in carcerem:* interprisa, *pro cœpto, vel conatu militari, ad locum aliquẽ hosti eripiendum:* jobagio, *vel* jubagio, *pro agricola. De cœptis à K rejectũ, quia hujusmodi per C, vel etiam G, soleant exarari. Ut cùm salicetum non solum* kaneo, *vel* kaneio, *sed & ganio, vel* gaio, *nuncupatur. Item cum pro* klocka, *h. e. campana, scriberent* clocka, *vel etiam* glocka. *Similiáque, ubi Græcis sit K, Latinis G.*

DEvenimus ad vocalium tertiam: unde inchoantia adducere pauca contentus ero.

Iamundlingus, in alterius positus potestate, à Saxonico **gemundi an**; quemadmodum pleniùs dicam in *Mundium.*

Ianizari, vel *jeniçari*, qui & Laonico Chalcondylæ lib. IX † Ιανιτζάεοι vocantur, præcipuum sunt Imperatoris Turcici robur: atque ex ijs etiam eliguntur Imperatoris ejusce custodes: ac quia aula Soltani *porta Osmanica* nuncupatur, eò à januæ vocabulo *janiçari* putantur vocitari. Huic etymo videtur favere Chalcondylas, cùm lib. I ait, τάξιν τε τὴν ἀείζωον δορυφόρων ἀμφ' αὐτὸν, ὧν θύρας βασιλέως καλοῦσι. *Præstantissimos circa se satellites adlegit, quos regis januas appellant.* Vbi interpres ad oram adnotavit, *Ianiçares.* Quare, si hos audimus, idem sit *janizarus*, ac *janitor*: ijq; sint *janizari* in aula Turcica, qui in aula Constantinopolitana, dum res græcæ manerent, erant *bardariotæ*; de quibus Codinus lib. de off Constant. cap. V §. LI, LII, LIII, LIV. Vbi & sic dictos ait à Bardario, Macedoniæ flumine, cujus & mentio apud Guilhelmum Tyrium lib. II belli Sacri cap. XIII, & XIV. Sed non si ex Janizaris eligerentur, qui januam custodirent palatij, ac satellites essent imperatoris: eò universis à *janna* nomen fecissent. Præterea nunquam Musulmanni nomen illis è Latio potiùs dedissent, quam lingua sua. Quare planè subscribendum illis, qui inde vocabulum arcessunt, quòd *Geniçeri* linguâ eorum signet *novos homi-*

† Pag. 319. edit. Rovertiana an. 1615.

nes sive *milites*, qui Latinis tyrones. Quomodo & interpretatur Leonclavi† in erudito opere, quod Pãdecten Historiæ Turcicę inscripsit.

†Pag. 246. 247. edit. Francof. an. 1588.

Illaldiones, pro regijs ministris sumitur in Constitutionibus Karo-M. capitulari de quibusdam causis §. xv*: *Non est nostra voluntas, ut homines Placentini per eorum præceptum de curte palatij nostri illaldiones recipiant.* Quem ad locum annotavit Vitus Amerbachius, qui primus eas Constitutiones divulgavit: *Per illaldiones puto hic significari ministros, & esse vocem nostratem* Ehalten. *Alibi aldiones.* Censeo, esse ex provocabulo Gallico *il*, pro *ille*, & *aldio*, quod servum notat; ut abunde dictum nobis cap. II. Vocantur verò *illi aldiones*, quasi non vulgares aldiones, sed regij.

Impotus, pro alteri arbori insitus, q.d. ingepoot, à poot, quod *surculum* notat. Lex Salica Tit. xxix. §. viii: ubi de furtis in horto agitur: *Siquis impotos de melario, aut de pirario, tuleris; cxx denarios, qui faciunt solidos tres, culpabilis judicetur.*

Imprisij, ut puto, qui alteri pretio sunt auctorati, à Gallico *prix*, hoc est, *pretium.* Matthæus Parisius in Henrico III ad ann. clɔ ccLVIII†: *Videntes igitur Magnates moram trahere periculum, jusserunt districtè toti familiæ suæ, & omnibus suis imprisiis, ad arma, & equos, celeriter avolare.* Sed & in eodem Rege ad an. clɔ ccxvii legas*: *Ad hoc sese obligarent, quòd liberum sibi, ac suis omnibus imprisiis, ab Anglia facerent habere ressum, ac conductum.* Et mox: *Rex Henricus cum legato, & magno Mareschallo, & aliis multis, ex una parte; Ludovicus cum baronibus, & alijs imprisiis suis, ex altera.* Ac alibi apud eundem locis compluribus. Quorum tamen aliqua immutavit editio Tigurina. Etiam in Additamentis Parisij, quæ primus divulgavit watsius, literis Henrici III. Angliæ Regis†, de pace inter eum, & Castiliæ regem, promittit Henricus, se fore imprisium regis Castiliæ; & exigit, ut Castiliæ rex suus sit imprisius, ac bonâ fide communes habeant hostes, alterque alterum in bello adjutet. Philippus Franciæ Rex in Charta de treugis cum Joanne Rege Angliæ factis*: *Et Joannes Rex Angliæ, & homines, & imprisii sui, similiter erunt in eadem tenetur â, in qua erant pridiè â die Jovis.*

†Edit. Londin. ultima pag. 971
* Pag. 299
†Pag. 196. edit. Londin. an. 1640.
* In scriptoribus Normannicis pag. 1065.

Imprisonatus, captivus, conjectus in prisonam, hoc est, carcerem. De hoc inferiùs in *Prisona.*

† Habes & in Clemangis operibus Leidæ editis pag. 100.

Installationis vocabulum usurpatur Constitutione Basileensis Concilij sessione XXI †: *Quod tam in Curia Romana, quàm alibi, pro confirmatione electionum, admissione postulationum, provisione, installatione,*

&

& investitura de Ecclesiis cathedralibus, de cætero nihil penitus exigatur ratione literarum. Puto, esse ex Germanico **installen**, vel **instellen**; quomodo dicitur Belgis, **instellen de wetten**, leges condere: **instellen in een anders plaet se**, substituere, sufficere alteri. *Installatio* igitur signat actum, quo quis in munere aliquo constituitur, sive quo alteri sufficitur. Alij *immatriculationem* nuncupant: quod vocabulum ejusdem est originis, ac *matricularij*; de quo in secundo barbarorum ordine, nempe origine Latinis, dicetur.

Interprisa ex Gallico, *entreprinse*, pro insultu militari in castra, vel oppidum. Matthæus Paris. in Henrico III ad an. cIↃ ccxliii*. *Si fortè rex Francorum, contra formam treugarum, aliquas feciſſet interprisas.* Item post aliquammulte†: *Si rex Franciæ rumperet treugas, & nollet interprisas emendare, tunc apponent consilium.*

* Pag. 181. edit. alt.
† Pag. seq.

Iobagionum vox est ab Ungaris. Usus Joannes de Thwrocz Chronicorum Hungaricorum Partis II cap. LXI*: *Dimisitque Ducem in pace, ut in Bokon venaretur, misitque cum eo duos iobagiones sub prætextu honorandi eum.* Ac mox: *Cumque venisset Dux in Chour, simplices animo dixit iobagionibus.* Bonfinius, eamdem rem narrans, pro eo *comites* posuit. In annali Coronensi an. cIↃIↃxxx pro eodem *iubagiones* legas. *Colonos*, vel *mancipia*, signare sententia est Melchioris Goldasti. Nec improbatur. Certiora interim Vngari pronunciabunt.

* Anno 1106 cap. 69.

I literam K excipit: unde inchoata non est animus congerere, quia omnia ejusmodi sæpius per C scribi solent, ac interdum etiam G. Quomodo exarabant *kaneo*, & *ganeo*, & contracte *gaio*. *Kaneo* est in Legg. Boiorum Tit. XXI. § VI. *De minutis sylvis, vel quocunq; kaneo.* Et convenit, quod salicetum Germanis **kneye**. Doctissimus tamen Lindenbrogius referre malit *gaio*, quia in veteri glossario sit: *Gaio, vel gagio, sylva densissima.* Ac similiter in Legg. Longobard. lib. I Tit. XXV. Leg. XXXVII. & XXXVIII: *De sylva alterius, excepto de gaio Regis*, item in Legg. Boiorum Tit XXI. §. VI: *De luco, vel quocunque gaio, vietum reddiderit.* Puto, literas C, G, K, sæpe, ut dixi, confundi. Ita in veteribus libris nunc *clockum*, vel *kloccum*, nunc *gloccum* reperias. Eo *campanam* signari, dictum nobis lib. I cap. I. Omnino id est à Saxonibus. Onomasticum Latino-Saxonicum: *Cloca*, **belle**, id est, *campana. Clocarium, vel lucar*, **belhur**, id est, *campanile*: turris nempe, in qua campanile suspenditur, ut alibi exponimus. Quàm antiquus sit ejus vocabuli usus, argumento erit, quod utatur Bonifacius epist. LXXXIX: *Duo verò pallia subtilissimi operis, unum albi*

alii, alterum tincti coloris, cum libellis, & clocam, qualem ad manum habui, tuæ paternitati mittere curavimus. Similiter S. Adamannus lib. I de Sancto Columba: *Clockam pulsa.* Et lib. III. *Personante clockâ.* Etiam in Constitutionibus Karoli M. legas†: *Ut clocas non baptizent, nec cartas per perticas pendant, propter grandinem.* Legas verò etiam apud Rodolphum in vita S. Liobæ: *Per somnium vidit se signum Ecclesiæ, quod vulgò clokum vocant, in sinu habere.* In *glocco* verò, & *clocke*, vel *clocca*, similiter se habet res, ac in verbo itidem formato á sono. Nam gallinas græci dicunt κλώζειν, ut è Plutarcho scimus: ac Latini *glocire*, teste Festo. Imò alias quoque sæpe commutantur: sive in medio, ut κύκνος, *cygnus*, Ἀκράγας, *Agrigentum*, ἀγκύλος*, *angulus*: sive etiam initio, ut κώβιος, *gobius*, κράββατος, sive κράββατος: *grabatus*, &, si Giffanium audimus, à κράζω *graxo*, atque inde *prograxe*, apud Lucretium lib. V.

CAP. XI.

Accedit ad incipientia ab L. Lada, *pro purgatione criminis.* Laga, *pro lege.* Lagamannus, *pro eo, qui lege non sic inteſtabilis.* Laiſcus, *pro quercu; uti* faia, *pro glande.* Laiſus, *pro ſinu.* Lamurio, *pro clando.* Lanceum, *pro longiſſimo teli genere.* Landa, *pro terra, ſive regione: unde* landboc, *pro tabulis publicis.* Landea, *pro foſſa genere in regione paluſtri.* Landica, *pro interfeminio.* Laſcia, *pro quopiam in opere lanario.* Laſſatinus, *pro conductitio ad aliquem interficiendum.* Laſſi, *qui &* lazzi, *pro iis, quibus conditio ſervilis.* Lautis, *vel* laudis, *vel* luta, *pro inſtrumento Muſico.* Launechilt, *pro certo genere comprobans factam donationem.* Lecator, *pro guloſo.* Ledo, lido, ledona, *vel* liduna, *pro menſtruo marini æſtus decremento: uti* malina, *pro menſtruo ejuſdem incremento.* Legergeldum, *vel* legerwita, *pro mulcta pecuniaria ob concubitum illegitimum perſolvenda.* Leodes, leudes, ludes, *pro populo, ſive ſubditis; ac particulatim pro cliente fiduciario: item* leudis, *vel* leudum, *pro mulcta propter commiſſum homicidium exſolvenda.* Leuca, *vel* leuga, *pro quadam via menſura: etiam* leuva *pro eodici, deque nominis etymo.* Leudeſamium, *pro ſervitio, ad quod vaſallus obligatur.* Leudum, *pro feudo.* Lida, *vel* lita, *de ea, quæ ſponte ſe addixerit ſervituti. Item* liddus, lidus, litus, *vel* lito, *de eo qui, pretio adductus, ſe alteri ſponte mancipârit.* Litimonium, *pro conditione liti, ſive lidi.* Lidiſcarti, *de membri alicujus dehoneſtamento.* Lidwagi, *de humore, quo nervus effluente, motus membri ceſſat.* Lirio

pipium

pipium, *pro epomide*. *Lista*, *vel* lisura, *pro vestis limbo*, *vel fimbria*. *Lobium*, *pro cœnaculo*. *Luca*, *pro prato*.

TRes ordine liquidæ consequuntur: in quibus *L* familiam ducit.

Lada, *purgatio*, à verbo Saxonico **ladian**, hoc est, purgare: quod καθαρσιον accipi solet pro crimine se expurgare, sive culpam diluere, atque eluere, judicio publico. Crebrò occurrit in Legg. Henrici I Angl. Reg.

Laga, à **lag**, vel **lage**, quo Saxonibus lex signatur: ut ait Gualterus Monæmuthensis histor. Reg. Britann. lib. III cap. XIII. Fortasse tamen Saxones suum **lag** accepere à Romanis; quando inter **lage**, & *lege*, omnimoda est literarum convenientia. *Laga* vox usurpatur in magna charta libertatum Angliæ ab Henrico I concessarum: *Lagam Regis Eduardi vobis reddo, cum illis emendationibus, quibus pater meus eam emendavit*. Atq; hinc veteribus Anglis triplex illa legum distinctio; *Seaxenlaga*, lex Saxonum; *Mercenlaga*, Merciorum lex; *Denelaga*, Danorum lex: differentes illæ quidem; sed sic ut in pluribus consentiant. Ex hac ipsa voce **lag**, vel **lage**, & **man**, hoc est, vir, conflatum est *lagamannus*, & **lahmen** inde contractum, pro homine probo, &, ut dicunt, legali: hoc est, qui cùm honesti sit nominis, non possit rejici in dandò testimonio, vel rebus similibus. Ut in Legg. Eduardi Confessoris cap. XXXVIII: *Postea inquisisset justitia per lagamanos, & per meliores homines de burgo*. Ac similiter Guilhelmus, Angliæ Rex, Lege de Usurarijs.

Laiscum quid vocarint, vel etiam *faia*, discimus ex lege hac Longobardicâ, numero octavâ, lib. I Tit. XIX: *Si quis roborem, aut quercum, seu carrum, quod est modò laiscum, aut glandem, quod est faia, inciderit; componat pro arbore tremissos duos*.

Laisus, *sinus*. Gloss. *In laisum*, *in sinum*. Lex Salica Tit. XLVII: *Festucam in laisum jactet, & ipsi, in cujus laisum festucam jactaverit, dicat verbum de fortuna sua, quantum ei voluerit dare*. Hinc *laisovverpire*, quod notat *in sinum jactare*. Nam *vverpire* est *jactare*, uti hodie Germanis ac Belgis, **werpen**; à quo *gurpire*; quo Engolismensis monachus μεταφραστικῶς utitur pro *mancipio dare*. Sed de his in verbo *gurpire*, & *laisavverpire*, iterum dicemus.

Lama quid Longobardis significet, potiùs dicam in latinis falsâ significatione usurpatis.

Lamurio, pro *claudo*, in glossis Isidori: à germanico, ac Belgico **lam**; quodidem significat.

Lance-

Lanceum in genere neutro, apud Abbonem de obsidione Lutetiæ Dixeris, è latino *lancea* esse corruptum. Fortasse ita est: sed & *lancea* est à Celtis: sicuti ostensum lib. I cap. III. Hoc solùm est discriminis, quòd *lancea* muliebri genere donatum sit civitate, neutro non item: unde in barbaris, quæ ipsâ origine talia forent, reponi meruit.

Landa terra, ditio, ex Germanico ac Belgico **land**. Matthæus Parisius in additamento II: *In alienis boscis, & Candia.* Atque inde varijs regionibus nomen. Aimoinus de gestis Francorum lib. II cap. XIII: *Longobardi de Golanda pervenerunt in Rugiland; quæ Latinè Rugorum patria dicitur. Nam land lingua Germanorum patria dicitur verbo Latino.* Hinc etiam *landgravius*, Comes provincialis. Usus Beka in vita Ottonis II, Episcopi XXXVI, & alij magno numero. Item *landboc*, quasi **land-boek**/chartæ, & instrumenta, quibus quis prædio cedit, in Synodo apud Clovesho, an. IↃ C C C XXII. Adhæc *landea*; de quo proximè.

Gandea, vel *landia*, fossa loco palustri circumducta excipiendis aquis, & in mare, aut fluvium, deducendis. Conflata vox ex **land** terra, & *eia*, aqua. Semel, iterumque, in Ordinatione † marisci Rumneiensis*, jungitur cum *vvatergangiis*: quâ voce notantur aquæductus, à **water** aqua, & **gang**, itio, exitus. Sanè Belgis aquæductus **watergang**/& **water-loop**.

† *Apud Spelmannum in Gloss.*

* *Pag. 69.*

Landica†, natura muliebris, sive τὸ γυναικεῖον μόριον. Nisi *landira* rescribendum; ut inde sit, quòd meretrix Italis dicatur *landriera*: nempe ut eadem *putaina*, à *puta*, quod est πόρνη, unde *praputium*, quasi προπόρνιον. Vide, quæ de *landica* in suo Etymologico doctissimus noster amicus Martinius annotavit.

† *Glossarii ab H. Steph. editum col* 244.

Lascia, lanæ tractus, vel hujusmodi quid in lanario opere. Gregorius Turonensis Histor. lib. IV cap. XXVI: *Adspicit hunc* (lanarium) *lascias regias componentem* Vide sis Scaligerum ad Tibulli lib. I*.

* *Pag* 143. *edit. Commeliana.*

Lassatinus Wallingamo in Hypodigm. Neustriæ ad an. CIↃCCLXXI is videtur, qui aliter *assatinus*, vel *lassasinus*: de quo dictum cap. II. Nempe L, more Gallico, præmisso, quasi *l'assatin*. S, & T, varijs gentibus commutari, satis notum arbitror.

Lassi, viri principis servitio addicti. Hucbaldus Elnonensis in vita Lebuini: *Erat gens Saxonum, sicut nunc usque consistit, ordine tripartito divisa. Sunt enim ibi, qui, ellorum lingua, Edlingi; sunt qui Frudlingi; sunt qui lassi vocantur. Quod Latinâ sonat linguâ; nobiles, ingenui*

atq;

atque serviles. Ac similiter de tribus istis Nithardus, Karoli M. ex filia nepos, de dissentionibus filiorum Ludovici Pij lib. IV. Sed apud eum, *Lazzi*, & *Lazzibus*, perscriptum †.

† Pag. 478. & 479. edit. Wechel. an. 1594.

Laudis, pro cithara, vel testudine, ex Germanico **laute**: uti hoc à **lauten**, hoc est, sonare, resonare, tinnire. Belgæ, uti pro **lauten** dicunt **luyden**: ita & pro **laute** dicunt **luyte**, vel **luyde**. Ac similiter Itali *liuto*, Angli **lute**. Germanis igitur superiobus pro *luta* potiùs *laudis*, vel *lentus*. Prius est apud Godfridum Viterbiensem Chronici Parte IX:

Mira videre meat, celebri plaudente choreâ.
Laude, tubâ, citharâ, festa canuntur ea.

Alterum verò habes in Testamento apud Franc. Petrarcham: *Thomæ Bombasiæ de Ferraria lego lentum meum bonum; non, ut eum sonet pro vanitate seculi, sed ad laudem Dei æterni.* Sanè si cum Viterbiensi *lautum* dixisset, allusio videri poterat, quod organum sit ad *laudandũ Deum*. Ex *lautis* juniores Græci formarunt suum λαβοῦτο, ut liquet ex Crusij Turcograecia lib. II.

Launechilt est in Legibus Longobardicis lib. II Tit. I, leg. VI, & tit. XV. leg. IV, & tit. XVIII leg. III, & tit. XX leg. I, atque alibi eodem opere, glossæ: *Launechild, sine sollemnitate testium.* Originem vocis adhuc quæro: nec satisfacit glossarij interpretatio. Interim video, esse certum genus comprobandi donationem factam. Fortasse igitur, ut ne penitus rejiciatur glossarij auctoritas, istiusmodi est donationis probatio, quæ careat sollemni testimonio.

Lazzi ijdem, ac *lassi*, de quibus dictum antea.

Lecator, pro guloso, Isidoro in Glossis. Gemma, voce ζalates: *Inutiles leccatores mensarum.* A Germanico **lecken**, quod à **lecken**, lingere. Et fortasse **lecken** à voce græca idem denotante, quæ est λείχειν; unde & Latinum, N inserto; ut à πήγω, sive Dorico & Æolico πάγω, est Latinum *pango*. Voce *lecator* utitur Cæsarius Heisterbachensis lib. IV Miracul. cap. VI: *Ante conversionem leccator, opere, vino, & tesseribus* * *deditus totus, & propter suam scurrilitatem in tota civitate Colonienſi notissimus.* Et lib. XII cap. V: *Recede leccatur: certè animam meam non tolles: Christome commendo.* De *lacator* pro *lenone*, dicam libro proximo cap. XVIII.

* Pro *tesseris*

Ledo, vel *lido*, *ledona* item, vel *lidona*, promiscuè dicuntur, quando mare minùs vehementer ac copiosè in litus proruit. Ut contrà *Malina*, quando majori vi, ac copiâ, se recipit in litus. Sic vetus Martyrolo-

rologus à Furnerio, & Siccama*, adductus: *Frisones in loco, ubi martyrum erat sanguis effusus, aggestâ terrâ collem excitarunt propter Iidonis, & malina quotidianas eruptiones, ex maris æstu quotidiano erumpentes, ubi Ecclesiam extruxerunt.* Sed *quotidianas* vocem hic laxiùs sumere oportet: ne putemus, idem esse, ac quam Romani *Venilias*, & *Saliciam*, dixere. Usi quoque Marcellus Empiricus, & scriptor libri B. Augustino perperàm tributi †, qui de Mirabilibus Scripturæ inscribitur, cap. VII. Adhæc Beda lib. I. de Nat. Rerum cap. XXVIII, & XXIX, & Glaber Radulphus Histor. lib. III cap. III. Miror, Guilhelmum Malmesburiensem, sive bibliothecarium, *Iedonem* d cere, quod alij *malinam*. Sic enim scribit lib. II de gestis Angliæ Regum: *Eodem anno* (Io CCCC LXXIX) *fluctus marinus, quem Graci Euripum, nos Ledonem vocemus, mirum in modum excrevit, quantum nulla hominum memoria potest attingere: ita ut villas ultra multa miliaria submergeret, & habitatores necaret.* Sed hæc appellatio ipsâ etiam vocabuli utriusque origine refellitur. Vide sis, quæ diximus Theologiæ Gentilis, & Physiologiæ Christianæ lib. II cap. LXIX. Adi & Cæsarem Scaligerum de Emendat. Temp. Titulo de Cyclo Lunari veterum Saxonum.

* Notis ad legem Frisonum.

† Tom. 3. pag. 714.

Legergeldum, mulcta pro illegitimo concubitu persolvenda, à **leger**, quod est *concubitus*; venitque à **liggen**, cubare, jacere: & *gildum*, vel *geldum*, significante pecuniam, vel mulctam. LL. Henrici I. Anglorum Reg. cap. XII: *Regi emendet, secundùm legergildum*. Proque eodem in ejusdem Regis Legg. cap. XXIV, etiam *legervvitam* legas: & cap. LXXXII contractè *leirvvytam*: ubi posterior compositi pars est Saxonicum *vvite*, quod mulctam notat.

Leodes, seu *leode*, veteri Germanicâ linguâ *populum* significabat: ex eodem autem *leudis* factum, ut Græci pro Θεόγνιδος dicunt Θεύγνιδος, pro Θεοδόσιος, Θευδόσιος; item vulgare **luden**, vel **luyden**, fere ut Græci dicunt Jonicè τύπτω, Doricè τύπτω, Atticè, ac κοινῶς, τύπτω. Sic pro *Leodevicus*, (quod est ex **leode-wyk**, hoc est, populi refugium) dicitur *Ludovicus*, quasi **luyde-wyk**. A *leode* etiam est *Leodicum*, quasi *Leodendyk*, populi agger, ac simili cõtractione **Ludyk**, & hinc **Luyk**.

Leodicum vocatur à monacho Egolismensi S. Eparchij in vita Karoli M. an. IDCCLXX: *Celebravit Pascha in Leodico, vico publico.* Acuti à *Leode* est *Leodicum*; sic à *Leudis* est *Leudica*; quomodo in Constitutionibus Caroli Calvi titulus quartus decimus est *apud Leudicam*, hoc est, Leodicum. Porrò hæc vocabula *leodis*, & *leudis*, nunc laxè accipiuntur, nunc expressè. Laxè sumi videas in Appendice* Histo-

* Est ea Appendix Frodegarij Scholastici.

riæ

riæ Francorum ab Gregorio Turonensi exaratæ cap: LVI: *Dagobertus universos leudes, quos regebat in Austria, jubet in exercitu promovere.* Et cap. LVIII. *Tanto timore Pontifices, proceres in Burgundia consistentes, seu & cæteros leudes, adventus Dagoberti concusserat.* Ac postea: *Cùm Lingonas civitatem veniisset, tantâ in universis leudibus suis, tam sublimibus, quàm pauperibus, judicabat justitiâ, ut crederetur, omnino fuisse Deo placabile* &c. Et sanè etiã *leudum* nomine cõprehendi nullo beneficio obstrictos Regi, præterquam quòd subditi forent: arguit hoc in legibus Wisigothicis lib. IV Tit. V. Leg. V: *Quod si inter leudes, quicunque nec regiis beneficiis aliquid fuerit consecutus.* Ab hac generali acceptione (ad quam etiam *Leodici*, & *Ludovici* nomina pertinent) venio ad particularem. Fere enim strictiùs sumi solet pro vasallo; sive prædiali, ac servili, sive feodali, ac nobili; & singulatim eo, quem aliter dicimus *baronem*. Sic accipit Gregorius Turonensis Histor. lib. III cap. IX: *Sed ille* (Theodbertus Rex) *à leodibus suis defensatus est, & in regnum restitutus.* Idem Hist. lib. VIII cap. IX: *Credo, inquit Rex, alicujus ex leudibus nostris sit filius. Nam si de stirpe nostrâ sit filius, ad me utique fuisset deportatus.* Et possis sic accipere apud eundem lib. IX cap. XX. item in Appendice Gregor. Turon. cap. I *Gunthramnus, rex Francorum, —— cum sacerdotibus utique sacerdotis instar se ostendebat; & cum leudis erat aptissimus.* Insuper cap. LIV, & alibi. Adhæc istoc Aimoini de gestis Franc. lib. III cap. LXXX: *Fuit autem Guntramnus in bonitate præcipuus, --- Christi sacerdotibus se humilem præbens, leudis suis benevolum, gentibus externis pacatum.*

Præterea *leudis*, vel *leudum*, sumitur pro eo, quod aliter *vvera*, vel *vvergildum* vocatur: sic verò dicitur pretium compositionis pro homicidio persolvendum. Carolus Calvus tit. XII apud Silvacum cap. V: *Si latro ibi occisus fuerit; qui eum occiderit, leudem inde non solvat, & nullus illi inde faidam portare præsumat.* Et tit. XXXIX cap II: *Et si talis malefactor in illa persecutione occisus fuerit; qui eum occiderit, leudem inde non solvat.* Legg. Longobard. lib. I Tit. IX L. XXVIII: *Compositio ipsa fiat de ipso homicidio, cui legibus leudum ipsum pertinuit.* Similiter lex Salica Tit. XLIII, & Lex Frisonum Tit. II. Item Angliorum Tit. VI §. V. *Et ultio proximi, & solutio leudis, debet pertinere.* Formulæ incerti scriptoris, unà cum Marculpho à clarissimo Bignonio editæ, cap. XXIII: *Si ab ipsis viris fuit judicatum, ut illam leudem solvere deberet.* Ac ibidem: *Nec de ipsa leude --- repetitiones agere.*

Leuca, vel *leuga*, pro certa viæ mensura. Isidorus lib. XV Orig. cap. XVI: *Mensuras viarum nos milliaria dicimus, Graci stadia, Galli leucas.* Similiter Jornandes de rebus Geticis: *Centum leugas, ut Galli vocant.* Itaque clarissimus, & amicissimus Meursius rectè apud Hesychium corrigebat: Λεύγη, μέτρον τι Γαλάταις. Ubi vulgo γαλαχθς. Antiquissimus eorum, apud quos *leuca* vocem reperiam, est Ammianus Marcellinus libro XVI; ubi agit de Juliano Cæsare in Gallijs militante. Habes & apud B. Hieronymum, Jornandem, Ivonem Carnotensem *, Ingulphum Saxonem, atque alios. At Nithardus pro eo *leuva* perpetuò † dicit. Genuinum id censet Barthius Adversariorum lib. XLVI cap. IX. Quod si est, propriè cursum notet, sive spacium quò currendum cursori, priusquam quiescat: à Germanico **lauffen**/vel **leuffen**: pro quo Belgæ **loopen**. Verùm Spelmannus * censet, originem esse à Gallis; qui itinera sua, more Romano, lapidibus soleant distinguere, Nempe ut sit à *leach*, quod *lapidem* notat Britannis; quorum lingua in multis conveniat cum Gallica. Quod verò Ingulphus Abbas putabat, ex quo Philippus Imperator amplexus fuit religionem Christianam, & per baptisma factus est λευκὸς, hoc est, albus: vias in hujus rei memoriam distinctas lapidibus λευκοῖς, hoc est, albis; atque inde factum esse nomen *leuca*; id planè indignum Ingulpho: sed ætati, quâ vixit, condonandum. Nam de albore lapidum ad distinctionem viarum adhibitorum, ne ipsi quidem veterum quisquam. Erat verò leuca, seu leuva, Papia etiam teste, passuum mille, & quingentorum: de quo Pithœus Adversar. lib. I cap. XIII.

* *Ep.* 101.
† *Lib.* II. *pag.* 450. & 460 *item lib* 3. *pag.* 464. & 469. *itē lib.* 4. *pag.* 470.
* *edit. Wecheliana an.* 1594. *In Glossario.*

Leudesamium dicitur à *leudis*, non generali illâ significatione, quatenus *leudis* signat aliquem subjectorum; sed particulari, prout notat hominem alteri servientem: de quibus significationibus in *Leodis* superiùs abunde diximus. Legas *leudesamium* in Formularum sollemnium unde quadragesima †, cujus lemma: *Vt leudesamia promittantur Regi.* Nempe ut *litimonium*, quod *litus*, sive *liddus* domino debet; ita *leudesamium*, etiam Lindenbrogio, videtur munus ac servitium, ad quod *leudis* obligatur. Plura de *litimonio*, sive *liddimonio*, inferiùs in *liddus* afferemus.

† *Pagin.* 1235 *edit. Lindēbrogiana.*

Leudum idem ac *feudum*. *Leudum* verò ejusdem originis, ac *leudis* pro vasallo: de quo superius actum. Germani dicunt **lehen**, unde cōtractum **leen**. Monitum id jamdudum Cujacio, initio Feudorum.

Leda, vel *lita*, quæ cùm libera foret, sponte se addixerit servituti-

tuti. Lex Salica Tit. XIV. §. XV: *Siquis lidam alienam in conjugium sociaverit, CC den. qui faciunt sol. XXX, culpabilis judicetur.* Lex Alamann. Tit. XCV, §. I: *Si lida fuerit, solvat sol. I, & tremissem.* Otto Rex in charta libertatis Ripersholt. *Quadam nostri juris mancipia, litam videlicet Thietsaiden dictam, cum filiis ejus, & filiabus, tradidimus.* Et Tradit. Fuldenses lib. II num. CCIII: *Liten unam, servos duos.* Sed hæc pleniùs ex proximo vocabulo intelligentur.

Liddus hominem dedititium signat, sive ut græci vocant, μισθόδωλον, hoc est, qui non sit in bello captus, vel ab alio, cujus mancipium foret, pecunia emtus: sed qui ingenuitatem suam prætio mancipârit. Constitutio Ludovici Pij, quam tũ in Karolinis Constitutionibus †, tum in Capitularibus Karoli M. & Ludovici Pij, ex Collectione Anségisi *, legere est: *Aldiones, vel aldiana, eâ lege vivant in Italia in servitute dominorum suorum, quâ fiscalini, vel liddi, vivunt in Francia.* Vox est à germanis, quibus hodieque, ut allatum ad locum Vitus Amerpachius adnotavit, **lid-loon**, famulorum, vel famularum, mercedem notat. Sed pro *liddus* etiam *lidus* dicitur; quomodo & in capitulo Ludovici adducto quidam habent codices. Imò & *litus*, vel *lito*, ab alijs scribitur. Ea crebra in legg. Salic. Ripuar. Frison. Saxon. Longobardorum; item in varijs Cæsarum, ac Regum privilegijs; inque vett. formulis; & apud Albertum, abbatem Stadensem, in ann. Io CCCCXVII: *Plures autem se eis dediderunt proprios: & qui ab eis vivere sunt permissi, litones sunt ab eodem vocabulo nuncupati. Inde litones in provincia Saxonum sunt exorti.* Synodus quoque Bavarica sic habet: *Homo Regis, id est fiscalinus, vel Ecclesiasticus, vel lidus interfectus.* Est & in Traditionibus Fuldẽsibus lib. I num. CIII: & lib. II num. CCLV. Item apud Joannem à Leidis lib. II. cap. XIX. A *lidus*, vel *litus*, est *lidomonium*, vel *litimonium*, form. LXXII. Eo liti conditio significatur. Vide sis, quæ & Sibr. Siccama de his vocibus ad Leges Frisonum annotavit.

† *Pag. 317. edit. Moguntinæ. ann. 1602.*

* *Lib. 4. cap. 102.*

Lidiscarti, membri fissura, ab **lid**, hoc est, membrum, & **schart**, vel **schaerde**, alijs **scheure**, fissura, sciissura; quomodo **schaerẽ**, vel **scheren**, *recidere* crines, **schare**, instrumentum, quo id fit, vel alia finduntur, puta forfex. Boioariorũ legg. Tit. III cap. I §. XXI: *Aurem maculaverit, ut inde turpis appareat, quod lidiscarti vocant.* Ubi videmus, fissuræ, vel recisionis aurium, particulatim fieri mentionem. Unde dicta **aranscart**, vel *orscardi*, hoc est, auris abscissio; ab **aran**, sive **ooren**, & **scart**. Alamann. Legg. Tit. LX: *Si autem medietatem auris abscide-*

rit,

rit, quod Alamanni orſcardi dicunt, cum VI *ſol. componat. Aranſcarti* eſt in legibus Bajuvariorum, Tit. XII. § VIII.

Liduvvagi ſive Liduwagi, eſt id, quod Belgis **lid-water** : nempe humor ſeroſus effluens è læſis articulorum nervis: à Germanico **lid**, hoc eſt, articulus, & **wegen**, hoc eſt, movere, unde **be-wegen**: nempe quia humor iſte unà cum nervis ſit motus inſtrumentum. Habes in Legibus Friſonum, Tit. XXII. §. XXXV: *Si quislibet digitus ex quatuor longioribus ita percuſſus fuerit, ut humor ex vulnere decurrat, quod liduvvagi dicunt,* I *ſolid. componat.* Et Additione Sapientum Tit. III: *Si quis in jūctura membrum cujuslibet ita percuſſerit, ut humor ex vulnere decurrat, quem liduvvagi dicunt, ter* IV *ſolid. componat.* Siccama tamen legendum putat **lid-water**. Mihi, uti & Martinio †, nihil viſum mutare.

† *In Etymologico.*

Liripipium, quod ex Belg. **liere-pype**. Gemma vocabulorum: Leripipium, vel liripipium, **een timpe van der kovel**. Græco vocabulo *epomis* dicatur. Ad verbum ἐπωμὶς *ſuperhumerale* ſonat. Poſſis & dicere *omophorium*, ὠμοφόριον, quia humeris geſtetur. Quamquam aliud ὠμοφόριον, quatenus inde factum *maforia*, & *mavortium*; ut dicemus in barbaris iſs, quæ ſint originis Latinæ, aut græcæ.

Liſta, pro panni limbo, ſeu fimbria, ſeu ora, aut labro: ex Germanico, Italico, Anglico, **lyſte**, vel **liſte**, vel *liſta*. Quæ vox ſumitur etiam pro linea, aut meta. Scaliger ad Copam cenſet, *liſta* eâ ſignificatione eſſe ex *liſpa*. gloſſ. *liſpa*, γραμμή. Unde *ſubleſta pictura*, quæ Græcis ὑπόλισποι, h. e. μονόγραμμοι, Sæpe *liſta* vocabulum in re veſtiaria uſurpat Anaſtaſius bibliothecarius: nec abhorret Leo Marſicanus in Chronico Caſinenſi. Ejus eſt iſtoc lib. I cap. XXI: *Vir nobilis Arnipertus obtulit B. Benedicto —— tunicam cum liſta aurea, & circulis aureis, & liſtam auream margaritis inſignitam.* Utitur quoque cap. LVIII, & lib. II cap. XLIV, & lib. III cap. XIX. Ac ſimiliter Matthæus Pariſius in Hiſt. Henric. III: *Latitudo pannorum duæ ulnæ infra liſtas* : Pro quo idem alibi *liſura* ait: *Panni duas ulnas habeant latitudinis infra liſuras.* Ac ſimiliter apud Hovedenum in Ricardi I de menſuris aſſiſa: *Lanei panni ubicunque fiant, fiant de eâdem latitudine: ſcilicet, de duabus ulnis infra liſuras.* Nec ſolum *liſta* in re veſtiaria locum habet; ſed etiam alijs. Nam & ita dixere metam, ac limites regionis. Walſingamus in Richardo II †: *Qui mox, ut ad liſtas devēnit, deſcendit de equo; ne, juxta conſuetudinem prælij, Conſtabularius vindicaret eum, ſi limites fuiſſet ingreſſus. Sed nihil ſibi valet aſtutia ſua: nam equus juxta liſtas diſcur-*

† *Pag* 237. & 238.

discurrens, aliquoties totum caput & pectus injecit ultra limites. Ob quam causſam Conſtabularibus equum vindicavit, juransſe velle caput ejus habere; videlicet quantum inter liſtas de quo viſum fuit; unde adjudicatus eſt ei equus.

Lobium exponunt ſolarium, vel pergulam: meliùs, ut puto, quàm alij, cœnaculum, &, ſicuti in monaſterijs vocant, refectorium. Eſt ex Germanico **laube**, ſive **lauben**. Uſus Godefridus, monachus S. Pantaleonis, ann. clɔ ccviii*: *Solus quodam lobio cum Epiſcopo Spirenſi, & aliis duobus, ſcilicet, Camerario, & Dapifero ſuo, remanſiſſet.* Item Albertus Argentinenſis anu. clɔ ccc lxv: *De nocte combuſſerant quàm plurimas domos in Kuningeshofen, apud lobium ibidem ſitum:*

Luca Bohemis pratum: unde *Luczani*, qui poſtea ab urbe Satz, *Satzenſes*: ut eſt apud Coſmã Pragenſem in Chronico Bohemorum†.

* *In Scriptor. rerum Germanicar. ab Frehero editis pag. 277.*

† *Pag 7. verſ. 34. edit. Hanov. an.* 1692.

CAP. XII.

De inchoatis à litera M. Magulus, *pro homine ſpurco, qui capiti illuderet.* Maldrum, *vel* maltera, *pro menſura quadam frumentaria.* Mallus, *pro tribunali, ſeu loco, ubi graviores cauſſa deciduntur: unde* mallobergium, *pro populo ad idem concilium ac eosdem judices, ſolito convenire: item* hamallus, *pro vocato in jus*: hamallare, *vel* admallare, *pro vocare in jus.* Mandalia, *pro minutis portionibus.* Manga, mango, mangana, magonella, & mangotella, *pro machina, muros diruente.* Marca, *vel* marcha, *in re nummaria quid; quid item in terrarũ appellatione, à qua ſignificatione* marchionum *nomen*, & marchiſorum, *profluxit.* Mareſchalcus, *pro equili præfecto, vel magiſtro equitum: ac obiter de verbo* mervvorphin, *pro dejicere quempiam de equo: deque* mar, marc, marach, *quibus equus denotatur.* Mareſchallia, *de dignitate mareſchalli.* Mareſtalla, *pro equili.* Marmotinus, *pro aureo denario.* Marpahis, *pro eo, qui equum inſterneret, dominoq; eum adſcenſuro miniſtraret.* Maſca, *pro ſtrige, ſeu maleficæ.* Maſcauta, *pro vaſe vinario* Medus, *vel* medo *pro aqua mulſa.* Melſeta, *de rixis atrocibus.* Methum, *pro ſponſalitia donatione.* Minera, *pro vena terra metallica.* Mordrum, *vel* murdrum, *pro morte violenta: uti* mordare, murdare, *vel* murdridare, *pro occidere.* Morgengeba, *vel* morganagiba, *pro donatione propter nuptias, diverſa à dote.* Mos, *pro palude.* Muffula, *pro chirotheca hiberna.* Mumia, *pro hominis cadavere condito aromatis.* Muudium, *pro poteſtate, ab præcipuè tutelari: unde tum* mundius, *pro pubere extra tutelam conſtituto, qui & amund: tum* mundialis, *pro eo, qui ſub tutela eſt: tum* mundeburdis, *à quo* mundeburdium, *pro defenſione ac tutela viri principis, vel epiſcopi, aut abbatis: tum* mundualdus, *pro tutore: tum* jamundlingus, *de eo, qui ſe ſuaque commiſerit alterius poteſtati: tum* mandeburdis, & mambunnus, *vel* mamburnus, *pro eo quem* mundeburdem *vocari antea dicebamus.* Murtiplo, *pro flore cordis.* Muſio, & muſius, *pro fele.* Muſſum, *pro ſarmento.* Muta, *pro latibulo avium.* Mutoninus, *pro ovillus.*

NUnc alteram ad liquidam pergamus.

Magulus, ut arbitror, is qui veteribus, verbo ab honeſta ſignifi-

gnificatione ad nefandam libidinem deflexo, *fellator*, aliter *irrumator*, nuncupatus, ac à ſpurco gentium more λεσβιᾶν, vel φοινικίζειν, dicebatur. Nempe à voce græcobarbarâ μάγουλον: quâ *gena*, ſive *maxilla*, Nicetæ, Moſchopulo, atque alijs, ſignificatur. Unde & μαγουλάκιον, *pulvinar*, quia cubantes ei genâ incumbimus. Vetus Juvenalis interpres ſat. II: *Peribomius, nomen archigalli cinædi, quem magulum conſpurcatum dicimus, qui publicè impudicitiam perpeſſus eſt.*

Maldrum à germanico **malder**, quod menſuræ eſt frumentariæ genus. Uſus Cæſarius lib. IV Miracul. cap. LXVI: *Portarium centum libras ſuas recipiens, non ex eis vineas, vel agros; ſed totidem maldra ſiliginis, apud Confluentiam comparavit.* Et lib. X cap. XVII: *Ut in epiſcopatu Colonienſi maldrum quinque, vel ſex denarijs, multo tempore venderetur.* Pro eodem & *maltera*, à **malter**, legas apud ſcriptores rerum Germanicarum ab Urſtiſio editos. Item *maltra*, vel *maldra*: ut in Alemannicis Goldaſti, Chartâ veteri XII: *Duas maltras de frumento.* Et Num. LXIX, & LXXXIII: *Maldram de chernone.* Quæ illa ſit menſura, adhuc ſe perquirere, ait Ludovicus De-la-Cerda in Adverſarijs Sacris cap. XLIV. Eſt vero duorum quaſi ſaccorum Hollandicorum.

Malina ſignificat menſtruum marini æſtus incrementum; de quo in *Iedone* dixi capite ſuperiori.

Mallus eſt à Saxonibus antiquis; quibus **mael** tum generatim ſignat *congregationem, conventum*; (unde **avont-mael**, conventus veſpertinus, qui fit, unà ut cibus capiatur in cœna:) tum particulatim notat congregationem ſive cœtum publicum, ad majores cauſſas decidendas, germanicè **Maalſtatt** de loco exequendi judicij. Uſurpant ſic leges Salicæ Tit. I, XLVI. XLVIII. LVI. LIX. LX. Item Capitul. Kar. M. & Ludovici Pij lib. III cap. XXII, XXVIII, XLV, LI, LVII, & lib. IV cap. XVIII. Habes etiam in adnunciatione Caroli Calvi apud Piſtas, Synodi Meldenſis cap. LXXVI. Hincmarum epiſt. IV cap. XIV, & in Formulis Marculfi Monachi, qui circa annum vixit Iↄ CLX. Item apud alios magno numero: è quibus & aliquorum verba adferemus. Supplementum Gregorij Turonenſis cap. LXXXIII: *In Abiodore vico in mallo interfecit.* Aimoinus ſimiliter lib. IV de geſtis Francorum cap. XXXVIII: *Arnulphũ Comitẽ apud Abiodorum vicũ in mallo interfecit.* Otto Imp. in privilegio, quod legitur apud Baldericũ in Chronico Cameracenſi lib. I cap LXXII: *Poteſtatem habeat mallum tenendi, vel bannum exigendi.* Flodoardus Hiſt. Rem. lib. II cap. XVIII: *Reſidens Vulfarius ad*

ſibi

definienda judicia, cum quibusdam Comitibus in mallis publicis. Sigebertus in Chronicis, ubi de Lege Salica: *Quatuor proceres per tres mallos causarum origines convenientes.* Hinc *Mallobergium*, pro Conventu publico ad judicandum de mulctis fisco debilis, plebe ad unum solito more mallum conveniente, lege Salicâ Tit. LVI. §. 1. Item *mallare*, in jus vocare ad judicem; & *obmallare*, respondere in judicio, **gerichtlich verantworten** / notante Goldastor in Glossario. De quibus in Verbis ortu barbaris dicam. Sed & hujus originis est hamallus, quasi admallus, hoc est, ad mallum, sive judicium vocatus. Habes Lege Salicâ Tit. XLIX. Atq; inde *hamallare*. i. e. vocare ad mallum, sive in jus. Nisi *homallare* potius dixere. Sic enim exaratum apud Marculfū monachū libri primi Formulâ XXXVI. *Admallare* pro eo legas Leg. Sal. Tit. LII. & LIII. Vid. Gold. Not. in Ratpert. c. 8. p. 177.

Mandalia, pro minutis portionibus, Plinio Valeriano lib. III. cap. XIV. Vox suspecta Barth. in Adversar. lib. I. c. 14. de quâ Rhodius Emend. ad Scribonium p. 290.

Manga, & *mangones*, & *mangonella*, & *mangatella*, sunt machinæ bellicæ, quæ aliter *petrariæ*, uti Græcis πετροβόλοι, quia lapides iis projiciantur. *Mangarum* vocabulum est apud Othonem Frisingensem de gestis Friderici I. lib. II. cap. XVI. *Ferunt quadam die ap. dem vi tormenti, ex balista, quam modo magnam vulgo dicere solent, propulsum, ad superiora mœnium loca conscendisse.* Ac similiter Radevicus de ejusdem gestis. *Mangones* appellat Paullus Diaconus; uti & Nauclerus. *Mangonella* Matthæus Parisius: item Brito Aremoricus in Philipp. I.

Mangonellorum tormentis saxa rotantur.

Mangatella est apud Turpinum in vita Caroli M. *Mangana* pro eo dixit Abbo in obsid. urbis Parisiuæ: sicuti & Græci posteriores μάγγανα: de quibus vide Joannem Meursium, & Nicolaum Rigaltium, in suis Lexicis Mixobarbaris.

Marca, vel *marcha*, aliter sumitur in re nummaria, aliter in terrarum appellationibus. De utraque significatione loquar. In re nummaria non uno modo enarratur à veteribus, ac junioribus. Nam in veteri vocabulario exponitur selibra. At Uspergensi est libra. Cujacius in Quinctum Feud. ait, duas libras continere. Nempe vix aliud æquè variare, quàm mensuræ rerum solent. Interim sic pro pretio semper sumitur. Legas apud Radevicum Frisingensem de gestis Friderici lib. III. cap. II, & V, & alibi, Suenonē in compendiosa Daniæ Historia cap. VI. Cæsarium Haiberstatensem lib. II. cap. VII. & lib. IV. cap. LVIII. Petrum de Vineis lib. III. epist. V, Bekam in Balduino II, & Theoderico

11. Et, ut aliquorum etiam verba adferam, sic scriptor vitæ S. Hidwigæ: *Impensarum summa, ut à procuratoribus compertum est, xxx marcarum millia plus minus collegit.* Cæsarius, monachus Vallis S. Petri, de Vita Engelberti Episcopi Colonienſis lib. I. cap. III. *Utriq; trecenta marca ex reditibus episcopalibus sunt adsignata.* Comes S. Pauli Epist. ad Brabantiæ Ducem, quæ est apud Godefridum Monachum S. Pantaleonis *a* ad an. Ↄ CCCCLIII. *Duci Veneti b C millia marcarum argenti, & totidem exercitui nostro, erogaret.* Joannes Turocius Chron. Hung. lib. II. cap. III: *Habebat oram contextam LXXIV. marcis auri purissimi.* Apud Anglos quantum valuerit, ostendit hoc Matthæi Parisij in Historiæ suæ anno CIↃCCXXXV. *Tredecim solidis, & quatuor sterlingis, pro marca qualibet computatis.*

a Inscriptoribus rerum Germanicarum editis à Freherо pag. 270.

b. Sic loquitur semper pro Veneto.

Marca item, vel marcha, dicitur de finibus imperii. Galli vocant *frontiere.* Estque ea significatione à Germanico **mark**, id est, limen, termini signum, vel nota. **March** puto esse à **mercken**, id est, signare; quia lapides, qui pro termino forent, signarentur. Cæterùm cùm *marca*, sive *marcha*, propriè limitem denotaret, latiùs extensum fuit ad significandum totam aliquam ditionem, vel provinciam, qua imperium terminaretur: quomodo dicimus marcham Brandeburgicam, Badensem, Stiriæ, vel Moraviæ. Constitutio Caroli Magni *c*: *Quomodo Marca nostra sit ordinata, & qua per se fecerunt confiniales nostri specialiter præteritis annis.* Ubi satis liquet ex marcæ, & confinialium vocabulis, actum esse de finibus regendis. Sequens etiam Caroli Constitutio *d* sic habet: *De placito conducto ad marcam necesse est omnimodo ex omni parte, sicut ordinatum fuerat, unusquisque conveniat.* Item in Testamento Caroli Magni, quod exstat apud Joannem Nauclerum Chron. Generat. XXVII, & in Henrici Mutij Chron. lib. VIII. *Placuit etiam inter prædictos statuere --- ut nullus eorum fratris sui terminos, vel regni limites, invadere præsumat: neque fraudulenter ingredi ad conturbandum regnum ejus, vel marchas muniendas.* Habes etiam in capitulis Caroli M. & Ludovici Pij, lib. II. cap. XIV. lib. III. cap. LXIV. & lib. IV. cap. IV. & capitulis Caroli Calvi tit. XL. cap. I. Similiter in Annalibus Francorum, à Pithœo primùm editis; sed Marquardi Freheri curâ, (qui annales Fuldenses inscripsit) auctiùs, & emendatiùs recusis. Ubi legas in ann. Ↄ CC LXXXVIII. *Similiter & Avares in Marcha Bajoariæ, atque Italiæ à Regis exercitibus victi, & fugati sunt.* Et ad an. Ↄ CCCXVII *Nisi desidia ducum, quos copiis præfecerat, tardius, quam rerum necessitas postulabat, is, quem ducebant, ad marcam venisset exercitus.* Adhæc in an. Ↄ CCCLXI. *Expulsi duces, quibus custodia*

c Pag. 307. edit. Megüt ann. 1602.

d Pag. 308.

com-

commissa erat Pannonicis limitis, & Carantani: atque per suos marcam ordinavit. Ita rectè editio Frecheri: ubi Pythœana pro *Carantani* perperam *Cavani*. Utitur & monachus Engol smensis S. Eparchii in vita Caroli Magni. *a* Item Aimoinus de gestis Francorum lib. v. cap. xl. *Res in marcha Hispanica nuper ignominiosè peracta.* Item lib. iv. cap. lxxx, cix, cx, cxiii, cxv, cxvi, & Rhegino Chronicorum lib. i. & ii. Historia Albigensis cap. iv. *b* Est & Petri de Vineis lib. iii. ep. xxxv. *Marchia ancontana.* Joannes Turocius Chron. Hungar. lib. ii. cap. xxxiv. *Marchiam Longobardiæ intraverunt.* Hinc igitur *marchio*, qui Græcis λιμιτάρχης, ac memorato Aimoini lib. v. *limitum Comes* vocatur. Glossarium Latino-Theotiscum: *Marchio*, **marcgrave.** *Marchionem* appellant Constitutiones Caroli Magni. *c* Item Vita Ludovici Pii ab æquali scriptore exarata *d Relictis tantum marchionibus: qui, fines regni tuentes, omnes, si fortè ingruerent, hostium arcerent incursus.* Quæ, ut alia multa, ex eo ad verbum exscripsit Aimoinus lib. v. cap. ii. Videmus autem, ut hic etiam clarè finium regimen Marchionibus tribuatur. Legas quoque semel, & iterum, apud Ivonem epist. ccix, Petrum de Vineis lib. iii. epist. lxxix, Patres Consilii Pisani ii. *e* Turocium Chronici Hungaric lib. ii. cap. xxxvi. Indeq; in eodem Concilio Pisano *f marchionalis.* Qui verò *marchiones*, ab eadem origine etiam *marchisi* vel Marchisii vocabantur: nempe ut Italis *marcheſe*, Belgis **markys.** Hinc marus epistol iii. ad Episcopos quosdam Franciæ, cap. xxx. *g Si inter Marchisos in qualibet regni parte ad aliud tempus dextræ datæ fuissent.* Matthæus Parisius in Historiæ anno cIↃ ccxliv Wallenses contra Regem. (Henricum iii) & ejus Marchisus, bellum moverunt cruentissimum. Item an. cIↃ cclviii: Angli contermini, quos Marchisios appellamus, irruerent subdito in Wallenses, ac alibi apud eundem sæpius. Reperias quoque apud suppositititium Turpinum de vita Caroli Magni cap. vii. Nicephorus Gregoras: *h* Περὶ Λατίνων μαρχίωνος. Ejusdem originis est *Marcgravius*, quasi *Comes limitaneus.* Sed de istoc, & cognatis, cap. viii. dictum.

a Editionis Wechelian. 1594. pag. 254. vers. 22

b Pag. 15.

c Pag. 308. edit. Moguntinæ.

d Pag. 541. ed. Wechel. an. 1594.

e Pag. 117.

f Pag. 173.

g Pag. 31. edit. Moguntinæ an. 1602.

h Pag. 108.

Marchandisa, merx, mercimonium: à Gallico *marchandise*, quod ipsum tamen Latinæ originis: uti & *marchant*, *marchander*, *marche*. Matthæus Parisius in charta libertatum à Rege Joanne concessarum: *i Et mercator eodem modo, salvâ marchandisâ suâ.*

i Pag. 274. vers. 33 edit. Tigur. sive pag. 257. 48. edit. Londin. an. 1640.

Marchio quid signet, jam in *Marca* exposuimus.

Mareschalcus est in LL. Alamannicis Tit. lxxx. *Marschalcus, qui super* xii. *caballos est, xl. solidis componat*, Item in Constitutionibus Neapolitanis,

litanis, sive Siculis, lib. II. Tit. xx. Utitur & Radericus Frisingensis lib. de gestis Friderici I. lib. III. cap. xxvi, Petrus Blesensis epist xiv. Cæsarius lib. VI. Miracul. cap. xxvi, Petrus de Vineis lib. v. epist. cxxx. Historia Albigensis cap. xlii. *a*. Promot. Concil. Pisani. *b*. Porrò *mareschallus* dicitur molliùs, sed integriùs *mareschalkus*: ut quod sit ex **mare**, id est, equus, & **schalck**, hoc est, servus: uti *Godscalcus* idem ac *Theodulus*, Dei servus. Nempe notat stabuli Comitem, sive præfectum equitum. Clossarium Latino-Theotiscum: *Cavallarius*, **Marischalc**. Ubi *cavallarius*, more seculi, pro *caballarius*, h.e. *caballorum præfectus*. Priorem compositi partem habemus etiam in vocabulo *mervvorphin*: quod est in Legg. Longobard. lib. I. Tit. xxxvi. L. iv. Gloss. *Mervvorphin, aliquem de caballo projecerit*. Nempe ex **mer**, equus, & **worffen**; jacere, pro quo Belgæ **werpen**. Ac hodieque Belgis equa, **merri**. Præterea Germani equum dixere **marc**, vel **march**. Celtis enim equum esse μάρκον vocatum, Pausanias in Phocicis auctor est. Atque addit, hinc ταμιαρχισίαν dixisse. Scio, Camerarium malle μάρκον & ταμιαρχισίαν. Sed aliter liberi. Nec impedit quicquam, cur non utroque sint usi. Et fortasse **march** contractum ex *marach*. In Alemannicis quidem Legibus est Tit. LXIX. §. II. *Si ille talem equum involaverit, quem Alamanni marach dicunt*. Ac similiter titulo proximo §. II. *Si quis equo, quem Alemanni marach dicunt, oculum excusserit*. Item in Legibus Bojor. tit. XIII. cap. x. Simile vocabulum *seneschallus*; sed alia significatio, ut inferiùs exponetur. A *mareschllus* est *mareschallia*, munus mareschalli. Petrus de Vineis lib. v. epist. LIX. *In manibus mareschallia nostra cautè, & fideliter adsignavit*.

Marestalla, à Saxonico **mar**, vel **mer**, hoc est, equus, & **stal**, h.e. *stabulum*. Notat igitur *equile*. Petrus de Vineis lib. v. epist. LXX. *In nostra marestalla non sunt ad præsens*. Joannes de Thwrocz Chronici Hungarici cap. XII. *Sua etiam maristalla, quam suis exercitualibus in expeditionibus deferebat, pro majori parte de purpura, cæterisque sericeis pannis, erat præparata. Hæc licet diversarum regionum equorum genere sæpe fuerit repleta: non tamen largus princeps illorum gaudebat de pluralitate: sed illos tū principibus exercitus sui, tum vero suis militibus, abundanter distribuebat, in tantum, quòd aliquando duos, vel tres, proprio equitandi pro usu vix habebat*. Qui locus clarissimè ostendit, id esse *marestallam*, vel *maristallam*, quod dicebamus. Atque hinc *Maristallus*, equilis præfectus. Ut in vita S. Laurentii, Episcopi Dublicensis:

a Pag. 104.
b Pag. 121.

ensis: *B. Viri mareſtallus toto corruptus corpore miſerabiliter inflatus erat* De nomine Mareſchalli atque ejus derivatione egit Limnæus 1. Jur. Publ. 3. 10. n 20. & in Notitiâ Regni Franciæ lib. 2. c. 27. p. 1032.

Marmotinus, aureus denarius, ut Albertus Argentinensis docet in Chronico: *Annuatim debent præsentare ad cameram Papæ unum marmotinum; qui bene noscitur à curia; & est minoris valoris, quàm parvulus florenus de Florentia.*

Marpahis Longobardicâ linguâ strator, ut indicat Paulus diaconus de gestis Longobard. lib. II. cap. IX, & lib. VI. cap. VI. *Strator* verò quia vocetur, dicent Stewechius ad Veget. & Salmasius ad Hist. August. Scriptor. Non dubium vero, quin *marpahis*, modò hæc genuina lectio sit, conflatum fuerit è duabus vocibus; quarum prior sit **mar**. hoc est, equus: posteriorem suspicabar esse **paſſen**, hoc est, curare; quomodo dicimus, **opzyn geſont hebt paſſen**, valetudinem curare diligenter; **nergens oppaſſen**, nihil quicquam curare. Sed sic *marpasis* potiùs scribi debeat. Et in codice Orteliano, ut ait Lindenbrogius, est *marhais*: in nostro verò Mso, *marahis*, solùm trajectis duabus literis; utrobique vero Pextrito. Nec dubito, quin hæc vera sit lectio; ut *marhais*, sicut idem Lindenbrogius conjectabat, sit ab Germanico **haiſſen**, hoc est, jubere: vel si nostro codice stare malis, ab **hieſſen**, quod idem notat. Belgæ pro eo **heeten**. Erit igitur *marhais* vel *marahis*, equorũ jussor, hoc est, qui imperium in equos obtinet. Similis in fortasse compositio in **ſchultheis**, pro prætore; à **ſchult**, debitum, mulcta; & eodem **heiſſen**, quia imperium in eos habet, qui ob delictum aliquod mulctam debent. Hoc doctissimo Lindenbrogio placuit. Malim tamen deducere à verbo **heiſſchen**, vel **eiſſchen**, hoc est, exigere; quia is mulctam exigit ab delinquentib.

Masca nominatur in Legg. Longobard. lib. I. tit. XI. leg. IX, quæ est Rotharis Regis: *Nullus præsumat aldiam alienam, aut ancillam, quasi strigam, quæ dicitur masca, occidere; quod Christianis mentibus nullatenus est credendum; nec possibile est, ut hominem mulier vivũ intrinsecus possit comedere.* Est & ejusdem Regis lib. II. tit. IX. leg. III. *Si quis mundium de puella libera, aut lib. muliere habens, eam strigam, quod est masca, clamaverit, excepto patre aut fratre, amittat mundium ipsius.* Ex quibus liquet, *masca* esse idem ac venefica, vel malefica; quod genus antiqui dixere *striges*, barbari *strigas*: ut suo loco, nempe in barbaris Latinæ originis, explicabitur.

Mascauda, vel *mascauda*, œnophorus, vas vinarium. Leges eam

vocem apud veterem Juvenalis interpretem in libro vetusto, ut observatum aliis. Glossæ antiquæ: *Macusta* μάκυα. Ubi Salmasius *a* emendat, *Mascauta*. Ac firmat, quòd μάκυα in Glossis exponatur viniferum, sive œnophorum. *Baucam*, pro cyatho, etiã apud Anastasiũ biblioth. invenias: imò pro eodem & *caucam* dicere; ut cap. IV. ostensum.

a Ad Trebellium Poll. pag. 333.

Medus, & *medo*, idem notant. Fortunatus de vita S. Radegundis lib. I. *Potum vero, præter aquam mulsam, atque pyratium, non bibit: non vini puritatem, non medi decoctionem, cervisiaque turbedinem.* Beda Presbyter de Remediis peccatorum cap. VII. *In unaquaque septimanâ tres dies sine vino, & medone, & carne; & jejunet usq; ad vesperam.* Ubi alternos dies signat; nempe secundum, quartum, sextum. Item habes in Pœnitentiali Romano Tit. I, qui est de Homicidio, cap. XI, ex decreto Pii Papæ: *Vinum, & medonem, & mellitam, & cervisiam, nunquam bibas: nisi in illis præditis diebus.* Etiam sic vocat Tageno, decanus Patavinus, de expeditione Cæsaris Barbarossæ in Palæstinam, Matthæus Parisius in vita Gaufridi, sextidecimi abbatis S. Albani, Andreas, Presbyter Ratisponensis, in Chronico ducum Bavariæ, Æneas Sylvius Historiæ Bohemiæ cap. VIII. Imò & μίδω similiter vocatur Prisco in Eclogis de Legat. Quid verò sit, partim Æn. Sylvius loco memorato indicat, partim, ad superiorem Pœnitentialis Romani locum annotavit Tarraconensis archiepiscopus, Antonius Augustinus, vir non minori doctrinâ, quàm dignitate: *Mellitam conjicio esse cum melle confectam potionem: cervisa, vel cervisia, potio nota est Germanis, & Britannis. Medonem ignoro; sed potionis genus esse apparet.* Mihi sic videtur, *mellitam* esse cervisam mellitam. Sanè *& vino, & medone, ac mellita cervisa abstinere*, jubet concilium Tiburiense cap. LVI. & LVIII. *Cervisa*, an *cervisia*, dicas, nihil refert; quando utrumque apud veteres reperias, non librariorum culpâ, sed diversa auctorum consuetudine: quod Mssi clarè docent. *Medo*, autem, vel *medus*, dicitur *hydromeli*, sive aqua mulsa, ex Germanico **meeth**, sive Belgico, uti & Anglico, **mede**. De quo dispiciendum, utrùm origine sit Saxonicum; an Græcum, à μίδω, id est, vinum, cujus loco bibitur: vel Latinum à *melle*, ut *medo* dicatur quasi *melo*; simili literarum mutatione, ac à μελετάω, est *meditari*. Sed magis placet, ut & Græcum μέλι, unde *mel*; & Saxonicum **meeth**; à communi sint origine; qualis erit, si veniant ab Hebræo מְתֹק, hoc est, *dulcescere*. Ac firmat hanc opinionem, quòd etiam Bohemi pro melle dicant *med*: ut linguas alias præteream.

Mel-

Melseta legas in Constitutionibus Siculis, sive Neapolitanis. lib. I. tit. XVI. *Si quando in locis ipsis, aut circa rixas, quæ vulgariter melseta dicuntur, injurias, violentias, aut hujusmodi flagitia, forte prænoverint committenda.* Unde colligas, rixis vehementibus convenire, ac è quibus majora pullulent mala.

Methium in glossario exponitur sponsalitia, vel nuptialis donatio. Longobard. Legg. lib. I. tit. IV. L. III. *Nulli sit licentia conjugi suæ de rebus suis dare amplius per qualecumque ingenium, nisi quod ei in die votorum in methio, & morgengab, dederit.* Sed & alibi in iisdem occurrit. Amicissimo, dum viveret, Matthiæ Martinio accessero non invitus, qui venire censet *a* à Saxonico **meden**/ pro quo Germanorum alii **miten**/vel **mieden**. Hoc est, mercede conducere, quod Græci μισθοῦν.

a *In Etymologico, voce* meta.

Minera à Germanico **myne**/unde suum vocabulum accepere cũ Itali, Galli, Hispani, tum Angli item. Notat matricem, sive venam terræ metallicam. Sic utitur aurea bulla Caroli IV. Indeque Philosophis *mineralia*. Fortasse autem *minera* à *minando*, posteriorum sæculorum verbo, pro *ducere*: ac particulatim pro facere ductus subterraneos, sive cuniculos. Sanè ut **myne** cuniculos, ita **myneren** barbaris *minare*, Latinis *agere cuniculos*. Atque hinc *ministores*, fossores, qui cuniculos agunt. Comes S. Pauli epistolâ de Constantinopoli captâ, ad Ducem de Lovanio, sive Brabantiæ, exaratâ *b*: *Super turri autem illa locuti fuimus cum duce Veneti, viro prudentissimo, & discreto, dicentes ei, quod nullo modo posset capi, nisi per ministores, & petrarias caperetur.* Et post aliqua multa: *Ministores verò muros inferius subcavantes unam turrim straverunt.* De *minandi* verbo, pro *pecus agere*, diximus in verbis alienâ significatione usurpatis.

b *Apud Godefridum monachum S. Pantaleonis, ad an. 1203. Habes in scriptoribus Rerum Germanicarum à Freshero editis. pag. 269. & 270.*

Mordrum, vel *murdrum*, pro morte violenta, homicidii genere, quod occultè & cogitatè ex præcogitatâ malitiâ perpetratur. Inde **Mordt** & **Morthaat** Saxonibus, ac Longobardis; uti hodieque Belgis **Moord**. Legg. Saxon. tit. II. §. VI. *Si mordrum totum quis fecerit, componatur primò in simplo, juxta conditionem suam.* Crebrum in Legibus Anglicanis. Ita lex Guilielmi Nothi, sive Conquæstoris: *De perjurio, aut murdro, aut furto, aut homicidio.* Et LL. Henrici I. Angl. R. cap. XI. De jure Regis: *Hæc sunt jura, quæ Rex Angliæ solus, & super omnes habet in terra sua — murdrum, falsaria monete sua, incendium, hamsockna* &c. Item in Assi-

sis

sis Henrici II. Clarendonæ editis: Hæc assisa attinebit --- in murdro, & proditione, & iniqua combustione, & in omnibus prędictis; nisi in minutis furtis, & roberiis, quæ factæ fuerunt tempore guerræ; sicut de equis, & bobus, & minoribus rebus. Matthæus Parisius in anno CIↃCCXVI. Quod (Johannes Angliæ Rex) Arthurum, nepotem suum, propriis manibus per proditionem interfecit pessimo mortis genere, quod Angli murdrũ appellant. Etiam mortridũ dixere, vel mordridũ. Concilium Aurelianense apud Ivonem part. IX. cap. LXX. Qui sponte per fraudem, & avaritiam, hominem innoxiũ occiderit, quod mortridum vocant. Item Concilium Maguntinense, in Pœnitentiali Romano lib. III. cap. VIII. Per fraudem, & avaritiam, hominem occidunt, quod morthridum vocant. Ita rectè corrigit Lindenbrogius; ubi morchidũ ab Antonio Augustino editum. Est in legg. Frisiorum Tit. XX. §. II. *Si quis hominem occiderit, & absconderit, quod mordritum.* Item Legibus Boiorum Tit. XVIII. cap. II. & Ripuar. Tit. XV. Sed & pro so *mortandum* legas in Legg. Alamannicis, & Longobardicis: ut satis liqueat, Germaniæ gentes in hoc vocabulo solâ dialecto variâsse. A mundrum est mundrare, **moorden**: unde murdrator & murdrator, sicarius, homicida; murdratus, interfectus. Murdrator est apud Hovedenum pag. CCCXLV. Alterum est in LL. Eduardi Confessoris cap. XV. Sin infra tempus annuum, non posset teneri (murdrator) parentes murdrati sex marcas haberent. Videntur & dixisse pro eo murdidrare; nam in Synodo, celebrata apud Theodonis villam, legas de episcopo Joanne inhonestè & inauditè mordridato. Ac Vitus Amerpachius corrigendum putat in Constitutione Caroli M.[a] servum, quem mordricavit: ubi vulgò mordricum.

[a] Pag. 296. edit. Meg. ann. 1602.

Morgengeba, crebrum in Legibus antiquis; uti Ripuariis, Alaman. Burgund. Longobardicis. Pro eo morganagiba est apud Gregorium Turonensem lib IX. cap. XX. Tam in dote, quam in morganagiba, h. e. mantutinali dote. **Morgengab** vocatur Speculi Saxonici lib. I. Art. XX. ex **morgen**/hoc est. mane, & **gab**. donum, Belgis **morgengave**/vel **morgengifre**. Feudistæ pro eo ajunt morganatica; nempe sic dicitur donatio propter nuptias, quæ fieret matutino tempore ante nuptiale convivium. Diversam fuisse à dote, etsi utraque fieret à sponso, vel sponsi parente; satis indicant Gregorii Turonensis verba, quæ adduximus. Vide & Marculphi Monachi librum II. form. XV. Hotomanni Lex. V. Morganatica; Lindebrogii Gloss. V. Morgengaba.

Mos

Mos Germanis pro palude dictum videtur: nempe pro **mors**, ex **morasch**: quod vel à Belgico **more**, (Flandri utuntur) pro **moer**, **moor**/**modder**, hoc est, cœnum, lutum, limus: vel à **meer**, sive **maer**, id est, mare, unde & **maer**, sive **meer**, deflexum. Rhegino abbas Chronicorum libro II ad ann. Ibccc LXXX: *Castrum munitissimum, quod Mosburgk* †*nũcupatur, eò quòd palude impenetrabili locus vallatus.*

† *Ita utraque Francofurtensis editio, & prior anni 1566. & Wechelianа Pictorii an. 1583.*

Muffula, chirotheca hiberna, ex German. ac Belgico **moffel**, pro quo Galli *monfle*. At chirotheca, quam non æstate minùs, quàm hieme, gestamus, *vvantus* ex Germ. & Belg. **wante**; pro quo Galli *gante*, Itali *ganto*, Hispan. *guante*. Utrumque habes in Additione primâ Capitulorum Caroli M. & Ludovici Pii, cap. XII: *Abbas omnino provideat, ut unusquisque monachorum habeat —— vvantos in æstate, muffulas in hieme vervecinas.* Ac posterius etiam legas cap. LXXIX.

Mumia caro hominis balsamo, vel myrrhâ, & aloë, aut asphalto, adversus corruptionem condita. Habet & conservandi vim mel, ac cera: ut propriè inde origo possit arcessi. Sanè Arabibus מום, mum, *cera*.

Mundium nunc generatim potestatem, nunc particulatim tutelam, notat. Constitutio Karoli Magni †: *De mancipiis palatii nostri, & Ecclesiarum nostrarum, nolumus mundium recipere; sed nostra ipsa mancipia habere.* Longobard. Legg. lib. II. Tit. x. leg. I: *In sua potestatis arbitrio, id est, sine mundio vivere.* Et Tit. XXXIV L. IV: *In alterius mundio esse.* Tit. XIV. leg. XV. *Pro mundio puella tollant naturales filii tertiam partem.* Et eodem Tit. L. VIII, & IX: *Mundium puella parentibus mortuis ad curtem redit.* Est autem *mundium* à **mund**, h. e. os: quia qui alterius est tutor, ei sit vice oris. Vel ab antiquo **munden**. h. e. loqui, quod ab eodem **mund**, ut *orare* ab *os*: quia nempe tutor loquitur pro pupillo. Hinc & idem tutor **formunde**, vel **voormunde**, quasi *pro ore*, vel pro altero loquens. Nisi potius à verbo **ver-monden**, quod Latinis *eloqui, effari*. Ab eadem origine sunt *mundius*, & *mundialis*. *Mundius* dicitur, qui sibi pro ore est, ut Belgis **mondich**. i. puber, extra tutelam constitutus. Qui & *amund*, vel *amond*, in Legg. Longobardicis lib. II. Tit. XII L. VI: *Si Dominus ancilla eam liberaverit, & amond fecerit à se.* Ubi *amond* notat liberam à tutela. Vox conflata ex privativo **a***, & Saxonico **munde**, hoc est, tutela, defensio. Similiter Tit. XXXII. Leg. IV: *Nulli liceat aldio cujuscunq; qui amund factus non est, sine voluntate patroni sui, terram, aut mancipium vendere, neque liberum dimittere.* Habes & ejusdẽ lib. II. Tit. II, Tit. XXXIV de manumissionibus Leg. I.

† *Constitutionum Carolinarum pag. 270. edit. Mogunt. an. 1602.*

* *Quale in* amacht, *pro* on-macht, *impotentia animi*; awyg, *pro* on-wyg, *amens*.

Mundialis verò, qui sub tutela est. Flodoardus Histor. Rhemensis lib. II. cap. XIX : *Non dubito, tua id notum esse caritati, quanta nobis Ecclesiastica disciplina, quantusque nostrorum necessitatibus subditorum, & insuper mundialium oppressionibus, quibus quotidie agitamur, cura constringat.* Pro tutela etiam dixere *mundeburde*, vel *mundeburdium*: ut Anglosaxones **mundbyrd**, & **mundboran**. Vocem esse Francicam quæ propriè significet, *tutelam ingenuæ puellæ*, & generaliter *quamvis tutelam*, item *jus Patronatus*, notavit Lazius de Gentium migrat. lib. 3. p. 60. Utitur Burchardus lib. XIX. Decret. † ex Pœnitentiali Romano: *Rapuisti uxorem tuam, & vi sine voluntate mulieris, vel parentum, in quorum mundiburdio tenebatur, illam abduxisti.* Atque hinc lucem capit, quod sæpius legimus, Episcopos fuisse in mundiburdio, hoc est, tuitione, sive defensione Majoris domus, vel ipsius Regis. Exemplo fuerit diploma à Carolo Martello, Majore domûs, datum S. Bonifacio; quod habes apud Pithœum in Glossario, verbo *Missus S. Petri.* Inter alia legas : *Cognoscatis, qualiter Apostolicus vir in Christo pater Bonifacius Episcopus, Missus S. Petri, ad nos venit, & nobis suggessit, quòd sub nostro mundeburde, vel defensione, eum recipere debeamus: quod ita nos gratanti animo fecisse cognoscite. Proinde nos taliter visi fecimus ei manu nostrâ roboratam dare, ut, ubicunque ambulare videtur, cum nostro amore, vel sub nostro mundeburde, & defensione, quietus, & conservatus esse debeat.* Integrarum par ratio Ecclesiarum, & monasteriorum: unde Synodus Confluentina an. DCCCLX; ubi exponit fœdus Caroli, & Ludovici regum: *Volumus, ut Ecclesiæ, & Casæ Dei, & Episcopi, & Dei homines clerici, monachi, & nonna, talem mandubernem, & honorem habeant, sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt.* Chronicon Laurisheimense*: *Monasterium, cum omnibus illuc pertinentibus, in manus, & mundeburdem glorioſi Regis Karoli tradidit.* Habes & in Legg. Baioar. & Ripuar. ac veteribus Formulis. *Mundualdus* in Legg. Longob. & Siculis, tutor; ubi posterior pars vocis est **wald**, potestas : pro quo Belgæ **ge-welt**. Saxonibus **gemundian**, tutari, protegere. G crebrò in I consonum abire solet: unde *jamundlingi*, pro **gemundling**; qui se bonáque sua commiserint potestati Episcopi, vel Abbatis : quod facere plerique solent, quo effugerent militiam, aliáque reip. onera. Privilegium Othonis Imp. monasteriis concessum, supplicatione Adaldagi Episcopi: *Si verò aliquis ex libertate voluerit, vel litus fieri, aut etiam colonus ad monasteria supradicta, cum consensu coheredum suorum, non prohibetur.* Pro

† Pag 268

* Scriptoribus rerum Germanicarum editis à Marquardo Freboro pag. 59.

mun-

mundeburda, & *mundeburdium*, etiam legas *mundeburde*, & *mandeburgium*: nempe ut Galli pro tutela *mamburnie*: quod apud Froſſardum Vol. I cap. CLV. Ac Belgis quoque tutor non ſolùm **momboor**, vel **momber**: ſed etiam **mamboer**: unde & vulgo *mamburgius*, *mamburmus*, & *mamburnus*, pro tutore: item à *mamburnus*, *mamburnire*, pro tueri: ut apud Hugonem Floreffienſem Canonicum, in vita B. Iuettæ, ſive Juttæ, viduæ Recluſæ, cap. IX†: *Timens* (pater Juttæ) *ne pueros contingeret exheredari, per diſtractionem bonorum, quæ fiebat à matre; abſtulit quidem ei filios aliquamdiu, ut rerum minus eſſet compos ipſa, nec vendere poſſet jus hæreditatis ipſorum abſque conſcientia.* (ſui patris) *quis quaſi pueros mamburnire videbatur.*

† E Mſo Aub. Mirai cod. edidit Bollandus in vitis Sanctorum ad 13 Ian.

Murtiplo, flos cordis, exponitur Gunthero Monacho in Hiſtor. Conſtantinopol. De quo plura Meurſius in Gloſſario, voce Μύρτζηφλος.

Muſius, & *muſio*, pro fele, quia mures captat. Nam animalculum hoc, ut *mus*, Latinis, μῦς Græcis, ita Germanis etiam **mauſz**, Belgis **muys**, Anglis **a mouſe**: cuncta fortaſſe ab origine Hebræa, quia **מוס** recedere. Nam recedit de die, ſeque abdit latebris, inde proditurus de nocte. Iſidorus Originum lib. XII. cap. II: *Muſio appellatus, quod moribus infeſtus ſit.* Gloſſæ Arabicolatinæ: *Muſium, cattum, ab eo, quòd catat, id eſt, videt.* Sed de *catandi*, ſeu *cattandi* verbo inferiùs dicetur.

Muſſum, pro ſarmentis, ac virgultis, ex Germanico, ac Belgico, **mutſaert**. Cæſarius lib. VI. Miracul. cap. V: *Cùm pauperes muſſo, quem de nemore collegerant, oneratos præterire cerneret, emeret ipſe.*

Muta ſubſtantivè acceptum Latino barbaris idem ac cavea, aviarium, locus quò ſe aves recipiunt, quando pennas mutant. Fridericus II. Imper. in prologo lib. II de Venatione: *Quædam in conſervando ſanas, etiam quando jam mutant pennas, ut domuncula, quæ dicitur mata.* Imò & μοῦτα ſimiliter Græci: ut Demetrius Conſtantinopolitanus Hieracoſophii lib. II, cap. XLIX, & LIII; qui & μουλεύειν ibidem dicit, pro includere in mutam. Eſt verò *muta*, non à *mutando*, ut arbitror; ſed à Germanico, & Belgico **muyte**, quod idem notat: indeque Italicum *muda*, vel *muta*, Gallicum *mue*. Etiam *muta* ſumitur pro ſquilla, hoc eſt, Skella, ſive tintinnabulo. Matthæus Pariſius in vita Joannis, XXIII. Abbatis S. Albani: *Taſtânolâ, cui Muta, vel Scilla, eſt nomen, terminetur ſonus ille.*

* *Inſcriptoribus Bohemicarum pag. 35. edit. Wechel. an. 1602*

Mutonimus, pro ovillus, vel vervecinus, à Gallico *muton*, vervex. Chronicon Aulæ Regiæ de Joanne Bohemiæ rege, cap. X*: *Inventa fuit quædam pellis mutonina, intus, & foris, Hebraicè conſcripta.*

CAP. XIII.

De cæptis ab N. Naſtaid, *pro juramento per cor, ſive vitam.* Naufus, *vel* noffus, *pro capulo, ſive ſandapila.* Nedfratres, *ſive* nedfri, *vel potiùs* nedfyrs, *aut* nodfyrs, *pro igne, quem ruſtici feſto S. Joannis accenderent ad erucas fugandas.* Neufraſis, *pro capitis dolore.* Nonna, *pro ſanctimoniali, ſeu virgine, ſeu vidua, ſeu etiam quondam meretrice: item* nonnus, *pro ſancto:* nonnana, *vel* nonnanis, *pro nonna: &* nonnanus, *pro nonnus.* Notnumfti, *pro violentia.* Nuſca, *pro fibula.*

PErgam ad ea, quæ incipiunt ab udarum ſive liquidarum tertiâ.

Naſtaid eſt juramentum per pectus, ſive cor, vitæ fontem, ac proinde per vitam ipſam. Conflata vox eſt ex **naſt**, ſive **naeſt**, hoc eſt, proximum, & **aid**, ſive **eed**, id eſt, juramentum. Nempe quia nihil corde, ſive vitâ, propiùs hominem tangit. Legg. Alamannic. Tit. LVI, §. II: *Liceat illi muliere jurare per pectus ſuum, & dicat: Quod maritus meus mihi dedit in poteſtate, & ego poſſidere debeo. Hoc dicunt Alamanni naſtaid.* Interim id vocabulum vix locum meretur in gloſſematis, quando nuſpiam reperias uſurpari, ut Latinum.

Naufus capulum notat ligneum, ſive, ut Martialis vocat, ſpondam Orcinianam. Gloſſ. *Naufo, ſarcofago ligneo.* Et ita (ut Lindebrogio monitum) Codd. veteres. Gregorius Turonenſis de Gloria Confeſſorum: *Sancta corpora pallis, ac naufis, exornata.* Quia verò A V in O abire ſolet, eò & *noffus*, dixere. Lex Salica Tit. XVII. §. III: *Siquis mortuum hominem, aut in noffo, aut in petra, qua vaſa ex uſu ſarcophagi dicuntur, ſuper alium miſerit,* IIID *den. qui faciunt ſol.* LXIIS *culpabilis judicetur.* Et Tit. LVII. §. IV: *Siquis hominem mortuum, aut in noffo, aut in petra, miſerit, lcccc den. qui faciunt ſolid. xxxv, culp. jud.*

Nedfratres legas in Synodo à S. Bonifacio, & Francorum epiſcopis, habitâ tempore Carlomanni, anno Ↄ CC XLII†: *Sive illos ſacrilegos ignes, quos nedfratres vocant.* Sic editum à Pythœo: ſed in gloſſario habet *nefratres*: ac monet, pro eo in Tomis Conciliorum, item in vita S. Bonifacii, ac in Burchardo, legi: *Sive illos ſacrilegos ignes, quos nedfri vocant.* Etiam in Conciliorum Galliæ voluminibus à Sirmondo bono publico divulgatis, *nedfratres* reperio. Verùm planè adſtio doctiſſimis viris, qui *nedfyrs*, vel *nodfyrs*, leguntid notat *neceſſariũ ignem*, à **nood**, ſive ut Anglicana profert dialectus, **need**, id eſt, neceſſitas, & **fier**, hoc eſt,

† *In Capitularibus Karolinis lib. 5. cap. 2.*

est, ignis. Lindenbrogius ad leges antiquas annotavit, homines rusticos, festo S. Joannis, palo, quem è sepimento extraxissent, circumligâsse funem, ac traxisse huc illuc, donec ignem conciperent; eum stipulâ, ac sarmentis, fovisse, cineres super olera sparsisse, eò quòd putarent, hoc pacto abigi erucas: ac propterea hunc ignem *nodfir*, hoc est, ignem necessarium, nuncupâsse.

Neufrasis sit κεφαλαλγία, sive capitis dolor, si credere fas Gemmæ vocabulorum, ubi legas: *Neufrasis*, hooft-sweer. *Inde neufraticus*, hooft-sweerich. Commentum id unde sit haustum, nec dum conjiceve possum.

Nonna quæ dicatur, & unde sit ea vox accepta, exposui lib. I. cap VI. Porrò convenit hoc nomen, tum virginibus, tum viduis, tum etiam meretricibus quondam, sed pœnitentibus. Hoc abunde ostendunt loca veterum, quæ adducam. B. Hieronymus epist. XXII. ad Eustochium de virginitate servandâ: *Quia*, inquit, *maritorum expertæ dominatum, viduitatis præferunt libertatem, Castæ vocantur, & Nonnæ.* Idem prologum vitæ. S. Hilarionis sic orditur: *In sanctis orationibus tuis memento mei, decus ac dignitas virginum, nonna Asella.* Pelagius, Romanæ Ecclesiæ diaconus, de doctrinâ, & perfectione Sanctorum Patrum libro VII, qui est de patientia, & fortitudine, §. X: *Nonna illa, veni nobiscum ad balneum.* Ubi in Parisiana est *nonne*: sed Rosvveidus rectè vidit, *nonna* reponi oportere. Ait verò, *nonna illa*, quasi diceret, ô nonna, cujus nomen nescio, aut non occurrit, aut quod dicere nolim. Ut hic *illa* sumatur, sicuti Græci usurpant suum δεῖνα, Hebræi פלמוני *palmoni*, ut est Danielis VIII. 13: pro quo LXX φιλμαωνί*. Bonifacius epist. XIX: *Si reus inventus fuerit, ut cum velata, & consecrata Domino nonna concubuisset.* Et ibidem, *Fornicantem per monasteria nonnarum.* Apud Benedictum Levitam Capitularium lib. V cap. II: *Similiter & nonna velata eâdem pœnitentiâ contineantur, & radantur omnes capilli capitis earũ.* Quę verba ex synodo à S. Bonifacio sub Carolomanno habitâ anno Ↄ CC XLII. Itẽ apud eundẽ cap. seq. III: *Similiter, & monachi, & nonna.* Quæ ex synodo Leptinensi. Paullus Diaconus in vita Mariæ Ægyptiacæ cap. XVII: *Accipe hac nonna*: ubi sic Maria vocatur, quæ inter pœnitentes erat. Walafridus de vita S. Galli cap. XVI: *Cur filiam tuam, quam nonna illa de te concepit, & genuit, non feciſti tecum venire?* Anastasius bibliothecarius in vita S. Joannis Eleemosynarii cap. X:

* *Sive* פלני אלמני *Peloni Almini, Ruth cap. 4. vers. 1* מלן *pelan, Hispanis inde* fulano.

11. Et, ut aliquorum etiam verba adferam, sic scriptor vitæ S. Hidwigæ: *Impensarum summa, ut à procuratoribus compertum est,* XXX *marcarum millia plus minus collegit.* Cæsarius, monachus Vallis S. Petri, de Vita Engelberti Episcopi Colonienſis lib. I. cap. III. *Utriq; trecenta marca ex reditibus episcopalibus sunt adsignata.* Comes S. Pauli Epist. ad Brabantiæ Ducem, quæ est apud Godefridum Monachum S. Pantaleonis *a* ad an. Ↄ CCCCLIII. *Duci Veneti b C millia marcarum argenti, & totidem exercitui nostro, erogaret.* Joannes Turocius Chron. Hung. lib. II. cap. III: *Habebat oram contextam LXXIV. marcis auri purissimi.* Apud Anglos quantum valuerit, ostendit hoc Matthæi Parisij in Historiæ suæ anno Ↄ CCCXXXV. *Tredecim solidis, & quatuor sterlingis, pro marca qualibet computatis.*

a Inscriptoribus rerum Germanicarum editis à Frebero pag. 270.

b. Sic loquitur semper pro Veneto.

Marca item, vel marcha, dicitur de finibus imperii. Galli vocant *frontiere.* Estque ea significatione à Germanico **mark** / id est, limen, termini signum, vel nota. **March** puto esse à **merck'en** / id est, signare; quia lapides, qui pro termino forent, signarentur. Cæterùm cùm *marca*, sive *marcha*, propriè limitem denotaret, latiùs extensum fuit ad significandum totam aliquam ditionem, vel provinciam, qua imperium terminaretur: quomodo dicimus marcham Brandeburgicam, Badensem, Stiriæ, vel Moraviæ. Constitutio Caroli Magni *c*: *Quomodo Marca nostra sit ordinata, & qua per se fecerunt confiniales nostri specialiter præteritis annis.* Ubi satis liquet ex marcæ, & confinialium vocabulis, actum esse de finibus regendis. Sequens etiam Caroli Constitutio *d* sic habet: *De placito conducto ad marcam necesse est omnimodis ex omni parte, sicut ordinatum fuerat, unusquisque conveniat.* Item in Testamento Caroli Magni, quod exstat apud Joannem Nauclerum Chron. Generat. XXVII, & in Henrici Mutij Chron. lib. VIII. *Placuit etiam inter prædictos statuere --- ut nullus eorum fratris sui terminos, vel regni limites, invadere præsumat: neque fraudulenter ingredi ad conturbandum regnum ejus, vel marchas muniendas.* Habes etiam in capitulis Caroli M. & Ludovici Pij, lib. II. cap. XIV. lib. III. cap. LXIV. & lib. IV. cap. IV. & capitulis Caroli Calvi tit. XL. cap. I. Similiter in Annalibus Francorum, à Pithœo primùm editis; sed Marquardi Freheri curâ, (qui annales Fuldenses inscripsit) auctiùs, & emendatiùs recusi. Ubi legas in ann. Ↄ CC LXXXVIII. *Similiter & Avares in Marcha Bajoaria, atque Italiæ à Regis exercitibus victi, & fugati sunt.* Et ad an. Ↄ CCCXXVII *Nisi desidia ducum, quos copiis præfecerat, tardiùs, quam rerum necessitas postulabat, is, quem ducebant, ad marcam venisset exercitus.* Adhæc in an. Ↄ CCCLXI. *Expulit duces, quibus custodia*

c Pag. 307. edit. Megût ann. 1602.

d Pag. 308.

como-

commissa erat Pannonici limitis, & Carantani: atque per suos marcam ordinavit. Ita rectè editio Freheri: ubi Pythœana pro *Carantani* perperam *Carani.* Utitur & monachus Engol smensis S. Eparchii in vita Caroli Magni. *a* Item Aimoinus de gestis Francorum lib. v. cap. xi. *Res in marcha Hispanica nuper ignominiosè peracta.* Item lib. iv. cap. lxxx, cix, cx, cxiii, cxv, cxvi, & Rhegino Chronicorum lib. i. & ii. Historia Albigensis cap. iv. *b* Est & Petri de Vineis lib. iii. ep. xxxv. *Marchia anconitana.* Joannes Turocius Chron. Hungar. lib. ii. cap. xxxiv. *Marchiam Longobardiæ intraverunt.* Hinc igitur *marchio*, qui Græcis Ἀρχιμάρχης, ac memorato Aimoini lib. v. *limitum Comes* vocatur. Glossarium Latino-Theotiscum: *Marchio*, **marcgrave.** *Marchionem* appellant Constitutiones Caroli Magni. *c* Item Vita Ludovici Pii ab æquali scriptore exarata *d Relictis tantum marchionibus suis, fines regni tuentes, omnes, si forte ingruerent, hostium arcerent incursus.* Quæ, ut alia multa, ex eo ad verbum exscripsit Aimoinus lib. v. cap. ii. Videmus autem, ut hic etiam clarè finium regimen Marchionibus tribuatur. Legas quoque semel, & iterum, apud Ivonem epist. cclx, Petrum de Vineis lib. iii. epist. lxxix, Patres Consilii Pisani ii. *e* Turocium Chronici Hungaric lib. ii. cap. xxxvi. Indeq; in eodem Concilio Pisano *f marchionalis.* Qui verò *marchiones*, ab eadem origine etiam *marchisi* vel Marchisii vocabantur: nempe ut Italis *marcheſe*, Belgis **markys.** Hinc marus epistol iii. ad Episcopos quosdam Franciæ, cap. xxx. *g Si inter Marchisos in qualibet regni parte ad aliud tempus dextra data fuissent.* Matthæus Parisius in Historiæ anno cIↃ ccxliv Wallenses contra Regem. (Henricum iii) & ejus Marchisus, bellum moverunt cruentissimum. Item an. cIↃ cclviii: Angli contermini, quos Marchisios appellamus, irruerent subdito in Wallenses, ac alibi apud eundem sæpius. Reperias quoque apud suppositititium Turpinum de vita Caroli Magni cap. vii. Nicephorus Gregoras: *h* Περὶ Λομβάρδων μαρχίωνος. Ejusdem originis est *Marcgravius*, quasi *Comes limitaneus.* Sed de isto, & cognatis, cap. viii. dictum.

a Editionis Wechelian. 1594. pag. 254. vers. 22

b Pag. 15.

c Pag. 308. edit. Moguntin.

d Pag. 341. ed. Wechel. an. 1594.

e Pag. 117.

f Pag. 173.

g Pag. 35. edit. Moguntina an. 1602.

h Pag. 168.

Marchandisa, merx, mercimonium: à Gallico *marchandise*, quod ipsum tamen Latinæ originis: uti & *marchant*, *marchander*, *marche*. Matthæus Parisius in charta libertatum à Rege Joanne concessarum: *Et mercator eodem modo, salvâ marchandisâ suâ.*

i Pag. 274. vers. 33 edit. Tigur sive pag. 259. 40. edit. Londin. ann. 1640.

Marchio quid signet, jam in *Marca* exposuimus.

Mareschalcus est in LL. Alamannicis Tit. lxxx. *Marschalcus, qui super* xii. *caballos est, XL. solidis componat*, Item in Constitutionibus Neapolitanis,

litanis, sive Siculis, lib. II. Tit. xx. Utitur & Radericus Frisingensis lib. de gestis Friderici I. lib. III. cap. xxvi, Petrus Blesensis epist xiv. Cæsarius lib. VIII. Miracul. cap. xxvi, Petrus de Vineis lib. v. epist. cxxx. Historia Albigensis cap. xlii. *a*. Promot. Concil. Pisani. *b*. Porrò *mareschallus* dicitur molliùs, sed integriùs *mareschalkus*: ut quod sit ex **mare**, id est, equus, & **schalck**, hoc est, servus: uti *Godscalcus* idem ac *Theodulus*, Dei servus. Nempe notat stabuli Comitem, sive præfectum equitum. Clossarium Latino-Theotiscum: *Cavallarius*, **Marischalc**. Ubi *cavallarius*, more seculi, pro *caballarius*, h.e. *caballorum præfectus*. Priorem compositi partem habemus etiam in vocabulo *mervvorphin*: quod est in Legg. Longobard. lib. I. Tit. xxxvi. L. iv. Gloss. *Mervvorphin, aliquem de caballo projecerit*. Nempe ex **mer**, equus, & **worffen**; jacere, pro quo Belgæ **werpen**. Ac hodieque Belgis equa, **merri**. Præterea Germani equum dixere **marc**, vel **march**. Celtis enim equum esse μάρκαν vocatum, Pausanias in Phocicis auctor est. Atque addit, hinc τεθρμαρκίδαν dixisse. Scio, Camerarium malle μάρμαν & τεθρμαρμίδαν. Sed aliter liberi. Nec impedit quicquam, cur non utroque sint usi. Et fortasse **march** contractum ex *marach*. In Alemannicis quidem Legibus est Tit. Lxix. §. II. *Si ille talem equum involaverit, quem Alamanni marach dicunt*. Ac similiter titulo proximo §. II. *Si quis equo, quem Alemanni marach dicunt, oculum exusserit*. Item in Legibus Bojor. tit. xiii. cap. x. Simile vocabulum *seneschallus*; sed alia significatio, ut inferiùs exponetur. A *mareschallus* est *mareschallia*, munus mareschalli. Petrus de Vineis lib. v. epist. lix. *In manibus mareschallia nostræ cautè, & fideliter adsignavit*.

Marestalla, à Saxonico **mar**, vel **mer**, hoc est, equus, & **stal**, h.e. *stabulum*. Notat igitur *equile*. Petrus de Vineis lib. v. epist. lxx. *In nostra marestalla non sunt ad præsens*. Joannes de Thwrocz Chronici Hungarici cap. xii. *Sua etiam maristalla, quam suis exercitualibus in expeditionibus deferebat, pro majori parte de purpura, cæteriisque sericeis pannis, erat præparata. Hæc licet diversarum regionum equorum genere sæpe fuerit repleta: non tamen largus princeps illorum gaudebat de pluralitate: sed illos tũ principibus exercitus sui, tum vero suis militibus, abundanter distribuebat, in tantum, quòd aliquando duos, vel tres, proprio equitandi pro usu vix habebat*. Qui locus clarissimè ostendit, id esse *marestallam*, vel *maristallam*, quod dicebamus. Atque hinc *Maristallus*, equilis præfectus. Ut in vita S. Laurentii, Episcopi Dublinensis:

a Pag. 104.
b Pag. 121.

ensis: *Vir mareſtallus toto corrupto corpore miſerabiliter inflatus erat* De nomine Mareſchalli atque ejus derivatione egit Limnæus 1. Jur. Publ. 3. 10. n 20. & in Notitiâ Regni Franciæ lib. 2. c. 27. p. 1032.

Marmotinus, aureus denarius, ut Albertus Argentinenſis docet in Chronico: *Annuatim debent præſentare ad cameram Papæ unum marmotinum; qui bene noſcitur à curia; & eſt minoris valoris, quàm parvulus florenus de Florentia.*

Marpahis Longobardicâ linguâ ſtrator, ut indicat Paulus diaconus de geſtis Longobard. lib. II. cap. IX, & lib. VI. cap. VI. *Strator* verò quia vocetur, dicent Stewechius ad Veget. & Salmaſius ad Hiſt. Auguſt. Scriptor. Non dubium vero, quin *marpahis*, modò hæc genuina lectio ſit, conflatum fuerit è duabus vocibus; quarum prior ſit **mar**. hoc eſt, equus: poſteriorem ſuſpicabar eſſe **paſſen**, hoc eſt, curare; quomodo dicimus, **op zyn geſont hebt paſſen**, valetudinem curare diligenter; **nergens oppaſſen**, nihil quicquam curare. Sed ſic *marpaſis* potiùs ſcribi debeat. Et in codice Orteliano, ut ait Lindenbrogius, eſt *marhais*: in noſtro verò Mſo, *marahis*, ſolùm trajectis duabus literis; utrobique vero Pextrito. Nec dubito, quin hæc vera ſit lectio; ut *marhais*, ſicut idem Lindenbrogius conjectabat, ſit ab Germanico **haiſſen**, hoc eſt, jubere: vel ſi noſtro codice ſtare malis, ab **hieſſen**, quod idem notat. Belgæ pro eo **heeten**. Erit igitur *marhais* vel *marahis*, equorũ juſſor, hoc eſt, qui imperium in equos obtinet. Similis in fortaſſe compoſitio in **ſchultheis**, pro prætore; à **ſchult**, debitum, mulcta; & eodem **heiſſen**, quia imperium in eos habet, qui ob delictum aliquod mulctam debent. Hoc doctiſſimo Lindenbrogio placuit. Malim tamen deducere à verbo **heiſſchen**, vel **eiſſchen**, hoc eſt, exigere; quia is mulctam exigit ab delinquentib.

Maſca nominatur in Legg. Longobard. lib. I. tit. XI. leg. IX, quæ eſt Rotharis Regis: *Nullus præſumat aldiam alienam, aut ancillam, quaſi ſtrigam, quæ dicitur maſca, occidere; quod Chriſtianis mentibus nullatenus eſt credendum; nec poſſibile eſt, ut homines mulier vivũ intrinſecus poſſit comedere.* Eſt & ejusdem Regis lib. II. tit. IX. leg. III. *Si quis mundium de puella libera, aut lib. muliere habens, eam ſtrigam, quod eſt maſca, clamaverit, excepto patre aut fratre, amittat mundium ipſius.* Ex quibus liquet, *maſca* eſſe idem ac venefica, vel malefica; quod genus antiqui dixere *ſtriges*, barbari *ſtrigas*: ut ſuo loco, nempe in barbaris Latinæ originis, explicabitur.

Maſcauta, vel *maſcauda*, œnophorus, vas vinarium. Leges eam

vocem apud veterem Juvenalis interpretem in libro vetusto, ut observatum aliis. Glossæ antiquæ: *Macusta* μάνυα. Ubi Salmasius *a* emendat, *Mascauta*. Ac firmat, quòd μάνυα in Glossis exponatur viniferum, sive œnophorum. *Baucam*, pro cyatho, etiã apud Anastasiũ biblioth. invenias: imò pro eodem & *caucam* dicere; ut cap. IV. ostensum.

a Ad Trebellium Poll. pag. 333.

Medus, & *medo*, idem notant. Fortunatus de vita S. Radegundis lib. I. *Potum vero, præter aquam mulsam, atque pyratium, non bibit: non vini puritatem, non medi decoctionem, cervisiaque turbedinem.* Beda Presbyter de Remediis peccatorum cap. VII. *In unaquaque septimana tres dies sine vino, & medone, & carne; & jejunet usq; ad vesperam.* Ubi alternos dies signat; nempe secundum, quartum, sextum. Item habes in Pœnitentiali Romano Tit. I, qui est de Homicidio, cap. XI, ex decreto Pii Papæ: *Vinum, & medonem, & mellitam, & cervisiam, nunquam bibat: nisi in illis præditis diebus.* Etiam sic vocat Tageno, decanus Patavinus, de expeditione Cæsaris Barbarossæ in Palæstinam, Matthæus Parisius in vita Gaufridi, sextidecimi abbatis S. Albani, Andreas, Presbyter Ratisponensis, in Chronico ducum Bavariæ, Æneas Sylvius Historiæ Bohemiæ cap. VIII. Imò & μίδος similiter vocatur Prisco in Eclogis de Legat. Quid verò sit, partim Æn. Sylvius loco memorato indicat, partim, ad superiorem Pœnitentialis Romani locum annotavit Tarraconensis archiepiscopus, Antonius Augustinus, vir non minori doctrinâ, quàm dignitate: *Mellitam conjicio esse cum melle confectam potionem: cervisa, vel cervisia, potio nota est Germanis, & Britannis. Medonem ignoro; sed potionis genus esse apparet.* Mihi sic videtur, *mellitam* esse cervisam mellitam. Sanè *& vino, & medone, ac mellita cervisa abstinere*, jubet concilium Tiburiense cap. LVI. & LVIII. *Cervisa*, an *cervisia*, dicas, nihil refert; quando utrumque apud veteres reperias, non librariorum culpâ, sed diversa auctorum consuetudine: quod Mssi clarè docent. *Medo*, autem, vel *medus*, dicitur *hydromeli*, sive aqua mulsa, ex Germanico **meeth**, sive Belgico, uti & Anglico, **mede**. De quo dispiciendum, utrùm origine sit Saxonicum; an Græcum, à μίδη, id est, vinum, cujus loco bibitur: vel Latinum à *melle*, ut *medo* dicatur quasi *melo*; simili literarum mutatione, ac à μελετάω est *meditari*. Sed magis placet, ut & Græcum μέλι, unde *mel*; & Saxonicum **meeth**; à communi sint origine; qualis erit, si veniant ab Hebræo מלץ, hoc est *dulcescere*. Ac firmat hanc opinionem, quòd etiam Bohemi pro melle dicant *med*: ut linguas alias præteream.

Mel-

Melseta legas in Constitutionibus Siculis, sive Neapolitanis. lib. I. tit. XVI. *Si quando in locis ipsis, aut circa rixas, quæ vulgariter melsetæ dicuntur, injurias, violentias, aut hujusmodi flagitia, forte prænoverint committenda.* Unde colligas, rixis vehementibus convenire, ac è quibus majora pullulent mala.

Methium in glossario exponitur sponsalitia, vel nuptialis donatio. Longobard. Legg. lib. I. tit. IV. L. III. *Nulli sit licentia conjugi suæ de rebus suis dare amplius per qualecumque ingenium, nisi quod ei in die votorum in methio, & morgengab, dederit.* Sed & alibi in iisdem occurrit. Amicissimo, dum viveret, Matthiæ Martinio accessero non invitus, qui venire censet *a* à Saxonico **meden**/ pro quo Germanorum alii **miten**/vel **mieden**. Hoc est, mercede conducere; quod Græci μισθῶ.

a De Etymologico, voce *metia*.

Minera à Germanico **myne**/unde suum vocabulum accepere cũ Itali, Galli, Hispani, tum Angli item. Notat matricem, sive venam terræ metallicam. Sic utitur aurea bulla Caroli IV. Indeque Philosophis *mineralia*. Fortasse autem *minera* à *minando*, posteriorum sæculorum verbo, pro *ducere*: ac particulatim pro facere ductus subterraneos, sive cuniculos. Sanè ut **myne** cuniculos, ita **myneren** barbaris *minare*, Latinis *agere cuniculos*. Atque hinc *minitores*, fossores, qui cuniculos agunt. Comes S. Pauli epistolâ de Constantinopoli captâ, ad Ducem de Lovanio, sive Brabantiæ, exaratâ *b*: *Super turri autem illa locuti fuimus cum duce Veneti, viro prudentissimo, & discreto, dicentes ei, quòd nullo modo posset capi, nisi per minitores, & petrarias caperetur.* Et post aliqua multa: *Minitores verò muros inferius subcavantes unam turrim straverunt.* De *minandi* verbo, pro *pecus agere*, diximus in verbis alienâ significatione usurpatis.

b Apud Gotefridum monachum S. Pantaleonis, ad an. 1203. Habes in scriptoribus Rerum Germanicarum à Freshero editis. pag. 269. & 270.

Mordrum, vel *murdrum*, pro morte violenta, homicidii genere, quod occultè & cogitatè ex præcogitatâ malitiâ perpetratur. Inde **Mordt** & **Morthaat** Saxonibus, ac Longobardis; uti hodieque Belgis **Moord**. Legg. Saxon. tit. II. §. VI. *Si mordrum totum quis fecerit, componatur primò in simplo, juxta conditionem suam.* Crebrum in Legibus Anglicanis. Ita lex Guilielmi Nothi, sive Conquæstoris: *De perjurio, aut murdro, aut furto, aut homicidio.* Et LL. Henrici I. Angl. R. cap. XI. De jure Regis: *Hæc sunt jura, quæ Rex Anglia solus, & super omnes habet in terra sua — murdrum, falsaria monete sue, incendium, hamsockna* &c. Item in Assi-

sis

sis Henrici II. Clarendonæ editis: Hæc assisa attinebit — in murdro, & proditione, & iniqua combustione, & in omnibus prædictis; nisi in minutis furtis, & roberiis, quæ factæ fuerunt tempore guerræ; sicut de equis, & bobus, & minoribus rebus. Matthæus Parisius in anno cIↃccxvi. Quod (Johannes Angliæ Rex) Arthurum, nepotem suum, propriis manibus per proditionem interfecit pessimo mortis genere, quod Angli murdrũ appellant. Etiam mortridũ dixere, vel mordridũ. Concilium Aurelianense apud Ivonem part. ix. cap. lxx. Qui sponte per fraudem, & avaritiam, hominem innoxiũ occiderit, quod mortridum vocant. Item Concilium Maguntinense, in Pœnitentiali Romano lib. iii. cap. viii. Per fraudem, & avaritiam, hominem occidunt, quod morthridum vocant. Ita rectè corrigit Lindenbrogius; ubi morchidũ ab Antonio Augustino editum. Est in legg. Frisiorum Tit. xx. §. ii. *Si quis hominem occiderit, & absconderit, quod mordritum.* Item Legibus Boiorum Tit. xviii. cap. ii. & Ripuar. Tit. xv. Sed & pro eo *mortandum* legas in Legg. Alamannicis, & Longobardicis: ut satis liqueat, Germaniæ gentes in hoc vocabulo solâ dialecto variâsse. A mundrum est mundrare, **moorden**: unde murdrator & murdrator, sicarius, homicida; murdratus, interfectus. Murdrator est apud Hovedenum pag. cccxlv. Alterum est in LL. Eduardi Confessoris cap. xv. Sin infra tempus annuum, non posset teneri (murdrator) parentes murdrati sex marcas haberent. Videntur & dixisse pro eo murdidrare; nam in Synodo, celebrata apud Theodonis villam, legas de episcopo Joanne inhonestè & inauditè mordridato. Ac Vitus Amerpachius corrigendum putat in Constitutione Caroli M.[a] servum, quem mordricavit: ubi vulgò mordricum.

[a] Pag. 296. edit. Mog. ann. 1602.

Morgengeba, crebrum in Legibus antiquis; uti Ripuariis, Alaman. Burgund. Longobardicis. Pro eo morganagiba est apud Gregorium Turonensem lib. ix. cap. xx. Tam in dote, quam in morganagiba, h. e. mantutinali dote. **Morgengab** vocatur Speculi Saxonici lib. i. Art. xx. ex **morgen**/hoc est mane, & **gab**. donum, Belgis **morgengave**/vel **morgengifre**. Feudistæ pro eo ajunt morganatica; nempe sic dicitur donatio propter nuptias, quæ fieret matutino tempore ante nuptiale convivium. Diversam fuisse à dote, etsi utraque fieret à sponso, vel sponsi parente; satis indicant Gregorii Turonensis verba, quæ adduximus. Vide & Marculphi Monachi librum ii. form. xv. Hotomanni Lex. V. Morganatica; Lindebrogii Gloss. V. Morgengaba.

Mos

Mos Germanis pro palude dictum videtur: nempe pro **more**, ex **morasch**: quod vel à Belgico **more**, (Flandri utuntur) pro **moer**, **moor**/**modder**, hoc est, cœnum, lutum, limus: vel à **meer**, sive **maer**, id est, mare, unde & **maer**, sive **meer**, deflexum. Rheginо abbas Chronicorum libro II ad ann. Ɔccc LXXX: *Castrum munitissimum, quod Mosburgk* †*nũcupatur, eò quòd palude impenetrabili locus vallatus.*

† *Ita utraque Francofurtensis editio, & prior anni 1566, & Wechelіana Pictorii an. 1583.*

Muffula, chirotheca hiberna, ex German. ac Belgico **moffel**, pro quo Galli *mouffle*. At chirotheca, quam non æstate minùs, quàm hieme, gestamus, *vvantus* ex Germ. & Belg. **wante**; pro quo Galli *gante*, Itali *ganto*, Hispan. *guante*. Utrumque habes in Additione primâ Capitulorum Caroli M. & Ludovici Pii, cap. XII: *Abbas omnino provideat, ut unusquisque monachorum habeat —— vvantos in æstate, muffulas in hieme vervecinas.* Ac posterius etiam legas cap. LXXIX.

Mumia caro hominis balsamo, vel myrrhâ, & aloë, aut asphalto, adversus corruptionem condita. Habet & conservandi vim mel, ac cera: ut propriè inde origo possit arcessi. Sanè Arabibus מם, mum, *cera*.

Mundium nunc generatim potestatem, nunc particulatim tutelam, notat. Constitutio Karoli Magni †: *De mancipiis palatii nostri, & Ecclesiarum nostrarum, nolumus mundium recipere; sed nostra ipsa mancipia habere.* Longobard. Legg. lib. II. Tit. X. leg. I: *In sua potestatis arbitrio, id est, sine mundio vivere.* Et Tit. XXXIV L. IV: *In alterius mundio esse.* Tit. XIV. leg. XV. *Pro mundio puellæ tollant naturales filii tertiam partem.* Et eodem Tit. L. VIII, & IX: *Mundium puellæ parentibus mortuis ad curtem redit.* Est autem *mundium* à **mund**, h. e. os: quia qui alterius est tutor, ei sit vice oris. Vel ab antiquo **munden**. h. e. loqui, quod ab eodem **mund**, ut *orare* ab *os*: quia nempe tutor loquitur pro pupillo. Hinc & idem tutor **formunde**, vel **voormunde**, quasi *pro ore*, vel pro altero loquens. Nisi potius à verbo **ver-monden**, quod Latinis *eloqui, effari*. Ab eadem origine sunt *mundius*, & *mundialis*. *Mundius* dicitur, qui sibi pro ore est, ut Belgis **mondich**. i. puber, extra tutelam constitutus. Qui & *amund*, vel *amond*, in Legg. Longobardicis lib. II. Tit. XII L. VI: *Si Dominus ancillæ eam liberaverit, & amond fecerit à se.* Ubi *amond* notat liberam à tutela. Vox conflata ex privativo a*, & Saxonico **munde**, hoc est, tutela, defensio. Similiter Tit. XXXII. Leg. IV: *Nulli liceat aldio cujuscunq; qui amund factus non est, sine voluntate patroni sui, terram, aut mancipium vendere, neque liberum dimittere.* Habes & ejusdem lib. II. Tit. II, Tit. XXXIV de manumissionibus Leg. I.

† *Constitutionum Carolinarum pag. 270. edit. Mogunt. an. 1602.*

* *Quale in* amacht, *pro* on-macht, *impotentia animi*, awyß, *pro* on-wyß, *amens*.

Mundialis verò, qui sub tutela est. Flodoardus Histor. Rhemensis lib. II. cap. XIX : *Non dubito, tua id notum esse caritati, quanta nobis Ecclesiastica disciplinæ, quantusque nostrorum necessitatibus subditorum, & insuper mundialium oppressionibus, quibus quotidie agitamur, cura constringat.* Pro tutela etiam dixere *mundeburde*, vel *mundeburdium*: ut Anglosaxones **mundbyrd**, & **mundboran**. Vocem esse Francicam quæ propriè significet, *tutelam ingenuæ puellæ*, & generaliter *quamvis tutelam*, item *jus Patronatus*, notavit Lazius de Gentium migrat. lib. 3. p. 60. Utitur Burchardus lib. XIX. Decret. † ex Pœnitentiali Romano: *Rapuisti uxorem tuam, & vi sine voluntate mulieris, vel parentum, in quorum mundiburdio tenebatur, illam abduxisti.* Atque hinc lucem capit, quod sæpius legimus, Episcopos fuisse in mundiburdio, hoc est, tuitione, sive defensione Majoris domus, vel ipsius Regis. Exemplo fuerit diploma à Carolo Martello, Majore domûs, datum S. Bonifacio; quod habes apud Pithœum in Glossario, verbo *Missus S. Petri*. Inter alia legas : *Cognoscatis, qualiter Apostolicus vir in Christo pater Bonifacius Episcopus, Missus S. Petri, ad nos venit, & nobis suggessit, quòd sub nostro mundeburde, vel defensione, eum recipere debeamus: quod ita nos gratanti animo fecisse cognoscite. Proinde nos taliter visi fecimus ei manu nostrâ roboratam dare, ut, ubicunque ambulare videtur, cum nostro amore, vel sub nostro mundeburde, & defensione, quietus, & conservatus esse debeat.* Integrarum par ratio Ecclesiarum, & monasteriorum: unde Synodus Confluentina an. DCCCLX; ubi exponit fœdus Caroli, & Ludovici regum: *Volumus, ut Ecclesiæ, & Casæ Dei, & Episcopi, & Dei homines clerici, monachi, & nonna, talem mundeburdem, & honorem habeant, sicut tempore antecessorum nostrorum habuerunt.* Chronicon Laurisheimense*: *Monasterium, cum omnibus illuc pertinentibus, in manus, & mundeburdem gloriosi Regis Karoli tradidit.* Habes & in Legg. Baioar. & Ripuar. ac veteribus Formulis. *Mundualdus* in Legg. Longob. & Siculis, tutor; ubi posterior pars vocis est **wald**, potestas : pro quo Belgæ **ge-welt**. Saxonibus **gemundian**, tutari, protegere. G crebrò in I consonum abire solet: unde *jamundlingi*, pro **gemundling**; qui se bonáque sua commiserint potestati Episcopi, vel Abbatis : quod facere plerique solent, quo effugerent militiam, aliáque reip. onera. Privilegium Othonis Imp. monasteriis concessum, supplicatione Adaldagi Episcopi: *Si verò aliquis ex libertate voluerit, vel litus fieri, aut etiam colonus ad monasteria supradicta, cum consensu coheredum suorum, non prohibetur.* Pro

† Pag 268

* Scriptoribus rerum Germanicarum editis à Marquardo Frebero pag. 59.

mun-

mundeburde, & *mundeburdium*, etiam legas *mundeburde*, & *mandeburgium*: nempe ut Galli pro tutela *mamburnie*: quod apud Froſſardum Vol.1 cap. CLV. Ac Belgis quoque tutor non ſolùm **momboor**, vel **momber**: ſed etiam **mamboer**: unde & vulgo *mamburgius*, *mamburmus*, & *mamburnus*, pro tutore: item à *mamburnius*, *mamburnire*, pro tueri: ut apud Hugonem Floreſſienſem Canonicum, in vita B. Iuettæ, ſive Juttæ, viduæ Recluſæ, cap. IX†: *Timens* (pater Juttæ) *ne pueros contingeret exheredari, per diſtractionem bonorum, quæ fiebat à matre; abſtulit quidem ei filios aliquamdiu, ut rerum minus eſſet compos ipſa, nec vendere poſſet jus hæreditatis ipſorum abſque conſcientia.* (ſui patris) *qui quaſi pueros mamburnire videbatur.*

† E Mſo Aub. Mirai cod. edidit Bollandus in vitis Sanctorum ad 13 Ian.

Murtiplo, flos cordis, exponitur Gunthero Monacho in Hiſtor. Conſtantinopol. De quo plura Meurſius in Gloſſario, voce Μυρτζυφλος.

Muſius, & *muſio*, pro fele, quia mures captat. Nam animalculum hoc, ut *mus*, Latinis, μῦς Græcis, ita Germanis etiam **mauſz**, Belgis **muys**, Anglis a **mouſe**: cuncta fortaſſe ab origine Hebræa, quia מוס recedere. Nam recedit de die, ſeque abdit latebris, inde proditurus de nocte. Iſidorus Originum lib. XII. cap. II: *Muſio appellatus, quod muribus infeſtus ſit.* Gloſſæ Arabicolatinæ: *Muſium, cattum, ab eo, quòd catat, id eſt, videt.* Sed de *catandi*, ſeu *cattandi* verbo inferiùs dicetur.

Muſſum, pro ſarmentis, ac virgultis, ex Germanico, ac Belgico, **mutſaert**. Cæſarius lib. VI. Miracul. cap. V: *Cùm pauperes muſſo, quem de nemore collegerant, oneratos præterire cerneret, emeret ipſe.*

Muta ſubſtantivè acceptum Latinobarbaris idem ac cavea, aviarium, locus quò ſe aves recipiunt, quando pennas mutant. Fridericus II. Imper. in prologo lib. II de Venatione: *Quædam in conſervando ſanas, etiam quando jam mutant pennas, ut domuncula, quæ dicitur muta.* Imò & μοῦτα ſimiliter Græci: ut Demetrius Conſtantinopolitanus Hieracoſophii lib. II. cap. XLIX, & LIII; qui & μουλεύειν ibidem dicit, pro includere in mutam. Eſt verò *muta*, non à *mutando*, ut arbitror; ſed à Germanico, & Belgico **muyte**, quod idem notat: indeque Italicum *muda*, vel *muta*, Gallicum *mue*. Etiam *muta* ſumitur pro ſquilla, hoc eſt, Skella, ſive tintinnabulo. Matthæus Pariſius in vita Joannis, XXIII. Abbatis S. Albani: *Tactânolâ, cui Muta, vel Scilla, eſt nomen, terminetur ſonus ille.*

* *Inſcriptoribus Bohemicarum pag. 35. edit. Wechel. an. 1602.*

Mutoninus, pro ovillus, vel vervecinus, à Gallico *muton*, vervex. Chronicon Aulæ Regiæ de Joanne Bohemiæ rege, cap. X*: *Inventa fuit quædam pellis mutonina, intus, & foris, Hebraicè conſcripta.*

est, ignis. Lindenbrogius ad leges antiquas annotavit, homines rusticos, festo S. Joannis, palo, quem è sepimento extraxissent, circumligâsse funem, ac traxisse huc illuc, donec ignem conciperent; eum stipulâ, ac sarmentis, foviisse, cineres super olera sparsisse, eò quòd putarent, hoc pacto abigi erucas: ac propterea hunc ignem *nodfir*, hoc est, ignem necessarium, nuncupâsse.

Neufrasis sit κεφαλαλγία, sive capitis dolor, si credere fas Gemmæ vocabulorum, ubi legas: *Neufrasis*, hooft-swecr. *Inde neufraticus*, hooft-sweevich. Commentum id unde sit haustum, necdum conjiceve possum.

Nonna quæ dicatur, & unde sit ea vox accepta, exposui lib. I. cap VI. Porrò convenit hoc nomen, tum virginibus, tum viduis, tum etiam meretricibus quondam, sed pœnitentibus. Hoc abunde ostendunt loca veterum, quæ adducam. B. Hieronymus epist. XXII. ad Eustochium de virginitate servandâ: *Quia*, inquit, *maritorum experta dominatum, viduitatis præferunt libertatem, Casta vocantur, & Nonna.* Idem prologum vitæ. S. Hilarionis sic orditur: *In sanctis orationibus tuis memento mei, decus ac dignitas virginum, nonna Asella.* Pelagius, Romanæ Ecclesiæ diaconus, de doctrinâ, & perfectione Sanctorum Patrum libro VII, qui est de patientia, & fortitudine, §. X: *Nonna illa, veni nobiscum ad balneum.* Ubi in Parisiana est *nonne*: sed Rosweidus rectè vidit, *nonna* reponi oportere. Ait verò, *nonna illa*, quasi diceret, ô nonna, cujus nomen nescio, aut non occurrit, aut quod dicere nolim. Ut hic *illa* sumatur, sicuti Græci usurpant suum ἐκεῖνα, Hebræi פלמוני *palmoni*, ut est Daniëlis VIII. 13: pro quo LXX φελμωνί*. Bonifacius epist. XIX: *Si reus inventus fuerit, ut cum velata, & consecrata Domino nonna concubuisset.* Et ibidem, *Fornicantem per monasteria nonnarum.* Apud Benedictum Levitam Capitularium lib. V cap. II: *Similiter & nonna velata eâdem pœnitentiâ contineantur, & radantur omnes capilli capitis earũ.* Quę verba ex synodo à S. Bonifacio sub Carolomanno habitâ anno Ↄ CC XLII. Itẽ apud eundẽ cap. seq. III: *Similiter, & monachi, & nonna.* Quæ ex synodo Leptinensi. Paullus Diaconus in vita Mariæ Ægyptiacæ cap. XVII: *Accipe hæc nonna*: ubi sic Maria vocatur, quæ inter pœnitentes erat. Walafridus de vita S. Galli cap. XVI: *Cur filiam tuam, quam nonna illa de te concepit, & genuit, non fecisti tecum venire?* Anastasius bibliothecarius in vita S. Joannis Eleemosynarii cap. X:

* Sive פלני אלמני Poloni Almini, Ruth cap. 4. vers. 1 מלן pelan, Hispanis inde fulano.

Obsecro te nonna, Hac tantùm voluisti dare Christo, an aliud aliquid? Et cap. XLVI: *Occasione nonna Pelagia, quondam meretricis.* Bandonia de vita S. Radegundis lib. II. †: *Nonnam suam Tridovigiam.* Caroli Calvi Constitut. lib. V tit. XXVI. in adnunciatione H Ludovici Regis cap. IV: *Clerici, & monachi, & nonna.* Quæ & ipsa verba habes tit. seq. Flodoardus lib. III. cap. XXVII, de Hincmari Epistolis: *Teutbergæ Abbatissæ pro ordinatione Avennaci monasterii, de numero clericorum, & nonnorum, significans se disposuisse* XX *clericos, &* XL *nonnas ibidem consistere posse.* Flotilda in Visionibus: *De quo cùm requisisset, audivit, quòd nonna fieri deberet.* Habes verò & νόννος vocabulum apud Xiphilinum in Domitiano. Moschopulus καὶ χιδῶν *: Νόννος, χύσις.* Nec *nonna* solùm; sed etiam, de maribus, *nonnus* dixere. B. Hieronymus epist. XLVII: *Quæ, in adulationem tui, sanctum nonnumquam coram te vocat.* Arnobius junior, (qui annis prope ducentis post ὁμώνυμον adversus nationes scriptorem claruit,) in Psam. CV: *Si ille, qui sanctus vocatur, & nonnus, sic agit; ego quis, & quotus sum, ut non agam?* Et in Psam. CXL: *Adulantes nobis invicem in præsenti positi, sanctos nos vocamus, & nõnos.* Regula S. Benedicti, qui añ obiit Io XLII. †: *Priores, juniores suos, Fratres nominent: juniores autem Priores suos Nonnos vocent, quod intelligitur paterna reverentia.* Et inde Synodus Aquisgranensis, anno habita Io CCCXVI: *Ut qui præponuntur, Nonni vocentur, hoc est, paterna reverentia.* Quæ ipsa verba, præter additam interpretationem, ex hac synodo habes Additione Kapitularium I, cap. LIV. Cæsarius lib. I Miracul. cap. VII. *Hæc mihi dicta sunt à nonno Frederico monacho, qui tunc præsens fuit, cùm vir sanctus ista peroravit.* Item cap. XXVII: *Et sicut mihi dicere solitus erat nonnus Conradus, senex monachus noster.* Et cap. XXXV: *Nonnus Theodericus de Lureke, tunc novitius, quondam Canonicus Bononiensis.* Adhæc lib. III cap. XXXIII: *Cùm videritis nonnum Conradum, novitium Vilariensem, dicite ei, ut caveat sibi.* Item lib. V cap. V: *Novitius iste nonnus Alexander fuit, nunc Prior in Claustro.*

† *Apud Surium in Vitis Sanctorum ad 13. Aug.*

* Pag 91.

† *Leo Marsicanus Chronici Casinensis lib. I. cap. I.*

Nonnana etiam, vel *nonnanis*, pro *nonna*, dixere; & *nonnanus*, pro *nonnus*. Ita apud Ansegisum in Kapitul. Karoli M. lib. I cap. XVII lemma est: *De Clericis, & nonnanis.* Ac subditur Canon: *Quod non oporteat mulieres ad altare ingredi.* Item apud Benedictum Levitam lib. V. cap. LXXVIII: *Ut condignam professioni eorum custodiam habeant canonici,*

vel

monachi, atque nonnanes, ne detur eis occasio malefaciendi, quod absit. Similiter lib. VII. cap. CCCXVI : penè iisdem verbis, quibus retulimus paullò antè ex lib. V cap. II. Sed illic *nonna*, hic *nonnanes*. Traditiones Fuldenses lib. II, n. XXXVIII*: *Reliquiæ, quas Einhildis abbatissa donavit, & tradidit illis nonnanis.* Atque hinc Gallis *nonnains*. * Pag. 509

Notnumfti in Glossario Latino-Theotisco exponitur *violentia*. AC in LL. Frisiorum Titulus est *de Notnumfet*. Lex verò incipit: *Si quis rem quamlibet vi rapuerit*. Lindenbrogius-addit in Glossario, legi eamps̃e vocem in Speculo Saxonico lib. I. Artic. XLIII. Nam ubi *Latinè* est, *Violentiarum actione*, Germanicè esse, **Notnumfftige klage**. Et lib. III. artic. I, germanicè legi. **Alle levende ding / dat in der notnunfft was / dat schal men houeden**. Ubi *Latinè*, *Omnia hujus reatui* (violentiæ) *præsentia animalia ut decollentur*. Sermo autem est de pœna, quæ domum, & jumenta maneat, uxore alicujus, aut filiâ violatâ. Cæterùm in Lipsiensi editione anni cIↃ IↃ LXI, neutro in loco reperio **nodnumfftige**: sed priori quidem, **in nothafftige klagen**: posteriori autem, **bei der nothogung**.

Novigildus quid, & unde sit, liquet ex iis, quæ in *Geldus* diximus, & in *Octogild* cap. proximo adferemus.

Nusca, orbiculus ille, cui hamus sive uncus immittitur. Glossar. Latinotheotiscum: *Fibula, nusca*. *Fibula* est aduncum illud, quod orbiculo immittitur: *Græci* περόνη vocant, quia transfigat; unde & *fibulæ morsum* dicit poëta. Belgis **gespe**. *Nusca* verò est ab Germanico, & Belgico, **noesch**, vel **nuesch**. h. e. obliquus. Habes in legibus Angliorum, & Werinorum, Tit. VI. §. VI: *Mater moriens filio terram, mancipia, pecuniâ dimittat: filiæ verò spolia colli, id est, murenas, nuscas, monilia, inaures, vestes, armillas, vel quicquid ornamenti proprii videbatur habuisse.*

CAP. XIV.

De cæptis ab O: qualia oberos, *pro villæ ruptura: ac pro carceris custode,* obscurio; *qui &* scurio, *vel* scurro, *dictus videtur.* Octogilt, *pro* octuplici *mulcta: ubi & de* niungeldo, *quasi novem geldis, seu gildis; item* angilde *pro simplici pretio;* bigild, *&* trigild, *pro duplici, & triplici geldo.* Offa, *pro loculo non dici, sed* noffo, *vel* naufo. Olca, *pro agro fœcundo.* Ordaleum *pro purgatione per ferrum candens, vel aquam.* Ostarhalt, *pro orientalis maris sinu.*

De

DE incipientibus à quarta vocali nunc videamus.

Oberos habes in *Legg. Longobard.* lib. I tit. XXXVI. §. IV: *Si servus Regis oberos fecerit.* Quid verò sit, inde non colligas: at ejusdem libri Tit. XXIV *Leg.* V. & VI: ubi idem dicuntur *oberos*, & *curtis ruptura.* Per *curtem* intellige villam, vel hortum, more gallico: Germani pro eo **obe**, vel cum spiritu **hobe**, quod nobis **hoeve**: posterior vocis pars est **ros**, vel **ris**, sive **risse**, quod aliis **rete**, h. e. ruptura; uti quod nobis **ryten**, id Germanis **reissen**, sicut Græcis ῥήγνυμι, *rumpere.*

Obscariones, carcerum custodes, ut glossarium exponit. *Legg. Longobard.* tit. LV. leg. XIX: *Causa per sacramentum obscariorũ cum actoribus finiatur*, Chronicon Sangallense lib. II. de Carolo Magno†: *Dixit nominatus, non revera Episcopus, ad ostiarium, vel scarionem suum; cujus dignitatis, aut ministerii viri, apud antiquos Romanos edilitiorum nomine censebantur.* Ac suspicatur doctissimus Lindenbrogius, eundem *scurionem* vel *scurronem*, vocari in martyrologio veteri: ubi in vita S. Victoris legas: *Amputatum est caput ejus ab scurione.* Et post pauca: *Fecit eas incendi ante se ab scurrone.*

† Pag. 378

Octogild, vel *octogilt*, pro octuplici valore, æstimatione, mulcta: à *geldum*, seu *gildum*; de quo vidimus cap. VIII. Papias: *Octogilt, mulcta octo denariorum.* Ulæ *Leges* Longobardicæ lib. I. tit. VIII. leg. I; tit. XIX, leg. VI, & XII I; ac aliàs sæpe. Similéque *novigildus*, pro novemplici valore, vel mulcta. Lex Burgundionum tit. VIII §. I: *Et post sacramentum potuerit fortè convinci, in novigildo se noverit redditurum.* Et tit. IX: *In novigildo secundùm pretia à nobis constituta.* Similiter tit. XIX. §. XI, & alibi. Item in legg. Alamannicis, & Boicis. Pro eo & *niungeltum* legas. Nempe, pro varia dialecto gentium Germaniæ, variabat hoc vocabulum. Nec compositâ semper voce usi, sed etiam partibus ejus dissolutis. Lex Alamann. à Goldasto edita tit. XLIX: *Siquis liberum de terra effodierit, quicquid ibi tulerit, novem geldis restituat.* Atque hæc de *gildi* voce cum numero octono, vel noveno. At verò etiam conflatur cum unitate, duplo, triplo. Nam *angilde, angildus*, vel *angildum*, dixere de simplici valore, ex Saxonico **an**, pro **een**, & *gildi* vocabulo. LL. Inæ can. XX: *Si tuus geneath, id est, villanus, furetur, & aufugerit, admone eum de angelde: & si non habeat, redde tu angelde, & non sit ei in aliquo remissius.* Ac pluribus id probarem, nisi jam feciſſet in glossario suo Spelmannus. Pro *angelde* etiam ἀγγέλδ dicitur *uno gildo.* LL. Inæ

Inæ Mſſæ prope finem: *Siquis rectum declinet, vel aufugiat, perſolvat xxx gilde.* De Duplo, & triplo, quod dixi, liquet ex twigild, pro duplici valore, à twi, vel twee / hoc eſt, duobus; & *trigild*, à tri, vel drie, hoc eſt, tribus. *Trigildum* habes in LL. Burgundicis tit. LXII, & LL. Alfredi Reg. Anglo-Saxon. cap. XL. item Alfredi, & Gurtranni Reg. cap. III, Juticar. lib. II cap. XCVII, XCIX, atque alijs. Atque ibidem & twygield reperias.

Offa, vel *aufa*, vaſis genus eſſe, ac ſic uſurpari in L. Salica Tit. XVII §. VIII, traditum ei, qui Clemangi gloſſas addidit. Sed legendum *noffo*, vel *naufo*, quod ligneum capulum notat: ut ſuperiori cap. obſervatum.

Olca Gallicum: de quo ſic Gregorius Turonenſis de Gloria Confeſſorum cap. LXXIX: *Haut procul à baſilica campus tellure fecundus (tales enim incolæ olcas vocant) & hic datus baſilicæ ſanctæ fuerit.*

Ordaleum Saxonibus, & Anglis, dicebatur probatio per aquam gelidam, vel fervidam, aut candens ferrum: de qua multa Iuretus ad Ivonis epiſtolam LXXIV. *Ordaleum* idem, ac Germanicum, & Belgicum oordeel, h.e. judicium. Quippe probatio hæc *judicium* dicta, quòd vox illa ſonat. Itaque eum, qui aquâ frigidâ probandus erat, ſic adjurabant: *Adjuro te per evocationẽ Domini noſtri Jeſu Chriſti, & per judiciũ aqua frigida; adjuro te per Patrem, & Filium, & Spirit. S.* &c. Candentium vomerum judicium ſubiit Emma, mater Regis Eduardi Confeſſoris: de quo Ranulphus Ceſtrenſis lib. VI cap. XXIII: ut præteream Polydorum Virgilium, & Nicolaum Harpsfeldium; qui pleniùs de Ordaleo perſcripſit.

Oſtarſalt, ex German. & Dan. ooſt, orientale, & ſalt, id eſt, ſal, ſalum. Ita Aimoinus lib. IV de geſtis Francorum cap XCVI. Firmat quoq; Rhegino abbas, Chronicorum lib. II: *Ab Orientalis maris ſinu, quem illi Hoſarſalet dicunt.* Ubi *Oſtarſalt*, vel *Hoſtarſalet*, malim.

CAP. XV.

Acceſſum ad ea, quibus princeps litera eſt P. Palefredus, *vel* palfredus, *pro equo.* Pallingus, *pro palmus, apud Luitprandum vitioſè ſcriptum videri.* Pancerea, *pro loricâ hamis conſertâ.* Parcus, *pro ſepto.* Partica, *pro corio.* Perruqua, *pro galericulo.* Perulus, *pro unione, vel margarita.* Pinca, *pro ſubula.* Pitancia, *pro ciborum deliciis.* Ploum,

pro aratro bixoti, Pluslaib, *de ictu vulnus faciente, & livorem corporis*. Prisona, *pro carcere*, prisones, *vel* prisiones, *pro captivis, sive in carcerem compactis*: prisonerius, *pro eo, qui alterum conjecerit in carcerem*: imprisonare, *pro in carcerem mittere*. Procolpus, *pro ictu* Propina, *pro oblatione gratuita. Alamannica esse* pulepruft, *pro vulnere ex ictu*: pul slach, *pro tumore*, ex eodem.

PRoximum in literis locum obtinet P: unde quibus, ortu ipso barbaris, initium sit, nunc carptim explicabo.

Palefredus vel *palfredus*, equus; non tamen simpliciter; nec enim mansionarius, sed cursualis exponi solet: ac crediter esse à Gallico *palefroi*, unde *palefrenier* hippocomus, equorum, ac stabuli curator. †Pagina 156 *Palefrenarius* is in Concilio Pisano II †. Sed origine est Latinum; non quidem à parandis frenis, quod est in gallico Roberti Stephani dictionario *; sed à *paraveredus*: quâ de voce, ac eâdem de illâ *palefredi*, & alijs, dicemus in vocibus barbaris originis Latinæ. Nunc contentus ero, loco penè alieno, unicum adferre locum Guilielmi Tyrij, belli Sacri lib. XIII cap. XXVII: *Miserat prædicto nobili viro, per quendam familiarem suum, palefredum albissimum, argento ferratum, freno, & cæteris argenteis phaleris redimitum, exemeto coopertum albissimo, ut in omnibus candor niveus consonaret*. Ex Gallicis verbis *par le frain* componit Palefredum Mericus Casaubonus de ling. Angl. vet. p. 186.

*Anni 1549

Pallingus dispiciendum an medio ævo dixerint. Apud Luitprandũ, in Legatione ad Imperat. Nicephorum Phocam, habes †: *Residentibus nobis ad mensam sine latitudine longam, pallingi latitudine tectam, longitudine seminudam*. Equidem assentio ijs, qui *pallij*, vel, quod longè malim, quadam ὑπερῴαν, *palmi* legunt pro *pallingi*.

†Pag. 99 ed. Ingolstadiens. an. 1600.

Pancerea est illud pectoris tegumentum, quod græci vocant θώρακα λεπιδωτὸν, vel φολιδωτὸν, Latini loricam squamis horrentem, sive ex annulis æneis aut ferreis textilem. Est ea vox ex Germanico panzer, sive Belgico panser; pro quo & Itali *panziera*. Constitutiones Neapolitanę lib. I, tit. IX: *Præsenti lege omnibus regni nostri fidelibus prohibemus, ut nullus arma molita, & prohibita, cultellos, & enses, lanceas, pancerea, scuta, vel loricas, clavas ferreas, & etiã alia omnia, qua nocẽdi magicam habent, quam alterius cujuscũq; liciti operis gratiâ, sunt parata, secũ deferre præsumat*. Et tit. X: ut *pancereas, & loricas indutas non deferant*.

Tit-

Turocius Chronicorum Hungar. lib. II cap. LXIV: *Habebatq; Sanson sub tunica panceriam, & præ gravamine lorica natare non poterat.*

Parcus pro septo, à Germanico pferch, Belg. parck, vel perck, Anglis perke, imò & Gallis *parc*; unde ijsdem *parquet*, Belgis parket Lex Ripuar. Tit. LXXXII §. II: *Si quis peculium alienum in messe apprehensum ad parcum minare non permisserit, XV sol. culp. jud.* Lex Anglio rum Tit. VII §. I: *Qui gregem equarum in parco furatus fuerit, in triplum componat.* Lex Bojorum Tit. IX cap. II §. III: *De illo granario, quod parch appellant, tribus solidis componat.* Nec tamen planè idem est, ac *mita*: de quo ejusdem tituli capite prox. *De mita vero, si illam detegerit, vel incenderit, cum III sol. componat.* Interim res sunt vicinæ: de quo libro seq. Usus & *parci* voce Eduardus Rex LL. cap. VII: *De bosco, de prato, & aquis & molendinis, parcis, vivariis.* Item Parisius non semel. Conf. Somneri Glossarium.

Partica, βυρσίνη, Corippo. Idem arguit vetus Juvenalis scholiastes, cùm, quod poëtæ est *pauperlorum*, explicat *corrigiam particam.* Atque hic ad oram codicis sui adscripserat Josephus Scaliger, inde dici *particarios.* Est verò *partica* ex barbaro vocabulo *partus*, significante *corium.* Auctor Hermeneumatum: *Culeus, tunica ex partu in modum cronis facta.*

Perruquam vocant vulgò, quæ *capillamentum* Suetonio in Caligula cap. XI: *Ganeas, atque adulteria, capillamento celatus, & veste longâ, noctibus ambiret.* Item *galericulus* eidem in Othone cap. XII: *Galericulo capiti, propter raritatem capillorum, adaptato, & annexo, ut nemo dignosceret.* Tertullianus de cultu feminarum cap. XII: *Affigitis præterea nescio quas enormitates futiliũ, & textilium capillamentorũ; nunc in galeri modũ, quasi vaginam capitis, & operculũ verticis; nunc in cervice retro suggestum.* Designat idē Valerius Flaccus in VI Argonaut.

Tenuia non illum candentis carbasa lini,
Non auro depicta chlamys, non flava galeri
Cæsaries, picto que juvant subtemine bracca.

Et Hieronymus ad Marcellam: *Quæ capillis alienis verticem struunt.* Venustè ejusmodi galericulum, quia ex pelle erat, cui adsuti erant capilli humani, calceo cōpararunt homines festivi; unde & jocus iste apud Martialē lib. XII epig. XLV: ubi utentibus eo ait esse *caput calceatũ.* Quasi galericulum illum Belgæ dicerent hooft-schoene; ut chirothecas nuncupant hant-schoene. Epigramma hujusmodi est:

Hedinâ tibi pelle contegenti
Nuda tempora, verticemque, calva,

Festivè tibi, Phœbe, dixit ille,
Qui dixi caput esse calceatum.

Perulus, pro *unione*, vel *margaritâ*, sive (ut Persius vocat sat. II) *concha baccâ*, legas apud veterem Persij interpretem. Sed usitatius pro eo *perula*, & *perla*. Mirum verò, nec eo, literato hoc seculo, abstineri à Josia Quercetano lib. I de veterum medicina, atque alijs. Vox est ex eo, quod Germani dicant **perle**; imò & Galli, gentesque aliæ. Quorum exemplo Matthæus Parisius *perlam* vocat non in Historia solùm ad an. CIↃ CCLIV; sed etiam in vita abbatis Guarini: *innumerabili margaritarum, sive perlarum ordinatâ positione*. Similiter S. Odericus de Foro-Julij, Peregrinationis suæ cap. primo, §. IV: *Portans super capita sua, fasciola aurea de perlis preciosis*. Et cap. II §. IX: *Ibi* (in regno Mobar) *tot bona perla reperiuntur, sicut in aliqua parte mundi*. Item cap. III, §. XIII: *Rex istius terræ bene trecentas perlas in collo suo portat*. Et paullò pòst: *Dicitur, quòd Rex plures habeat pretiosas gemmas, & perlas, quàm aliquis in hoc mundo*. Item Marchisinus de Bajadon, in Appendice, quam Oderico adidit: *Istud autem galeriunm* (capitis est tegumentum) *prout audivi à fratre Oderico, ex gemmis, & perlis pretiosis, factum est, & plus valet, quàm tota Marchia Tarvisina*.

Pinca Italis subula, vel graphium. Pincis ejusmodi interfectum esse S. Felicem Nolanum, atque inde *Felicem in Pincis* nuncupari, legas apud Jacobum de Voragine, nec non Petrum de Natalibus. Quibus faciliùs fides haberetur, si tale quid vetustiores de tam vetusto martyre prodidissent. Sanè ex antiquis, qui graphijs discipulorum perijsse referantur, non alij nunc animo occurrunt, quàm hi duo: Cassianus, cujus memoria celebratur XIII Augusti, & Joannes Erigena, sive Scotus, Caroli Calvi Imp. æqualis: de quo id ex Matthæo Westmonasterienſi, & Guilielmo Malmesburienſi, prodebamus historiæ Pelagianæ lib. VII Parte IV *.

* Pag. 741. & 742.

Pitancia, vel potiùs *pitancia*, à gallico *pitance*, pro obsonio, vel lautiori ferculo. Sic usurpat Cæsarius Haisterb. lib. VIII Mirac. cap. XI: *Omnes pitancias sibi appositas recusabat*. Sermo est de pisce, quem Abbas miserat. Pro eo *pictantia* est lib. VIII cap. XCIV. At aliud *pitacium*, & *pitaciolum*, ex Græco πιτάκιον; de quo inferiùs l. 3. c. 35.

Ploum est aratrum duas habens rotas, à Longobardico, ut videtur, **plo**; quod integrius Saxonibus **plog**, Germanis; **pflug**. Quę aratrum notant. Dani hodiéque **plowen** appellant. Utuntur Leges Longobardi-

bardicæ lib. I Tit. XIX L. VI: *Si quis ploum, aut aratrum alienum, iniquo animo scapellaverit, componat solidos quatuor; & si furatus fuerit, componat in octogild.* Quem locum mirificè in glossario adducit Clemangis editor. Nam pro *ploum* scribit *pralonum*, ac *capellaverit* pro *scapellaverit*. Quod verò dixi de rotis duabus, id glossis comprobatur: in quibus est: *Ploum, quod habet duas rotas.* Ac Plinius lib. XVIII cap. XVIII, varia vomerum genera ait: *Gallia verò addiderunt rotulas, quod genus vocant plammorats.* Ita quoque est in antiqua editione Parmensi an. CIↃCCCCLXXVI. Sed clareanus, comment. in Cæsarem, legere jubet *plugrati*, ex pflug, aratrum, & rat, h. e. rota. Martinio in Etymolog. *ploamrats* videtur ex plo, aratrum, am, ad, rat, rota.

Plustaib Germanicum ex bloß nudum, & laib, corpus: de ictu, unde in ipso corpore vulnus vel livor existat: ut longobard. Legg. lib. I Tit. VIII. *Leg.* XXIV: item de spoliis corporis, quod armis vestibusque exuitur, ac nudum exin relinquitur: ut in ejusdem libri tit. IX leg. III.

Prisona, carcer; qui *prison* gallis, & Anglis. Video, esse, qui ex *prehensus* dicant esse *prensus*, à prensus *prins*, ex hoc *pris* & *prison*. Sed quia hoc etymon longè adeò arcessitum, illi in iis, quæ potiùs originis barbaræ videantur, adsignavimus locum. Nec tamen displicet, qui posteriores *prindere*, pro *prendere*, dixerunt; item *prisum* pro *prensum* (de quibus in *proprindere* & *Misprindere*, agemus*) eò à *prisum* esse *prisona*; ut in *prisona* valeat, in prehensione. Sic legas ni Chartis Normannicorum †: *Comes Leceſtriæ, & omnes prisones, & hostagij prisonum, prout divisum est hinc inde, liberabantur. Prisonam*, pro carcere, dixit apud Matth. Paris. Joannes III Angliæ rex in Charta sua ad an. CIↃ CCXV: *Si non habeat, unde redimi possit, jaceat in prisona nostra, per annum unum, & unum diem.* Inde *prisones*, captivi, in carcerem conjecti. Idem Parisius in literis Comitis Richardi ad an. CIↃ CC XLII: *Videlicet quòd redderet prisones captivatos.* Pro eodem *prisionem* ait Beka in Chronicis non semel. Ut in Conrado Episcopo XXII: *Quem cũ aliis captivis, à prisione solutis, remisit ad civitatem propriam.* In Hereberto episc. XXVI: *Audiēs præcordialē sororium suum in prisione detēiū.* In Theoderico, episc. XXXI: *Quē Theod. Comes jussit extēplo per Henricū Grus† apprehendi, ac in prisone careeris districtissimè catenari.* In willebrādo ep. XXXV: *Et per breves inducias à prisone demissi.* Est & in Stilo

* *Libr. hujus cap. 24. & lib. 4 cap. 17.*

† *Pag. 1055.*

† *Mallem dixisset*, Gruē. *Nam Belgis dicebatur* Craen: *ut videmus ex Chronicis Belgicâ perscriptis linguâ* Craen *verò Latinis* grus.

Stilo Antiq. Parl. cap. XIX: *Item cùm aliquis propter injuriam per ipsum commissam est condemnatus in aliqua pecunia summa regi, & parti: & dicitur, quòd tenebit prisionem, donec parti satisfecerit de parte ipsum contingente.* Hinc *prisonerius*, Lapsum hic Vossium notat Somnerus glossario, pro eo, qui ob debita, vel aliud, aliquem in carcerem compingi curat. Carolus VIII Gall. R. Edict. de Appell. Relat. † *Si verò materia personæ detentionem requirat, prisonerij appellantes unà cum chargiis, & informationibus, ad curiam superiorem, ut procedatur ad ulteriora, sicut rationis, adduci mandabuntur.* A *prisona* quoque est *inprisonare*, pro in carcerem mittere. Est apud Matthæum Parisium, in charta libertatum à rege Joanne concessarum, ad an. clɔ ccxv: *Nullus liber homo capiatur, vel imprisonetur.* Item in Additamentis Matthæi Parisij: *Justitiarium suum, quem tenebant imprisonatum.*

Procolpus, ictus, contusio, vulnus; à *colpus*, quod à Gallico *coup*. Lex Ripuaria tit. LXXVII: *Si procolpus ei exeusserit, & eum interfeceris.* Gallicum *coup* fortasse est à κοπὴ *incisio, contusio*: quod à κόπτω, *seco, saucio, vulnero.*

Propina, quod ab dignitate auctis Ecclesiastica sponte datur curiæ, Romanæ. Germanis eam vocem tribuit Nicolaus de Clemangis libro de annatis non solvendis*: *Et talis oblatio, & gratuita datio, juxta vulgare Italicum dicta fuit SERVITIUM, & secundum Alemannos, PROPINA dicitur.* Sed de hoc pluribus lib. seq.

Pulepruſt, & *puleslach*, legas quidem in Legibus Alamannicis, & Bavaricis: sed quò Latina Germanicis reddantur. Ut penè ijsdem verbis in Alamann. tit. LXV. §. VII, & Bojorum tit. III cap. I. §. IV: *Si brachium fregerit, ita ut pellem nõ rumpat, quod Alemanni PVLEPRVST dicunt.* Item ijsdem prope verbis Alemann. tit. LIX, §. I. & Bojor. tit. III cap. I. & tit. IV. §. I: *Si quis alium per iram percusserit quod Alemanni PVLESCHLAG dicunt.* Est verò in utroque prior compositi pars **puyle**, seu **bule**, tumor ex percussione; unde **pulen, vut. puylen.** tuberare, protuberare. Posterior pars in priori **pruſt**, *ruptura*: in altero **ſchlag**, ictus, percussio.

CAP. XVI.

Barbara inchoata à Q solum attinguntur, quia fere omnia originem habeant Latinam. E cœptis ab R hæc memorantur. Rabiola, *de quibusdã ciborum deliciis.* Racimburgi, *pro judicibus, qui Comiti in tribunali adsiderent.* Rasta, *pro certâ itineris mensurâ* Rauba, *vel* raupa, *pro veste.* Rauseus, *pro sarmentitio.* Reburlus, *pro crispus, ut* reburlo, *pro*

pro crispatio. Regardator, *pro eo qui studiosè aliquid curat.* Reipu-, *pro præsie, quod vidua datur connubij caussâ.* Rhedo, *pro iis, quæ ad mulieris cultum faciunt.* Ribaldus, *pro nebulone.* Riga, *pro vestigalis genere.* Roalia, *pro genere lintei pretiosi.* Roba, *pro vestimento.* Roberia, *pro rapiu.* Rocha, *pro rupe.* Rocus, *vel* roccus, *pro tunica.* Rochetum, *pro eodem. Item* ruchus, *ac fortasse* ragus, *&* rachana, *&* froccus. Rodaticum, *vel* rotaticum, *pro foragio, sive jure ex vino minutatim divendito.* Romscot, *pro denario ex Anglia à qualibet familia Romam mitti solitâ.* Rotta, rutta, *vel* ruta, *pro globo, seu multitudine hominum.* Rumbula, *fœdum in anus convitium.* Runcinus, *pro canterio, uti* averius, *de equo jugali.* Ruoda, *pro multa cxx solidorum.* Ruptarius *fortassis pro equite.*

Sextum, & decimum in literis Latinis locũ vulgò Q sibi vindicat. Est tamen eadem litera, ac C: unde eâ uti noluit Licinius Calvus. Sanè olim sonus idem; & videmus, in compositis promiscuè sumi: quâ de re abunde diximus lib. I de Arte Grammatica, cap. XVIII, & alibi copsè opere. Atque ab hac caussa est, quòd hic qualis qualis quidem numerus sit barbarorum, quæ originem ducant à Latinis, vel græcis: at exiguus prorsus illorum, quæ, barbara ipsa, ortum quoque trahant à barbaris. Quale, ut puto, *quarelli*, vel *quarelli*. Sic dicuntur majores sagittæ, quæ & Angli **quarelle**. Matthæus Parisius Historia Angl. ad an. clɔ ccLIV: *Tuleruntque aliqui regiorum nunciorum, in argumentum fidei, & veritatis, miræ spicula magnitudinis (quarellos vocant) ab arcubalistis trajecta.*

Sunt & alia ejus generis: sed, ut dixi, longè pauciſſima. Quare ad liquidarum quartam, quæ proxima est, accedo.

Rabiola, quædam ciborum deliciæ: fortasse sic dictæ quasi *ribiolæ*, ut signentur uvæ crispæ, quæ Italis *ribes*, Belgis **aelbesien**, h. e. nobiles baccæ. Giraldus, archiepiscopus Burdegalensis, epistola de crudelitate Tartarorum†: *Paterunorum bibi vina, rabiolas, & ceratia, & alia illa zebrosa, comedens.*

Racimburgi, vel *rachimburgi*, vel *racinburgi*, aut *rachinburgi*, erant judices, qui crãboni sive Comiti ad judicandum adsiderent *. Lex Salica tit. LII. §. III: *Tunc grafio congreget secum septem rachimburgios.* Similiter paullò pòst: *Statim rachimburgij pretium adpretiatum, quantum debitum, quod debet, valuerit, de fortuna illius tollant.* Itẽ tit. LIX

† *Apud Matth. Parisium ad ann.* 1243.

* *Suspicor, quia T ante I vulgò pronuntiari solet, ut* C: *quo modo* justicia *dicunt pro* justitia; *etiã* racimburgos *obtinuisse pro* ratimburgus: *conflatâ voce ex* rat, *vel* rath *consilium, &* burg *arx, oppidũ. Quomodo* racimburg' *sit consiliarius burgensis, sive Senator aut judex civitatis.*

LIX. *Siquis ad mallum venire contemserit, & quod ei à rachimburgis judicatum fuerit, implere distulerit.* Et seq. *Si adhuc tunc rachinburgij despexerint, nec legem dicere voluerint.* Item L. Ripuar. tit. XXXII §. II: *Cum tribus rachimburgiis in arraho tollant.* Et tit. LV. Apud Benedictũ Levitam lib. V cap. XIV. Capitul. Pipini tit. VI: *Si caussâ suâ ante ipsum Comitem fuit, & ante racimburgos.* Incertus primâ formularum veterum†: *Dũ hæc caussa apud ipsum Comitem, vel ipsos racimburgios, diligenter fuit inventa, vel inquisita, & legibus fuit definita.* & cap. IV: *Proinde taliter ab ipsis missis Dominicis, vel illo Comite, seu ab ipsis Racimburgiis ipsius advocato —— fuit judicatum.* Item Variarum formularum XXVI, sive postremâ, quę inscribitur, Cautio de infracturis*: *Exinde ante illum Comitem judicare feciſtis: & ego hanc causſam nullatenus potui denegare. Sic ab ipsis racimburgiis fuit judicatum.* Traditiones Fuldenses lib. II num. XXXVIII†: *Totum, & ad integrum tradiderunt coram testibus, & regimburgiis.* Originem nominis optime vidit illustris & doctissimus Hermannus Comes Nivenarius, in dissertatione sua de origine & sedibus priscorum Francorum, ubi sic scribit: *Rachimburgij dicuntur Commissarij, ad componendas litenis stituti.* **Rachten** enim componere: **burgen**, *fidejussores.* Vid. Somnerij Glossarium.

† Pag. 196. edit. Paris. sive Bignoniana.

* Edit. ejusdem pag. 413

† Pag. 509.

Rasta, quod Græcis στάδιος, Latinis mansio, propriè itineris tantum, quantum absolvitur, priusquam quiescas; à germanico **rasten**, pro quo alij **ruſten**, h. e. *quiescere.* Unde & **raſte**, pro pensio; & Belgis etiã **raſte**, pro **ruſte**, quies, remissio, otium. Ac id esse *rasta*, monitum etiam Josepho Scaligero in V de Emendatione Temporum. Cui præivit in eo B. Hieronymus in Joëlem cap. III. *Vnaquæq; gens certa viarum spatia suis appellat nominibus. Nam & Latini mille passus vocant, & Galli lencas, Persæ parasangas, & rastas universa Germania, atq; in singulis nominibus diversa mensura sit.* Joannes de Thwrocz in Chronicis Hungaricis cap. XII: *Hæc civitas* (Tulna) *nostro avo ducatui Austriæ subjecta est; & tres rastas distat à Vienna.* Valde affine est Græco vocabulo ῥαστώνη, quod interdum significat otium, & animi relaxationem.

Raupa, vel *rauba*, generatim signat vestimentum, atque adeò omnem supellectilem. Est à Gallico *robbe*, quod notat vestem, ac sæpe togam, vel tunicam. Marculfus Formularum veter. lib. I. num. XXIX: *Quasi vos, nullâ manente causſâ, in via adsaliſſetis, & graviter liveraſſetis, & raupa sua in solidos tantos eidem tuliſſetis, vel post vos retineatis indebi-*

indebitè. Ac propè eadem verba habes ejusdem libri formulâ XXXVII. Item, Formularum veterum XXXVI, sive postremâ, quæ est de infra-cturis: *Exinde annonam. vel aliam raupam, in solidos tantos furavi.* Legas quoque in Legg. Alamannicis Tit. XLIX: *Si quis hominem occiderit, quod Alamanni mortando dicunt,* IX *Weregildis eum solvat, & quicquid super eum rauba, vel arma tulit, omnia sicut furtiva componat.* Quibus locis per *raupa* vestimenta inter alios etiam intelligit Ludovicus de la Cerda Adversariorum Sacrorum cap CXXII. num. X. Interim *rauba* etiam notat spoliationem, raptum, ereptionem; à Germanico rauben/ hoc est, rapere. Liquebit hoc ex iis; quæ inferiùs in verbo *raubare* dicemus.

Rauseum, sarmentitium. Nempe veteres Germani raus dixere, quod nunc Belgæ rijs/ hoc est. virga, surculus, sarmentum. Uti verò *surculus*, quia surgat ex arbore (non, quod Festus credidit, à *surus*, unde *surulus* veniret) ita & rijs à rijsen, h.e. surgere, oriri. Jonas abbas in vita S. Wulfranni, Archiepiscopi Senon. *Locorum palustrium, qua plena erant longissimis rauseis virgultis.*

Reburſus, crispus, retrorsum iens: *reburſio*, crispatio; itus in cõtrarium: à Gallico *rebours*, retrorsum, in contrarium. Chronicon Beccense*: *Antequam Hermanni, Duce Wilhelmo, Angliam debellarent, fuit in Neustria (quæ nunc Normannia vocatur) vir egregius, nomine Giſlebertus, genere, & nobilitate præclarus, qui abhabitudine capillorum primus Crispini nomine dicitur insignitus. Nam in sua primæva ætate habebat capillos crispos, & rigidos, & ut ita dicam, reburſos, ad modum ramorũ pini, qui semper tendunt sursum: quare cognominatus est Crispinus, quasi crispus pinus. Quã capillorũ reburſionem videmus adhuc iis, qui de ipsius Giſlibertigenere descendunt. Unde & ipsi eodem cognomine à cæteris Normannorum filiis dirimuntur.* Sed quod à pinûs similitudine putat esse *Crispinus*, id ridiculum est. Ut enim à *Longus*, *Longinus*: ab *Augustus*, *Augustinus*; à *Iustus*, *Iustinus*, à *Macer*, *Macrinus*: sic à *Crispus*, *Crispinus*. Ap. Persium mentio Crispini. Et quis Crispum Sallustium nescit?

* *Apud Ludovicũ de la Cerda Adversariorum Sacrorum cap.* 184. *num.* 270.

Regardator, observator, curator, à Gallico *regardeur*, inspector, ἐπίσκοπος, uti hoc à *regard*, intuitus, observatio, cura: unde & *regarder*, oculis intentis obtueri, introspicere, perspicere. Et *regardi*, & *regardatoris* vocibus, usus Joannes Angliæ Rex in libertatibus Foreſtæ, apud Matthæum Parisium ad Ann. clɔccxv: *Regardatores nostri eant per foreſtas ad faciendum regardum.* Et mox: *Fieri debet regardus de tertio anno in tertium annum.*

Reipus, vel *reippus*, quid sit, docet Lindebrogius his veteris glossarii verbis: *Reipus de sponsalitiis viduarum. Pretium emtionis viduæ matrimonii caussa.* Lex Salica tit. XLVI §. II: *Si verò ista non fecerit, & sic eam acceperit, ille cui reippus debetur,* II *D den. qui faciunt sol.* LXII *S culp. jud.* Et §. seq. *Si autem, quæ superius diximus omnia secundùm legem impleverit, & tres solidos, & denarium ille, cui reippus debetur, acceperit, tunc eam legitimè accipiat.*

Rhedo quid sit, indicant hæc verba in legibus Angliorum, & Werinorum, hoc est, Thuringorum Tit. VII §. III: *Qui ornamenta muliebria, quod rhedo dicunt, furto abstulerit, in triplum componat, delaturam* XII *sol. & in freda similiter. Rhedo* igitur est mundus, sive ornatus muliebris: à quo *in mundo esse* Plauto† dicitur, quod semper est in promptu*: quia nempe (ut quidem Petrus Victorius† conjectabat,) sexus ille sequior semper ornatum suum soleat habere ad manus. Estque *rhedo* similiter à rath / sive, ut Belgæ scribunt, raed: non quatenus ea vox significat consilium: sed prout signabat olim facultates, vel quod in usum aliquem reponimus: unde obtinet, te raede houden / conservare in certum usum, & composita, voor-raet / provisio, penus; huys-raet / supellex; quæ similiter ab usu, *utensilia.*

† *Asin. act.* 1 *sc.* 2. *Epid. act.* 3. *sc.* 1.
* *Festus.*
† *Lib.* 8. *Var Lect. cap.* 10.

Ribaldus, pro vili, nequam: ut vulgò Germ. & Belg. rabaut. Usi Thomas Cantipratanus, rerum Germanicarum scriptores, ac Matthæus Parisius, cùm alibi, tum ad ann. cIↃccLI*: *Confluebant ad ipsorum consortium fures, exules, fugitivi, excommunicati; quos omnes RIBALDOS Francia vulgariter consuevit appellare.* Alibi etiam sæpius usurpat; ac nunc ait, *ribaldi & viles personæ*; nunc *vilissimi ribaldi.* Habes & in Albigensi Historia cap. XV†, & LXXIII*.

* *Pagina* 813. *edit. Londin. an.* 1640.
† *Pag.* 44.
* *Pag.* 254.

Riga, vectigalis genus. Marculfus monachus lib. II, formulâ XXXVI: *Extinde solvere nec tu, nec tua posteritas, nobis, nec heredibus nostris, —— debeatis; nisi tantùm, si ita vult riga.* Sic in Vett. etiam Formulis legas: *In aratione, ut riga, & alios reditus terræ, persolvam.* Ac alibi item. Censeo, propriè notare ordinem publicum, quò decurrit tributorum solutio. à Germanico rige / vel reige / quod notat seriem, ordinem, nexum. Belgæ dicunt ryge / & rye: ut cùm agunt, op een rye / h. e. *ordine, ad amussim.* Ejusdem originis est rygen / fasciâ aliquid, sive tæniâ, ordine nectere. Unde ryg-sweert / gladius zonæ annexus. Videtur esse *parazonium* Martialis lib. XIV epigr. XXXVII, ubi *militiæ decus* appellat.

Realia puto lintei pretiosioris genus esse, fortè ita dictum ob ex-

excellentiam, quando *rojal* Gallis regale. B. Odoricus Peregrinationis suæ cap. 11: *Tunc ego Fr. Odoricus de Foro Iulii, audiens, felices Fratres ex hoc mundo per martyrium migrâsse, & illuc veni, & apertis sepulchris suscepi ossa eorum humiliter, & devotè, & pulchris vocalis involuta corpora in Indiam superiorem ad unum locum Fratrum nostrorum, cum uno fratre socio, & famulo, portavi.*

Roba, vestis, à Gallico *robe*; quod idem notat: sed solet *roba* dici de pretiosiori veste. Matthæus Parisius in Henr. I ad an. clocxxxiv: *Rex novam robam de scarleto sumens.* Idem similiter in Henrico III. ad an. cloccxlviii. Verba jam cap. vi adduxi in *Escarletũ*. Vide & quæ attulimus in *raupa* vel *rauba*. Nã dixere *ranba* & *roba*; ut Latini *caurus, corus*; *candex, codex*; *faurex, forex*; *auricula, Oricula, Oricilla*, & similia.

Roberia, raptus, ut Belgis rooverie/ in Assisis Henrici II. Clarentonæ editis. Verba cap. xii. in *Murdrum* adferebamus. Matthæus Parisius in Henrico III. ad an. clocclxvii†: *Ne ampliores roberias, & damnationes facerent.* Et non multò pòst*: *Discurrentes circum quaque faciunt roberias multimodas ex parte Regis.*

† *Pagina* 1003. *edit. Lond. an.* 1640.
* *Pag. seq.*

Rocha, rupes, à Gallico *roche*; quod idem signat, uti Italis *roccia*. Antoninus Florentinus Chronic. tit. xix cap. i. § 1: *Dictus autem Conradus videns, quòd non proficeret, se ad mandatum ejus reddidit, & omnes munitiones, & rochas, domino Papæ resignavit.* Legas & in Chemiæ scriptoribus; ut *alumen rocha*, apud Diodorum Euchyonẽ lib. i. cap. xvii, & alibi crebrò; item Heliam Monachum de lapide philosoph. Belgæ rotse/ vel rootse/ dicunt; ac posteriores Græci similiter ῥόϊζα: unde in Glossis Græcobarbaris ῥόϊζα exponitur πίτρα. ἢ τὸν ⊕ πετράδης.

Rocus, rochus, vel *roccus*, pro tunica, ex Germanico rok. Ludovici Addit. i. cap. xxii: *Femoralia duo paria, roccum unum, pelliceas usque ad talos duas.* Chronicon Sangallense de vita Karoli M. lib. ii: *Karolus habebat pellicium berbicinum, non multum amplioris pretii, quàm erat roccus ille S. Martini.* Legas & apud Eckehardũ in casibus Monasterii S. Galli cap. xiv, xv. Item apud Helgaldum in vita Regis Roberti: *Exuens se vestimento purpureo, quod linguâ rusticâ dicitur rocus. A rochus* verò *rochetum.* Ceremoniarum lib. i. cap. iv: *Vtuntur croceis obscuris, & subtus parvo caputio supra rochetum.* Et cap. vi: *Cingulo rubeo, cum aureis fibulis birreto rubeo, & demum mundo nitidoque rocheto.* Ac alibi in iisdem libris sæpe. Cæterùm multi sonum literarum A, O, V, confundunt. Sic *mater* iis sonat, ut *moter*; unde Germani mutter/ Belgæ moeder. Itidem pro *roc*, vel *roch*, dixere *rac*, vel *rach*, vel *rag*:

† De offic. Constant. cap. 3 & 6. * In Andronico lib. 2.

aliqui item *rug*, vel *ruch*. A posteriori est, quòd pro *rocus* reperias *rucus*: quod & ad Græcos derivatum. Nam ῥεῦχος dicitur Codino†, & Niceteæ*. Etiam ἰμάτιον idem Codino: uti *vestiarium* ei ἱματάριον. A rag verò est *ragus*. Ut L. 111. Cod. Theod. de habitu, quo uti. *Intra urbem Romanam nemo vel ragis, vel tzancis utatur.* Ubi *ragis* interpretor *roccis*, sive tunicis. Nisi *raga* usurpatum pro *bracha*: quando ῥάκη & βράκη, ajunt Græci: & uti hic *tzanga*, & *raga*, ita *tzanga*, & *bracha*, junguntur leg. x1. ejusdem Tit. *Usum tzangarum, atq; brachārum, intra urbem venerabilem nemini licet portare.* Hæc opinio fuit

† In Gloss. voce ῥάγια.

doctissimi amici nostri τῦ μακαρίτε Joannis Meursii†. Utcunque est, caussàm non video, cur, cum altero viro eruditissimo*, in priori

* In Gloss. Legg. Antiq.

Theodosiani codicis loco pro *ragis* legamus *ruchis*. Ut verò pro *rocco*, *racha* quoq; dixisse arbitrer, etiam illud facit, quòd *rachana* pro vestis genere legam; nempe, ut puto, ab eadem, ac *ragus*, sive *roceus*, origine. Gregorius Magnus lib. IX epist. ult. quæ ad Barbaram, & Antoniam: *Xenium vestrum duas racanas, quas de labore vestro esse mandâstis, libēter accepi. Sed tamen cognoscis, quia non mihi mandatum credidi. Nam vos de labore alieno laudem quæritis, quia fortasse adhuc ad fusum manum nunquam misistis.* Alibi etiam in iisdem epistolis usurpat. Uti & Ennodius Ticinensis lib. IX. epist. XVII: *Lenam, & racanas, cujus vos voluerītis coloris, rubei, aut fusci, mihi sub celeritate dirigite.* Item habes apud Anast. sium Bibliothecarium in que vita Joannis Eleemosynarii; rum

† Cap. 2. * Cap. 20.

rachanas†, tum *rachanallas** legas. Doctissimus Sirmondus credebat, *rachanas* Ennodio esse calceamenti genus: quod non arbitror. Dispiciendum verò, an non ejusdem, ac *roccus*, originis sit *froccus*: ubi vocalis *o* manet, sed *f* præmittitur: uti *b*, quando, ex multorum opinione, à ῥάκος sit βράκος; inde *braca*, vel *bracca*. Est verò *froccus* apud Ingulphum Sax. in Historia Croiland. Imò & Londinenses bajuli lineam vestem cæteris superinductam *froc*, & *floc*, nuncupant:

† voce Frocca.

uti Henrico Spelmanno, Anglo Equiti, monitum in Glossario†.

Rodaticum, vel *rotaticum*. Gallicè nunc *rouage*. Vectigalis est genus ex vino divendito. Sanè idem est ac *foragium*; quod hodieque sumitur pro jure ex vino minutatim vendito. Utrumque habes tum in diplomate Dagoberti Regis; ubi, de mercatu S. Dionysii agens, varia refert genera tributorum: tum item de eodem mercatu in præcepto confirmationis Pipini Regis. Verba, quia varia adeò tributorum genera referunt, adscribi merentur: *Nec de navigiis, nec de portibus, nec de carnis, nec de saumis, ullum teloneum, vel foraticum, seu*

rota-

rotaticum, vel pontaticum, vel portaticum, vel salutaticum, seu cespitaticum, sive mutaticum, vel aliquam exactionem aut consuetudinẽ exigere. Nec multum abeunt illa Caroli M. in privilegio apud Aimoinum lib. v. cap. 1: *Neque teloneum exigatur, nec de navale, nec de carale, neque de saumis, neque de trana e vectione, nec rotatico, nec pontatico, nec pulveratico, nec cespitatico, nec ulla redibitione, quod fiscus noster exinde poterat sperare.* Item legas apud Benedictum Levitam Capitularium lib. VI. cap. CCXIX: *Ut nullus homo præsumat teloneum per vias, nec per villas rodaticum, nec pulveraticum recipere.* Et in formulis veteribus incerti scriptoris, num. XLV*: item Ivonis Decret. lib. XVI. cap. CCCVI, ac tit. X Leg. Munic S. Severi.

Romscot vox Anglica est conflata ex Rom/ sive *Roma*, & vocabulo à Saxonibus accepto scot/ (Galli pro eo *escot*) hoc est, vectigal, aut symbolum. Usurpat Matthæus Parisius in vita Offæ secundi: *Hoc quoque sciendum est, quòd Offa Rex magnificus, tempore quo B. Petri vicarius, Romanæ Urbis Pontifici, redditum statutum, id est, Romscot, de regno suo cõcessit.* Quantum id precium fuerit, liquet ex iis, quæ antea dixerat: *His igitur auditis Rex, quid dignè tantæ benignitati compenset, secum studiosè pertractat. Tandem, divinâ inspirante gratiâ, consilium invenit salubre, & in die crastina, scholam Anglorum, quæ tunc Romæ floruit, ingressus, dedit ibi ex Regali munificentia, ad sustentationẽ gentis regni sui illuc venientis singulos argenteos, de familiis singulis, omnibus in posterũ diebus, singulis annis.* Item iis, quæ pòst subjungit de munificentia regis Offæ erga monasteriũ S. Albani: *Quæ* (Ecclesia) *tantâ libertate privilegiata refulget, ut ab Apostolica cõsuetudine, & reddita, qui Romscot dicitur Anglicè, denarius Sancti Petri Latinè: cùm neq; Rex, neq; Archiepiscopus, vel Episcopus, vel Prior aut quilibet de regno, vel in regno, ab illius solutione sit immunis, ipsa quidem Ecclesia, quæ basilica S. Petri dicitur, sola quiete est.*

Rotta, rutta, vel *ruta*, manus, vel globus hominum, idem ac *sphæra*. Guilielmus Brito in Philippidos libris:

Hac ex parte Comes Robertus mansit, & hæres
Hugo novi castri, Simon, & rotta Cadoci.

Et lib VII: *Valterius Legio, numerosaque rotta Cadoci.*

Ac similiter antea eopse libro: — — *Tecum Lupicaria rutta*
Fac eat.

Sic enim rectè ibidem emendavit †μακαρίτης amicus noster Joannes Meursius†. Vulgò editum *rupta*. *Lupicaria* verò *rutta* vocatur ei à Lupicato, quem inter præfectos militares numerat libro seq.

* Pag. 270 edit. Paris. Bignoniana.

† In Glossario, voce ῥῶτα.

Usurpat quoque Guilielmus Neubrigensis lib. II. cap. XXVII: *Stipendiarius Brabantinorum* * *copias, quas rutas vocant.* Cæsarius lib. II. Miracul. cap. II: *Prædonibus, quorum multitudo ruta vocatur, se conjunxit.* Et lib. XI. cap. LIII: *Multitudini prædonum, quæ ruta vulgò dicitur, se associavit.* Matthæus Parisius in Richardo I, ad an. CIↃCXCVI: *Qui duces fuerunt caterva, quàm ruttam vocamus.* Neque nescivere Græci. Nicetas in Balduino Flandro: Μοῖραν, ἣν ῥοῦτταν ἐκάλουν, *Turmam, quam rottam vocabant.* Est verò *rotta*, vel *ruta*, à Germanico rotte: quomodo dicimus, een rotte soldaten; item rotten / congregari. Videri autem possit *rotte* esse ex eo, quòd & Germanis *rot* idem ac *rota* Latinis. Nempe à rotunditate fuerit; quomodo dicitur *globus hominum.* Sanè Scaliger ad Varronem censet, *turma* similiter esse à τύμβος, rotunditas. Nec tamen de istiusmodi conjectura cum quoquam contendero. Eoque, communiorem secutus opinionem, in iis, quæ originis sunt barbaræ, reposui.

* *Alii*, Brabantium.

Rumbula, convitium in anus decrepitas, & fortasse deliras, vel infames. Cæsarius lib. VII. Miracul. cap. XLV: *Vt quid hic stat vetus hæc rumbula?* Ac paullo pòst: *Quia domina illa, nomine eam designans, vocavit me veterem rumbulam, semper misera erit, quoad vivet.* Germanis, die alte Rumpeltasche,

Runcinus idem ac equus spado, sive canterius. Bernardus Claræval. in vita S. Malachiæ cap. XX: *Runcinus durè portans.* Matthæus Parisius in vitis XXIII Sancti Albani Abbatum†: *Iuravit idem Abbas Guilhelmus, se centum equos uno anno in diversis partibus Abbatiæ, quorum alii erant manni, alii runcini, alii veredarii, alii vero averii.* Ubi de mannis, & veredariis, res est manifesta: non item de runcinis, & averiis. *Averii* sunt equi jugales. plaustris, vel aratris juncti, à Gallico *ouvrir.* Sic usus Rogerus Hovedenus in Richardo Primo ad an. CIↃCXCIV*: *Inquiratur de quot bobus, & averiis singulæ carucæ valeant instaurari. Erit autem pretium bovis* IV *solid. & vacca similiter, & averii similiter.* Quâ de voce pluribus Spelmannus in *Avera. Runcinus* verò, ut dixi, est canterius, hoc est, equus castratus, qui Germanis ac Belgis, ruyn; uti ruynen / castrare, evirare.

† *Pag* 116. *vers.* 14.

* *Pag* 414 *vers.* 1.

Ruoda CXX solidorum pretium signabat: ut indicat Lex Saxonica Tit. II. §. 1: *Qui nobilem occiderit* IↃↃↃXL *sol. comp. Ruoda quod dicitur apud Saxones* CXX *sol. Ruod* Saxonibus notâsse crucem, observatum Lindenbrogio. Gloss. *Crux, vel staurus.* rod. Itaque in Symbolo Apostolico pro *cruci adfixus*, legas, on rodo ahangen.

Atque

Atque idem arbitratur, accusationem capitis hinc ruogstab vocari Otfrido Evangel. lib. IV. cap xx, & Willeramo in Cant. Cant.

Ruptarius quoque in ortu barbaris locum habeat, si inde sit, quòd Germanis, ac Belgis, ruter sit eques: ut opinio est doctissimi Watsii in glossario, quod addidit Matthæo Parisio, à se longè felicius recuso. Est apud Matthæum hunc in Henrico II. ad an. CIↃCLXXIV†: *Nunciatum est ei electam Regis filis sui militiam apud Dolensem urbem à Brebanciis, & ruptariis, circumclusam.* Ac mox*: *Sed prinsquam veniret, hostium suorũ maxima multitudo, à suis ruptariis fuerat interemta.* Ac similiter apud eundem alibi†. Interim ruyter pro equite simplicius statuas dici pro ryder/ à ryden; unde & *rheda*. Quare nec placet, esse à ruyten/ prædari, populari. Uti neque à ῥυτὴρ, defensor; neque à ῥυτὸς, significante ἀνὴρ, sive habenam. Quorum prius Mekercho* visum, alterum Drusio†.

† *Pag.* 118.
* *Pag.* 119.
† *Pag.* 137. & 795.
* *Lib. de Pronunciatione Ling. Græcæ.*
† *Ad lib. Macçab. cap.* 6.

CAP. XVII.

De inchoatis à litera S. Sabanum, *pro linteo.* Sachus, *pro calculo.* Sagibaro *de eo, qui Comiti in tribunali adsideret, cumque eo causas decideret.* Saiga, *pro certo pretio.* Saio, *pro carnifice.* Sala, *pro domo*; *unde* salizuchen, *pro, in rem furtivam inquirere domi alienæ.* Salvagardia, *pro tutela, ac protectione.* Samitum, *vel* sammittium, *pro genere holoserici.* Saxa, *vel* saxus, *pro glaciolo minuto: ac fortasse ab hac voce & scrama, quod pugionem signat, esse* scramasaxa, *qua scrame, & saxa, usum præstaret.* Scabinus, *pro judice.* Scachum, *pro rapta:* scachus, *pro raptore, vel latrone; & unde scachorum ludo sit nomen, gemina opinio adlata.* Scalcus, *pro servo.* Scamera, *vel* scamaris, *pro exploratore; qui & barbarè* spio. Scara, *pro turba, vel militum manu.* Scaramangis, *vel* scaramanga, *vestis arcendæ pluviæ idonea.* Scarletum, *pro cocco.* Scartanea, *pro loro.* Scastlegi, *vel* scatlegi, *pro armorum depositione.* Scella, *vel* scilla, *pro nola, vel tintinnabulo.* Scematio, *pro corporis dehonestamento.* Scheffila, *aridorum mensura.* Sclavus, *pro servo, vel mancipio.* Scotallum, *pro taberna, in quam convenirent aduna cervisiam bibendum.* Screona, & screuna, *pro parte certa imæ domûs.* Scrobulla, *pro talari mulieris veste.* Sculca, *pro vigiliis, sive custodia militari* Sculdais, & sculdasius, *pro prætore, sive eo, qui publico nomine mulctas exigit.* Scuria, *uti &* scebrum, & sceurum, *pro horreo: scuriam non septam parietibus dictam* scoph: *minorem scuriam nominatam* scopar, Selda, *pro rerum venalium taberna.* Senescallus *prius*

voca-

vocabatur, quisquis jumẽta curaret: postea sic dictus, qui praesset equili regio, & regia etiam mensa curam gereret; tantoque loco foret, ut quandoque exercitum duceret. Sergánteria, *pro clientela.* Sergeantus, *vel* sargantus, *pro militari dignitate.* Sinaida, snaida, *vel* sneida, *pro arborum incisione; vel pro via.* Smelido, *pro gracili.* Soga *pro funes ac obiter, unde Graecobarbarum* τζόγις. Spannum, *vel* spanna, *pro* spithama. Sparvarius, *pro accipitre fringillario.* Stallum, *pro loco unius in choro.* Staplum, *pro confessu judicum* Stantardus, *pro vexillo imperatorio, seu praetoriano.* Stangaria sepes, *pro ea, quae ex sudibus consurgeret.* Stava, *pro scipione.* Steura, *pro tributo.* Stolicaz, *qui loco Regis praest judicio.* Strepa, *pro eo, quod usitatius stapeda.* Strundius, *vel* struntus, *pro stercore rotundiori.* Stuba, stufa, *vel* stupa, *pro vaporario, sive hypocausto.* Sturio, *pro hycca, sive siluro.* Sultanus, *vel* saladinus, *pro Imperatore Turcico.* Sunnis, sonnis, sonnia, *pro impedimento, propter quod aliquis se non steterit judicio.* Surcarium, *pro vestimento, quod carnem proximè ambit.* Suurum, *pro juramento.*

UDas, sive liquidas quatuor continuò excipit S. A. qua incipientium ingens est copia. Ex is excerpere hæc operæ imprimis putavi.

Sabanum pro linteo, ut exponit vetus scholiastes Juvenalis in sat XIV. Aliterque *facitergium*, vel *manutergium*, à facie vel manu tergendâ vocari, auctor est Isidorus lib. XIX. Orig. cap. XXV. Glossæ Theotiscæ: Saban / *linteum.* Usi Apitius de re culinaria lib. II, Marcellus de Medicamentis, Vegetius Mulomedicinæ l. IV. cap. CI, Theodorus Priscianus lib. II. cap. IX, incertus, sed qui se ἀντίλλο †dicat, in Actis S. Juliani * & sociorum, cap. XIII, Victor de Persecutione Vandalica lib. III, scriptor Latinus Historiæ Apollonii Tyrii, S. Bonifacius epist. X, & Apomasaris interpres cap. CLVII. Etiam Aldhelmo de Laud. Virgin. hanc vocem restituit amicissimus quondam collega noster Joann. Meursius: *Qui in sabanis, & syndonibus bajulabantur aegroti, sanctorum meritis sospites, & vel compotes, salubriter abscedunt.* Ubi pro *subanis* esse *sabanis* legendum, etiam monet Joannes Ludovicus de la Cerda Adversariorum Sacrorum cap. CXLVIII. Vellem in minutiis hujusmodi Philologicis non gravatus esset memorare eum, qui multis ante eũ lustris sic emendâsset. Nam de penu Meursiano hausisse, arguit, quòd sex illi scriptores, ex quibus solis lucem petit *sabani* vocabulo, planè sunt iidem, ac illi,

† *Oculatiũ testem.*
* *In Vitis Sanctorum à Bollando editis ad 9. Jan.*

quos

quos eopse ordine adduxerat in Glossario Meursius. Ubi hic etiam docet è Græcis junioribus sic voce καζάν usos Hieroclem in Hippiatricis lib. 1. cap. xxxiv, & Gregorium in Dialogo ad Petrum. Addere quoque potuit Aëtium, & Trallianum; imò & Rabinos, atque Arabes.

Sachus, à Germanico sach / vel schach / hoc est, calculus. Apud Cosmam Pragensem Bohem. Chronic. lib. II. *Adornata lapidibus pretiosis, & crystallinis sachis.* Imò & in Isidori glossis est: *Saga, nomen gemmæ. Scachus* etiam calculus: unde *scacherorum ludum* dicimus, qui aliter *latronum.* Sed de isto secus alii: ut dicam paullo post in voce *Scachus.*

Saisina, vel *seisina*, & inde factum *dissaisina*, quid signent, explicamus in *Saisire* cap. de Verbis.

Sagibaro erat in mallobergiis, ubi plebis caussæ disceptabantur, proxima à Gravione, sive Comite, dignitas. Itaque Lex Salica tit. LVI. § 1, multam statuit ei, *qui Grafionem occiderit*, §. II, *Siquis Sagibaronem, qui puer Regius fuerat.* §. III. *Si sagibaronem, qui ingenuus est.* Subjungitur deinde §. IV. *Sagibarones in singulis mallobergiis, id est, plebs, quæ ad unũ mallum convenire solet, plusquam tres esse non debent: & si caussa aliqua ante illos secundùm legem fuerit definita, ante Grafionem removere eam non licet* Gloss. *Sagibarones dicuntur, quasi Senatores.* Ex Germanico sach / lis, causa; & *baro*, pro viro †; ut ad verbum sonet caussarum vir; hoc est, qui præest caussis dijudicandis.

† *De hac significatione dixi cap. 3. ac pluribus Pithœus lib. 1. Subseciv. cap. 8.*

Saiga, tremissis pars quarta, quæ ternos valet denarios. Frequens est in legibus Alamannicis, & Bajuvaricis. Similiterque Donatio in Alamannicis Goldasti *. *Censumque inde solvam annis singulis unam saigam, in quocunque pretio potuerim.*

Saio idem ac speculator, sive carnifex. Estque vox Gothica: unde & Hispanis hodieque *saion* idem. Apud Isidorum Hispalensem lib. x. inconstanter nunc *sagio* legitur; ut in Venetâ ann. cIↃCCCCLXXXIII: nunc *saio*, ut in plerisque, etiam optimo nostro Mso membranaceo. Nempe, si Breulio ad Isidorum fides, Germanicum est sager; unde *sagio*, &, (quia G, sequente I, pronunciari ut I consonum solet) *saio* inde contractum. In Glossis Isidori est: *Saio, pœnator, tortor.* Ante Isidorum usus eâ voce Cassiodorus in literarum inscriptionibus: ut lib. II. Var. XIII, & XX; lib. III. Var. XX; lib. IV. Var. XIV, XXVII, XXXII, XXXIV, LXVII; lib. V. Var. V, X, XIX, XX, XXVI; lib. VIII. Var. XXVII: item lib. XII. Var. III: ubi inscriptio, *universis saionibus.*

* *Tom. 3. pag. 58.*

Legas & in legibus Wisigothicis: ut lib. II leg. XVII: *Nullus in territorio non sibi commisso, vel ubi judicandi potestatem nullam habet omnino commissam, quemcumque præsumat, per jussionem, aut saionem distringere.* Item leg. XXV: *Quam datum commodi summam ex lege tam judex, quàm saio, de restituta rei compositione conquirant.* Ubi videmus, judicem, & saionem, conjungi; quia hujus est judicis exsequi sententiam: quicum convenit, quod Isidorus in x dicat, ab exigendo sic vocatum: nempe quia exigat, & exsequatur pœnas. Habes & aliquot aliis earundem Wisigothicarum Legum locis. In Concilio etiam Emeritensi cap. VIII, ubi in vett. editionibus legitur *Salomonem*, rescribi debet *saionem*: quod jam monitum Ludovico de la Cerda Adversariorum Sacrorum cap. CXVII. Multoque antè sic ediderat Joannes Garsias, vir bene de Conciliis Hispanicis meritus.

Sala à Germanis est, qui dicunt sall: unde & *sala* retinent Itali, atque Hispani. Sed nunc quidem Germanis, uti & Belgis, sale/ notat partem domus; puta atrium, aut cœnaculum: olim autem sumsisse videntur pro domo universâ: ut in legg. Alamann. tit. LXXXI: *Domum ejus incendat, seu salam.* Item Longobardicis lib. I. tit. XI. leg IV: *Bubulcus de sala.* Et ejusdem tit. leg. VII: *De sala propria exire.* Ab hoc vocabulo est saltsuchen / in Decreto Tassilonis, Ducis Baioariorum Tit. II. leg. XV: *Qui resisterit domum suam, quod saltsuchen dicunt, qualem rem quærenti resistebat, talem componat in publico* XL *solidis.* Ex sall/ domus, & zouchen/ quærere. Nimirum notat, domi alienæ rem furtivam inquirere; ut, veteri more Romano, per lancem & licium fieri solere, ex Agellio discimus lib. XI. cap. XVIII.

Salvagardia, Gallis *sauvegarde*, priori parte sui Latinæ, posteriori barbaræ est originis. At Latinè dixeris *protectionem, tutelam:* vulgo & vocant *salvum conductum.* Legas in fundatione Monasterii Vezeliacensis; quam Notis suis ad Bibliothecam Cluniacensem inseruit Andreas Quercetanus. Primùm ista: *Quod testamentum confirmatum, & ratum fuit ab invictissimo, & gloriosissimo Imperatore, & rege Francorum, & diplomate suorum tutela, & salvagardia istud Monasterium, & Monachas ibidem Deo deservientes, cum dependentiis posuit, & accepit.* Ac postea: *Monasterium cum ancillis Dei servientibus in protectionem, & salvagardiam, accepit.*

Samitum, vel *sammitium*, est panni Serici genus, quod Germanis, Saxonibus, Sicambris, etiam Frisiis, sammet/ sive sammit. Petrus Blesensis Epist. LXVI: *De zona aurea, & lumbari serico, & samito, &*

alis zeniis, quæ per laborem præsentium de vestra largitione susc epi, non quantas volo, sed quantas valeo, refero vobis grates. Arnoldus presbyter in Chronico Slavorum cap. v: *Regina autem donavit Duci samitos plurimos, ita ut omnes milites suos vestiret samitis.* Conradus Episcopus in Chronico rerum Moguntinarum: *Item duæ casulæ de samito albo, & ejusdem fili dalmaticæ duæ. Samittium* vocat Monachus Villarienſis anonymus in Caroli Villarienſium abbatum octavi vita, cap. III, §. XVIII: *Insuper dedit ei in arham purè dilectionis manu propriâ samittium pretiosum.* Etiam hinc Græcobarbari ξάμιτον: ut Balſamon, & Nicetas: tandem & ξάμιτος: de quibus Meurſius in Gloſſario.

Saxa, vel *saxus*, brevis gladiolus, à Saxonico ſax/ vel ſaȝs. Galfridus Monumethenſis de origine & geſtis Britann. lib. III. cap. III: *Commilitonibus suis præcepit, ut unusquisq; longum cultrum intra caligas absconderet, & cùm colloquium securiùs tractarent Brittones, ipse eis hoc signum daret,* nimet oure ſaxas: *unde quisque paratus adstantem Brittonem audacter occuparet, atque, abstractis cultris, occiùs ipsum jugularet.* Witichindus Hiſtor. lib. I: *Fuere autem & qui hoc facinore nomen illis inditum tradant. Cultelli enim nostra lingua* ſaȝs *dicuntur.* Rectè verò præſtantiſſimo Scaligero obſervatum, apud Godfridum Viterbienſem legi debere Chron. part. XV:

Ipse brevis gladius apud illos saxa vocatur.

Non *saxo*, ut nunc editur. Atque idem rectè emendat apud Fredegarium Chron. cap. LXIV: *Heraclius equum calcaneo vehementer urgens, extrahens saxum, caput patricii Persarum truncavit.* Ubi vulgò perperàm *uxum.* Cum Saxonica voce congruit, quòd & Bohemis gladius teſak. A *saxa* eſt *scramasaxa*, gladiolus, vel culter domeſticus, pani ſcindendo idoneus; ſic dictus, quia illum plebeii ſecum geſtarent, ac cultro hoc ſe tuerentur, & alteri, ut nunc apud nos ruſticum genus ſolet, genas inciderent. Schram Germanis, & Belgis, dicitur vulnus inflictum cæſim: item cicatrix ex vulnere, ſive ſignum vulneris: adhæc *novacula*, vel *pugio*, ſive, ut Feſtus vocat, *clunaculum*, quia ad clunes religetur; niſi cum Iſidoro *clunabulum* malis. Poſtremo hoc modo *scrama* vocabulo utuntur LL. Wiſigothicæ lib. IX. tit. II. leg. IX: *Plerosque verò scutis, spathis, scramis, lanceis, sagittisque instructos.* Quo ex loco videmus, *scramam* non eſſe cultellum domeſticum, quo panem incidimus, & carnes: etſi id aliqui putarint. Ex duobus igitur hiſce *scrama*, & *saxa* vocabulis, cõflatum *scramasaxus.* Gregorius Turonenſis lib. II. Hiſt. Franc. cap. I. *Duo pueri cum cultris*

validis, quos vulgò Scramasaxos vocant, infectis veneno, malefactis à Fredegunde Regina, cum aliam ob causam se gerere simularent, utraque ei latera fodiunt. Germanis scherſax. Gloſſar. Theotiſcolatinum: Scherſax/*novacula*. Nempe ſic dicebatur, quia utrumque uſum præſtaret, & ſcramæ, & laxæ. Niſi veriùs, ut puto, ſcherſax eſt, qui Belgis ſcheer-mees. Similiter Cicero vocat *cultrum tonſorium*, Plutarchus μάχαιραν ξυρικὴν Sanè id Latinis *novacula*, quia tonſurâ, ac raſurâ, quaſi renovamur. Geminum huic oſterſachs/ pugio, quo Paſchali feſto, & aliis, ſe accingerent. Addam illud, Saxonum gentem inclytam, non à Latina *ſaxi* voce nomen ſortitam, tanquam durum genus, ſaxum hac parte referens: quod variis traditum, præeunte Iſidoro lib. IX. Orig. cap. II. ſed ab hiſce cultris, quos Germani *ſaxas* vocarẽt. Quomodo & Longobardi nõ à Latina voce *barbárum* nuncupatũ; ſed à lõgis *bardis*, ſive *bartis*, h. e. bipennibus, quas geſtarẽt. Unde remãſit hellebaert; puta ex hel/clarus, ſplendens, flammeus; & baerd/bipennis.

Scabinus vel *Scabineus*, pro judice. Gloſſ. Theotiſc. *Judex*, ſcepens. Et in charta Beſuenſis monaſterii apud Pithœum in gloſſario ad Kapitularia Karoli M. *Ante illuſtrem virum, Hildegarium Comitem, ſeu judices, quos ſcabineos vocant.* Unde liquet, cur in Gloſſis etiam legas, *Scabini, auditores Comitum.* Crebrum eſt id vocabulum in Kapitularibus Karoli Magni, legibus Longobardicis, & hiſtoricis poſteriorum temporum; hodiéque obtinet paſſim.

Scachum, ſive *ſchachum*, raptus, ex Germanico, & Belgico, ſchaecken: quomodo obtinet, een dochter ſchaecken rapere virginem. Lex Longobardica Lib. II. Tit. LV, Leg. XXXVII: *De furto, aut ſchacho, ſi ultra ſex ſolidos fuerit, ſimiliter, ut per pugnam veritas inveniatur, præcipimus.* Quâ Othonis Imperatoris lege, nihil fere iniquius, quando nõ conſequitur, quia quis fortior ſit, eò cauſſam habere meliorem. Eſt qui† in allatâ Othonis lege pro *ſchacho* legat *ſcalco*; unde & miniſtrum, aut ſervum, interpretatur. Sed omnino falli oſtendunt, quæ diximus. Ut verò *ſcachum*, raptus; ita *ſchachus*, vel *ſcacus*, vel etiam *ſchacator**, raptor, latro: *ſcacatio*, quod in Edictis Ludovici XI*. inde *ſchacorum ludus* vulgò, qui aliter *latronum*, vel *latrunculorum*: quomodo dicti, quia latronum more inſidientur. Martialis lib. XIV. epigr. XVII.

Inſidioſorum ſi ludis bella latronum.

Ubi lemma, *Calculi.* Deque eopſe ludo lib. VII. epigr. LXXI:

Sic vincas Noviumque, Publiumque,
Mandrus, & vitreo latrone clauſos.

† Auctor Gloſſarii additi Nicolao Clemangi.

* In Conſtitut. Caroli Calvi, tit. 12. cap. 13. in Francorũ, iterumque in Centenariorum juramẽto. a Pag. 209.

Imò

Imò & Ovidii est in secundo de Arte:

Sive latrocinii sub imagine calculus ibit.

Quæ satis ostendunt, *schacorum* nomen, pro ludo, esse, ut dixi, ex schafer pro raptore, vel latrone. Possit alioquin & *scacus* videri contractum ex *calculus*, S præmisso; quomodo Græci dicunt σμικρὸς pro μικρὸς, σμάραγδος pro μάραγδος à μαρμαίρειν, splendere: quomodo item Latini veteres à καρκίνος fecere *scarabaus*; ac prisci pro *tria, tritavus, tritare*, dixere *stria, stritavus, stritare*: quâ denique ratione Latino-barbari *squadrones*, pro *quadrones*; *squadras*, pro *quadras*. Utitur sic *scaci*, vel *scacci* voce Fulcherius Carnotensis, unus ex scriptoribus Gestorum Dei per Francos†, in an. cIↃCCVIII: *Quid scaccis ludis? En Franci veniunt.* Similiter Historia Albigensis cap. IV*. Item Joannes Turocius lib. II. cap. XCVII: *Vnâ tabulâ pro scacis mirabili.* Ludovicus IX. Gall. R. in edict. de vit & hon. *Præterea inhibemus districtè, ut nullus omnino ad taxillos ludat, sive ad aleas, & schacos.* De ipsa ludi forma vide sis Hieronymum Vidam in poëmatum ejus Rege de Scacorum ludo, Cælium Calcagninum opusculo de talorum, tesserarum, & calculorum ludis; ac imprimis ✠ κριν Salmasium ad Vopiscum†.

† Pag. 391. edit. VVechel. a. 1611.

* Pag. 18. edit. Trecensis an. 1615.

† Pag 459. & seqq.

Scalcus, pro ministro, sive servo, in compositione sæpius reperias. Ut in *Godscalcus*, pro Dei servo. Item *mareschallus*, de quo diximus cap XII. Adhæc *adelscalc*, in decreto Tassilonis, Bajovariorum Ducis cap. VII: *Servi principis, qui dicuntur adelscalc.* Pro quo ab aliquibus Imperii Principibus scribi solet, Unserm Edelknecht. Extra compositionem *scalcus*, pro *servo*, sæpius apud Odfridum legas in Paraphrasi Euangelii. Verba parcam adscribere, quia tria inde loca jam adduxit in Glossario Lindenbrogius. Similiter initio Cantici Simeonis reperias tum in tralatione Gothica, tum Teutonicâ illâ Harmoniæ Euangelicæ Tatiani. Item apud anonymum in rhytmo de S. Annone, quem Opitio debemus. Kero: *Servus*, schalck.

Scamera, & *scameris*, idem videntur. Prius est Legg Longobard. lib. I. tit. I. leg. IV. *Si quis scameram intra provinciam celaverit.* Quid sit, indicat Eugippus in vita Severini cap. X: *Ipse quantocius Istri fluenta prætermeans latrones properanter insequitur: quos vulgus scamares appellabat.* Dubium interim, num universos latrones sic vocarint, an solùm eorum Corycæos, ac speculatores; quos à Germanico spehen/hoc est, speculari (est autem spehen à specio) spioens/ac *spias*, vel *spiones*, nuncupant. Apud Papiam quidem legas: *Scamares, piones legis.* Ubi eruditi viri *spiones leges*, vel *Regis*. Ut intelligantur latrocinantium,

aliorumve, exploratores. Sed nihil impedit, quo minùs tum latrones, tum speculatores eorum, imò alios etiam exploratores, sic dixerint. Sanè in veteri Glossario simpliciter est; *Scamera, explorator.* Sed quod ὁ μακαρίτης Clemangis editor, in Glossario, à Scamandro flumine *scameris* ejusmodi nomen datum suspicatur; quia nempe nupturæ in hoc se lavarent, ac dicerent*, Δέξαι μοῦ Σκάμανδρε τὴν παρθενίαν, *Accipe meam, ô Scamander, virginitatem*; id sanè indictum malim. Nam quid, quæso, habet verisimile? vel quid ritus iste ad viarum subsessores?

* Æschines epist. 10.

Scara pro turba hominum, ac particulatim sæpè pro turba militari. Nempe est à Germanico schaere. Ex antiquis, qui Saxonicè, vel Francicè scripsere, usi câ voce *skara* vel *scara*, Odfrid. Evangel. li. IV. cap. XVI. & Willeram. in Cant. Legas quoq; in Kapitul. Karoli M. & Ludovici Pii lib. III. cap. LXVIII. item apud S. Eparchii monachum; cui crebrum illud †, *misit scaram*, vel *scaras suas*. Et in fragmento Annal. Francicorum, quod habes Tom. III. Antiq. Lect. Canisii: *Et filium suum Dominum Carolum dimisisset unà cum scara contra Vvestfalos.* Est & Hincmari Rhemensis epist. V. ad diœcesios suæ Episcopos cap. III*: *Bellatorum acies, quas vulgari sermone scaras vocamus.* Usus & Aimoinus lib. IV. de gestis Francorum. cap. XVI: *Collegit lectam è Francia bellatoribus scaram; quam nos turmam, vel cuneum, appellare possumus,* Similiter lib. V. cap. XXVII. & XLII. Item Regino lib. II. & Ado Viennensis. Adhæc Benedictinus monachus anonymus in miraculis S. Genulphi cap. III: *Hic ex illa nobilium scara Francorum, quam gloriosus Rex Dominus Pipinus præfati Augusti Ludovici unus, in urbe Biturica ad Guaiferii, Ducis Aquitaniæ, partes expugnandas reliquerat, originem trahens, regali quoq; prosapiâ oriundus erat.* Pithœum ‡, inde derivantem Gallicum *escadron*, falli puto. Vide & quæ dicam lib. III. cap. XLVII. in Scara, quatenus venit ab ἐσχάρα.

† Pagina 218, 239, 243, 248.

* Pag. 59. edit. Moguntinæ, ann. 1602.

‡ In glossario ad Capitula Karolina

Scaramanga, vel *scaramanga*, vestis genus ad pluviam arcendam. Priori modo vocat Paullus Diaconus in Historia, ubi de Heraclii temporibus: *Loricam ipsius auro contextam, & scaramangim ipsius, detulerunt cum capite ipsius.* Posteriori autem Luitprandus Ticinensis lib. VI. *Quorum primus vocatus est, Rector domus; cui non in manibus, sed in humeris, posita sunt numismata cum sacramangis quatuor.* Vox est à posteriori Græcia. N. m & σκαραμάγγιον vocat Achmes cap. CXXXI. Atque idem σκαραμάγγιον appellat cap. CLVIII, & CCLXVIII: uti & Cedrenus. Cùm verò vestis genus fuerit arcendis cæli injurüs, ut ex

eru-

erudito Leonclavii Pandecte Turcico liquet cap. CLXXII, & CXCIX: non absurda est amici nostri cõjectura, deducẽtis à Germanico schermen/quod aliis schirmen/ vel schermen/Gall. *escrimeur*, Ital. *schermire*: h.e. *dimicare, luctari:* eò quòd tueatur corpus, obluctando pluviæ, & tempestatibus. Sanè compositum ejus beschermen/tueri, defendere.

Scarletum, & *escarletum*, pro cocco, dixere: prius, ut Angli *scarlet*, Itali *scarlato:* posterius, ut Galli, more suo literæ S præmittendo E, *escarleto*. Utroque usus Matthæus Parisius. Ac de *escarleto* vidimus cap. VI. Alterum reperias ad ann. CIↃCXXXIV: *Rex* (Henricus I) *novam robam de scarleto sumens, adsuetus de eodem panno fratri suo* (Roberto, Duci Normanniæ) *mittere*. Cæsarius lib. XI. Mirac. cap. XVIII: *Vestibus novis, atq; scarlatis indutus*. Hinc *scarletina tunica* apud M. Joannem de Thvvrocz in Chronicis Ungaricis Part. II. cap XCIX.

Scartanea, pro loro. Jo. Thvvrocz ius in Chronicis Ungaricis cap. eodem: *Tandem antedicti trini dextrarii sollemnes cum armis & operimentis omnibus ipsorum gloriosissimis seu attinentiis, cum scartanea, curru seu mobili, aut ostilario regnali —— cum innumerabilibus pecuniis, dicto monasterio dati & concessi fuerunt*. Etiam Græcis recentioribus similiter dicitur καρζάνιον, vel καρτζάνιον: ut Achmeti cap. CCXXI, & CCXLIX. Poterat *scartanea* videri esse à *scorto* pro pelle. Sed ortu Arabicum censet Martinius: quem in Etymologico vide.

Scaflegi Teutonibus antiquis notabat armorum depositionem: ac putabat doctissimus Martinius in Etymologico suo, venire à schoßlegen/ hoc est, ponere jacula, sive tela, aut missilia: nempe ut prior pars sit à schiessen/pro quo Saxones, & Belgæ schieten/ jaculari. Invenias Capitul. Kar. & Lud. Addit. lib. IV. tit. LXXXII: *Postquam Comes, & Pagenses. de qualicunque expeditione hostili reversi fuerint, ex eo die, supra* XL *noctes sit bannus recisus, quod linguâ Theotiscâ Schaflegi, idest, armorum depositio, vocatur*. In Constitutionibus Karoli Magni, à Vito Amerpachio editis, est *scatlegi:* quomodo fuerit à scat/ sive scaed/ hoc est, damnum, & legen/ sive liggen/ hoc est, ponere. Ut significet depositionem armorum, ac simul animi, ullum deinceps damnum partibus inferendi.

Scella, vel *scilla*, tintinnabulum, à Germanico ac Belgico schelle; quod à schallen/ sonare. Hoc à sono factum, credere malim, quàm, quod doctissimo & amicissimo placuit Matthiæ Martinio, ἀπὸ τῦ καλεῖν, quia eo convocari homines soleant: etsi nõ ignorem, quàm crebrò Sante C initio soleat præponi. Utitur *skella*, seu *scella* vocabulo

Lex

Lex Salica tit. XXIX: *Si quis skellam de caballis furaverit. Scillam* nuncupat Edinerus Anglus in Vita S. Anselmi lib. I. *Sumptâ in manibus chordâ, pro excitandis fratribus scillam pulsantem.* Matthæus Parisius in vita Joannis XXIII. abbatis S. Albani†: *Et tractâ nolâ, cui Muta, vel Scilla est nomen, terminetur sonus ille, & totus tumultus.* Durandus Rationalis lib. I, & IV, pro eo dicit *squilla*: voce quidem Latinâ, sed aliud Latinis significante; ut vidimus lib. I. cap. I.

†Pag 141. edit. Lond.

Scematio corporis est, si alicui nares, vel aures, abscindantur; vel in vultu vulnera ejusmodi fiant, quorum cicatrices etiam postmodo hominem adeò fædent, ut turpis sit adspectu. Nempe à Germanico schemen/ quod Belgis schaemen / hoc est, pudere: quia sic affectum hominem prodire pudeat in aliorum conspectum. Habes in Legg. Longobardicis lib. II. tit. LV, leg. XVI. ubi si quis alienam uxorem inhonestè attrectârit, quantum marito in talem liceat exponitur; atque interim interdicitur, ne iccirco occidat, vel scemationem ei corporis faciat. A Latino, vel Græco *schema*, esse, non arbitror. Ut quo non tam corporis figura, quàm habitus, sive vestis decus signetur. Diximus de eo Oratoriarum Institutionum lib. V. cap. I. sect. I.

Scheffilum, mensuræ in aridis genus, Germ. scheffel. Saxon. Geldr. Fris. schepel. Legg. Saxon. cap. III: *VVestfalajorum, & Angriorum, & Ostfalajorum solidus est, fecalis sceffila* XXX, *ordei* XL, *avenæ* LX. Et cap. XLIX: *VVestfalajorum, & Angriorum, & Ostfalajorum solidus fecalis sceffila* XXX, *hordei* XL.

Sclavus, pro servo, vel mancipio, à Germanico slaef/ vel slave: quod & Anglicum. Galli pro eo *esclave*, Hispani *esclavo*. Ac putabat vir eruditus, si *servus* dicatur, quasi servatus in bello; etiam *slavum* vocari potuisse, quasi salvatum in bello. Censeo potiùs, apud Germanos id primitus nomen habuisse eos, quos è forti Slavorum gente captos in servitutem redegissent; inde latiùs extensam significationem ad cujusvis gentis captivos, vel servos. Cæteroqui Sclavicum nomen per se sat glorioſum, si à gloria est, quæ Slavis slawa. *Slavos*, pro servis, legas apud Matthæum Parisiũ in Henrico III ad an. CIↃCCXXXVIII: *Soldanus moriturus —— vinctos slavos liberos multos, & alia multa opera charitatis fecerat.* Et alibi crebrò apud eundẽ, & alios.

Scopar, & *scofph*, quid sint, in *Scuria* exponam.

Scotallum Anglicis scriptoribus est taberna vinaria, vel cervisiaria, quò itantes symbolã singuli ad sympoſiũ cõferebant. Ac doctissimus Watsius conjectabat, esse ex Saxonico *scot*, hoc est, symbolum, & *ala*, cere-

cereviſiæ Anglicæ genere. Imò à verbo *ſcotare*, quod eſt vendere c. 11. Et de conſuetud. Matthæus Pariſius in Joanne ad an. cIↃↃCXIII: *Denunciatum eſt præterea Vicecomitibus, & Foreſtariis, aliiſque miniſtris Regis, ne ſcotalla alicubi in regno faciant, ſicut facere conſueverunt.* Item ad ann. cIↃↃCXV. in Charta Joannis de libertatibus foreſtæ: *Nullus foreſtarius, vel budellus, faciat de cætero ſcotallum.* Eò id interdictũ, quia ſolerent vulgò tabernas iſtiuſmodi frequentare, ut gratiâ valerent apud foreſtarios, vel alios Regis miniſtros, ad quos ex iſtiuſmodi tabernis grande rediret lucrũ. Vid. Somner° Gloſſ. voc. Scot & Scotale.

Scrama, & *ſcramaſaxus*, quid ſignent, diximus in *Saxa*.

Screona, & *ſcreuna*, variè ſcribitur: ut *leodes*, & *leudes*. Lex Salica tit. XIV. §. 1: *Si tres homines ingenuam puellam de caſa, aut ſcreona, rapuerint.* In iiſdem nunc ſermo de *ſcreona, qua ſine clave eſt*; ut tit. XXIX. §. XXXV: nunc de *ſcreona, qua clavem habet*; ut ejuſdem tit. §. XXXI. Eſt & in Legg. Saxon. cap. IV. §. IV: *Qui infra ſcreonam aliquid furaverit, capite puniatur.* Additio Sapientum ad Leges Friſic. tit. I. §. I: *Siquis caballum furavĕrit, aut bovem, aut ſcreonam effregerit, capitali ſententiâ puniatur, vel vitam ſuam pretio redimat.* Lucem hæc fœnerant inde, quòd, (ut Lindenbrogius in ſuo ad LL. Vett. Gloſſario annotavit) ruſtici Campani hodieque *eſcrenes* vocent cubicula in humum demerſa, ac multo etiam onerata fimo, ubi puellæ conveniunt hieme, ac ſæpe vigilant uſque ad noctem intempeſtam.

Scrobulla eſt genus veſtis muliebris talaris. S. Odoricus de Foro-Julii Peregrinationis ſuæ cap. I. §. IV: *Iſta mulieres ambulant diſcalceate, portantes ſcrobullas uſque ad terram.*

Sculca idem, ac excubiæ, vel vigiliæ. LL. Longobardicæ lib. I. tit. XIV. leg. VI: *Siquis in exercitum ambulare contemſerit, aut in ſculcam.* Sunt tamen, qui hîc legant *ſculcara*, & hoc *exercitum* interpretentur: deducunt verò à *ſcara*; de quo ſuperiùs dictum. Mihi eò id minùs placet, quia de exercitu anteceſſit, nec bis idem dici ſat veriſimile eſt. Tum autem ſi *ſcara* prior eſt vocis pars, quam adſignant alteram? Retineo igitur *ſculca*, ac capio de cuſtodiâ militari: quæ etiam Græcis recentioribus dicta eſt σκῦλκα, uti Theophylacto Simocattæ lib. VI*; ubi ſic ait vocari τὰς διαφυλακάς. Leo item in Tacticis junctim ait, σκύλκας. ἤ βίγλας, *ſculcas, ſive vigilias.* Uſus & Urbicius lib. IV. cap. 11. In Gloſſario quoque eſt, *Sculca, cavalcata.* Sed de hiſce omnibus accuratiùs libro ſequenti; ubi eadem oſtendam; non tam à barbaris, quàm Latinis, profectum hoc vocabulum videri.

* Pag. 314.

Sculdasius, qui aliter *sculteetus*, ex Germanico ſcholtetiß, h.e. debitorum exactor; ut dictum lib. 1 cap. 1. Et etymon id proximè exprimit Papias; apud quē legas, *Sculdais, rector linguâ barbarâ Longobardorum.* Imò apud Paullum Warnefridum eſt Hiſt. Longob. lib. VI. cap. XXIV: *Rector loci, quem ſchuldhais nominant.* Et apud Leonem Oſtienſem lib. I. cap. VI: *Quidam ſculdais Beneventanus, Saracenus nomine. Schuldheizo* eſt apud Otfredum in rhytmicâ tralatione Euangelii lib. III. cap. III†, & lib IV. cap. XXXIV*. *Sculdaſius* eſt in diplomate Othonis Imperat. apud Baronium†: *Nullus Marchio, Comes, aut Vicecomes, Sculdaſius, vel quilibet ex judiciaria poteſtate.* Gloſſ. vett. *Sculdaſius, pedaneus judex.* In legibus Longobardicis utrumque occurrit: *ſculdais* lib. I. tit. XVII. leg. X, & lib. II. tit. XXXVIII, qui de ariolis, leg. II: ubi quinquies eſt in recto *ſculdais*: ſemel gignendi caſu, *ſine notitia ſculdaïs*: ſemel dandi caſu, *ſculdai*: adhæc incuſativo caſu, *per ſculdaïm.* At *ſculdaſius* habes lib. I. tit. II. leg. II, & tit. XII. leg. II & tit. XXV. leg. I, & LXXIII; item lib. II. tit. IX. leg. II, & tit. XXVII. leg. IX, & tit XLII. leg. I: item lib. XII. leg. V. Qui gloſſas addidit Clemangi, citat ex Legibus Longobardicis, *Siquis Sculdaſius, aut actorem Regis occiderit*: atque addit, primò ſe ſuſpicatum, ob facilem mutationem literæ *e* & *c*, *ſculdaſium* lege oportere: ſed poſtea animadvertiſſe, *ſculdaſius* eſſe retinendum; ac ſic dici eum, qui vehit ſordes ac quiſquilias, à σκῶ, moveo, & κόπρος, limus, vel cœnum. At unde illud σ? num etiam idem ſunt movere limum, & urbe eum efferre? & quis unquam *ſculdaſii* vocabulum audivit? cur è Græco potiùs fonte, quam Germanico, Longobardi novam vocem derivarint? Ut mittam cætera.

Scuria, horreum, ex Germanico ſchure: quod aliter ſcheure, uti hinc Latinobarbarum *ſceurum*; imò & *ſcebrum*, B, quod haud inſolens, in V conſonum tranſeunte. Poſtremum hoc eſt apud Anaſtaſium Bibliothecarium in Sergio: *Miſſus in locellum, quod ſcebrum chartale vocitatur, in hanc urbem Romanam, ad confirmandum.* Ubi vulgò *ſcebrum carnale*: ſed *chartale*, legi oportere, rectè vidit Cæſar Baronius: cui & Meurſius ſubſcribit in Gloſſario: prætereaque obſervat, è Græcis quoque σκίφιον pro horreo dicere Maximum Centur. II. cap. LXXXIV: ac apud Ingulphum in Hiſtoria, ubi vulgò *ſcauris*, *ſceuris* eſſe reſcribendum. Verba Ingulphi ſunt: *Cœpit, largiente Domino, bonis omnibus abundare; ut tamen in theſauris, ac ſceuris, quàm in terris, ac tenementis, ei pro primis amiſſis poſtmodum duplicia redderentur.* Etiam, ut de Anaſtaſio Baronium probat, ita de

In-

† *Pag* 221.
* *Pag.* 456.
† *Tom.* 9. *Annalium.*

Ingulpho Meursium sequitur (sed nomen præterit) Joan. Ludovicus de la Cerda Adversariorum Sacrorum cap. CXXV *Scuria* verò occurrit in legibus Alamannicis, atque aliis. Nec refugit Hincmarus Rhemensis adversus Hincmarum Laudunensem: *Insuper & scuriam ipsius intercluſit, & annonam de terris dominicatis collectam, sine licentia ipsius presbyteri in eam misit.* Citat Lindenbrogius ex Glossario Latinotheotisco: *Scura, ubi manipuli, vel fœnum reponitur.* Scuriæ genus *schoph:* de quo Legg. Boiorum tit. IX, cap. II: ubi priùs agitur de scuria conclusa parietibus: inde de altero subjicitur: *Si autem septa non fuerit; sed talis, quod Bajuvaris scofph dicunt, absque parietibus, cum VI sol. componat.* Est verò ex *schofph*, vulgare *scot*, vel *scut:* sed laxiùs Belgæ sumunt; ut qui pro septo usurpent. Minor scuria, *scopar.* Ibid. §. V: *De minore verò* (scuria) *quod scopar appellant.* Originem certiùs Bavari dicent. Cogitabam ego, ex eo esse, quia illic reponerentur instrumenta fossoria. Nam pala, sive ligo, Germanis scauffel/ Belgis scoppe: quæ, si originis Germanicæ non sint, placeat esse ex Græco σκαφεῖον, uti hoc à σκάπτειν, fodere.

Scutella, paropsis Schüssel. Italis *Scodella.*

Selda vix arbitrer * alibi legi, quàm apud Matthæum Parisium in Richardo primo ad an. MCXCVIII: *Statutum est insuper, ne quis mercator prætendat selda suæ rubeos, vel nigros pannos, vel aliquid aliud, unde visus intuentium decipiatur ad pannum bonum eligendum.* Significat verò, non quidem officinam, ubi propriè fit pannus (nam *officina*, quasi *efficina* dicitur, ut *officium* quasi *efficium*) sed tabernam, ubi res venales exponuntur: sive id sit in inferiori parte anticâ, ubi panni bellè compositi etiam conspiciuntur à prætereuntibus: sive in contignatione superiori. Utrobique fenestris sæpe extrinsecus adhibentur è ligno receptacula fusioris luminis, quò merces videantur elegantiores. Ejus rei abunde exemplorum in illustri hoc Amstelodamensium emporio quotidie cernere est. Quid si autem selda ex eo sit, quod Germanis superioribus tentorium sit Zelt/ vel Gezelt; ut inferioribus telt. Hæc sententia est doctissimi Bartholdi Nieuhusii. Telt autem, credo, ex tentorium est corruptum.

* *Duo loca ex antiquis Chartis Annorum 1181. & 1294. asservat Somnerus in Glossario.*

Senischalcus, & *marischalcus*, olim vilis fuere muneris nomina: prius enim armentorum, alterum equorum custodem, sive servum significabat. Utraque vox composita est: ac posterior pars utrobique est scalc/ id est, servus; ut in *Godscalcus* quod idem ac *Theodulus.* Prior pars in priori est son/ seu senneste/ vel sente/ hoc est, grex, vel armenta.

Quomodo in Legg. Angl. tit. VII. §. II. legas: *Scrofæ sex cum verre, quod dicunt SON.* At in *Marscalcus* prior pars est mare / hoc est, equus. Sic *seniscalci*, & *marischalci* vocabula usurpantur in legg. Alemannicis Tit. LXXIX: ubi §. III. est: *Si alicujus seniscalcus est, qui servus est, & dominus ejus* XII *vassos infra domum habet, occisus fuerit*; XL *sol. cõponatur.* Ac §. seq. *Si marischalcus, qui supra* XII *caballos est, occidatur*; XL *sol. componatur.* Postea verò vox utraque præclaræ dignitatis nomen evasit. Quod enim ad Mareschallum attinet, sic eum vocarunt, qui Latinis aliter *Comes stabuli*; Græcis *protostrator*: unde Nicetas, in Balduino de Godofredo agens†: Μαρισχαλκης δὲ τὰξίωμα ἀνὴρ δηλοῖ δι' ἑλλάδος ἡ φωνὴ τ πρωτοστράτωρ: *Marischalcus, dignitatis genus: vir is, qui Græco vocabulo protostrator.* Joanni Curopolatæ in Theophilo est ἱππονόμων ἡ πρῶτος, *equisonum primus.* Sed de Mareschallo satis dictum cap. XII. *Seneschallus* verò, vel *sineschalcus*, dici cœptus Regiæ mensæ præfectus, œconomus, architriclinus. Ut in vita Karoli Magni*: *Misit exercitum in Britanniam unà cum missoso suo Audulpho Sineschalco.* Similiter in Annalibus Fuldensibus ad an. IↃCCLXXXVI: *Carlus per Autulfum Senschalcum misso exercitu Britones domuit.* At (ut optimè Clarissimus Bignonius ad Marculfum observat) idem Autulphus pro Seneschallo *regiæ mensæ præpositus* dicitur Aimoino lib. IV. cap. LXXVIII: Reginoni vero Prumiensi *princeps coquorum* appellatur. *Dapifer* aliter vocatus fuit. Nec mirandum, mensæ regiæ præfecto curam exercitus commissam. Nam & postea legimus exempla dapiferorum, quibus vexillum committeretur: de quo Falcetus Orig. lib. I. cap. X. Et firmat hoc Robertus, S. Remigii monachus, Rhemensis Hist. lib. IV: *Ipso die Podiensiũ episcopus perdidit dapiferum suum, qui suæ aciei deferre solebat vexillum.* Quem dignitatis locum in aula tenuerit, docet Hincmarus Rhem. epist. III. Ac quidem cap. XVI. ait: *Apocrisiarius, quem nostrates Capellanum, vel Palatii Custodem, appellant, omnem clerum Palatii sub cura, & dispositione suâ, regebat. Cui sociabatur summus Cancellarius, qui à secretis olim appellabatur.* —— *Post eos verò sacrum palatium per hos ministros disponebatur: per Camerarium videlicet, & Comitem palatii, Senescalcum, Buticularium, Comitẽ stabuli, Mansionarium, Venatores principales quatuor, Falconarium unum.* Ac Buticulario quidem, & Stabuli Comiti, præmitti Senescallum, etiam videas in Diplomate Ludovici VI. Donationis ad S. Dionysium. Verba sunt: *Præsentibus ex Palatio nostro, quorũ nomina subtitulata sunt, & signa; S. Ancelli, tunc temporis dapiferi nostri, S. Gilleberti buticularii,* S. Hu-

*Ejus pro cujus.

†Pag. 295. edit. Oporan. 155.

*Pag. 148. edit. VVechel. ann. 1594.

S. Hugonis Constabularii, S. Guidonis Camerarii; Stephanus Cancellarius relegendo subscripsit anno clocxii. Ubi non dubium, quin pro *seneschallo dapiferum* dixerit, quia hæc muneris pars dignior foret. Atque hoc etiam ex memorato antea Hincmaro liquet; qui cùm, ut vidimus, varias aulæ dignitates enarrâsset, sequentibus capitibus omnium officia exponit, cæteráque inter sic cap. xxiii. scribit: *Ad tres autem ministeriales, Senescalcum, Buticularium, & Comitem Stabuli, secundùm uniuscujusque ministerii qualitatem, vel quantitatem, pertinebat, ut cum communi consensu de suo quisque ministerio admonendi non essent segnes; ut, quanto ejus esse potuisset, omnes actores regis præsirent, ubi, vel ubi, Rex illo, vel illo tempore, tanto, vel tanto spatio, manere debuisset, propter adductionem, vel præparationem: ne fortè tardè scientes, dum inopportuno tempore, vel cum nimia festinatione, exigeretur, familia regalis per negligentiam sine necessitate opprimeretur. Quæ videlicet cura, quamquam ad Buticularium, vel ad Comitem stabuli, pertineret; maxima tamen cura ad Senescallum respiciebat; eò quòd omnia cætera,* * præter *potus, vel victus caballorum, ad eundem Senescallum respicerent.* Videmus, ut Seneschallo curam stabuli fuisse dicat: sed *præter* curam illam potus & victus caballorum, quæ sola primitus ei fuerat commissa, alia quoque postmodo oportuerit curare. Clarum itaque, jam Karoli M. ætate (de hac enim loquitur Hincmarus) Seneschalli munus fuisse illustrius, quàm antiquioribus fuerat temporibus. Imo sic dignitas ea gliscebat, ut seneschallia (utitur eâ voce Henricus III. Angliæ Rex in literis de pace inter reges Castiliæ & Angliæ†) idem censeretur, ac *majoratus*: quod ex Hugone de Cleriis constat: uti quoque ex Guilielmo Tyrio Histor. belli Sacri lib. ii. cap. v: *Alexius megadomestici dignitate (quem nos majorem senescallum appellare consuevimus) fungeretur officio, ab Imperatore secundus.* Sanè varia erant genera Domesticorum; quomodo οἱ ἱππισάτοι, sive ἐξάρχοντες, hoc est, præsides sive præfecti dicebantur. In his verò præfectis princeps erat ὁ μεγαδομέστικος: quem ab Imperatore aliqui tertium faciunt; alii, ut Guilhelmus Tyrius, secundum. Cæterùm non desunt, qui dignitate extentâ, aliunde putant nomen datum, quàm primâ eâ, quâ propriè notaret armentorum, vel jumentorum custodem. Nempe ut tum fuerit nomen ex ſiñ/ sive ſiñd/ sive gr. ſiñd/ hoc est, familia. Quomodo propriè, primóque, sic dictus sit familiæ præpositus, sive œconomus Regius. Satis quidem appositum videtur hoc etymon: falsum tamen, quia primò, cum id nomen imponeretur, armentis erant præfecti:

* *Contra Vossium Somnerus in Glossario* tà præter *exponit* præterquam, *resecans curã potûs & victûs à Seneschallo.*

† *In Additamentis Matthæi Parisii pag.* 169.

postea demum, munere, ac nomine veteri retento, regiæ curæ mensæ accessit. Aliqui ajunt, conflari vocem ex *sen*, veteri verbo, significante *justitiam*, & *scalcus*, denotante *præfectum*: eóque significare justitiæ præfectum. Hoc verè est divinare: ut de eapse re censet Vincentius Lupanus lib. II. de Magistratibus Francorum. Nam debuerant ostendere, voces eas id signâsse antiquis. Nihilo rectiùs alii persuadere nobis volunt, vocem esse mistam ex Latina, & Græca; quasi dixeris senum ἀρχὴ. id est, principatum: aut quasi cœnarchen, ex κοινὸν. hoc est, commune, sive Respublica, & ἀρχὴ. vel ἀρχὸς: aut ex Germanico sefen/ pro socken/ quærere, & scalc/ hoc est, veterator, improbus: quia seneschalli sit in veteratorum, & hominum nequam scelera inquirere. Quæ ἀτοπα memorat Gregorius Tolosanus in Syntagmate Juris lib. xxxvii. cap. xxxiii.

Serganteria, clientela, quæ in Legg. Anglicis sergeantie. Matthæus Parisius in Henrico III. ad ann. cIↃccLVI: *Sicut nuper de clientela, quod vulgariter serganteria dicitur, materia pullulaverat pecuniam extorquendi.* Erat serganteria hæc vel major, vel minor. Minoris meminit apud eundem Joannes Rex, in charta quadam libertatum concessarum an. cIↃccxv: *Nos non tenebimus custodiam haredis, vel terræ alicujus, quam tenet de alia per servitium militare, occasione alicujus parvæ serganteriæ, quam tenet de nobis per servitium reddendi cultellos, vel sagittas, vel hujusmodi.* Atq, hinc ex parte liquet, cujusmodi fuerit minor serganteria. Pleniùs verò utriusq; discrimen in Glossario suo doctissimus Watsius annotavit.

Sergeantus, *sarjantus*, vel *sarzantus*, à Gallico *sergeant*: quod etiam Belgis in usu. Comes S. Paulli epist. ad Ducem Lovaniensem, sive Brabantum, apud Godefridum, monachum S. Pantaleonis*: *In turri siquidè sæpe dictâ erant sarjanti Anglici, Pisani, Leveniani, Dachi, ad eam protegendam constituti.* Et post aliqua †: *Sarjanti in turri latitantes.* Item: *Cum quibusdam militibus, & sarjantis.* Et postea*: *Non fuimus in toto exercitu plures, quàm quingenti milites, & totidem equites, sarjantes non habuimus plures, quàm duo millia peditum.* Unde verò Gallicum *sergeant* veniat, non ita apertum est. Ab oriente usque nolim originem arcessere: etsi Chaldæis סרכא *sarca* satellitem signet. Verisimilius sit, corruptum esse è Latino *serviens*; vel Latinobarbaro *securians*, hoc est, securum reddens.

Seriphæ Arabibus sunt, qui Turcis, & Tataris Seithi. Est verò seriphis is apud Musulmannos, sive Muhammedanos, dignitatis locus ratio-

*In rerum Germanicarum scriptoribus à Freherо editis pag. 269.

†Pag. 269.

*Pag. 271.

ratione Caliphæ, qui apud Græcos est Syncellis ratione Patriarchæ. Apud quos, patriarchâ mortuo, Syncellus succedit. Adhæc quanta Scripharum sit veneratio, arguit satis, quòd ea appellatione ipsi etiam Sultani se nuncupant, quò augustiores videantur.

Sinaida, & *snaida*, vel *sneida*, notant arborum incisionem, quæ fieret ad viam indicandam viatori, nam solere hoc fine arbores notari, liquet ex Legis Salicæ tit. XXIX, leg. XXIX, Diplomate Ludovici II. apud Wolphang. Lazium, & Donatione Cancronis in Chronico Laurishamensi†, atque aliis. Est verò vocabulum id à Germanis, quibus snaiden/snaiden/sneiden/ uti Belgis snyden/ notat secare, incidere. Habes in Legg. Longobard. lib. 1. tit. XXVI. leg. VI: *Si servus extra jussionem domini sui theclaturam, aut finaidam, in sylva alterius fecerit, manus ejus incidatur: & si cum jussione domini sui theclaturam, aut finaidam, in alterius sylva fecerit, reputetur culpa domino, ut suprà.* Cæteriùm ut *finaida*, sic contractiùs etiam *snaida*, vel *sneida*, dici, docemur Traditionibus Fuldensibus lib. II. num. VIII: *Hæc est terminatio Ecclesiæ in Creynfeld à Muoresbrinc, sursum versus ad Berholdes sneida, &c.* Ac similiter postea: item num. XXXIX. Verùm his locis videtur *sneida* non tam arborum incisionem signare, quàm viam. Et in veteri Glossario est: *Sinaida, via.* Nempe *sinaida*, ut origo ostendit, propriè est incisio arboris: sed quia illa erat viæ signum, pro via ipsa sumi cœpit, usitato μετωνυμίας genere. Nisi malis finaida/ vel sneida/ primò viam signare, à verbo sneiden/ hoc est, secare. Quippe via est spatium sectum inter ædes oppositas, vel agros disjunctos, aut aquas hinc inde, vel aliter. Unde & Maro I Georg. de zonis cælestibus agens:

Has inter, mediamque, duæ mortalibus ægris
Munere concessæ Divûm: & via secta per ambas,
Obliquus quâ se signorum verteret ordo.

Deque arboribus II: Georg. —— *Omnia in unguem*
Arboribus positis secto via limite quadret.

Smelido idem ac gracile: quod hodiéque *small*. Habes, non tanquam Latinum, sed ut Latini explicationem, in LL. Fres. Addit. Tit. III. §. XXXV: *Ex ipsa percussione decreverit à sua grossitudine: quod smelido dicunt.* Belgicè gesmalt. Ejusdem originis est *smelo*: ut in additt. S. Frisionum tit. eodem §. LVI: *Si & superior adjiciatur, quod vocant smelo, h.e unius spannæ latitudinem habuerint, ter* VIII. *sol. cõponatur.*

Soga, funis, ut explicat Glossar. Usæ Legg. Longobard. lib. 1. tit.

† *Pag. 57.*

tit. xxv. leg. xxxiii: *Siquis fogas furatus fuerit de bove junctorio.* Nec enim iis adsentio, qui hic generatim *res* exponunt: ac putant esse ex Germanico soche/ vel sache: quod Belgis, res, caussa. Sed agnosco, inde videri Græcobarbarum τζόγις, quod *rem* signat. Glossæ Græcolatin. Τὰ πράγματα, ἤγουν τζόγις. Gallicum *chose* alius est originis. Nempe à *caussa*.

Spanga, à Germanico spanne/ quomodo hodiéq; *signum* vocatur. In Legg. Bajuvariorum tit. ix. Leg. viii: *Exteriores verò* (trabes) *quas spangas vocamus, eo quod ordinem continent parietum.*

Spannum, & *spanna*, habemus in Legibus Frisonum Tit. xxii. de Dolg. §. lxv: *Vulnus, quod longitudinem habeat, quantum inter pollicem, & complicati indicis articulum, spannum non impleat*, iv *solid. componatur. Quod integræ spannæ longitudinem habuerit, hoc est, quantum index, & pollex, extendi possunt*, vi *solidis componatur.* Et cap. lxvi. *Quod inter pollicem, & medii digiti spannum, longum fuerit*, xiii *solidis componatur.* Item Fris. addit. tit. iii. §. lvi: *Si unius spannæ longitudinem habuerit.* Est verò *spannus*, & *spanna*, id quod *spithama* antiquis: estque à Germanico spanne/quod à spannen/tendere: nisi malis esse ab Italico *spandere*, pro Latino *expandere.* Nam pro *ex* sæpe initio ponunt S: & possit simile videri *sculcator* pro *exculcator*; de quo alibi diximus.

Sparvarius, vel *spervarius*, accipiter frigillarius, ex Germanico sparwer; qui sic vocatus, quasi spar.war/ hoc est, procul, sive *longè spargens* pennas suas. Usurpant *sparvarii* vocabulum Leges Salicæ Tit. vii. §. iv, & Bajuvar. tit. xx. cap. i. §. iv. Item Fredericus Imper. lib. ii. de arte venandi cap. xxix, & Joannes Angliæ Rex in charta libertatum de foresta, & liberis consuetudinibus, apud Matthæum Parisium ad an. clocxv*.

*Pag 260 edit. Vvais.

Stallum à Germanico, & Anglico stall; non prout *stabulum*, sed quatenus signat *sedile.* Gloss. *Stallus est locus unius è choro.* Philippus Comes Loënsis in diplomate anni cloxciii†: *Placuit mihi, ut in domo Dei offerrem, quæ possem, comitatum, & advocationem, stallum, & teloneum.* Cæsarius Heisterbach. Hist. Memorab. lib. i. cap. vi: *Intravit chorum uterque, stante Priore in stallo suo.* Et cap. xxxv: *Sicque inter Abbatis, & Prioris, stallũ exiens.* Itẽ l. iv. c. xxxv: *Sedẽ stalli sui sic paravit.* Lib. v. cap. v: *In nocte vero S. Cumberti, cùm staret in choro Abbatis, tunc simplex monachus vidit intra presbyteriũ duos dæmones intrare, & paullatim adscendere ad stallũ Abbatis, inter chorũ monachorũ, atq; novitiorum.*

† *Apud Miræum in Notitia Eccl. Belg. c. 114. sive pag. 237.*

Ac

Ac paullò pòst: *Dominus Eustachius, & Prior Hermannus, qui hæc vidit, à stallis suis semoti.* Ac alibi apud eundem. Quæ possunt esse à recto *stallum*: Nam idem lib. VIII. cap. XIII. ait: *Adscendens ergo pia stalla.* Item Matthæus Parisius in Henrico III. ad an. CIↃIↃLVI: *Clanculo intrantes, inquisiverunt à quodam ibidem orante, quodnam esset stallum Decani.* Et in vita Joannis, vigesimi tertii abbatis S. Albani: *Consueverat namque —— in duplicibus festis, Chorum mitratus tenere; &, reliquis diebus in stallo suo stans chorum regere, & omnia alacriter cantare.* Innocentius III. lib. IV. Regestorum epist. I, quæ ad episcopum Basileensem: *Ipse ante confirmationem obtentam stallum Præpositi sibi usurpavit.* Quem add locum rectè Paullus du Maii monet, non pro stabulo sumi; sed loco in choro, & capitulo. Ac *stallum* etiam legere jubet apud Petrum Vall. Sarn. cap. XVI. Hist. Albig. ubi Camuzatius *peristylia* reponebat, Sorbinus in Gallicanâ paraphrasi *stabulum* intelligebat perperam. A *stallum* est *installare*: de quo in Verbis.

Stantardus, vexillum Regium sive Reipublicæ; ex Belgico, & Anglico standard†: pro quo Galli *estandard*. Matthæus Parisius in Guilhelmo II. ad an. CIↃCIX: *Admiravisi standardum eminus considerans.* Idem in Henrico III. ad an. CIↃCCXXXVI: *Exeuntes igitur cives in multitudine gravi, circiter ad quinquaginta millia armatorum obviam Imperatori cum stantardo suo, quod Carrucam, vel Carrochium, appellant, indubitanter perrexerunt, nunciantes, se contra eum bellaturos.* Radulphus de Rivo, decanus Tongrensis, (qui claruit anno CIↃCCCLXX) de gestis Episcoporum Leodiensium cap. I: *Ibi Hustinus de Horston miles sacrum Divi Lamberti vexillum* (*stendardum vocant*) *quod contra ipsum S. Martyrem, ejusque Ecclesiam, usurpare, exercituique rebelli præferre præsumserat, turpiter abjecit.* Eoque Junior Walsingam Histor. Angl. in Eduardo II: *Obviam occurrunt eidem ad largam terram; ubi descendens equo suo, & figens standardum suum, jussit ut omnis populus, velut fit in bello, adhæreret standardo.* Et paullò pòst: *Præcepit communi plebi cum standardo stare.*

† *Non à* standi *verbo, sed Germanico, & veterum Belgarum* standen/ *h. e. stare. Vnde hodiéque quod Belgis* staen/ *Anglis est* stande. *Standaerd igitur, alii etiam* standert *dixere, quia esset vexillum statarium.*

Stangaria sepes, hoc est, fudibus, seu perticis, surrecta. Nam Germanis, & Belgis, stange/ stipes, fudis, vallus. Ut & Itali pro eo *stanga*. Leges Longobard. lib. I. tit. XXV. leg. XXX: *Siquis de sepe stangaria vimen legerit, componat sol.* I. *Si autem perticas transversarius tulerit, componat sol.* III. Est tamen in Lindenbrogiana editione *stantaria*: sed alterum, prout etiam Clemangis editor, non incuriosus talium, adducit, eò prætulerim, quia ab origine minùs abit.

Staplus, pro loco, ubi publicum judicium exercetur. Est à Germanis; qui, ut monitum præstantissimo Lindenbrogio, ajunt, Im ſtapel ſitzen/und offentlich Gericht halten. hoc est, In ſtaplo ſedere, ac publicè judicium exercere. Legg. Ripuar. tit. xxxiii†. leg. i. *Si ad Regis ſtaplum, vel ad eum locum, ubi mallus est, auctorem ſuum in præsente habeat.* Similiter tit. lxvii. leg v; item tit. lxxv. Scriptor Glossarii Clemangi appositi exponit tegumentum, vel tapetium: sed perperam omnino. Vox *ſtapula* usu tritior, quâ significatur forum seu locus publicus, ubi merces variæ convehuntur vendendi causa. Vocem nonnulli à *ſtabulum* deducunt. Vid. Löberus peculiaris libri *de Iure ſtapulæ* initio; & Limn. in Capit. Ferdin. III. Art. 20. p. 706, 707.

† In edit. Lindenbrogiana: sed in antiquiori, tit. 35.

Stava, vel *ſtafa*, à Germanico ſtaf/ baculus, palus, fustis, pedum, scipio. Lex Salica Tit. xxix*, §. xxxii: *Si quis ſtavam* (sic pro *ſtatuam* leg.) *vel tremaclum, vel vertuolum† de flumine furaverit.*

* Al. edit. tit. 28.
† Al. vertivolum.

Steura, tributum interpretatur Æneas Sylvius Histor. Boem. cap. lxi Nempe est à Germanico ſteur; quod tributum notat. Usurpat Chronicon Aulæ Regiæ de Joanne Bohemiæ Rege cap. xxvii. Item Henricus monachus Rebdorfius, in Annal. ad Annum cIↃCCXCVI: *Dissensionem inter Episcopum, & Ratisponenses, propter ſteuram impositam, sedavit.* Et ad an. cIↃCCCXLIV: *Eodem tempore Ludovicus gravem ſteuram imposuit terræ ſuæ, inferiori, & ſuperiori Bavariæ.* Leonardus presbyter in Chronico Bavariæ: *Hæc gravamina cum prioribus taxata fuerunt ultra quadraginta millia florenorum Rhenenſium. Per quæ compulſi imponere ſteuram decimi denarii de omnibus bonis eorum.* Pro *ſteura* aliter *bernâ* dixisse, legas in Chronicis Aulæ Regiæ c. xxvii.

Stolizaz est vicarius Regis, sive qui ejus loco præsidet tribunali. Ut Legg. Longobard. lib. i. tit xix leg. v: *Si judicem interpellaverit, & judex dilataverit ipſam cauſſam deliberare, aut licentiam dederit adverſæ parti ipſum molinum evertendi, componat ſol xx, in palatio Regis diſtrictus ab ſtolizaz.* Gloss. *Stolizaz, id est, miſſus Regis.* Placet etymon Lindenbrogii, ut sit ex German. ſtol/ sella, & ſatz/ sessio; quia, quasi Regis vicarius, absentis sellæ in judicio insideret.

Strepa, dicitur ferreum illud instrumentum, cui insistunt pedes equitantium. Matthæus Parisius in Henrico III. ad an. cIↃCCXLIV. de casu misero Engeltami de Cusey: *Equino pede ad aliquod offendiculũ ſtubante, corruit ſupinus in profundum* (vadum transire volebat) *ad quod tamẽ propriâ ſtrepâ pertractus est violenter, & tunc infeliciter.* Item ad an. cIↃCCXLI. de miserabili morte Comitis Gileberti Mareschalli:

Nec

*Nec potuit equus ab ipso, vel alio, retineri. Unde in ecstasim raptus, cœpit vacillare, & post paullum corruit ab equo semivivus; ipsum unâ strepa-rum retinente, & per agrum spatio aliquo sic trahente**. Joannes de Turrecremata in Chronicis Hungaricis, anno cIↃCCCXLIII†: *Universa namque ferramenta streparum, & habenarum, sive rudibularum —— de argento inaurato, juxta decentiam regiæ excellentiæ, fabricata existebant.* A *strepa* est Hispanicum *estribo*, E more ejus gentis, & Gallicæ, præmisso. Ac indeetiam *astraba*: nisi à Græcis malis. Sed ἀτραβὸν his aliud. Plura de hoc instrumento diximus lib. I. cap. VII; ubi de *stapia* agimus, ac, pro instituto quidem nostro, satis fusè.

* Similiter strepa pro stapeda est apud Helmoldū lib. 4. de Rom. Imp. cap. 24. ut lego apud Hermannum Hugonē lib 1. de Milit. Equestr. cap. 4.

Strundius, vel *struntus*, stercus, ex Belgico stront Glossæ Philoxeni: *Strundius, vel struntus*, ῥύπος. Ubi Bonaventura Vulcanius annotavit, legi oportere, *Truncus*, τίλμος. Faciliùs persuaderet, nisi reponeretur in literis ab Sincipientibus. Quare & Scaliger Castigationibus in Priapeia vulgatam retinet lectionem. Ait ille, sic rotundiora dici stercora. Credo stront voluit esse ex ront / h. e. rotundus. Ut ſt præfigatur. Sanè S præmitti videas in multis: ut *ſtlites* pro lites, *ſtrtavus* pro *tritavus*; quemadmodum hoc ipso capite diximus.

† Pag. 90. edit. VVechel.

Stuba, vel *stufa*, non modò apud Dithmarum Mersburg. idque sæpiusculè*, legas; (quam rem etiam tangebamus lib. I. cap. VIII;) sed in legibus quoque Alamannicis tit LXXXI, §. III: *Siquis stubam alicujus conceremaverit.* Habes & in Concilio Viennensi, quod celebratum temporibus Clementis Papæ IV, an. cIↃCCLXVIII: *Prohibemus insuper, ne* (Judæi) *stubas, & balnea seu tabernas Christianorum frequentent, seu intrare præsumant.* Item apud Ekkardum de casibus monasterii S. Galli cap. I, & in Chronico Australi Matthæi Mareschalli de Pappenheim ad an. cIↃCCXCV: ubi *stupas* vocat; sicuti sæpe solent *b*, *f*, & *p* commutari. Scriptor item de S. Ottone, Pomeranorum Apostolo, *Stuba, sive pyrale*, ait lib. II. cap. VII, & XIV. Ajunt & apud Palladium de Architectura esse titulum, *de balneis, & ſtufis*. Si attendunt Palladii libros de R. Rust. in iis lib. I. titulus quadragesimus simpliciter est, *de balneis*. Quod si quibus in libris addatur, *de ſtufis*, id, arbitror, ex glossemate irrepserit. Est verò *stuba*, vel *stufa*, à Germanico stube: pro quo Belgæ stove. Galli *estuve*. Sed quæritur, utrùm vox ea stube ortu Germanica sit, à stoven / fovere: an potiùs Latina; puta ab *æstuo*; vel Græca; videlicet à τύφη, *accensio*. quod ἀπὸ τοῦ τύφειν, *accendere, urere*. Ut nempe S præmittatur: quomodo recentiores *ſphalangium* dixere pro *phalangium*: pluráque id genus adduximus in *ſcachum*. Atque

* Pag. 22. 91, & alibi.

eadem ἀοίδιμος habeat locum, si à Latino *tubus* deducas, quia Romani per ambientes tubos calefacerent cœnacula; teste Seneca epist. xc: unde idem de Providentia cap. iv: *Subditus, & parietibus circumfusus calor.* Non invitus autem accessero Barthio, qui Adversariorum lib. xxxvii. cap. vii. pro *stuba* Latinè *vaporarium* posse dici arbitratur. Alii *hypocaustum* malunt, ex B. Ambrosio Hexaëmeron lib. vi. cap. viii. *Quereris, quia nulla tibi hypocausta anhelantibus ignibus vaporentur.*

Sturio ex Germanico, ac Belgico steur. Esse veterum *acipenserem*, contendit Rondeletius lib. xiv. de Piscibus cap. ix. Cui & in Nomenclatore suo Hadr. Junius subscribit. Sed utrumque decipi, ac sturionem esse veterum hyecam, vel silurum, quemque Isidorus lib. xii porcum marinum, & suillum vocat, abunde diximus lib. iv. de Physiologia Christiana cap. xxix. *Sturio* verò quin vox sit originis Germanicæ, minimè dubitandum: nempe à stooren/ quod notat *turbare, perturbare:* sive quia, escam quærens, Isidoro teste, lutum ac vadum rostro fodiat, atque ita aquas commoveat, turbidásque reddat; sive quoniam concoctionem stomachi turbet; quippe carnis duræ, pinguis, ac viscidæ. Priorem sententiam amplectitur Gesnerus. Pro posteriori facit vulgare Belgarum dictum, steur die stoort: quo utuntur, ut moneant, parcè de eo comedendum.

Sultanus dicitur totius Imperii Turcici princeps, ab Arabico סלטאן *sultan.* quod à verbo סלט *salath*, hoc est dominari, præesse. Hebræis pro ס est ש. Superioris seculi scriptoribus is interdum *Saladinus.* Cæsarius lib. iv. Mirac. cap. xv: *Eodem tempore Saladinus humanitatem exhibuit Christianis satis magnam.* Nomen *Sultani*, ut ex Cedreno scimus, adsumsere Turcæ, cùm Persas, & Saracenos, subegissent. Antea verò sic dictus Persiæ princeps: cujus sedes, ac domicilium, *Sultania* ex eo vocabatur. Eam urbem ex Tigranocertæ ruinis fuisse extructam, à Paullo Jovio traditum est. Destruxit verò Temirlancus, qui vulgo Tamerlanes.

† *Edit German.* * *Pag. 295. edit. Moguntin. ann. 1602. & in Collectione Ansegisi Capitularium lib. 3 cap. 45.*

Sunnis, impedimentum, German. saumnis/ Belg. ver-suymnis. Uti hæc à Germanico seumen; vel saumen; quod Belgis ver-suymen/ hoc est, negligere, omittere. Leg. Salicâ tit. xix. §. vi†: *Si in mallum vocatus fuerit, & is, qui vocatus est, non venit; si eum aut infirmitas, aut ambasita dominica, detinuerit, vel fortè aliquê de proximis mortuus inter domum suam habuerit, per ista sunnis se potest homo excusare: aliàs de vita componat.* Similiter Legg. Ripuar. Tit. xxxii. §. i, & Longobardicæ sæpius. Item in Constitut. Karol.* *Si quis admannum legibus man-

mannitus fuerit, & non venerit; si eum sunnis non detinuerit, xv solidis culpabilis judicetur. Eum ad locum annotavit Vitus Amerpachius, putare se, *sunnis* esse reconciliationem cum adversario, à Germanico sunen/versunen: aut certè generale esse vocabulum, quodvis notans necessarium impedimentum. Posterius malo: nempe ut sit à sumen/versumen; sicut diximus. Gloss. *Sunnis, impeditio. Sonnis, impedimentum.* Apud Papiam pro eo est *sumnis*; quod propiùs accedit ad Germanicum saumnis/vel Belgicum versuymenis. Nec solùm *sumnis, sunnis*, vel *sonnis*; sed etiam *sunnia* dixere, vel *sonnia*. Marculfus monachus lib. 1. formulâ XXXVII: *Ipse nec venisset ad placitum, nec nulla sunnia nuntiâsset.* Hoc est, nec impedimenti nos fecisset certiores; quo foret excusatior. Vir summus à sontico morbo, vel causa sontica, *sonnia* nomen deflexum suspicabatur. Sed omnino vox est à Germanis, ut diximus. Ac ab eodem somnis/vel sumnis/est Gallicum *essoine, vel exoine*. E ante S, more gentis, præmisso. Indèque barbarum *essonia*, itidem pro impedimento; non ex Latino barbaro *exidoneare*; quod traditum nonnullis*. Plurimùm enim significatio horum distat. Usurpatur in formulis veteribus secundùm legem Romanam, Marculpho monacho adjunctis, formulâ XXXIII†: *Qui nec exsonia nunciavit, nec suum placitum adimplevit.* Reperio quoque apud Hincmarum ad Karolum Calvum Regem: *Quò mittens, ad dominationem vestram, excusationem impossibilitatis suæ illuc veniendi; requisita est, quam patriotica linguâ nominamus Exonia, quia exire nequiverit; quod hactenus est inauditum.*

* *Cuiac. notare videtur in Comment. C. de accusat. Ego mallè Gallicè ab* exoneair *deducere.*

† *Pag 152. edit. Bignoniana.*

Surcarium, vestimenti genus; nempe, ut videtur, tunica interior, sive ea, quæ proximè corpus ambit, ac Græcis χιτὼν ἐξώτερικὸς. Planè enim subscribo doctissimo, &, dum viveret, amicissimo Martinio, qui in Etymologico suo putat, esse à Gallico *sur chair*, hoc est, *super carnem*. Usus Rhegino in Chron. *Totâ mente illos* (Petrum, & Paulum) *recognovi de illorum surcariis.*

Surgetum vox, è Germanica cursat/panni genus, ac talaris vestis muliebris. Habes in scriptoribus Germanicis ab Christiano Urstisio editis.

Suurum, juramentum, à German. sweeren/jurare: unde hy sweer/jurabat. Sic legas, *suuro firmare*, Leg. Baiuvar. Tit. XV. cap. XI, §. II.

CAP. XVIII.

Acceditur ad vocabula, quorum initium est T. Taburcinum, *tympanum.* Talia, *tessera.* Tallia, *exactionis genus*; *pro quo &* tallagium.

Tarenus, *genus nummi.* Targia, *vel* targeia, *clypei genus.* Taſcha, *marſupium.* Taſſale, *pro præfectis provẽtuum ex agris, peſcuis, & ſylvis publicis.* Taſſalli, *pro nodis glandium forma, amicti ui addetis ad ornatũ.* Taſſus, *acervus frugum, ligni, fœni.* Taudragil, *humor rori ſimilis, profluens è nervis laſis.* Tecuria, *vel* tecuaria, *tegmen.* Telemaſca, *pro larvatorum in Lupercalibus diſcurſu.* Teni, *vimina: deque ratione ſortis per tenos, & unde in ritus manarit ad Chriſtianos.* Tenſeria, *pro contentione.* Tertuſſus, *porcellus hara propria* Teſſeia, *ſive* teſceia, *raptus, aut latrocinũ.* Tethinga, *familiæ ſic inter ſe devinctæ, ut unius erga Regem delictũ omnibus ſit præſtandum.* Texaga, *pro tecto.* Theada, *vel* theode, *populus.* Theclatura, *pro ſigno arbori inciſo ad noſcendam viam.* Thinx, *manumiſſo; ut* thingate, *manumittere.* Thiubda, *furtũ.* Tochua, *vel* tocha, *calculus.* Tonna, *vel* tunna, *vas*; *ut* tonnella, *vel* tunnella, *imò &* tonellus, *vaſculum.* Torneamenta, *vel* tornamenta, *ludicræ pugnæ equeſtres.* Tornetæ, *pro nundinis.* Tragulus, *veſtis monachalis.* Trana, *evectio quæ fit traha.* Tranix, *palmes.* Trappa, *ſeptum cancellatum, cui aves includuntur.* Trebuchetta, *machina bellica, ſaxa ingentia ejaculans, ad turres ac muros diruendos: quæ aliter etiam vocatur* trabucchus, *&* tribucetum: *at diverſam eſſe* bibliam petrariam. Tremaclum, *genus retis piſcatorii.* Treſpellius, *vel* tresbellio, *taurus tintinabulorum trium.* Treuga, *pax, vel inducia, pro quibus &* trevia *dicitur.* Tribunculus, trebuculus, *&* trubuculus, *pro machina bellica, quæ aliter* trebuchetta, *ut antea dictum.* Trigildum, *triplex compoſitio.* Triſta, *pro immunitate incolẽtium ſylvas.* Triuta, *vel* treuda, *himnulus.* Trogulus, *rudis veſtis monachalis.* Troppus, *grex.* Trotingus, *paranymphus.* Truca, *pro cadaveris capſa.* Trummetum, *tympanum.* Trumpa, *tuba.* Trupha, *vel* trufa, *ſecundæ deceptiones, nec non joci, riſuſque eorum, qui luxui ac nugis indulgent.* Truſte, *Regis, poſt fidem ei datam, tutela: qua qui ſuffultus eſſet,* antruſtio *nominatus.* Trutanus *pro plano, ac impoſtore.* Tubruci, *tibiarum, & braccarum tegumentum.* Tucus, *cuculus.* Tufa, *regium vexillum.* Tulipa, *flos è Turcia in Belgicam allatus. Vtt* Tulipantum, *Turcicum capitis velamentum; & quo id differat à Perſico.* Tunginus, *vel* tonginus, *judex, proximæ poſt Comitem dignitatis.* Tuninum, *hortus.* Tuphæ, τύφαι Turbaria, *locus, unde effodiuntur ceſpites ſiſtiles.* Tutia, *nõ tam eſt lapis Lydius, quàm cadmia fornacaria.* Tiuphadi, *judices ſub Comitibus conſtituti:* tyuphadia, *eorum poteſtas, ac dignitas.* Tzangæ, *vel* zanchæ, *calceamentum barbaricum.*

Tem-

TEmpus est, ut transeamus ad inchoata à T literâ.

Taburcinum, tympanum, ex Gallico *taborin*, vel *tambour*, sive Italico *tamborino*; pro quo Hispani *tamburo**, & similia quædam aliæ gentes. Matthæus Parisius in Wilhelmo II. ad an. CIↃXCI: *Equi eorum, insolitum non ferentes clamorem Turcorum, & succinarũ clangorem, sictusque taburcinorum, calcaribus non parebant.* Imò & *thabur* pro eo legas in Richardo I. ad an. CIↃCXCII: *Juvenis quidam, de domo episcopi Londoniarum, nisum, quem habuit, docuit cercellas propensiùs affectare. Itaque ad sonitum illius instrumenti, quod à vipatoribus* (messoribus) *Thabur nominatur, subito cercella quodam alarum remigio evolavit.*

* *Videntur Galli, & Itali, accepisse ab Hispanis; illi ab Arabibus quibuscum conveniunt in hoc Persa.*

Talia est inter genera, quibus rei gestæ modus edocetur: ut arguunt hæc Matthæi Parisii verba in Henrico III. ad an. CIↃCCXLVII: *Rex Francorum Ludovicus fecit per ballivos perscrutari, quod si aliquis restitor, vel injuriam passus aliquam, quicunque alius, in aliqua accommodatione coacta, vel extorsione pecuniæ, vel victualium, ut solet per regios exactores, proferret scriptum, vel taliam, vel testimonium; vel juraret; vel quomodolibet aliter legitimè probaret; quia paratus erat omnia restituere. Quod & ita factum est.* Sunt verò taliæ duo ligilla, quorum unum ab altero sic recisum, ut juncta veterem totius referant figuram: utriq; verò unâ cæsurâ numerus inciditur, ut, sulci si jungantur, probè respondeant, nec vel creditor, qui ligillorum unum retinet, plus valeat incidere, nec debitor incisa radere: quia si non in utroque sit vel incisum, vel rasum, continuò fraus compareat. Belgæ vocant een kerfstock. Est *talia* à Gallico *Taille*, quod tesseram notat. Vel à *tailler*, scindere, cædere, incidere: pro quo Itali *tagliare*. Quid si autem hæc omnia derivemus à proba, Latinâque *talea* voce; quâ Cato, Varro, Plinius usi, pro surculo recisо? Gloss. Philoxeni: *Talia*, τομὰς. σχίζα. σκυτάλη. Id ipsum vocabulum à θαμὰς, ut ab ἄλλος, *alius*; à φύλλον. *folium*; ab ἄλλομαι. *salio*; à βάλλω, *Baleares* insulæ, quòd incolæ jactu fundæ præcellerent. Sed uti *talcam* inde venire non dubito; ita, num Gallicum *taille*, unde *talia*, inde sit, non æquè liquet.

Tallia inter genera exactionum fuit. Petrus Blesensis epist. CII: *Quid de talliis, & exactionibus, quid de obventionibus placitorum, & cæteris improbis extorsionibus, loquar?* Concilium Lateranense sub Innocentio III. cap. XLVI: *Talliis, seu collectis, & exactionibus, aggravere.* Matthæus etiam Parisius sæpius usurpat: ac nunc *tallias, & collectas*, nunc *tallias, & exactiones*, conjungit. Walsingamus similiter in Descriptione Neustriæ*: *Clerus ob constitutionem Bonifacii Papæ hoc anno*

* Pag. 431.

anno editam, quæ prohibet sub pœna excommunicationis, ne tallia, vel exactiones, à clero per seculares principes quocunque modo exigantur, vel eis solvantur. Item Balduinus, Flandriæ Comes, postea Imperator Constantinopolitanus, in tabulis anni cIↃCC†: *Quicquid exactionis, & tallia, in terris B. Ioannis Baptistæ de Valencenis, quæ sunt apud villam de Estruem, singulis annis accipiebam, eidem Ecclesiæ in elecmosynam in perpetuum contuli.* Joannes Major de Scotorum gestis lib. IV. cap. V: *Ne plebem tallis, & vectigalibus, oneraret, Regem non solùm conducit; sed necessarium est, opes sufficienter habere.* Ægidius Roia in Annalibus Belgicis*: *Anno* cIↃCCII. *bellum Cortracense factum est, quod hujusmodi habuisse dicitur initium, primo propter taillias, & exactiones.* Pro eodem etiam *tallagium* dicit: ut ad an. cIↃCCXLVI, in literis Reg. Henrici: *Aliàs vobis scripsimus, semel, secundò, & tertiò, tam per literas nostras clausas, quàm patentes, ne ad opus domini Papæ, vel alterius, tallagium aliquod, vel auxilium, exigeretis à viris religiosis, clericis, vel laicis; cùm nullum hujusmodi tallagium, vel exigi possit, vel consueverit, sine magno præjudicio regiæ dignitatis.* Et mox: *Mandamus, ne ad exactionem prædicti tallagii, vel auxilii, faciendam, aliquatenus procedatis.* Idem ad an. cIↃCCLI: *Vasa pretiosissima à quodam Judæo valde divite clam susceperat, ut eidem parceret in Regis tallagio.* Hoc est, in annuo censu Regi à Judæis pendi consueto. Ac similiter alibi non semel. Item Walsinghamus in Richardo II†: *Si Rex haberet in manu sua temporalia Ecclesiasticorum, non oporteret eum tunc accipere tallagia, nec communitatem Regni spoliare.* Idem eopse opere*: *Archiepiscopus, non considerata depressione Ecclesiastica, quæ jugiter premebatur per tallagia pendenda Regi annis singulis, —— impetravit bullam ab Apostolico gratiosam.* Idem in Hypodigmate Neustriæ†: *Quamvis ita esset, quòd deberent sibi servitium facere, vel alibi; tamen non habent facultatem faciendi, quia nimis afflicti sunt per diversa tallagia, auxilia, prizas; videlicet de frumento, avenis, braseo, lanis, corris, bobus, &c.* Ac similiter paullò pòst: *Auxilium non possunt facere propter paupertatem; in qua sunt, propter tallagia, & prizas antedictas.* Etiam à *talia* factum *talliare*, hoc est, exactione gravare, mulctare. Idem ad an. cIↃCCLVI: *Cives Londinenses iterato ad quingentas marcas tallientur.* Ac similiter usurpatur in scriptoribus rerum Germanicarum ab Urstisio editis. Est verò *tallia* à Gallico *taille*; quod significat vectigal, pecuniam populo indictam. Quid si autem & hoc à Latino *talea* derivemus; quando ut surculus ille, quem

† Apud Miræum in Notitia Eccl. Belg. pag. 488.

* Pag. 47.

† Pag. 84.

* Pag. 351.

† Pag. 487.

quem *taleam* dicimus, reciditur à planta; sic tributum reciditur de bonis civium? Saltem, quòd Galli *tailler* dicunt pro *incidere*, id esse à resectione illâ furculi videtur. De tallijs, si voles, adi Gregorium Tolosanum lib. III. Syntagm. cap. VII, & Sylvestrum Prieratem in Summa, voce *Gabella*.

Tanganum, quid sit, in verbo *Tangano* exponam hoc ipso libro.

Tarenus, nummi genus. Utitur Leo Ostiensis, seu Marsicanus, Chronici Casinensis lib. I. cap. LVIII: ubi Ungaris, Capuam vastantibus, in redemtionem captivorum expensa esse ait vasa argentea multa, & ornamenta; etiam *taranos* XX. Et lib. III. cap. XLIV, de Panormi obsidione agens, inquit, *Veniebat canis jecur tarenis decem.* Et ejusdem libri cap. LVII. de iis loquens, quæ dux Robertus Guiscardus monasterio esset Casinensi largitus, inter alia ait, *Donasse Byzantios sexcentos, & duo millia tarenos Africanos.* Etiam in legibus occurrit Siculis, sive Neapolitanis, lib. I. tit. LXXIII: *Proscriptionibus, & subscriptionibus suis, tarenum unum, si libram auri contractus excesserit; alioquin dimidium recepturi.* Tit. XC. leg. II: *Pretio unius tareni auri per diem, cum homine; vel sine homine, pro dimidio tareno locare.* Sæpius etiam legas lib. III. tit. XXXIII. leg. III.

Targia quid sit, indicat hoc Matthæi Parisii in Henrico III. ad an. CIↃCCXLIII: *Amici ejusdem Ioannis, qui eundem præcordialiter dilexerunt, oppositis corporibus suis propriis, & amplis clypeis, qui targiæ appellantur, vix eundem protegentes, à mortis discrimine liberarunt.* Item usus ad an. CIↃCCXIX: *Cùm targiis eleganter ordinatam.* Ac paullò pòst: *Targeias multas, & galeias, cum barbotis, & navibus,* —— *Christicolæ rapuerunt.* Est à Gallico *targue*, vel *targe*, quod itidem peltam, vel clypeum, signat.

Tasseba Italis est marsupium, sive crumena, à Germanico tasche. Aliter Germanis seckel / à Latino *sacculus*. Ab *tasseba* est *malatasca*: quomodo diabolum, quasi malum marsupium, nec nisi nummos continentem adulterinos, vocitare solet B. Veronica de Binasco, Longobardiæ inter Ticinum, & Mediolanum oppido. Vide ejus vitam lib. II. cap. X†.

† *In Vitis Sanctorum à Bollando edita ad 13. Ian.*

Tassale legas in Episcoporum quatuor literis ad Papam, apud Matthæum Parisium ad annum CIↃCCXXXIX: *Tassale verò S. Severi (quod non erat in totum Abbatis terra majoris Aconensis) ibi quadam jura habebat, qua tenebat in feudum ab ipso Imperatore, per judicium fuit justè destructum; quia homines illius loci, tempore perturbationis occi-*

occiderunt Paullum de Longotham, bajulum Imperatoris, & armenta imperialia dispuerunt. Videamus, an possimus hinc eruere, quid sit *tassale*. *Tassus*, vel *tassum*, est congeries frugum, fœni, lignorum: ut paullò pòst, in *tassus*, plenius exponam. Hinc, puto, *tassale*, tum agri, pascua, sylvæ publicæ; tum fruges, fœnum ligna, quæ inde proveniunt; tum loca, ubi ea coacervantur, & adservantur. Hæc propria est significatio. Impropriè verò *tassalis* vox iis est adtributa, penes quos ejus dominium foret. Sententia igitur Parisii est, abbatem, vel monachos S. Severi, dono Imperatoris possedisse istic aliqua: sed incolas quosdam fœdè se gessisse adversus Imperatorem; de quibus propterea ceperit vindictam. Pro *Tassale* legit *Casale* Somnerus in Glossario, exponitque cum Watsio Villam cum propugnaculis.

Tassells à Gallico *tasse* ἐπωμίσιτιῶς dicuntur: sunt que glandes, sive nodi, ex auro, serico multiplici, confecti, dependentes de vestium angulis: ut doctissimus Watsius interpretatur. Belgæ dicunt knoopen; quod à *connodo*; uti hoc à *nodis*. Utitur Matthæus Parisius in vita Richardi, S. Albani abbatum quinctidecimi: *Dedit etiam casulam unam, auro, tassellis, ac gemmis pretiosis adornatam.* Ac continuò pòst: *Stolas binas pretiosas cum manipulo, capam unam purpuream, morsa & tassellis carissimis redimitam.*

Tassus, vel *tassum*, acervum notat, vel struem: uti acervum frugum, vel struem fœni, aut ligni: à Gallico & Belgico *tas*/ quod idem significat. Adolphus Mekerchus, lib. de Pronunc. L. Gr. cap. xxx, censet esse à τάσσω, ordino. Sanè Belgis *tassen*/ struere acervum, in cumulum superaddere, ἐπιτίθεσθαι. Sed utcunque de isto sit, ἀμέτοχα saltem *tassus* est à barbaris; ut sic vocemus more Romano. Usurpat Matthæus Parisius in Henric. III. an. clocc XLVIII: *Dum quendam frumenti confertum aggerem, quem vulgariter tassum appellamus, venalem æstimans conspiceret, agger ille nutans, & inordinatè compositus, subito corruit super eum.* Nempe à Germanis ad Gallos, inde ad Anglos (nisi à Saxonibus malis) ea vox est derivata.

Taudragil est humor serosus corpus irrigans, ut ros plantas: unde & *ros* dicebatur, quantum conjicio. In quo, si rectè video, idem sit Alamannis taudragil/ ac quod Frisiis litwagi. Ac de hoc quidem diximus cap. xx. Alamannicum istoc habes in Legg. Alaman. Tit. LXV. §. XXXI: *Si quis in genuculo transpunctus fuerit, aut plagatur, ita ut claudus permaneat, ut pes ejus ros tangat, quod Alamanni taudragil dicũt, cũ XII sol. componat.* In Legg Bajuvariorum eadem lex exstat penè iisdẽ verbis:

ubi

ubi secundâ vocali *taudregil* exaratum. Suspicor, vocem conflatam ex Germanico taw/pro quo Belgæ douwe/ h.e. ros: & verbo dragen vel dregen/hoc est, ferre, emittere: quomodo Belgis dragen ἀνωλῶς ponitur pro pus emittere: imò dragt/ pus, sanies: & gramiæ, sive lemæ, iisdem dragt der oogen. Hæc satis conveniunt ei, quod dicebamus, *ros*, sive *rorem*, & *taudragil*, de humore dici è nervis læsis promanãte.

Tecuria, tegumentũ, tegmen, ex Germanico teke/ hoc est, tegmen: sicut Vitus Amerpachius observat ad hanc Caroli Constitutionem: *Ut super altaria tecuria fiant, vel laquearia.* Ut verò *tecuria*, sive, ut aliqui legunt, *tecuaria*, à teke; ita teke/ pro *tegmine*, & decken/ quod est *tegere*, & deesel/ *tegumentum*, veniunt à Latino *tego*: at hoc à στέγω*. * Tego.

Telemasca, vel *talamasca*, larvatorum in Lupercalibus discursus. Vetustum Rhemense Concilium: *Larvas dæmonum, quas vulgus Talamascas vocat, sub anathemate prohibemus.* Vox est composita, cujus posterior pars Gallicum *masque*, hoc est, larva.

Teni sunt, qui & Belgis teenen/ vel tynen: hoc est, mollia, ac flexilia virgulta, quæ Latinis *vimina* à *viendo*, quod apud veterum poëtam†, *Vitere Veneream corollam.* Sed propriè quidem *teni* virgulta: ἀτενυμιτῶς verò sortes, quæ per vimina fierent. Et propriæ, & figuratæ significationis exemplum habemus in Legg. Frisi. tit. xiv, qui est de homine in turba occiso, §. 1: *Tunc ducendi sunt ad basilicam, & sortes super altare mittendæ, vel, si juxta Ecclesiam fieri non potuerit, super reliquias Sanctorum: quæ sortes tales esse debent. Duo tali de virga præcisi, quos tenos vocant; quorum unus signo Crucis dignoscatur, alius purus dimittitur; & lanâ mundâ obvoluti super altare, seu reliquias, mittuntur; & presbyter si adfuerit, vel, si presbyter deest, puer quilibet innocens unum de ipsis sortibus de altari tollere debet: & interim Deus exorandus, si illi septem, qui de homicidio commisso juraverunt, verum jurassent, evidẽti signo ostendat. Si illum, qui crucesignatus est, sustulerit, innocentes erunt, qui juraverunt: sin verò alterum sustulit, tunc unusquisque illorum septem faciat suam sortem, id est, tenum de virga, & signet signo suo, ut eum, tam ille, quàm cæteri, qui circumstant, cognoscere possint: & obvolvantur lanâ mundâ, & altari seu reliquiis imponantur. Et presbyter si adfuerit: si verò non, ut superiùs, puer innocens unumquemque illorum sigillatim de altari tollat, & ei, qui suam sortem esse cognoverit, rogat. Cujus sortem extremam esse contigerit, ille homicidii compositionem persolvere cogatur, cæteris quorum sortes priùs levatæ sunt, absolutis.* Legem integram adscripsi, non solùm ut pateat, *tenum*, nunc pro vimine accipi, nunc pro sorte

† *Ennium Ascæo. apud Varronem lib. 4. de L. L.*

viminali: sed etiam ut tota sortis ratio plenius sciretur. Ea verò etsi apud Christianos obtineret, juvante etiam presbytero fieret; à gentilibus tamen est accepta. Nationum quippe ea consuetudo: in his Saxonum, quorum superstitionem multiplicem enarrat M. Adamus, Canonicus Bremensis, Historiæ Ecclesiasticæ lib. I. cap. VI: ubi inter alia sic scribit: *Auspicia, & sortes, quam maximè observabant. Sortium consuetudo simplex erat: virgam, fructifera arbori decisam, in surculos amputabant; eosque notis quibusdam discretos, super candidam vestem temere ac fortuitò spargebant. Mox, si publica fuit consultatio, sacerdos populi; si privata, ipse paterfamilias precatus Deos, calumque suspiciens, ter singulos tulit. Sublatos secundùm impressam antè notam interpretatus est. Si prohibuerunt, nulla de eadem re, ipsa die, consultatio. Si permissum est, eventuum adhuc fides exigebatur.* Quomodo Scythæ è virgis soleant divinare, docet Herodotus lib. IV; deque Alanis particulatim id tradit Ammianus lib. XXXI. Imò non Magos solùm & Scythas; sed alias quoque gentes, pluribus locis, è virgis vaticinari; legas apud Nicandri Scholiastem. Atque hic ritus etiam observatus Lindenbrogio in Glossario, & Notis ad Ammianum.

Tenseria, concertatio, lis, contentio, à Gallico *tanser*, vel *tenser*, hoc est, contendere, altercari, concertare. Matthæus Parisius in vita Guilielmi, S Albani Abbatis XXII: *Hæc est summa pecuniæ perditæ, & tenseriæ datæ tempore guerræ de manutiis abbatis Guilielmi, suorumque hominum.*

Tertussius est porcellus, non ab alio nutritus, sed domi nostræ. Gloss. *Tertussius, qui domi nutritur.* Origo, ut ingeniosè Lindebrogio adnotatum, est è vocibus tribus Germanicis, Der zu haus: hoc est, *qui domi*; puta, est, vel nutritur. Lex Salica tit. II, qui est de furtis porcorum, §. X: *Si quis tertussum porcellum furaverit usque ad anniculatum, CXX. denarios, qui faciunt solidos III, culpabilis judicetur; excepto capitali, & dilaturâ.*

Testeia, idem ac raptus, vel latrocinia; vel saltim minutum est, quo differant. Constitut. Caroli Calvi, tit. XXXIX, apud Carisiacum, cap. III: *De illis liberis hominibus, qui infames, vel clamoaici sunt de testeis, vel latrociniis, & rapacitatibus, & assalturis.* Et mox: *Quorum testimonium leges publicæ non rejiciunt, quòd testeiam, vel latrocinium, aut raptum non fecerit.* Ac postea ibidem: *Juret, quòd testeiam, vel latrocinium non faciet, neque facienti consentiet.* Sed tit. XII. apud Silvacum cap. XIII. constanter est *testeia*, tum in juramento Franci hominis, tum etiam

Cen-

Centenario. Utrobique verba sunt: *Ego illi adsaltuuram, illud malum, quod sic hach vocant, vel tescciam, non faciam, nec, ut alius faciat, consentiam.* Quid si igitur *tescia* sit à *tesquis*, sive *teseuis*, (utroque modo in Philoxeni Glossis scribitur) id est, locis nemorosis, umbrosis; unde & iis nomen, quasi δασείας. Sanè latrones in sylvestribus, & præruptis locis, præcipuè insidiantur viatoribus.

Tethinga, vel *tethringa*, significabat denas familias, denis junctas, pariter inter se colligatas, ac Regi sic obstrictas, ut, quòd una erga eum peccâsset, id necesse haberent præstare universæ. Quique caput horum foret, *tethingus*, vel *tethringus*, dicebatur. Joannes Rex apud Matthæum Paris. ad ann. CIↃCCXV: *Tethinga integra, sicut esse consuevit.* Usurpant & alii.

Texaga, texaca, vel *tecsaga*, aliqui nundinationem interpretantur. At aliter Glossarium: *In texaga, intra tecta.* Lex Salica tit. XI. §. IV: *Siquis homo ingenuus alienum servum in texaga secum duxerit.* Alaman. Tit. ult. leg. XXV: *Siquis servum mulinarium involaverit, alicum cum ipso reddat, & solvat solidos* VI. *in texaga ejus, cujus fuerit.* Similiter Ripuar. tit. LXIII, & Formularum sollemnium CXXXVII.

Theada idem, ac populus. Lex Salica tit. XLVIII: *In mallo publico, hoc est, ante theada, vel tunginum.* Idem ac *theode*; ex quo, & ryk/dives, *Theodericus*, populis dives; quod aliter volcryk. Imò pro *theode* etiam dictum leode: de quo in *Leodis* vidimus cap. XI.

Theclatura in legibus Longobardicis legas lib. I. tit. XXVI. leg. III, & IV. Cum *finaida* jungi videas ibidem, tum lege V, tum VI; ubi hæc verba: *Extra jussionem Domini, aut cum jussione, theclaturam, aut finaidam, in sylva alterius facere.* Censeo, utroque notari signum arbori incisum ad viam monstrandam. Ac *finaida* quidem unde sit, superiùs planum fecimus. *Theclatura*, ut suspicor, dictum pro *thecnatura*: h. e. signatura, à theeken/ven sive teeknen/ quasi facta inde voce *teknare*. L, & N, in omnibus penè linguis, solere commutari, alibi ostendimus. Nec verum hoc etymon spondeo. Dixi, quod in mentem nunc veniret. Fortasse & non meditanti aliàs melius occurret, vel alteri ista legenti.

Thinx, donatio, manumissio. Ut in Legg. Longobard. lib. I. tit. XXXII. leg. V: *Non possunt sine vera absolutione liberi esse, nisi per thinx, aut circa altare; sicut nos instituimus.* Item lib. II. Tit. VIII. leg. VI, & Tit. XIV. leg. XIII, & Tit. XV. leg. II, ac III, & Tit. XX. leg. I: *Ipsum edictum loquitur de thinx, quod est donatio.* Atque hinc *thingare*,

quod in gloss. exponitur, *manumittere absolutè, vel donare.* Quod & Papias comprobat Habes in iisdem Legg. Longobard. lib. II. Tit. XIV. leg. IV, V, XII, XIII, XV, & alibi sæpe, uti & *thingatus* lib. II. Tit. XXXII. leg. V, & *thingatio* lib. II. Tit. XV. leg. V. Origo omnibus à Germanico ding/ & dingen: priori *res* signatur; altero, *mutuò pacisci.*

Thubda, furtum. Ut tit. III. leg. Frisic. At thiob/ fur, Otfrido Euang. lib. IV. cap. VII, & Willeramo in Cant. German. dieb/ Belg. dief. in LL. Æthestani Reg. cap. XI. §. XVII. fur dicitur theofe: in Inæ regis Anglos. cap. XLVII, furtum vocatur theofte. Ut Anglis thefte.

Tocus, calculus, quo in computando utimur; quantum ex corruptis Isidori verbis in Glossis videre est. *Tocha* etiam pro calculo est apud auctores de limitibus agrorum: *Trifinium quam maximè quando constituimus cum signis, id est, cineribus, aut carbonibus, & calce ibidem construximus, & superduximus, & super tocham monticellum constituimus.* Videtur & ad Græcos manâsse: quando Tzetzi Chil. XII. pro calculo dicitur τζῖγα Nisi τζῖγα ex *schachus*, hoc est, calculus; de quo superiùs dictum. At *tacha*, quando agri limes est, & signum finium, fortasse sit à Germanico teeken/ quod est signum.

Tonna, vel *tunna*, vas, ex Germanico, & Belgico tonne; quo notatur vas vinarium, teive similis. Auctor vitæ Philiberti†: *Rogans eum cellarium ingredi, & vas vinarium, quod tonna dicitur, benedicere.* Hinc diminutivum *tonnella*, vel *tunnella*, vasculum. M. Joannes de Thvvrocz in Chronicis Hungaricis Secundæ partis cap. XCVII: *De vino expensa sunt centum & octoginta tunnella.* Imò & virili genere *tonellus* dixere: fortè ob diminutionem extritâ consonâ, ut à *signum*, *sigillum*, à *mamma*, *mamilla.* Petrus Cellensis lib. IX. epist. V: *Habes vinum de vite verâ expressum de torcularis crucis, & attractum aperto ostio lateris. Sicut enim tonellus foratur, ut vinum habeatur: sic latus Christi lanceâ militis apertum est, ut exiret aqua baptismatis, & sanguis nostræ redemtionis. Tonne*, vel *tunna* vocabulo vicinum est *tina*: quod legas in Actis Thyrsi, & sociorum, ad XXVIII. Jan. *Tum Sylvanus jussit impleri tinam aquâ, & merso capite ligari pedes ejus sursum, & mediam partem corporis, quæ super aquâ esset, flagellis cædi.* Imò & Varro usurpat in IV. de LL. & in I. de Vita populi Romani, ut quidem utrobique in Conjectaneis corrigit Scaliger; qui & apud Festum legit *Tina*; ubi vulgò, *Tinia, vasa vinaria.* Utcunque hoc, planè videntur, *tonna* vel *tunna*, & *tina*, vel *tinia*, vocabula esse cognata, & ab eadem origine profecta.

† *Aliter Jcio Surius in Vitis Sanctorum ad 26. Aug. Sed is stylum mutavit; ut initio profitetur.*

Tor-

Torneamenta, vel *Tornamenta*, sunt hastiludia, sive ludicræ pugnæ equestres; pulchra nobilitatis exercitatio, ac ad bellum præparatio; dummodo satis caveantur pericula cædium. Usurpat Cæsarius lib. II. Miracul. cap. XII: *Caussâ laudis humanæ, torneamentis totus addictus erat.* Et lib. VII. cap. XXXIX: *Cùm properaret ad quoddam torneamentum.* Comes S Pauli, epistolâ ad Ducem Lovaniensem, sive Brabantum, apud Godefridum monachum S. Pantaleonis *: *Noveritis &, quod accepimus tornamentum contra Soldanum Babyloniæ ante Alexandriam. Siquis ergo Deo vult servire, cui servire est regnare, & nomen habere militia conspicuum, veniat ad tornamentum Domini.* Joannes Gilmannus, sive is potiùs Antonius Genzius, in vita B. Walteri de Birbeke, cap. I. §. II: *Tempore quodam, cùm præpararet se ad quoddam torneamentum, milites habens in comitatu, veniissetque ad ecclesiam quandam, illos, ut Missam audire vellent, hortabatur.* Et mox: *Cùm aliqui de torneamento occurrerent.* Anonymus monachus Villariensis in vita Caroli, VIII Villariensium Abbatis, cap. I. §. II: *Dum cum Domino Gerardo VVascardo Milite, de quodam torneamento à VVormacia Maguntium adscenderet.* Doctissimus Camdenus in Britannia sua† proiisdem habet *Torneamentum*, & *Mensam rotundam.* Sed aperte separat Matthæus Parisius in Henrico III, ad an. clocclii: *Milites, ut exercitio militari peritiam suam, & strenuitatem, experirentur, constituerunt unanimiter, non ut in hastiludio illo, quod communiter, & vulgariter, Torneamentum dicitur; sed potiùs in illo ludo militari, qui Mensa rotunda dicitur, vires suas attentarent.* Quomodo verò differant, vide sis in eruditissimo Watsii Glossario.

* In Scriptoribus Rerum Germanicarum editis à Freherо. pag. 279.

† Pag. 191.

Torneta, nundinæ, in quibus armati decertant. Abbas S. Theoderici in vita S. Bernardi: *Prope erat sacrum Quadragesima tempus. Illi omnes fere juvenes, dediti militiæ sæculari, circumibant, quærentes exsecrabiles nundinas, quas vulgo tornetas vocant. Cœpit ergo ab eis petere divus Bernardus, ne intra paucos dies, qui ante Quadragesimam supererant, armis uterentur.* Non dubium, quin sit à Gallico *tournoyer*, circuire, decurrere: unde & *torneamenta*, de quo diximus.

Tragulæ, vestis monachorum; Minoritarum, ut videtur. In querimonia Episcopi Lincolniensis moribundi, apud Matthæum Parisium ad an. clocclIII: *Et sic de sæcularibus sunt sæculariores; & mentitur in iis tragulorum vilitas, dum sub habitu paupertatis spiritus habitat elationis.*

Trana est in privilegio, monasterio SS. Vincentii, & Germani con-

concesso à Karolo M. apud Aimoinum lib. v. cap. 1: *Teloneus exigatur nec de novale, nec de carale, neque de saumis, neque de trana evectione, nec rotatico, nec pontatico.* Sed apud Baronium tom. IX. Annal. ad annum IↃCCLXXIX, ubi idem privilegium habes, sic editum est: *Nec de navali, nec de carrali, neque de saumi, sive de trana, evectione vel rotaticum, vel pontaticum.* Nempe multiplex est evectio: ut præcipua dicam genera, quædam navi fit, alia curru, alia item trahâ, vehiculi genere, sic dicto, quòd non volvatur rotis, sed trahatur. Ac postremum hoc evectionis genus dicitur *trana:* quæ iccirco evectioni navali, & carrali, opponitur.

Tranicem de vite incidere, legas in legibus Longobard. lib. I. tit. XIX. leg. VII. Latini pro eo agunt *palmitem*, aut *flagellum*. Videtur *tranix*, appositio T, factum ex rancte. Sic enim *palmes* dicitur Germanis.

Trappa, decipulum avium, sive septum earum cancellatum, quod aliqui *transennam* nuncupant. Olim Belgis trappe; uti hodiéque Anglis. Lex Salica tit. VII. leg. VII: *Siquis turturem de trappa furaverit.* Sed editio, quæ sine typographi, vel editoris nomine, formâ prodiit minutâ, habet hoc pacto: *Siquis turturem de reti alterius furatus fuerit.* Ac similiter Lindenbrogius expressit.

Trebuchetta, machinæ, quæ ingentia etiam saxa ejacularentur ad diruendos muros. Wilhelmus Ochra, epistolâ ad Henricum III. regem Angliæ, apud Matthæum Paris. ad ann. IↃCCXLVI: *Per septem trebuchetta ordinata, quæ tam de die, quàm de nocte, in castrum Capuacii projscere non cessabant.* Nomen est à Gallico *trebucher*, quod est ex alto aliquid deturbare. Alii, principe vocali leviter mutatâ, pro eodem dixere *tribueta*. Chronicon Leodicense ad annum IↃCCCXIII: *Episcopus misit Leodium mangonalia, seu fustibula, sive tribuceta, vel arietes, aut sues, vineas, bibliaspetrarias, sive catios versatiles.* Idem quoq; *trabucchi:* uti nominat Ægidius de Columna Romanus, Thomæ Aquinatis discipulus, lib. III. de Regimine Principum, part. III. cap. XVIII. Ac aliquid de iis Hieronymus Magius Miscell. lib. I. cap. I. Est ab Italico *traboccare*; quod idem, ac Gallicum *trebucher*, antè memoratum. Nec aliud instrumentum existimandum, de quo in fragmento quopiam Historiæ Germanicæ: *Anno Domini* IↃCCXII *Otto imperator, ab Apulia, & Italia, reversus, obsedit oppidum Wizense; quod similiter expugnavit usque ad arcem. Ibi tunc primum cœpit haberi usus instrumenti bellici, quod vulgo* trybock *appellari solet.* Et Nauclerus

Pag. 911. Generat. XLI: *Otto Imperator oppidum Wizense obsidione vallavit.*

Asse-

Asserunt, tum primùm cœpisse usum instrumenti bellici prius incogniti, quod vulgariter Tryboct *nominatur: quoniam bombardarum usus necdum erat inventus.* Creditur idem ac, quod Belgis sprinc-haei/ sprinc-gaei/ & springel: Gallis etiam Leodicensibus *espringalle.* Imò & *tribuculus, trebuculus, & trubuculus,* idem videntur: de quibus, ne longior nunc sim, seorsum paullò pòst dicam†. At falli puto Kilianum*, atque alios, qui censent, idem esse *tribucetum, & bibliam petrariam.* Nam clarè distinguit Chronicon Leodicense: cujus verba initio adduximus. Crediderim, *biblia* ab imperitis factum ex *blia:* uti hoc à blye: id contractum ex duabus primis syllabis in *balista.* Ex blye/ balista, & burg/ est Blyenburg: burgus balistâ, vel balistis, munitus. Hinc cognomen familiæ patriciæ apud Dordrechtanos nostros datum.

† *In tribuculo.* * *In voce* blye.

Tremaclum memoratur in Lege Salicâ Tit. xxix. §. xxxii: *Siquis statuam, aut tremaclum, vel vertuelum, de flumine furaverit, D C den. qui faciunt sol.* xv, *culp. jud.* Sunt qui intelligant, quod Germanis trimellen/ Belgis tremellen/ Gallis *la tremue d'un molin.* Latini vocant *infundibulum.* Sed etsi magna sit vocum istarum convenientia; longè tamen magis placet, signari genus piscatorii retis, quod Normannis *tremail.*

Trespellius, vel *tresbellis,* qui trium est, ut sic dicam, bellarum. Non alibi reperi, quàm in lege Salica tit. iii. §. vii: *Siquis taurum gregẽ regentem furaverit, qui de tribus villis cõmunes vaccas tenuerit, h. e. trespellius.* Aliqui edidere *trisbellio.* Sed eodem res redit. Nempe *villa* hic *billa,* seu *bella:* Belgis belle/ Anglis bell/ Latinis nola, tintinabulum.

Treuga, pro pace, vel induciis; ut dicebamus lib. i. cap. i. Nempe à Germ. treuwe/ id est, fides; nempe & *treuga* est fides temporaria hosti data, fides publica, securitas præstita rebus & personis, discordiâ nondũ finitâ. Ita usus suppositicius Turpinus, in vita Karoli M. c. xii: *Itaque, datis* treugis *inter se, egressus est Argiolandus cum suis exercitibus.* Et c. seq. *Treuga data eundi, & redeundi.* Itẽ Frodoardus in Chronico: *Treuga, vel inducie belli inter Regem Ludovicum, & Hugonem principem, usque ad Synodi tempus, Ottone Rege mediante, disponuntur.* Nicolaus Papa primus epist. ad omnes episcopos: *Tempore pacu, seu* treugæ, *nulla nocumẽta oratoribus, vel peregrinis, inferantur.* Fulbertus Carnot. epist. xciii: *Velim autem suadere tibi, si possim, ne dimittas, propter iram, quæ Dei justitiam non operatur, quin Episcopo tuo* treugam *des.* In fœdere S. Ludovici cum Raimundo, Tolosano Comite: *Nec pacem cum ipsis faciet, vel* treugas, *sine assensu Ecclesiæ, & nostro.* Habes & apud

Wilhelmum Tyrium lib. I. belli Sacri cap. xv, Glabrum Rodulphum Histor. lib. v. cap. I, & in Concilio Lateranensi sub Alexandro III. cap. XXI: *Treugas à quarta feria post occasum Solis usque ad secundam feriam —— observari præcipimus. Si quis autem treugam frangere tentaverit, —— Episcopus suus sententiam excommunicationis dicet.* Poeta vetus Henricus Rosla in Herlisbergâ v. XX:

Divide tres hostes, per pacem, præda, treugas.

Pag. 219. Walsinghamus in Richardo II: *Misit ad Comitem de Dumbare, inquirens, si ejus conscientia, vel consilio, fuissent treuga taliter violatæ.* Græci posteriores similiter ferè vel τρίβα dixere, quod apud Anonymum de bello Sacro; vel τρέβα, ut Codinus de Officiis Constantinop. cap. XIV. §. XII, de quibus Meursius Glossario Græcobarbaro. Atque ex his etiam cognoscere est, unde sit Gallicum *trevis*, pro induciis. Imò & *treviam* pro eo apud Joannem Carnotensem legas epist. XC: *Quia trevia Dei non est communi lege sancita.*

Tribunculus, vel *trebuculus*, ut arbitror, idem ac *tribocca*, vel *trebuchetta*; de qua paullo antea diximus. Matthæus Parisius in Wilhelmo II. ad an. CIↃXCIX: *Petrarias, tribunculos, & arietes, cum scrophis, ad murum suffodiendum construxerunt.* Et in Henrico III. ad an. CIↃCCXVIII: *Insultu petrariarum, aut trebuculorum ictibus, parum, vel nihil, profecerunt.* Et ad ann. CIↃCCXX: *Præter unam* (turrim) *quæ crebris ictibus trebuculi Templariorum aliquantulum cõcussa fuit.* Puto, & idem esse *trubuculum*. Idem Parisius ad an. CIↃXCVII: *Civitate in hunc modum obsessâ, collocarunt machinas in locis opportunis; petrarias scilicet, trubuculos, & mangonellos; ex quibus crebros lapides emittebant.*

Trigildum, à triplici gildo, s. cõpositione. Pro quo alii *triungeldum*; ut *niungeldum*, pro nona compositione. Vide quæ c. VIII. de *geldo*, quæ item cap. XIV. de *octogild* diximus; quæq; de *vveregild* afferemus cap. XIX.

† *Al.* Triftra. *Trista*†, secundùm Covvellum, & Watsiũ, Anglos doctissimos, est immunitas illa à servitute, qua quisq; ex foreſtæ incolis Domino Regi obligatur ad alendum ei canem venaticum, eiq; offerẽdum, quoties placuerit in foreſtam illam venire. Matthæus Parisius Additamẽto III: *Inquiratur etiam, si aliqua antiqua trista Domini Regis, villâ vel domo levatis, vel clauso, impediatur, per quæ deductus Domini Regis impediatur.*

Triuta, vel *treuda*, hinnulus. Ripuaria lex tit. XLIV. §. II: *Si quis cervum domitum, vel cum triutis, occiderit, vel furatus fuerit.* Lex Alaman. tit. XCIX. §. II: *Si cervus ille treudis non habet.* Item §. III: *Si treudis habet.* Similiter §. VIII. Non acquiescit animus in etymo,

quod

quod Clemangis editor deducit ab Alamannico tritt / h. e. greſſus. Ulterius diſpiciendum.

Trogulus, veſtis rudis. S. Fauſtus in Vita S. Mauri † cap. I: *Nam reliquo totius anni tempore, ſub monachali tunica, ſemper aſperrimo, à ſcapulis uſque adrenes, induebatur trogulo; ejuſdem ſubtegminis inſtratu ſuper aggeſtum calcis, & ſabuli, tantummodo excepto quadrageſimali tempore, ſemper uſus eſt cilicio.* Item in vita S. Egvvini, ſive Edvvini*, Epiſcopi Wicii, ſive Wigornienſis in Anglia, cap. III: *S. Eguinus, cùm a primævo juventutis flore ſemper uſus fuit cilicio, nunc in cinere jacens aſperrimo, ad carnem nudam indutus erat trogulo; ipſam debilitatem & infirmitatem carnis ſuæ corporali maceratione, & jejunio, devincens.* In priore vita S. Gunulphi†, ſeu Gundolphi, vel Gundulphi, lib. I. cap. II: *Aſperrimo ex pilis reinduebatur trogulo.* Et lib. II. cap. I: *Sed aſperrimo cilicii trogulo nuditatem corporeæ fragilitatis velarent.* Apud Papiam eſt; *Trogulus, cucullæ, monachalis veſtis.* Non ſolùm fuiſſe cucullam, ſatis arguunt, quæ adduximus. Rectè interim ſubdit de veſte monachali. Vellem, qualis foret, explicatiùs addidiſſet.

† In Vita Sanct. ad 15. Jan.

* Ad 11. Jan.

† Apud Bollandū ad 17. Jan.

Troppum, ex Gallico *troupeau de beſtes*, grex: *troupeau* eſt à *troupe*, multitudo: *troupe* κ τροπος ex *turba*. Lex Alamann. tit. LXXII. §. I: *Si in troppo de jumentis illam ductricem aliquis involaverit.* Veteres dixiſſent, *armentorum gregem*. Charta in Alamannicis Goldaſti*: *De caballis domalibus cum cætero troppo.*

† Tom. 2. num. 15.

Trotingus eſt in Legg. Longobard. lib. I. tit. XVI. leg VIII: *Pervenit ad nos quòd dum quidam ad ſuſcipiendam ſponſam cujuſdam ſponſi cum paranymphis, aut trotingis, ambularent, perverſi homines aquam ſordidam, & ſtercoratam, ſuper ipſam jactaſſent.* Gloſſ. vetus: *Trotingis, id eſt, joculatoribus.* Nempe *trotingi* ſunt, cùm paranymphi, qui duo eſſe ſolent; tum alii ſponſi ſodales; quorum opera in eo, ut facetiis, ac jocis, feſtum nuptiale recreent.

Truca, capulus, urna feralis, è Germanico truhen. Annales Henrici Steronis, monachi Altahenſis, ad an. clocccxcvi, de Henrico, Ratiſponenſi Epiſcopo: *Sepulchrum ſimiliter ſibi longè ante ad XII fabricavit, & prævidit, juxta altare B. Virginis in majori veteri Eccleſia Ratiſponenſi: ſimiliter trucam etiam, in qua ſepeliri debuit cum veſtibus ſepulcralibus ibidem impoſitis, in memoriam continuam mortis ſuæ, per eoſdem annos habuit locatam à latere lectis ſui.*

Trummetum, tympanum, ex Germanico trumme / vel trummen / Belgis trommel. M. Joannes Thvvrocz Chronic. Hungar. Partis III.

cap. XXII: *Sollemniter in trummetis, & diversi generis musicorum apparatibus, circa centum personas de una vestitura bene inducti obviam venientes, & eundem honorificè suscipientes, ad urbem Romanam introduxerunt.*

Trumpa, tuba, à veteri voce Germanica trompe; unde & Gallicum *trumpe*, & Italicum *tromba*, & Hispanicum *trompa*. Belgæ usitatiùs trompet. Angli & trump/& trompet. Matthæus Parisius in vita Offæ II: *Clangor enim tubæ, quã vulgus trompam vocat, timorẽ intulit audientibus.*

Trupha, trufa, vel *truffa*, joci, & doli planorum; sive lusus, ac nequitiæ eorum, qui vulgaribus magis placere animis student, quàm viris piis ac gravibus. A Græco τρυφὴ quod delicias, ac luxum notat: Germani formarunt truffen/pro deliciari, jocari. Sanè Ungaris etiam jocus dicitur *trefa*: unde jocosus iis *trefaas*; jocari, *trefalni*. Mirum, inveniri eam vocẽ in inscriptione, quæ Polæ est in Dalmatia: VALETE, ABITE IN REM VESTRAM, VIATORES OPTIMI, HIS NUGIS, TRUFFIS, AMBAGIBUSQUE MEIS, CONDONATI POSTUMIS. Habes in Orthographia Aldi, voce *Cloaca*: sed in ea vox *truffis* omissa: quæ in lapide compâret. Sic igitur colligo, aut lapidem hunc recentiorem esse, quàm putarunt; aut vocabulũ *truffæ* vetustius esse, quàm existimetur. Hoc quia in incerto, scriptorẽ promam, cujus ætas sit in aperto. Is est Cæsarius lib. II. Memorabil. cap. XXV: *Ille diligentissimè cogitans, qualiter liberaret puellam, hujusmodi truphamin venit.* Unde *trufare*, vel *truphare*, apud eundem lib. V. cap. XXIX: *Ego etiam in Suerbacho fui, & satis ibi trufavi.* Quem locum & lib. I. cap. I. adduximus. Sunt verò diaboli verba, gloriantis, quòd artibus solitis in Suerbacho Conversos concitâsset adversus ordinem Cistercienſem. Hinc *trufator* lib. VI. cap. XXI: *De hujusmodi trufatoribus plurima deceptionum genera, tẽporibus nostris gesta, tibi dicere possum; sed non sunt ædificatoria.* Etiam *trufæ*, & *trufandi* voces usurpantur ab Arnoldo, Ordinis S. Francisci religioso, in vita B. viduæ† Angelæ de Fulgino, quæ Arnoldo huic peccata solet confiteri; ut anno is claruerit clɔ ccc ix, quando hæc eo anno excessit. Eâ in vitâ cap. VI. narratur, Christum his verbis usum esse ad Angelã: *Ego non te amavi per truffam.* Ac postea sic Angela loquitur: *Videbam, quæ sustinuit, in vita, & in morte, iste Deus homo passionatus pro isto inducibili, & eviscerato amore: & intelligebam, prædictum verbũ esse verissimum, quòd scilicet me non amavit per truffam, sed verissimo, & perfectissimo, & eviscerato amore me dilexit.* At *truffandi* verbum habes cap. XXIII: *Dico vobis, quòd plus recepit anima mea de Deo, quando ploravi, & doloravi peccata proximi, quàm mea. Et mundus trufat de hoc, quòd dico, quòd homo*

† *In Vitis Bollandi ad 4. Jan.*

homo posset plorare peccata proximi sicut sua, vel plus quàm sua; quia videtur esse contra naturam. Sed caritas, quæ hoc facit, non est de hoc mundo.

Truste Francis, ac Longobardis, significabat Regis, post fidem datam ei, tutelam: qualem qui læsisset, vel necâsset, triplo plus persolvere cogebatur, quàm si alium peremisset, vel læsisset. Atque hoc ex lege Salica * satis apertum puto. Est *truste* vox ortu ipso Germanica, à trū/ vel drū; pro quo etiam drow / sive trow. Quod etymon validè etiam firman arbitror illis Marculfi verbis lib. 1. Form. cap. XVIII: *Rectum est, ut qui nobis fidem pollicentur illæsam, nostro tueantur auxilio: & quia ille fidelis, Deo propitio, noster, veniens ibi in palatio nostro unà cum armania sua in manu nostra truste m, & fidelitatem nobis visus est conjurásse.* Ubi ait, *in manu juraverit truste m*, quia fides, sive homagium, manu datâ jurabatur. Quod qui fecisset, inde vocabatur *antrustio*, vel, ut in aliis est codicibus, *antruscio*: nempe ex ān/ significante *ad*, & trū/ hoc est, *fides*: ut significet *ad fidem*, puta obligatum; quod idem sit, ac fidei sacramento obstrictum; qui simpliciter vulgo *Fidelis*. Itaque post verba Marculfi proximè adlata, continuò ibidem sequitur: *Propterea per præsens præceptum decernimus, ac jubemus, ut deinceps memoratus ille in numero antrustionum computetur.* Et sanè *truste*, pro fide, seu homagio, etiam sumi videmus in Lege Salicâ tit. XLIII. §. IV: *Si quis eum occiderit, qui in truste Dominica est*; XXIV. *den. qui faciunt sol. DC, culpabilis judicetur.* Ac similiter Tit. seq. §. II. Item Tit. LXVI. §. I: *Excepto, si ex truste regali non fuerit ille homo.* Et in Recapitulatione Legis Salicæ §. ult. ac in Decreto Chlotarii Regis §. IV: *Quod si in truste invenitur* (latro.) *medietatem compositionis trustis adquirat, & capitale exigat à latrone.* Item §. XII: *Latronem perquirat, quem si in truste e perinvenerit, medietatem sibi vindicet, vel delaturam.* Et Leg. Ripuariâ Tit. XI: *Si quis eum interfecerit, qui in truste Regis est.* Adhæc legum Longob. lib. III. tit. IV, §. II: *De truste facienda, ut nemo præsumat ad nos venienti mansionem vetare; & quæ necessaria sunt, sicut vicino suo, ei vendat.* Quam legem etiam, sed mutilam, reperias in † Constitutionibus Karoli cap. XIV†. Ac monet inibi Vitus Amerpachius; truste videri significare iter, aut profectionem, quam nunc postam vocant. *Nisi*, inquit, *malit quis esse* trost/ *id est, consolationem, quæ præstatur peregrinis per hospitalitatem.* Cur verò neutra nobis placeat sententia, ex iis liquere censeo, quæ antea adduximus.

* *Tit. 43. cap. 1. & 4 item tit. 44. cap. 1. & 2.*

† *Pag. 229. edit. Mogunt. ann. 1602. qua Baluzius Capitulationes Karoli subjunxit Hincmaro.*

Trutanus Cæsario Heisterbachensi pro eo, qui (ut in glossis ejus exponitur) *verbis alios in fraudem impellit, & decipit.* Fortasse trun-

truntanus scripsit. Saltem Belgis hòc, semant trunten wysmaeken. Sed nihil impedit, quo minùs eâ significatione aliqui dixerint trutent. Sanè N litera nunc additur, nunc præteritur: cujus varia alibi variis ex linguis adducimus exẽpla. A truten igitur *trutan-s* vel *trutanus*, quàlis histrio. Unde anonymus Villarienſis monachus in vita* Caroli, VIII. Villarienſis abbatis, cap. III, §. XVIII: *Tenacissimus tamen conservator rerum domûs fuit, semper de acquirendo sollicitus, nunquam de erogandis militibus, histrionibus, sive trutannis, ad quos manus semper contractas habebat.* Joan. Ludovicus de la Cerda Adverſar. ſacrorum cap. XLIV. § III, cenſet, *trutanus* eſſe à *truphas*; ut idem ſit ac *trufator*: quibus de vocibus antea diximus. Sed faciliùs perſuaderet, ſi *truphanus*, vel *trufanus*, ſcriberetur.

*In Vitis Sanct. ad 29. Ian.

† Adversariorum sacrorum lib. 2 1. § 191.

* Ita Missi nostri, ex vetus Venetia anni 1483. Sed puto, transitione vocum exigua, referendum. Tucos quos Hispani vocant, cuculos à propria voce constat nominatos. Nec enim dubium quin cuculus, uti & Graecum κόκκυξ sint à sono. Chaconem, & Breulium fallitur, cum pro tucus, malunt cucus.

Tubruci, veſtimentum, ita dictum, quaſi tucorum ruci, ſive roci. *Tuci*, tegumentum tibiarum: quod *tubulos* vocat Querolus, *tucios* Achmes. *Roci* verò, ſive *ruci*, quodlibet operimentum corporis; nempè, ut puto, ex Germanico roc; quod inprimis pro tunica ſumi ſolet. Sanè non incommoda appellatio, quia tubruci ſupra tubulos aſſumebantur, Iſidorus lib. XIX. Originum cap. XXII: *Tubrucos vocatos dicunt, quod tibias, brachasque, tegant. Tubraci, quod à bracis ad tibias usque perveniant.* Ita & Mſſi noſtri: niſi quòd utrobiq; *tubruci*. Paulus Diaconus de geſtis Longobardorum lib. IV. cap. XXIII: *Postea verò cœperunt* (Longobardi) *hosis uti: super quas equitantes tubragos birreos mittebant. sed hoc de Romanorum consuetudine traxerunt.* Ubi *hosa* tibialia, ex Germanico hoſe. Verba proxima è Pauli de geſtis Longobardorum hiſtoria cùm adduxiſſet doctiſſimus Joan. Ludovicus de la Cerda †; ſubjungit continuò: *Alii verba hæc attribuunt Warnefrido.* Quaſi librorum de geſtis Longobardorum auctor alius ſit, quàm Paulus, Warnefridi & Theodelindæ filius, patriâ Longobardus. Nempe uti Virgilium, an Maronem dicas, nihil refert: ita nec utrum Paulum Longobard. an Paulum Warnefridi nuncupes.

Tucus, cuculus. Iſidorus lib. XII. cap. VII: *Tucos, quos Hispani cuculos vocant**; *à propria voce constat nominatos. Veniendi tempus habent, milvorum scapulis insidentes, propter breves & parvos volatus, ne per longa aëris spatia fatigati deficiant. Horum salivæ cadas gignunt. Ova passeris nido reperta comedit, & sua objicit; quæ ille suscepta fovet, & nutrit.*

Eo-

Vti & Martinius decipitur, cùm cuculus diminutivum à cucus censet. Nam penultima ast porrecta, cùm vulgo cuculus tribrachys credatur.

Eorum singula hîc expendere non est animus, ubi de voce tantùm loquimur. Similiter Gloss. Arabicolatin. *Tucus quem Spani vocant, a voce propria nominatus.* Credo, Hispanis eâ vox à Pœnis, vel Arabibus. Sanè Hebræis טוך toc, *dolus.* Quàm autem vafra sit avis, satis ostendit, quòd cùm se frigidiorem sciat, quàm ut ova sua possit excludere, ea ponat in nido palumbis, alaudæ, ac præcipuè cursucæ. Quâ de re diximus lib. III. Physiologiæ Christianæ cap. LXXXII.

Tufa, vexillum imperatorium, vel regium. Beda lib. II. Histor. cap. XVI: *Nec non & incedente illo ubilibet per plateas, illud genus vexilli, quod Romani tufam, Angli appellant tuuf, ante eum ferri solebat.* Aliter scripsere *tuva*, vel *tupha*: de quo mox dicam.

Tulipa vix hujus loci est, nisi admitti etiam placet, quæ nostro demum seculo cœpere usurpari à scriptoribus Latinis. Est verò flos è Turcia adlatus, ac gentis nomen retinens; quod illi & pileum notat Turcicum, & hunc florem, qui pileum Turcicum refert. Uti verò flos à similitudine ejus pilei: ita pileus Turcicus sic vocatus videtur à figura globosa, qua refert τολύπη hoc est, lanam purgatam, inque globos compositam, ut colo adaptetur. Eáque & doctissimi Martinii in Etymologico suo sententia est.

Tulipantum ejusdē esse originis arbitror, ac *tulipa*, de quo diximus. Est verò *tulipantum* tegmen lineum subtilissimi operis, quo Turcæ candidis involvere spiris caput solent. Atque inter alia eo differunt Persæ, à Turcis: quòd cùm Turcicus ille habitus superbiæ sit plenus; Persæ modestiæ ergò, jubeant caput velare tegumento de lana confecto. Atque inde nomen *Sophi*, seu *Sophini*, datum Ismaëli, Erdebilis filio; qui à Turcica Alcorani religione recessit, sibique, ac posteris, Persiæ regnum peperit. Vulgo tamen Ismaëlem hunc à Sophis sive Sapientibus Persiæ, qui antiquitus *Magi* dicebantur, nomen *Sophi* accepisse arbitrantur. Sed aliter est. Nam Arabicè *Sophi* est lana: ac contemtim hoc nomen ab Osmanidis datum est Ismaëli, quòd novâ religione caput non magni pretii lino, sed vili velaret panno: qui quia rubri erat coloris, eò non *Sophini* modò, sed etiam *Kiselbassilarii*, quasi capita rubra, nuncupantur. Hæc cui satis non sunt, adeat Leonclavium in Pandectis Turcicis, præsertim cap. CLXXXVIII.

Tunginus vel *tonginus*, In veteri Glossario exponitur, *Iudex, qui post Comitem est.* Lex Salica tit. XLVI, §. I. & XLVIII. § I. *Tunginus, aut Centenarius, mallum indicent.* Et tit. LXIII, §. I: *Si quis de parentela collecta se voluerit, in mallo ante Tunginum, aut Centenarium, ambulet.*

Viden-

Videntur *tongini*, vel iidem, vel non longè differre à tyuphadis; de quibus mox loquar. Nomen tungino ex eo, quia litibus ac cauſſis præeſt. Nam ding/ & beding/ res, cauſſa. I in O, vel V, abit; ut crebrò. Sic à bedingen/ bedongen; à ſingen/ geſongen; à bedriegen/ bedrogen; à liegen/ logen/ & ſimilia.

Tuninum quid ſit, non ſatis convenit. Doctiſſimus Lindenbrogius cenſet, locum eſſe, ubi reponerent vaſa: ut ſit à Germanico tonne: unde *Tonna*, de quo hoc ipſo capite dictum. Magis placet, quod lib. I. cap. I. dicebamus, *tuninum* eſſe ex Germanico tuyn: quod univerſe locum ſeptum notat, ac particulatim hortum: ut ejus nomine contineantur, quæ Belgis tuynhof/ bloemhof/ & ſimilia. Habes in legg. Bojorum tit. I. cap. XIV. §. v. *Fœnile, granicam, tunicam.* Ubi *granica* eſt horreum; à granis, ut ſuprà diximus.

Tuphæ, quæ Græcis λόφοι nempe galearum criſtæ, vel illæ in equorum vertice. Ut plerique interpretantur: quomodo fuerit à Germanico Zopf: quod ſignat apicem, verticem, faſtigium, culmen. Vel potiùs notet vexillum: ut oſtendunt verba Bedæ, quæ in *Tufa* adduximus. Nempe conveniunt ſignificatione, *Tuva*, *Tufa*, *Tuphæ*. In mutis fuiſſe ſignis militaribus, oſtendit Vegetius lib. III. cap. V: *Muta ſigna ſunt aquilæ, dracones, vexillæ, flammulæ, tufæ, pinnæ.* Vulgò legebatur, *flammulæ rufæ*. Ubi poſterius ex gloſſemate eſſe putabat Stevvechius. Vel legendum ſuſpicabatur, *flammeolæ trifidæ*. Nempe ſic hoc in loco ſudat, quia apud Latinorum neminem *tuphæ*, vel *tufæ*, legiſſet. Sed ut vix ſciant Latini, ſciunt poſteriores Græci. Nam (ut in Tactico ſuo gloſſario docet Rigaltius) τύφη, ſimili ſignificatione, legas apud Nicetam Choniatem, & Zonaram in Baſilio Porphyrog. τύφια item ſæpius eſt apud Mauricium lib. II. Strateg. cap. II. Sed & Curopalati de Officiis Conſtit. cap. III, cùm priùs φῦτα legeretur, vocem hanc τύφα reſtituêre viri docti. Capite tamen XVII, num. XLVIII, rectum eſt τύφια, hoc eſt, tibialia: quamquam & hic τύφια aliqui reponant.

Turbaria, locus ubi effodiuntur teſſellæ uſtiles, quos vulgus vocat ceſpites. Belgis eæ teſſellæ turve / uti Anglis Cantabrigienſibus turves. Atq; hinc *turbaria*, V conſono, ut fieri amat, in B. tranſeunte. Matthæus Pariſius ad an. CIↃCCXIII: *Deinde tempeſtas illa debacchando invaleſcens, turbariam quandam in eadem villa, aquis profundis, & palude circumdatam, quaſi in ictu oculi reddidit ſiccam; quod nec herbam, nec lutum in ea relinquens, ſiccis lapides tantummodo remanſerunt.*

Item

Item in Additamento secundo: *Inquiratur etiam de marleis, minerys, turbariis, fabricis, & carbonariis.*

Tutia, ex Meursii sententia, est lapis Lydius, sive Heraclius. Favet quoque Martinius; qui censet, esse à Germanico toetsen, hoc est, explorare, ac particularim auri vel argenti bonitatem ad Lydium lapidem explorare: unde & hic lapis Lydius toet-steen nuncupatur. Sic *tutia* vocabulo uti ajunt Diodorum Euchyonem Polychemiæ lib. I. cap. XI: *Plumbi, stanni, acachymia argenti & auri, tutiæ, storacis non liquidæ.* Sunt qui *tutiæ* nomen esse malint à Gallico *toucher*; vel Italico *toccare*, vel Hispanico *tocar*. Mihi, si id *tutia* est, quod volunt, longè verisimilius fit, hasce gentes accepisse id verbi à Longobardis, Gothis, Normannis; quàm ut hi verbum toetsen habuerint à Gallis, Italis, Hispanis. Et sanè *tutia* propiùs accedit ad voces Germanicas. Nihilominus doctissimos viros, & de significatione, & de etymo *tutiæ*, falli existimo. Sanè *tutiæ* vox usitata est officinis: sed idem valet ac καδμία sive καδμεία γῆ quod Clariss. Salmasio ad Solinum jam ostensum. Neophytus: Καδμία, ἡ Κυπρία, ἡ καὶ Βοτρύτις, καὶ Τουτία λεγομένη. Ἔστι δὲ καὶ ἑτέρα λαδώδης, μαύρη, καὶ συμπαγὴς: *Cadmia est terra Cypria; quæ & Racemosa, & Tutia dicitur. Est & altera lapidosa, nigra, fistulosa.* Nicomedes: Καδμία, Τουτία: *Cadmia, Tutia. Cadmia* verò quid sit, docet Plinius lib. XXXIV. cap. X: *Ipse lapis, ex quo fit as, Cadmia vocatur, fusuris necessarius, medicinæ utilis.* Festus: *Cadmia terra, quæ in as conjicitur, ut fiat oricalcum.* Interim, quod Neophytus eandem facit καδμίαν & Βοτρῖτιν, id cautè puto capiendum. Quippe, est Cadmiæ genus altioribus fornacum locis adsidens, ad racemi formam concrescens: unde Βοτρῖτις, quasi *racemosa*, etiam Dioscoridi † nuncupatur. Non omnis igitur botryitis est cadmia; sed cadmia istæc fornacaria, quæ & *tutia*. Porrò *tutiæ* vocem etiam apud posteriores Græcos obtinere, non modò ex iis, quæ diximus, liquet; sed etiam Rhazis libro de Peste cap. XI: Ἔσθιε τρῖμμα, μαμυρὰ *, τουτία, αἱματίτης. *Ebeni segmentum, mamera, tutia, hæmatites.*

† *Lib. 5. cap. 84.*

* Al μαμιρὰ, vel μαμιρά's.

Tyuphadi, iidem videntur ac *tungini*: de quibus dictum. Saltem non admodum distant. Sanè tyuphadi, judicum genus; Comitum, ut puto, vicarii. Legg. Wisigothic. lib. II. tit. I. leg. XV: *Cum cæteris rebus criminalium etiam causarum tyuphadis judicandi concessa licentia sit.* Et mox: *Qui tyuphadi tales eligant, quibus vicissitudines suas injungant.* Et leg. XXIII: *Si quis judicem, vel Comitem, aut vicarium Comitis, seu tyuphadum, suspectum habere se dixerit, & ad suum Ducem aditum accedendi*

Putant esse doronicum Romanum.

dendi popoſcerit. Similiter leg. XXVI. inter varia judicum genera reponitur. Operæ verò eſt in hujuſmodi locis attendere, non ſolùm ut tyuphadus judicandi habuerit poteſtatem; ſed etiam, ut idem, velut inferior, ac minoris dignitatis, opponatur Duci, & Comiti. Sic lib. IX. tit. II. leg. VIII: *Seu ſit Dux, aut Comes, thyuphadus, aut vicarius, gardingus, vel qualibet perſona.* Item lib. IV. tit. V. leg. VI: *Tunc Ducibus, vel Comitibus, tyuphadis, atque vicariis, & aditus accuſandi, & licentia tribuitur exſequendi.* Vides, ut Duces, & Comites, jungantur velut majoris poteſtatis; tyuphadi deinde, ac vicarii, ſubdantur. Quare ſatis veriſimilis ſit conjectura Martinii, *tyuphadus* deducentis ex Germanico tuyphan/vel tuyphen/quod Belgis toeven: hoc eſt, exſpectare: nempe quia ob limitatam poteſtatem, neceſſe haberet exſpectare ſententiam ſuperioris. Hinc dicta *tyuphadia.* Ut lib. IX. tit. II. leg. I: *Si thyuphadus ab aliquo de thyuphadia ſua fuerit beneficio corruptus.* Ac eopſe titulo tum *thyuphadi*, tum *thyuphadia* vocabulum, ſæpius occurrit.

Tzanga, zanga, zanca, vel *zancha,* barbarici calceamenti genus. Trebellius Pollio: *Zanchas de noſtris Parthicas paria tria.* Codex Theodoſ. lib. XIV. tit. X: *Vſum tzangarum, atque braccarum, intra urbem venerabilem nemini liceat uſurpare.* Ac poſtea: *Intra urbem Romam nemo vel ragis, vel tzancis utatur.* Synodus Aurelianenſis can. XXII: *Monacho crarium in monaſterio vel zancas, habere non licet.* Iſidorus in Gloſſis: *Zanca, pellis.* Eſt & apud veterem Horatii interpretem lib. I. ſat. VI, ad illud:

Nam ut quiſque inſanus nigris medium impedit crus
Pellibus.

Ubi interpres is, etiam prout à Cruquio editus, *nigris pellibus* interpretatur *zangis.* Hodiéque Hiſpanis calceamentum ruſticum *zanca* vocatur; ut ait Joannes de la Cerda Adverſar. Sacr. cap. CXII. §. XVIII. Quid quod etiam apud Græcos recentiores legas? Sed his diversè admodum ſcribitur: τζάγγαι, & τζαγγία. eſt in Pandectis Turcico Simeonis, Magiſtri Offic. cap. CXCIX. Τζαγγία eſt apud Codinum de Off. cap. V. item in Faſtis Siculis, ſive Chronico Alexandrino. Gloſſ. Baſil. Τζάγγα, τὸ ὑπόδημα Hinc τζαγγὰς. vel τζαγγάριος. tzangarum artifex, ſutor: ſed τζαγγὰς propriè, qui imperatoris tzangas ſueret: τζαγγάριος. (qui Helychio σαγγάριος) quivis calcearius: quod diſcrimen apud Codinum legas. Moſchopulus: Σκυτοτόμος παρ' Ἀττικοῖς ὁ σκυτέως, ἤγουν ὁ κοινῶς τζαγγάριος.

CAP.

CAP. XIX.

De inchoatis ab V simplici; ac primùm vocali. Quorum aliqua retinent terminationem barbaram: ut ungenbodending, *pro eo, qui privilegio hoc gauderet, ut non posset in mallum sive judicium vocari. Alia exeunt more Romano: cujusmodi sunt ista.* Urtella, *pro principali judicio, quo controversia omnis decidatur.* Urpheda, *cautio de non vindicando.* Usariæ, *vel* usleriæ *naves, quas belli caussâ in oras mitterent peregrinas.* Utlagus, *proscriptus. Quæ verò ab V consono incipiunt, ea vel scribi solent V simplici, vel per VV. Prioris hæc generis sunt.* Valvasor, *pro eo, cui coërcendi jus summum.* Vandum, *vel* bandum, *pro vexillo.* Vanga, *pro ligone.* Vanna, *vel* vinna, *pro piscationis loco.* Vasallus, *pro cliente fiduciario.* Vastellum, *pro umbraculo, vel solio non portatili.* Vastrapes, *pro feminalibus.* Vernices, *pro gummi juniperi, quo illuminantur colores.*

NUnc me conferam ad incipientia ab V litera. Quorum alia initium capiunt ab V vocali, alia à consono. Posteriora hæc vel Romano V scribuntur, & vulgò efferuntur, ut F fractum: vel Germanico W, cujus sonus, ut in Germanico wyn/ & similibus.

Primi quæ generis sunt, ea vel retinent barbaram terminationem, vel Romanâ commutarunt. Quæ terminationem retinent barbaricam, vix hujus sunt loci: eoque uno ero contentus exemplo. Hoc esto *Vngenbodending*. Germanica est vox, quæ signat privilegium, quo quis exemptus alienæ potestati vocandi in jus. Chronicon Laurishamensis cœnobii ad annum clɔlxxi, in Donatione Udalrici Abbatis: *Vt familiam ejusdem curiæ ab omni gravedine, & molestiâ, immunem redderemus, à tribus principalibus mallis, qui vulgò Vngebodending vocantur, quibus ad curtim Lutershusen annuatim manniebantur; utrorumque consensu eam omnimodis absolvimus, soli præposito in Aldenmunster, suisque fratribus, omni possessione, omni subjectione, omni functione perpetuò serviturum.* Est origo à bieden / jubere; unde ge.boden/ jussus; on.ge.boden/non jussus; à quo on.ge.bodending/conditio non obnoxii alienis jussis; ac propriè jussis alicujus malli, sive consessûs judicum civilis, hominem citantis.

Alia, uti dictum, Latinam terminationem habent. Quorum pauca subdam.

Vrtella quid sit, docet Tassilo, Dux Bajoariorum, Karoli M. æqualis, Decreti sui, in quo Leges populares, §. ix: *Vt hi, qui Ducali manu liberi dimissi sunt, ad eadem cogantur judicia, qua Bajoarii Vrtella dicunt.*

Est ea vox ex Germanico urdell/pro quo alii oordeel. Id *judicium* notat, ac propriè principalem judicis sententiam; eam nempe, quâ tota quæstio deciditur, quæ fuit inter reum & actorem. Est à veteri voce deel/ hoc est, judicium, & oor/hoc est, magnus, excellens, præcipuus. Quæ significatio ejus vocis in multis compositis obtinet: ut in oorsaek/principalis res, hoc est, causâ, propter quam res est. oorhaen/gallus sylvaticus major, oorkonde/ notitia ex prima origine, & quasi rei totius fundamento: ac similiter in oorspronk/ oorslog/ oormondig/ atque aliis. Absque his esset, contenderem, oordeel esse ex oor/ auris, & deel/pars, portio: uti deelen/partiri, dividere: quia nihil æquè judici congruit, quàm, ut aurium alteram reservet reo. Quippe, ut à Syro Mimo dictum:

Qui statuit aliquid parte inauditâ altera,
Æquum licet statuerit, haud æquus fuit.

Urpheda ex ur/pro over/ hoc est, super, supra; & veede/vel veet/ odium, inimicitiæ; pro quo & veide/& vied/dicitur. A veide/vel feide/ Latinobarbari fecere *faida*, & *feida*: de quibus diximus cap. VII. A vied/est vulgatum viand/inimicus: pro quo & Germani feide dicunt feint; non à φύω, occido; nec à *fendo*, unde *infensus*, *offendo*, *defendo*. *Urpheda* est cautio de inimicitiis ponendis; juramentum, quod ex carcere dimissus præstat de non ulciscendo. Cum nempe ea aliquis conditione è carcere dimittitur, ut coram magistratu prius juret, se velle sepelire omnes injurias, quas acceperat, vel sibi accepisse videbatur. Kilianus scribit, oorfrede/ quasi over-frede; ac interpretatur, transactionem pacis, & securitatis, juramento firmatam. Sic fuerit à frede/seu vrede/pax. Nec repugnarem, nisi urfeht/ sine R, diceretur. Auctor Glossarii additi Clemangi censet, priorem vocabuli partem esse ure/ quod, uti & Gallicum *heur*, ab *hora*, nempe quia ipsâ horâ dimissionis id juramentum conciperetur. Sic sonaret vox *horam inimicitiarum*. Atqui non hora hostilitatis fuit, sed pacis. Dixeris, intelligi horam inimicitiæ ponendæ. Verùm non solet nomen imponi ab deteriori, quod fuit; sed meliori, quod succedit. Vide Racemationes Criminales D. Tabotis p. 453.

Vsaria, *useria*, vel *usseria* naves, quæ sint, aut cur ita dicantur, non est apertum. Annales Monachi S. Pantaleonis apud Coloniam Agrippinam, ad annum MCCXII, in epistola Comitis S. Pauli, de capta à Balduino Flandro Constantinopoli: *Deinde nos omnes armati intravimus naves usarias, & galeidas; qua vasa navigio apta ducenta* nume-

numero fuerunt, præter naviculas, & bargas. Idem Monachus ad ann. CIↃCCXXIV: *Intimantes, quòd Dominus Imperator* (Henricus Junior) *ad succursum terræ Sanctæ quinquaginta naves fecerit præparari, quæ Vsseria nuncupantur; quarum magnitudo tanta capacitatis erit, ut duo millia militum cum dextrariis suis, & omnium armorum suorum pertinentiis, & ad bella cum armis suis, in eisdem usseriis valeant transferri. Ad unumquodq; usserium fiet pons, ut milites, si necesse fuerit, & adscensis dextrariis suis in navibus commodè, absq; læsionis discrimine, per ipsos pontes valeant exire, quasi jam ordinatis aciebus in prælium processuri, & si opus fuerit, erectis velis intrare possint flumen Damiatæ, vel aliud aliquod flumen.* Doctissimus Marquardus Freherus opinabatur, vocem *usserium* corruptam esse è *lusorium*. Equidem scio gladiatores nunc lusoriis pugnâsse armis, atque gladiis hebetibus; nunc decretoriis armis, gladiisque acutis. Sed profectò non militibus Damiatam, & ad Terram Sanctam, ab Imperatore mittendis, lusorium aliquid in animo erat. Quarecùm naves istæ in terras adeò longinquas, diffitasque, mittendæ fuerint: quid si credamus, vocem esse ab Germanico ausſ / vel wſ; pro quo Saxones uth / Belgæ wt / uyt: hoc est, *ex*, *extra*: ut *usseria* valeat exteræ, sive in exteras ituræ terras?

Vtlagus, proscriptus, ab ut / sive uyt / ex; & Saxonico *laga*, lex; ut ad verbum signet *ex legem*. Matthæus Parisiensis ad an. CIↃCCXL, in Charta David, filii Leolini, Principis Norvvalliæ: *De cætero non receptabo ut lagos, vel forisbannitos ipsius domini regis, vel baronum suorum, de Marchia in terra mea, nec permittam receptari.* Idem in Additamento Historiæ primo: *Conventionem inter eos factam, quod pro utlago teneretur.* Reg. Majest. sive Legg. Scoticarum lib. I. cap. XVIII. §. III: *Ille, qui sic permisit plegium suum damnum incurrere, & noluit venire ad plegium deliberandum à domino, ab illo die erit utlagus, per totum regnum Scotiæ, ubicunque fuerit inventus.* Hinc *utlagari*, pro proscribi. Idem Parisius ad ann. CIↃCCXV refert chartam libertatum à Rege Joanne concessarum: ubi sic loquitur Rex: *Nullus aut utlagetur, aut exulet, aut aliquo alio modo destituatur.* Ab eo *utlagatus*. Matthæi ejusdem Additamento primo: *Cum per conventionem illam utlagatus esset.* Item interdictum, quo quis proscriptus, *utlagatio* vocata, vel *breve utlagariæ*. Rex Joannes apud eundem ad ann. CIↃCCXIII, in charta, qua Archiepiscopo Cantuariensi, & aliis Ecclesiasticis, se satisfacturum promittit: *Interdictum, utlagatio vulgariter nuncupatum, quod proponi fecimus contra Ecclesiasticas personas, publicè revocabimus.*

Et inibi Historiæ Additamento primo: *Ipse de utlagaria illa ei remissa, nullum breve Domini Regis recipere voluit.*

Hæc incipiunt ab V vocali. Venio ad orta ab V consono. Ubi priùs pluscula afferam, quæ efferimus, ut V fractũ, sicuti fit in *vinum, vidua, vallus*, & cæteris. Ac primò, tale est *Valvasor*; quod legas in scriptoribus Germanicis, à Christiano Urstisio editis. Hotomanno is dicitur, qui summæ coërcitionis, nõ item nundinarũ, & mercatus, jus habet.

Vandum, pro vexillo, quàm *bandum*, mavult Joan. de la Cerda in Adversariis sacris cap. xxxvi. §. xi. Movet eum, quòd sit à vinciendo. Sed mihi potiùs videtur esse à Germanico binden / vincire; unde iisdem band / vinculum: sicuti dictum cap. iii. hujus libri. Præterea, ut ipse de la Cerda agnoscit, *bandum*, non *vándum*, est in omnibus libris. Quamquam non diffitear, V consonum, & B, facilè commutari; non apud Latinos modò, & Græcos; unde *Virgilius* Βιργίλιος, *Valerius* Βαλέριος; sed etiam cùm Hispanos, tum Germanos, ac Belgas. Sanè ejusdem originis sunt *bandum*, & Belgica hæc, vaene / vaendel / vendel; quæ & ipsa *vexillum* significant: unde vaendrager / qui Leoni in Tacticis σημαίῳ dicitur βανδοφόρος.

Vanga, ligo, vel aliud instrumentum rusticum. Gregorius lib. iii. Dialog. cap. xiv: *Nam die quadam ad vesperum in horto monasterii fecit* (Isaac) *jactari ferramenta, qua usitato nos nomine vangas vocamus. Dixit itaque discipulis suis: Tot vangas in horto projicite, & citiùs redite. Nocte vero eâdem, dum ex more cum fratribus, ad exhibendas laudes Domino, surrexisset; præcepit, dicens: Ite, & operariis nostris pulmentum coquite, ut mane primo paratum sit. Facto autem mane, fecit deferri pulmentum, quod parari jusserat, atque hortum cum fratribus ingressus, quot vangas jactari præceperat, tot in eo laborantes operarios invenit. Ingressi quippe fures fuerant; sed, mutatâ mente, per spiritum apprehenderunt vangas quas invenerunt: & ab ea hora, qua ingressi sunt, quousque vir Domini ad eos veniret, cuncta horti illius spatia, qua inculta fuerant, coluerunt.* Legas quoque in Actis S. Felicis† ad xiv. Jan. *Cùm ibi maneret S. Felix, & hortum sibi excoleret, venerunt nocte, qui ejus olera raperent; & invenientes ibi vangas, totâ nocte, Lunâ lucente, laboraverunt.* Latinis, pro numero dentium, nunc *bidens*, vel *bipalium*; nunc *tridens*, vocatur: Germanis gaffel / Belgis vorke: & ex Belgico isto conjectet aliquis, non tam *vanga*, dixisse, quam *varga*. Sed libri omnes, ut arbitror, cõstanter habent *vanga*: quod conjecturã eam infringit. Sanè & glossæ nostræ in mẽbranis exaratæ clarè præferunt: *Vanga, fossorium. Vanna,*

† In Collect. Bollandi.

Vanna, vel *vinna*, locus, ubi piſcamur verticulo, ſive reti, quod verritur, trahiturque. Childebertus, Francorum Rex, in Pragmatico ſuo apud Aimoinum lib. II. de Geſtis Francorum cap. XX: *Propterea, in honorem dominorum Sanctorum, cedimus nos fiſcum largitatis noſtræ, qui vocatur Iſciacus, qui eſt in pagis Pariſiorum, prope alveum Sequanæ, ſinàtum —— piſcatoria, quæ appellatur Vanna, cum piſcatoriis omnibus, quæ ſunt in alveo Sequanæ.* Chronicon Laurishamenſe ad annum DCCLXXVII: *Tantis munificentiæ ſuæ beneficiis clementiſſimus Rex* (Karolus poſt-imperator) *piſcationis conceſſionem in Rheno flumine, in loco cognominato Godenouva, infra finem, ut abbas, & fratres, licentiam haberent ad vinnam faciendum, & ad piſcandū pro opportunitate Eccleſiæ, & ſtipendio ipſorum fratrum: & ut de ſilva, quæ ad illam villam adſpicit, (cùm fructuoſa nullatenus eſſe videretur) vinnam faciendi, vel emendandi haberent poteſtatem.* Origo incerta; etſi *vanna* accedat ad German. & Belg. wammen; quomodo dicuntur branchiæ piſcium: & *vinna* ſit vicinum Germanico, & Belg. vinnen vel vimmen; quomodo dicunt piſcium pinnas. Quid ſi igitur, quando vocabulū eſt Francorum, qui Germanicè locuti, dicamus piſcationis loco nomen datū ex eo, quia contineret piſces, qui pinnis aquas, ut aves pennis aëra, tranarent? An potiùs, quia de piſcatione cœnobiorū agitur, ex eo ſit appellatio, quia monachi hic invenirent ſemper, quod ederent? ut ſit à vinnen/ ſive vinden/ h.e. invenire: quomodo ad verbum ſit inventorium, ſeu repertorium. An, quod imprimis placet, fuerit ab ea ſignificatione vocabuli vinne/ qua notat cæſuram, inciſionem? à quo & ulcus, quod eſt inciſura, diviſioque continui, vinne/ & diſtinctiùs bloed-vinne nominatur. Ita jus faciendæ vinnæ fuerit jus terræ incidendæ, & effodiendæ, ad faciendam lacunam capiendis piſcibus idoneam. Ut optimè jus vinnæ faciendæ, & piſcationis, conjungantur.

Vargus aliis ſcribitur *vvargus*; de quo capite proximo.

Vaſallus, vel *vaſſallus*, cliens fiduciarius, ſi Germanicæ ſit originis, fuerit à vaſel/ hoc eſt, proles, quia ſic *vaſallus* domino ſuo obligetur, uti parentibus liberi. Sanè faſelen/ veteri Belgarum linguâ eſt patrare, ſive liberis gignendis operam dare: faſel/ Sicambris, ac Germanorum aliis, ἔμβρυον fœtus dum utero geſtatur, proles: faſel-borſe/ ἀμνίον, ſecundinæ, fœtûs involucrum. Magis interim placet, cùm antiquius ſit *vaſſus*, quàm *vaſallus*, hoc à priori venire, illud à Latino *vas*. Vide igitur, quæ libro proximo de barbaris origine Latinis dicemus.

Vaſtellum reperio apud Matthæum Pariſium in vita Joan. XXIII

Ab-

Abbatis: *Electus etsi fuerit unus de ultimis novitiis, in loco supremo illico statuetur.* ——*Solus in Refectorio prandebit supremus, habens vastellum. Priore prandente ad magnam mensam, quam Dais* †*vulgariter appellamus.* Ubi, quid *vastellum* sit, quæritur: umbraculum putabat vir egregius: sed de caussâ nominis fatetur, non liquere. Quid si *vastellum* sit sedes solida, ac fixa, elegantiùs elaborata? ut sic opponatur sedibus vulgaribus nullius artificii, & quæ de loco in locum sunt portatiles. Quomodo *vastellum* ἐτυμολογισθῆναι dicetur à Germanico veſt/ sive vast/ quod Anglis fest: ac notat firmus, constans, immobilis. Sed de istoc malim audire monachalem vitam professos. [Lapsum & Watsium & Voss. in vocis explicatione, notat Gul. Somnerus in Gloss. V. *Simenellus*, ubi explicat *panem optimũ vel primarium*, vulgò Wastell/dictũ.]

† Ex Germanico ductũ / de quo alibi dicimus.

Vastrapes legas in Philoxeni glossis: ubi exponitur φιμιδλια. Atqui, ut Suidas ait, τιμιδλια ἀνακυρίδες, βραχία. Feminalia igitur signari est apertum; præsertim quando & Rufinus in tralatione Josephi lib. III. Antiquit. cap. XI. ait: *Primùm quidem induebatur manachasim,* (μαχανατὰμ) *quod constrictorium poterat dici. Est autem cinctorium circa femora subtile, ex bysso contortâ contextum, ingredientibus per eum pedibus, velut de vastrapis.* In editione Colonienſi Cervicornieſt voce unâ *de vastrapis.* Sed divisim rectè est in Mso nostro Rufino. Græcè est, ἐμβαίνοντα εἰς ἀντὶ τῶν ποδῶν, ὥστερ ἀναξυρίδας. Non displicet, quod corruptum censent ex *vestipes*; eò quòd ut femorum, sic pedum esset tegumentum. Saltem malim sic dici, quàm quasi festras, sive feneſtras pedum: quod summo cuidam viro placuit.

Vernicis vocabulum veteribus est ignotum. Nunc plurimæ gentes sic appellant gummi juniperi, quod pictoribus in usu est ad illuminandos colores. Ac viri eruditi putant, sic vocari, quasi vernum rorem: nempe quia tempore verno, fluere è junipero solet; teste etiam Jul. Scaligero in secundum de Plantis. Sed veram originem attulit maximus Salmasius in exercitationibus Plinianis ad Solinũ *. Nempe est ex βερίνις. βερίνιξ, sive βερονίκη: quîs Græcobarbari pro succino usi sunt. Quomodo Myrepsus de Antidotis cap. CCCXXVII: Βερονίκης. κοραλλίου: hoc est, *Succini, corallii.* Nicomedes: Ἠλεκτρου στιφνοφόρου, βερινίκη. Idem: Βερονίκη. ἠλέκτρου μύστρα

* Pagina 1106.

CAP. XX.

A Germanico VV insitium est istis. VVacta, *pro vigiliæ.* VValapautz. *pro immutatione vultus, aut habitus, in fure, vel latrone, ne agnoscatur.* VValavvorf, *indumenti, vel ornamenti dejectus de capite virginis.*

VVan-

VVancluga, *pro fraude, ac mendacio, non ſtantis connubio promiſſo.* VVannagium, *vel* vvainagium, *pro habitaculo.* VVantus, *pro chirotheca.* VVapintakium, *vel* vvapentagium, *pro parte Comitatus, centum habente fidejuſſores Regios.* VVaranio, *pro equo militari, vel eo qui ſepto incluſus paſcitur, ac ſervatur.* VVarda, *vel* garda, *cuſtodia nobilium orphanorum*; *ut* garda-roba, *veſtium.* VVardea, *vel* vvardia, *cuſtodia, vel præſidium militum.* VVarengangi *pro iis, qui è terris longinquis venerint in ditionem aliam.* VVarenna, *Lucarium, ſeu vivarium.* VVarentem *vocari, obligatum ad alterum auctoritate ſuâ defenſitandum. Uti* vvaranda, *vel* vvarenda, *ipſa ad tuendum obligatio. Unde* vvarandare, *&* vvarandatio. VVargus, *pro extorri, vel etiam latrone.* VVarnitus, *pro abunde inſtructus.* VVchading, *pro conventione de ſingulari certamine.* VVerdunia, *pro æſtimatione*; *à quo* cinevverdunia. VVere, *vvirigildus* VVerra, *pro bello.* VVicus, *pro refugio: unde* vvicgrevius, *luci præfectus, &* VViccii, *Angliæ populus.* VVilz, *pro equo, qualem ſibi velint mediocris fortunæ homines.* VVirgildum, *vel* vverigeldus, *pretium quod compoſitione juridiciali perſolvitur. Cujuſmodi compoſitio apud Germanos in quovis habuit crimine locum, præterquam illo læſæ majeſtatis.* VViderboran, *pro donato libertate.* VVidimo, *pro dote.* VVifa, *pro ſigno rei appoſito: unde* vvifare, guifare, *vel* hiufare, *pro ſignũ addere.* VVinchilſul, *columna angularis: cui opponitur* firſtſul, *culminis columna.* VVittiſcalcus, *miniſter publicus, à quo mulcta exiguntur.*

HActenus attuli barbara, ab illo V conſono incipientia, quod effertur, ut V fractum. Deinceps producam, ubi ſonet, ut Germanorum VV, ac fere ſic ſcribatur,

VVacta, vigiliæ, à Germanico wacht, pro quo olim wachta: quod apud Otfridum Euangel. lib. IV. cap. XXXVII. Utrumque à Germanico wachen; pro quo Saxones, & Belgæ, waken. *VVacta* habes in Capitul. Karoli M & Ludovici Pii lib. III. cap. LXVIII: *Nec pro vvacta, nec de ſcara — heribannum Comes exactare præſumat.* Id verò eſſe, quod dicebam, ſatis docet Ludovicus Imperator in præcepto conceſſionis factæ Hiſpanis, qui ad ſe confugerant: *Exploratores, & excubias, quod uſitato vocabulo vvactas dicunt, facere non negligant.* Clarum etiam ſic ſumi in Admonitione Karoli ad Piſtas*: *Et in civitate, atque marcha, vvactas faciant, ad defenſionem patriæ.*

VVadium, vel *guadium*, unde *vvadiare*, in barbaris Latinæ originis interpretabimur. Nec enim adſentio Vito Amerpachio†, qui ejuſdẽ

* *Tit. 31. cap. 27*

† *Notis in Conſtitut. Karolinas pag. 290. edit. Mog. an. 1602.*

hæc originis esse arbitratur, ac Germanicum wat/ pro corporis indumentis: ut in compositis leinwat/ niderwat/ hergewet. Nihil sanè ad ista *vvadium*, quod *pignus* significat; ut tum planius faciemus.

VValapauz, vocabulum esse minimè Romanum, etiam exterminatione liquet. Est verò vox Longobardica: quam usurpat. & exponit, Rotharis rex lib.1. Legum Longobard.tit.xv.leg.v: *Siquis homini libero violentiam injustè fecerit, id est, vvalapauz*, LXXX *solid. ei componat. VValapauz est*, dum quis alienum furtivum vestimentum induit, aut si caput latrocinandi animo, aut faciem, transfiguraverit.* Si propriè sit, cùm latro, ne agnoscatur, caput, aut faciem, immutat; cum Lindenbrogio dixeris esse à wala/ caput, & pauzen/ polire, ornare. Sed si potiùs notat totius habitus immutationem, eopse fine institutam; fuerit fortasse prior pars wale/ hoc est, externus, exoticus; ut propriè signet vestitum exterum, seu peregrinum. Nempe ex eo, quòd pro *peregrinari* Germ. ac Saxones, dicant walen/ waelen/ wallen. Nisi potiùs, à Gallis, qui Germanis walen/ peregrina omnia dixere wals/ aut welsch/ quasi *vvalonica*: quomodo & *VVallia* in Britannia nomen datum ab Anglosaxonibus, & *VValachris* ad Danubium à Germanis.

* *Arbitror, istâ vocabuli interpretationẽ non tam esse à Rothare Rege: quia nihil opus erat eum Longobardicam vocẽ Longobardis suis exponere; quàm à Carolo M. esse appositâ, ut etiã à Francis suis intelligeretur. Nisi malis à libri margine irrepsisse in sermonis contextũ.*

VValavvorf etiam terminatione suâ barbariem prodit. Quid sit, docemur legibus Bajuvariorum; quarum tit.VII.leg.v, inter injurias liberæ illaras, & earum pœnas, habes: *Si discriminalia ejecerit de capite (vvalavvorf dicunt) vel virgini libidinosè crines de capite extraxerit; cum* XII *sol. componat.* Sed aliquibus in libris est wultworf; aliis watworf/ ut editum Sichardo. Utcunque legas; posterior pars vocis est worf/ jactus, dejectio; à worfen · sive werpen/ jacere, dejicere. Sed si walaworf placet; prior vocis pars erit wala/ hoc est, câput: quod ipsum sic ob figuram globosam dicitur à Germanico wallen/ vel wellen/ id est, volvere, volutare. Quomodo etiam Polonis caput glouwe/ hoc est, globus: & Belgis bolle/ quod idem notat; unde stoot·bollen idem ac stoot·hoofden/ in festis capitibus concurrere, arietũ instar. Sin rectum wultfort; princeps pars sit wult/ hoc est, capitis tegumentum. Nam wult à wala; de quo dictum. Nisi malis, ob arcuatam figuram, sic dici à Germanico welven/ fornicare, arcuare; unde welffel fornix, arcus, testudo, camera. Sin watworf præfers; sit à waet/ hoc est, ge·waet/ vestis, indumentum; unde compositum lyn·waed/ linteum. & waed·sack/ saccus vestium. Utcunq; legas, obscurum non est, de iis agere legem, qui vi de capite virginis dejecerint indumentum, vel ornamentum.

VVan-

VVancluga quid sit, docemur Bajuvariorum LL. tit. VII. cap. XVII: *Si quis liberam feminam suaserit quasi ad conjugem, & in via eam dimiserit, quod Baijuvarii VVancluga vocant.* Videtur esse à wancken/ (quod idem ac wackelen/ hoc à *vacillare*) & lugen/ vel logen/ hoc est, mendacium. Ut *vvancluga* sit mendacium vacillantis in negotio matrimonii. Nisi malis, priorem partem esse veterem vocem Germanicam wanck/ hoc est, momentum; unde fortassis wancken/ de eo, qui penè momentis singulis immutatur. Sed de posteriori parte etiam scrupulum injicit editor Clemangis. Nam pro *vvancluga*, (uti habet non Lindenbrogiana modò editio; sed etiam antiquior illa editoris anonymi) *vvanclugt* mavult, atque esse id à waen/ hoc est, opinio, & clucht/ quod facetias notat, & alia ridicula, ac jocularia. Sic significet deceptionem facetam, & ridiculam. Mihi istiusmodi fraus in sancto conjugii negotio non jocularis ac faceta; sed improba ac scelesta, videtur. Quare convenientior fuerit appellatio; si, ut dicebamus, posterior pars sit logen/ h.e. mendacium: quod est à liegen. Id tum notat distare, dissidere; quomodo, het liecht veel/ idem valet ac, het verschilt veel: tũ significat deesse, deficere; ut in illo, het liegt aen u/ pro, het schort aen u. Cæterùm mollius visum, si mentientem dicerent dissidere à vero, vel deficere in sermone: eóque primitus nec elegantiores refugerunt, gy liegt: quasi dicerent, aberras à vero. Nunc autem, quia cogitatur, non quid vox sonet, sed quale crimen impingatur; nihil eâ voce odiosius factum. Ut verò à vliegen/ *volare*, dicimus gevlogen/ de eo, quod volavit: sic à liegen/ mentiri, dicimus gelogen/ de eo quod quis mentitus. His nõ instituissem, nisi viderem, viris eruditis placere, logen esse à *logi*, vel λόγοι, vel à *Ligurum* vanitate: quia omnes esse fallaces, ac mendaces, à Catone in Originum secundo, Nigidio item Figulo, proditum est; Servio teste in illud XI Æn. *Vane Ligus.*

VVannagium, habitaculum, ædificium, domicilium, à Germanio wonning/ vel wooning/ quòd à woonen/ habitare. Charta libertatum à Joanne Rege concessarum, apud Matthæum Parisium ad ann. CIↃCCXV: *Liber homo nõ amercietur pro parvo delicto, nisi secundùm modum ipsius delicti; & pro magno delicto, secundùm magnitudinem delicti; salvo contenemento suo. Et mercator eodem modo, salvâ marchandisâ suâ. Et villanus* alterius, quàm noster, eodem modo amercietur; salvo vvannagio suo, si incident in misericordiam nostram.* Legas & *vvainagium*; ut in literis Henrici III. de Collectione quadragesimæ mobilium Regi concessarum, in an. CIↃCCXXXII: *Videlicet de bladis, carrucis, ovibus,*

* Forte, Et tam villanus.

vaccis, porcis, harraciis, equis carretariis, & deputatis ad vvainnagium in maneriis, Clariſſ. Guilielmus Watſius putabat, hîc potiùs ſumi pro colonorum plauſtris, atq; aratris; eſſeq; originem à waine; prout Anglis dicitur plauſtrum longius, & quadrirote.

VVantus, chirotheca, qualis etiam æſtate in uſu. Vide quæ in *Muffula*, cap. XII, dicebamus. Robertus Comes, & Abbas S. Martini, anno VII. Odonis Reg. *Reddimus Deciacum, admoniti, ad ejus ſepulcrum veniens, †per guantum noſtrum.* Significat, redditionis ſymbolum fuiſſe vvantum, ſive guantum; cujuſmodi traditionis ſymbola etiam erant fiſtuca, fuſtis, anulus, culter cum ceſpite & feſtuca. De quibus Clariſſ. Bignonius, ad Marculfi Formul. lib. I. cap. XIII.

† *Pro* venientes. *vel* cùm veniremus.

VVapintakium, vel *vvapentagium*, quid ſit, ex parte dictum cap. IX. in *Hundredum*. Nempe Angli Boreales ultra Trentam fluvium, ſic vocarunt, quod alii *hundredum*, vel *cantredum*. Originem nominis nemo accuratiùs expoſuit Rogerô de Houeden Annalium parte poſteriori in Henrico II. *: *Angli vocant vvapentagium, & non ſine cauſſa. Cùm* (novus vvapentagii præfectus) *accipiebat præpoſituram; vvapentagii die ſtatuto, in loco, ubi ſolent congregare omnes majores natu, contra eum conveniebant, &, deſcendente eodem de equo ſuo, omnes adſurgebant ei. Ipſe verò, erectâ lanceâ ab omnibus, ſecundùm morem accipiebatur. Omnes verò, quotquot veniſſent, cum lanceis ſuis ipſius haſtam tangebant: ita ſe confirmabant per tactum armorum, pace palam conceſſâ. Anglicè autem arma vocantur* wapne: *& taccare, confirmare, quaſi armorum confirmatio: vel magis, ut expreſiè ſecundùm Anglicam linguam dicamus,* wapentac, *armorum tactus, quod per tactus armorum ſuorum confœderati ſunt ad invicem.*

* *Pag. 607. edit. Francofurt. an. 1601.*

VVaranio eſt in Lege Salica tit. XL: leg. II, & IV. Titulus eſt, *de caballis furatis.* Lex prima, de caballo, qui carrucam trahit. Altera, de vvaranione, quem quis homini Franco ſit furatus. Tertia, de caballo ſpadato, ſive caſtrato. Quarta, de vvaranione Regis. Ex titulo, & iſtac legum ſerie, ſatis apertum arbitror, veranionem eſſe equum. At cujuſmodi ſit equus, ex etymo indagandum. Dubium verò, utrum ſit à Germanico warre/ſeu werre/hoc eſt, guerra ſive bellum; ut propriè ſic dicatur equus bellicus: an potiùs ſit à Germanico waeren/ hoc eſt, cuſtodire; à quo *vvarand*, cuſtodia, & particularim vivarium, ſeptum intra quod nutriuntur, & cuſtodiuntur equi, aliaque animalia. Poſterius firmat Gemmæ vocabularium; ubi eſt; *varandia*, een beſcherme/ een beſchuddeniſſe/ofte een warande. *Varandare*, waranden/ beſcher-

ſcher-

ſchermen. Quomodo ſignificabit equum, qui alitur in *vvaranda*, ſive roborario, aut vivario. Sanè malim alterutro interpretari modo, quàm equum integrum; uti à Goldaſto factum, &, qui ejus inſiſtere veſtigiis amat, Clemangis editore.

VVarda generatim ſignificat cuſtodiam à Germanico waerden pro waeren/vel bewaeren/cuſtodire. Particulatim verò deſignat cuſtodiam, ac curam, nobilium orphanorum. Matthæus Pariſius in anno cIↃxxxIV: *Quia puellam de Britannia, & ſororem veſtram, habent ſub poteſtate ſua, & alias plures puellas nobiles, & alias mulieres nobiles, cum vvardis, & vvaritagiis, quas dant ſuis, & diſparagant.* Pro quo *garda* eſt in Additamento Hiſtoriæ II: *Si attraxerit ſibi terras, maritagia, vel garda, ſine aſſenſu regio.* Nempe quia Galli non habent VV, eò pro illo vel GV, vel ſimpliciter G, reponunt. Habet & *garda* cuſtodiæ ſignificationem, cùm pro veſtiario ſumitur. Eſt enim locus, ubi aſſervantur veſtes: atque id *garda-Roba* Gallis, ad verbum cuſtodia veſtium, quia *robbe*, veſtis. Uſus Matthæus Pariſius ad an. cIↃCCXLV: *Papæ camera, quæ conclave, id eſt, guarda-roba dicitur, cum omnibus, quæ in eis continebantur, combuſta eſt.* Vide Somneri Gloſſarium in V. *Warda* & *Wardevvith*.

Wardea, & *vvardia*, præſidium militare, ejusdem eſt originis ac *vvarda*, ſive *garda*, de quo proximè dictum. Nempe à waerden cuſtodire. Pro *vvardea* Angli werde: Galli, *garde*; Belgæ, eorum exemplo, gaerde. Legg. VViſigothicæ lib. IX tit. II. leg. IX, quæ eſt Ervigii Regis! *Nec in vvardia cum reliquis laborem ſuſtineat; nec aliquem utilitati publicæ præfectum exhibeat.* Kapitular. Caroli & Lud. lib. III. cap. LXVIII: *Vt non per aliquam occaſionem, nec pro vvacta, nec de ſcara, nec de vvardea, nec pro herisbergare, nec pro alio banno herisbannum (omes exſpectare præſumat.* Vide & quæ de guardia cap. VIII. dicebàmus.

VVarengangi eſt in Legg. Longobard. lib III. tit. XV: qui eſt de Advenis: *Omnes vvarengangi, qui de exteris finibus in regni noſtri finibus advenerint, ſeque ſub ſcuto poteſtatis noſtræ ſubdiderint, legibus noſtris Longobardorum vivere debeant.* Poſterior pars vocis eſt à Germanico gangen/pro gaen: unde ganger/viator. Prior pars eſt varne/pro verre/longè, procul: ut ſignet eos, qui è regionibus exteris acceſſerint. In Gloſſario exponitur, qui non morantur in loco: ut qui huc illuc excurrunt. Sed ſimpliciter advenas intelligendos, fidem fecerit titulus memoratus. Quare nec à weer/h. e. *rurſum*, eſſe arbitror; quaſi ſignificaret, euntes, ac redeuntes, ſive ultro citroq; commeantes.

VVarenna, vel *garenna*, ex Germanico waranđe; quod primò, propriè q; notat custodiam, à waeren, sive bewaeren/custodire: particulares verò significationes habet complures; in his illam, quâ sumitur pro *loco septo*, ubi feræ, animantiaque custodiuntur, & adservantur; qualis Græcis παράδεισος, Latinis dicitur *roboretum, leporarium, vivarium*; ut apud Agellium est lib. II. cap. xx. Matthæus Parisius in Henrico III. ann. clocexl: *Abbates S. Albani licentiam venandi ad tempus concesserant in libera vvarenna S. Albani.* Usui pat quoque Rex Henricus in brevi sive processu, qui subjicitur. Ac similiter idem Parisius ad an. clocexlviii.

VVarentem dixere eum, qui alteri obstringeretur ad evictionem præstandam. Leges Longobardicæ lib. II. tit. xxviii. §. v. *Si quis equum suum, vel cetera animalia, sive rem suam, super aliquem reperierit, & ipse vvarentem dare dixerit; statim juret, ut ad certum vvarentem eum conducat: & super tertium vvarentem, & tertium comitatum, non procedat.* Dubium, sitne origo à waren/custodire; an weren/defendere. Ab illo participium *vvarend*, custodiens: ab hoc *vverend*, tuens, defendens. Accusativus casus, *vvarentem* vel *vverentem*, vel etiam *vvarantum*; ut Reg. Majest. sive legg. Scoticis lib. I. cap. xxi. xxii, xxiii; ubi docetur, si emtor in judicium vocetur; vvarantum, sive venditorem ejus tempestivè ab eo advocandum, quò in causa adsit emtori: nec opus esse, ut hoc significet venditoris fidejussori. Quòd si emtor neglexerit vvarantum suum advocare; nihil debere vvarantum, qui se possit excusare eo; quòd denunciatio sit omissa. Si verò vvarantus ad eum provocârit, à quo ipse acceperit, & ille item ad alium, ac iste item porrò: ad quartum posse vvarantum, nec ulteriùs, recurri. Hæc satis, quid *vvarantus* sit, docent. Similiter *vvarenta, vvarenda, vvaranda*, vel *vvarandia*, obligatio ad accommodandam alteri suam in tuendo illo auctoritatem. Speculum Saxonicum lib. I. artic. xv: *Si vvarandam emtionis sua produtere potuerit, ipse eas cum juramento duorum obtinebit: nisi per defectum in testibus, sive in vvaranda succubuerit.* Atque hinc *vvarandare*, pro alteri accommodare suam auctoritatem; item, tueri, patrocinari. Ex eo quoque verbale *vvarandatio*. In eodem Jure Saxon. lib. I. artic. ix: *Quisquis alteri ante resignationem, & infeudationem, bonorum possessionem tradiderit, ipse ejusdem debebit esse vvarandator, quotiescunque vvarandatione indigere contigerit.* Formula vvarandationis talis esse solet; ut ex chartis liquet antiquis: *Ego, & heredes mei, prædictas terras prædicto N. cõtra omnes gentes* (vel, con-

contra omnes homines, & feminas) vvarantizabimus, & in perpetuum defendemus per præsentes.* Sed Galli, pro W Saxonico, solent usurpare G, vel Gu. Itaque pro *vvarantizare* dicunt *garantizare*. Sicut & pro *vvarandium, garandia gvarenta*, cautio de re integrâ præstandâ. Vide de his plura in Verbis *garantizare*, & *vvarantizare*; & apud Lindebrog. ad Cod. LL. antiq. in V. Warentem.

* *Sic puto formulam fuisse primitus conceptam sed postea ab iis immutatam. qui nescirent,* hominē *hic pro viro sumi; ut posterioribꝰ seculis solet ac in Gallica etiamnum obtinet lingua. Diximus de hoc Theologia Gentilis & Physiologia Christiana lib. 3. c. 48.*

Vargus, seu *vargus*, vocabulum à Germanis acceptum, notat profugum, & extorrem. Lex Salica tit. LVII, §. V: *Si quis corpus jam sepultum effoderit, aut exspoliaverit, vvargus sit, hoc est, expulsus de eodem pago.* Legis Ripuariæ tit. LXXXVII. §. II: *VVargus sit, hoc est, expulsus.* Quia verò extorres isti, eo quòd, unde viverent, non haberent, raptu & latrocinijs, se sustentabant; ut in Italia solent, qui *bannis* dicuntur: hinc factum, ut per vvargos, sive vargos, etiam intelligerentur latrones. Sidonius lib. I. epist. IV: *Feminam, quam fortè vargorum (hoc enim nomine indigenæ† latrunculos nuncupant) superventus abstraxerit.* De etymo variè Martinius*; sed incerta: nempe, ut quibus otium est, cogitent certiora.

† *F. indigena. Nec alteril tamē damnem.*

* *In etymologico.*

VVarnitus, rebus necessariis instructus, à Germanico waeren/ seu bewaeren/ servare, conservare: ut *vvarnitus* sit wel bewaert: hoc est, paratus, ornatusque ab omnibus necessariis. In Constitut. Caroli tit. XXVI, Annunciatione Domini Ludovici Regis apud Confluentes cap. VI: *In hostem, vel ad placitum, sive ad curtem veniens, de suo sit vvarnitus, & de domo suâ moveat, ut cum pace venire, & nobiscum stare, & ad domum suam redire possit.* Sic tit. XLIII. cap. XXV: *Nobis in adjutorium, prout citiùs potuerint, veniant, & ad hoc omnes semper vvarniti sint.*

VVehading, sacra sponsio est singularis cum aliquo certaminis. Posterior vocis pars ding/ h. e. sponsio, contractus. Nempe ab ea significatione vocabuli ding/ qua veniunt inde dingen/ licitari; bedingen/ condicere, paciscī. Prior pars est weha/ pro quo alii weihe/ Belgæ wie/ id est, sacer; unde thus, wie-roock/ q. d. sacrum fumum; wie-water/ aqua lustralis, & alia. Lex Bojoar. tit. XI. leg. V: *Spondeant invicem vvehading.* Et in decreto Tassilonis, ducis Bojoarior. § X: *Potestatem accipiat cum accusatore suo pacificare, si voluerit, antequam pugnam, qua vvehading dicitur, permittat.*

VVerdunia fuerit pretii æstimatio, à Germanico werding; pro quo Belg. werderinghe. Sunt ea à weerderen/ ære æstimare, censere. Unde weerdein/ præfectus rei monetariæ: nempe quasi *æstimatorem* dicas. A *vverdunia* verò est *cinevverdunia*, in Legg. Ripuar. tit. XXXIII.

qui

qui est de re intertiata, leg. II: *Vt cinevverduniam suam in præsentia testium recipiat, & ei, qui rem suam intertiavit, probabiliter ostendat.* Sed difficile dictu, quid hic valeat prior pars vocis, quæ est *cine.* Vir optimè de LL. antiquis meritus suspicatur, hic loci legendum, *Vi sine vverdunia suum recipiat.* Sed quid fiet locis aliis, ubi, ut sic legamus, structura, aut sententia non sinit? Ut in iisdem LL. tit. LXXII. qui est de homine intertiato, leg. III, *Cum furto, seu cinevverdunia.* Et ibidem leg. VI, ac VII, *Decinevverdunia restituat.* Et agnoscit vocem Glossarium Latino-Anglico-Saxonicum: ubi est, *Quaternio, Cinevverdunia.* Sed hic item obscurum, cujus intelligatur quaternio; num vveregildi, an alterius rei.

VVere aut *ἀνωνύμως* pro *vveregelt* dixisse videntur. Guilhelmus Normannus Angliæ rex in Legg.* *vvere suum*, id est, *pretium redemptionis suæ solvat.* Vide inferiùs *VVirgild.*

* *Apud Rogerium Hovedenũ Annal. par. post. in Henrico 2.*

VVerigeldus quid sit, itidem in *vvirigildus* mox exponam.

VVerra, dissidium, bellum. Constitut. Karoli Calvi tit. XXIII. epistolâ episcoporum ad Ludovicum Regem cap. XV: *Rixas, & dissensiones, seu seditiones, quas vulgus vverras nominat.* Et tit. XLIII, apud Carisiacum cap. XIX: *Si vverra in regno surrexerit, quam Comes per se comprimere non possit, filius noster cum fidelibus nostris eam quantocius comprimere studeat.* Similiter Matthæus Parisius: *VVerra, qua* XVII *annis sævierat.* Qui & *vverrinam terram* vocat hostilem, sive quicum bellum gerimus: ut in Charta libertatum R. Joannis ad an. CIↃCCXV: *Omnes mercatores, nisi publicè prohibiti fuerint, habeant salvum & securum exire de Anglia, & venire in Angliam —— præterquam in tempore vverra, & si sint de terra contra nos vverrina: & si tales inveniantur in terra nostra in principio vvarre, attachientur sine damno corporum, vel rerum; donec sciatur à nobis, vel à capitali justitiario nostro, quomodo mercatores terræ nostræ tractentur in terra contra nos vverrina.* *VVerra* planè est à veteribus Germanis, qui dicebant werre: ut apud Otfridum lib. v. Evangelii cap. xx: Spuanni ci geverre. Hoc est, incitare ad prœlium. Nam spanta/ suadere, adhortari. Kæro: *Suademus*, spanamee. Pluráque mihi, quæ hoc firment. Hinc *vverrire*; de quo in Verbis origine barbaris. Galli, & alii qui W nescium, maluere *guerra.* Itaque apud Ivonem epist. xx. in nonnullis quidem Mssis est, *vverram se faciturus*; in aliis autem *guerram.* Uti & apud Abbatem Urspergensem in Lege Frederici Imp. libri alii habent, *pro guerra propria*, alii *vverra.* De *guerra* abunde dictum cap. VIII.

VVisk

VVik putant esse à Latino *vicus*; ut wyn à vinum, willen à velle, & similia. Sed wyk potiùs est à wyken / cedere, refugere. Nam *vvicus* Germanis extenditur ad multa, quò perfugium esse solet. Ut ad propugnaculum, quod dicitur wychuys. Item ad lucum, qui locus ab hominibus remotus. Bajuvariæ LL. Tit. XXI. §. VI: *Si vero de minutis sylvis, de vvic, vel quocunque caneio, vegetum reciderit.* Video in editione eâ, quæ formâ minutâ absque præfatione editoris, aut typographi nomine, prodiit, pro *vvic*, reponi *luco*, ut pro *caneio*, *kaheir*. Sed de *luco* est ex glossemate. Nam wige *lucum* signare, etiam liquet ex Otfrido Euangelii lib. IV. cap. XVI, & XVIII. Nempe quia in lucos refugium esse solet. Notum de asylo Romuli. Atque hinc, qui Græcis ἀλσοφύλαξ, Germanis wicgreve/ quasi vvici Gravius, hoc est, luci Comes, seu præfectus. Nam *grevius*, seu *gravius*, qui præsidis ac judicis dignitate esset præditus; ut diximus cap. VIII. Denique quia in tempestate perfugium esse solet in sinum maris, vel ostium fluminis; hinc pro istis etiam wyk Danis sumi videas. Quod non potuit ignorare Saxo Grammaticus, cùm lib. VII. sic scribit: *Hako in portum, qui Danicè Hervvig (Latinè exercituum sinus dicitur) classe collatâ militem exponit.* Sic *Slesvvicum*, Slesvvicensis ducatûs in Jutia caput, à *Slia* amne, & *vvick*; quia mare istic incurvis decurrit litoribus*. *Kentvic*, sive *Kentvvicum*, Belgicæ †emporium, ex *Kent*, *Quantia*, vel *Kentia*, & *vvick*; quia situm ad sinum, vel potiùs ostium *Kantiæ* fluminis in Arteſia. Nec in compositione solùm hæc supereſt significatio; sed etiam derivatis. Sic in Anglia incolæ Comitatus VVigornienſis, tempore Bedæ dicebantur *VViccii*, à sinuoso amne Sabrinâ, quem accolunt. Nisi nomen id à salinis, quæ veteribus Anglis *vviches*. Utrumque etymon adducit in Britannia sua Cambdenus*.

VVilz quid veteribus Bajuvariis notârit, indicant eorum Leges Tit. XIII. cap. X: *Si mediocris fuerit* (equus) *quem VVilz vocant.* Videtur esse à willen/ hoc est, velle; quia sic diceretur equus, qui ut non esset optimæ notæ, non tamen malæ foret; eoque à multis, sed minoris fortunæ, expeteretur.

VVirgild, vel *vvidrigilt*, sive *vviregildus*, vel *vvirgildus*, vel *verigeldus*, aut *vverigeldum*, ad verbum notat reciprocam compensationem, à Germanico wir/ hoc est, iterum, denuo rursus; & gilt vel geld/ significante pretium. Unde Papias: *VVirgild, secundum quod appretiatum fuerit.* Nec absurdè tamen illustris Comes Hermannus Niu

*Ioannes Adolphus Cypraus Hestor. Slesvic. cap. 2.

†Ioannes Bollandus in Actis Sanctorii, ad 7. Ian. in vita S. Canuti Lavvardi §. 7. Meminit & Quantiæ fluminis is qui vitam scripsit Austrebertæ virginis apud Surium ad 12. Febr. Vulgò dicitur Canche.

*Paz 455. edit. Londinensis an. 1590.

Niuvenarius, in dissertatione de veterum Francorum sedibus; ubi putat, priorem vocabuli partem esse were/hoc est, defendere: quia hoc pretio aliquis se redimit. Saltem istoc verisimilius videtur, quàm ut sit à ver/hoc est, vir, & gelt/pecunia: q. d. hominis pecunia: ut Skenæus adnotavit ad illa Legum Scoticarum verba lib. IV. cap. XIX: *Denuoquoque fure per totam Scotiam est* Wergelt XXX *vaccæ, & una juvenca.* Sumitur verò pro ejusmodi pretio, quod compositione juridiciali persolvatur, sive ob hominē occisum, sive ob aliud grave delictum. Nec enim homicida, vel alius enormis sceleris reus, dummodo non foret crimen læsæ majestatis, morte id expiabat, sed pecuniâ multabatur: cujus pars Principi; pars iis cedebat, quibuscum compositionem inire cogebatur. Unde Tacitus libro de moribus Germanorum: *Suscipere tam inimicitias, seu patris, seu propinqui, quàm amicitias, necesse est. Nec implacabiles durant. Luitur enim homicidium certo armentorum, ac pecudum numero; recipitque satisfactionem universa domus.* Atque hoc ipsum etiam leges Bajuvaricæ confirmant. In quibus est titulo II. cap. I. §. III: *Ut nullus Bajuvarius alodem, aut vitam, sine capitali crimine perdat: id est, si aut in necem consiliatus fuerit, aut inimicos in provinciam invitaverit, aut civitatem capere ab extraneis machinaverit; & exinde probatus fuerit: tunc in Ducis sit potestate vita ipsius, & omnes res ejus, & patrimonium.* Unde restringi debet, quod alibi in iisdem legas: *Nulla sit culpa, tam gravis, ut vita non concedatur.* Excepto igitur crimine majestatis, omne delictum æstimabatur vveregildo, sive mulctâ pecuniariâ. In cod. legum Longobardicarum Lugduni edito ann. cIↃIↃXII. *guidrigild* scribitur†, vel *guldrigild**. Quod jam monitum ab amico, cui eum codicem donâram ante hos annos XXX. Qui plura hac de voce volet, eum adeat in glossis ad Clemangem. Item Antonium Augustinum in notis ad Pœnitentiale Romanum Tit. IV. de Prædatoribus ac Furibus cap. XVII. ubi legas: *Pretium tuum, id est, vvirgildum tuum.* Sed vitiosè; cùm *vvirgildum* sit scribendum: uti est non semel in capitulis Karoli M & Ludovici Pii. Ac similiter Burchardus lib. VI. cap. XI, & Ivo Carn. parte X. cap. CXL. decr. ex Concil. Tribur. cap. IV. Etiam usurpat Speculum Saxonicum lib. I. art cul. VIII: *Testimonium præconis vice stat duorum. Ejus etiam emenda, & vverigeldus, duplex est, secundùm ipsius nationem, habito respectu ad id tempus, quo in præconem fuit electus.* Ubi pro *vverigeldus* Germanicè est† wērgelt. Similiter ejusdem libri artic. LXV*: *Qui etiam aliquem, actio-*

† *Pag. 9. a. pag. 11. a. & 12. b.*
* *Pag. 87. a.*
† *Fol 35. b*
* *Fol. 160.*

actionem injuriarum passum, judicio exhibere promiserit, si id facere nequiverit, cum suo absolvetur verigildo; & per hoc juri non derogat suo. Verigeldum post tres menses à tempore ejus acquisitionis persolvetur. Uti itidem German. † werhgelt. † *Pag.* 162. *b.*

Widerboran, propriè est renatus; ex wider/ iterum, & boran/ natus; Belgis weder-geboren. Sed sic dixere donatum libertate, quia quodammodo renascitur, qui è servo fit liber. Legg. Longobard. lib. II. tit. I. leg. VIII: *Liberam thingare, & sic facere liberum, quod est widerboran.*

Widimo, vel *vittomon*, vel *veetomon*, dotem significat. Glossar. Latino-Theotiscum: *Dos*, widimo. Ita Willeramus, monachus Fuldensis, paraphrasis Cantici Cant. extremo cap. III*, ait, Christum sibi Ecclesiam despondisse, mit themo witheme sines hilligan bluodes/ hoc est, dote sui sancti sanguinis. Posui, ut est in editione Merulæ. A qua paulùm in ἐξηγήσεις abit vetustus noster Mss, qui habet: mit demo widemen sines heiligen bleutes. * *Pag.* 55. *edit. Rhenan.*

Wisa, à Germanico wis/ quo notatur signum rei appositum, sive ut eam esse venalem significetur; quomodo titulus prædio additus indicio est illud venditioni exponi; hedera item vini venalis esse signum solet: sive etiam aliâ de causâ adjungatur; veluti, quòd quis rem sibi vindicet, ut justo possessori. Legg. Bojor. Tit. IX. cap. XII, & Longob. lib. III. Tit. III. Leg. VI. Hinc *wisare*, vel *guisare*, pro *signum apponere*, Longob. Legg. lib. I. Tit. XXVII. Leg. VIII. & lib. III. Tit. III. leg. VI. Glossæ veteres ad illa verba Rubricæ Cod. ut nemo privat. &c. VELA REGIA SUSPENDAT. —— *Quod vulgo, Longobarcicomore, guisphare dicitur, apud nos fusire, quod linguâ vulgari eyden.* Pro *guisare* etiam dicebant *huisare*. Karolus Magnus Constit. cap. VII: *In republicam auctoritatem domus, vel casæ eorum, hiusentur.* Vitus Amerpachius, notis ad eum locum, *hiusentur* exponit *arrestentur*, ac censet esse ab Germanico hûsa/ hoc est, prædio; quomodo & Belgæ pro eo verbo dicunt. Sed falli liquet ex iis, quæ diximus.

Winchilsul, & *firstful*, quid sint, indicant L. L. Bajuvar. tit IX. cap. VI. de culmine. §. II: *Si eam columnam, à qua culmen sustentatur, quam firstful vocant; aut si interioris ædificii illam columnam ejecerit, quam winchilsul vocant.* Uti opponi videmus *firstful*, & *winchilsul*. De utroque dicam. *Firstful* significat culminis columnam: à sul/ vel seule/ columna, & first/ culmen. Gloss. Latino-Theotiscum: *Culmen*, first. Glossar. Latino Anglo-Saxonicum: *Laquear*, fyrst. Unde & *firstfalli*, cul-

culminis ruina ex incendio. Vox conflata, ex firſt / culmen, & fall/ ruina. LL. Baijuvar. tit. IX. §. II: *Siquis deſertaverit, aut culmen ejecerit, aut incendio tradiderit, quod firſtfalli dicunt.* At *vvinchilful* ſignificat columnam angularem; à winchel/quod Germanis, & Saxonibus, ac Sicambris, notat angulum; unde apud Belgas etiamnum obtinet winkel-haeck/ regula angularis, ſive norma, quâ anguli explorantur. Poſterior pars vocis eſt eadem, ac in *firſtful*: quam & habemus in Irmenſul/ columna in Arminii honorem erecta, ex Irmen/ qui & Herman/ & ſul/ columna. Gloſſ. Hirmenſul/ *Coloſſus, altiſſima Herminſi columna.* Niſi Irmen ſit Ἑρμῆς, Mercurius: quod ſi placet, non ille Græcus, vel Romanus Mercurius, intelligi debet; ſed Germanorum deus ſummus; qui erat Sol, prœliorum idem præſes. Atque firmat hoc forma ſtatuæ, quæ virum referebat armatum, in dextra habentem vixillum, in clypeo leonem: ut pluribus explicat Sebaſtianus Munſterus lib. III. Coſmogr. cap. cccxxxiii. Vide, quæ de hoc Mercurio, ac ſtatua Irmenſul, dicebamus lib. II. de Gentili Theologia, ſive origine & progreſſu Idololatriæ, cap. xxxii. & quæ ſingulari libro Henricus Meibomius.

Vvitiſcalcus, miniſter Principis, per quem mulctæ exiguntur. Nam prior vocis pars withe/ vel wetthe/ mulcta lege impoſita, à wet/ lex. Altera pars eſt ſchalc/ miniſter; de quo diximus cap. XVII, in *Scalcus*. Legum Burgundicarum tit. LXXVI. §. III: *Mulieres quoque, ſi vvitiſchalcos noſtros contemſerint, adſolutionem mulctæ ſimiliter tenebuntur.* In Gallicana editione, quæ nullum editoris nomen profitetur, eſt *vvitiſchalcus*, ſimplici T. Sed eadem in titulo geminat. Nec de iſtoc laborandum; cùm withe/ & wetthe/ dixerint.

CAP. XXI.

Yſicius, *pro ſalmone, vel, ſecundùm alios, lucio.* Zaba, *pro lorica. Non* zabyra, *ſeu* zabaria, *vel potiùs* zaberna, *dixiſſe pro pluteis librariis.* Zech, *Boëmis fraterna clericorum, laicorumque, ſodalitas.*

DE V, & W, vidimus. Barbara ab X inchoata fere Græcæ ſunt originis: de quibus libro proximo. Ac par ratio cœptorum ab Y. Quamquam huc referre poſſis *Yſicius*, pro ſalmone. Quem ejus vocis uſum oſtendit Joannes Capgravius ex anonymo in vita S. Kentigerni, epiſcopi Glaſcuenſis in Scotia, cap. VI: *Cum hamo ad ripam fluminis Clydæ feſtinare præcepit, & piſcem primò extractum, ſcilicet yſicium, qui & ſalmo dicitur, ad ſe reportare.* Sed vox ea initio per tertiam ſcribi voca-

vocalem debuit; non per Græcum Y. *Iſſicium* vocat Beda lib. I. Hiſt. Angl. cap. V: *Et quidem præcipuè iſſicio* (Britannia) *abundat, & anguillâ.* Aliis eſt *eſocium.* S. Ealredus in vita S. Eduardi Confeſſoris, Angliæ Regis, cap. V: *Omnes erant ejuſdem generis piſces, præter unum miræ enormitatis eſocium.* Pleriſque tamen *iſſicius*, vel *eſocius*, non *ſalmo* videtur, ſed *lucius:* ac idem eſſe, qui *eſox* vocatur Plinio lib. IX cap. XV. *Eſox* verò à Plinio formatum putant ex Germanica, & Belgica lucii appellatione. Iis enim ſnoeck dicitur.

Supereſt Z: unde nulla inchoant Latina; Græca verò non pauca: plura etiam barbara; è quibus hæc excerpſimus.

Zaba, lorica. Ita Gloſſæ Iſidori. Etiam in Gloſſis Arabicolatinis legas: *Lodix, cucullata, lorica, zaba.* Sed rectè ὁμαχείνης Meurſius noſter emendabat: *Lodix,* —— *Lorica cucullata, zaba.* Poſt *Lorica* excidit interpretatio. Sequitur deinde, *Lorica cucullata*; ac exponitur vulgari *zaba* vocabulo. Aliquos eam vocâſſe *loricam cucullatam*, oſtendit hoc Joan. Thvvroczii in Chron. Hungar. Part. II. cap. LII: *De agmine Salomonis ad prædictum militem ſolus Opus ſuper gilvo equo in lorica cucullata evulſus, in modum fulminis, ictu lanceæ, rupta lorica, Petrum per medium cor tranſfixit.* Firmat quoque hoc Juſtiniani Novell. LXXXV: Καὶ τὰς καλυμβάρας ζάβας ἤτοι λωρίκια. Unde videmus, etiam Græcos juniores nôſſe hanc vocem. Et ſanè hinc ζαβαρεῶν. Suidas: Ζαβαρεῶν, ὃ ἢ αἱ ζάβαι, αἳ εἰσὶν ὅπλα πολεμικὰ, ἀπόκεινται· ζάβα δὲ τὸ λωρίκιον. Etiam Latini videntur *zabaria* dixiſſe: de quo in *Zabyra* dicemus. Sed & *zaberna* legas in Gloſſario Arabicolatino. *Zaberna*, inquit, *ubi veſtes portantur, vel quodlibet aliud.* Ubi apud Papiam eſt, *ponuntur*: quod verius. Ac ſimiliter Gemma. Idem Papias: *Zaberna, arca, vel armariolum.* Eâ autem formâ à *zaba* fecere *zaberna*, qua à *cavum* eſt *caverna*, & fortaſſe à *taba*, (unde *tabula*) *taberna*: niſi hoc è *tabulerna*, καὶ συγκοπῇ. Sed de *zabaria*, & *zaberna*, proximè etiam in *zabyra* dicendum.

† Zaba-reum, *locus* in quo zabæ reponuntur; quę ſunt arma bellica. Zaba enim eſt lorica.

Zabyra, ſi vulgatis codd. fides, pro pluteis librariis dixerit Abdias Babylonius lib. IV. Hiſtoriæ Apoſtolicæ: *Et haut mora, collectis libris magicis, zabyras plenas ad Apoſtolum attulit, cervicibus, & ſuis, & diſcipulorum, impoſitas: & cæpit eos ignibus coram eo comburere. Sed Iacobus prohibuit: Ne forte odor incendii, inquit, vexet incantos, appende zabyris lapides, & plumbum, & mitte in mare.* Ad marginem verò adnotatum: Ζάβυρα, *Gracis armamentorum repoſitorium eſt.* Quod ſi verum; *zabiras*, & *zabiris*, reſcribendum. Nam junioribus quidem Græcis, ut paullò

antè dictum, ζάβα. τὸ λωρίκιον. h. e. lorica: sed inde nusquam ζάβαρον legitur; verùm ζαβαρῶν, ἐν ᾧ αἱ ζάβαι ἀποκεινται· *zabarium, ubi zabae reponuntur:* quod idem Suidas tradit; uti in *zaba* dictum. Laxiùs verò pro quovis armario sumitur; etiam librario; ut Tzetzi Chil. IV. Quare clarissimus Meursius apud Abdiam *zabarius* emendat. At displicet Joan. Ludov. de la Cerda Adversar. Sacr. cap. XXXIII. §. VI. *Non moror*, inquit, *Meursium corrigentem zabarias in Abdia.* Jubet verò *Zabernas*, & *Zabernis*, reponere. Verùm cùm à *zaba*, tum *zabaria*, tum *Zaberna* dixerint, ut in *Zaba* vidimus; utro modo scriptum fuerit, non aliunde est statuere, quàm ex Mssis. Quod facit maximus Salma-
† *Pag.* 189. sius ad Lampridium†. Is & ipse *zabernis* reponit: ac sic se ait reperisse in veteri codice Jureti. Absque ejus codicis fide esset; non video, cur de la Cerda magis, quàm Meursio, accederem; præsertim cùm *zabernis* longiùs à *zabariis* abeat, quàm *zabariis*. Nec tanti tamen unius est codicis fides, ut eò Meursii opinionem planè rejicere ausim.

Zancha quid sint, cap. XVIII. in *Tzanga* vidimus.

Zech Bohemicum est vocabulum, ac fraternum clericorum, & laicorum sodalitium significat: ut ostendit Reinerius, sive alius, libello, de doctrina, & moribus Waldensium, scripto ante annos CCCXL*: *Confraternitatem clericorum, & laicorum, quæ dicitur zech, dissuadent: & hæc omnia dicunt agi propter quæstum.* Quamquam istoc vix locum hîc mereatur, cùm solùm afferatur, ut vernaculum; non verò ut Latino barbarum. De nominibus hactenus.

* *In Scriptoribus rerum Bohemicarum à Freharo editis. pag.* 235.

CAP. XXII.

De verbis ortu ipso barbaris; ac primùm de cœptis à prima vocali. Quæ sunt ista. Adhramire, *pro polliceri juramentum, ac ei diem, locumque præfinire.* Adjurnare, *pro in jus vocare.* Admallare, *pro vocare ad mallum, sive in judicium.* Advisare, *pro sententiam dicere.* Afforestare, *pro in forestam sive sylvam convertere: uti* deafforestare, *demere partem de sylva.* Agistare, *pro pascua sua alteri locare: interdum etiam, pro onorare tributo.* Andigavere, *ubi hæres ab intestato defuerit, designare, quantum possideas & quem, aut quos, statuas hæredes. Vocis ejus origo. Refelluntur, qui ajunt, leges Longobardicas esse* anclabeones *nuncupatas; vel aliter, voce tamen non absimili.* Attachiare, *pro apprehendere, ac detinere aliquem per publicos justitiæ administros. Hæc item ad ea, quibus initialis littera est una è tribus consonis; vocalem primam proximè sequentibus. Hujusmodi sunt*, Bannire, *pro edicto con-*

convocare; vel convocare ad militiam: item pro pecuniâ, vel etiam exilio, mulctare. Baraniare, *cunctari, ac tergiversari.* Blutare, *pro evacuare.* Brasbrat, *ridiculo errore creditur idem valere, ac* lucubro. Braxare, *pro cerevisiam coquere.* Burdare, *fustibus rustico more certare.* Cratare, *pro unguibus lacerare.* Defortiare, *vel* diffortiare, *vi impedire.* Diptire, *tinctu aureo, crocco, vel alio, inficere.* Dismanare, *in jus vocare.*

AGe nunc de Verbis origine barbaris expediamus. Ac primùm ordine complectemur inchoata à vocali principe, vel aliquâ trium consonarum, quæ eam proximè excipiunt.

Adcredulicare, fidem facere, se purgare & suspicionem à se dimovere. Leges Inæ, Regis Westsaxiæ, uti extant in Joh. Bromtoni Chronico p. 764: *Qui in Collegio fuerit, ubi aliquis occisus sit,* adcredulicet *se, quod eum non percussit.*

Adhramire, promittere se certâ die, ac loco, juraturum; à veteri Gallorum verbo, quod est *arrimier*. Capitul. Karoli M. lib. III. cap. LVIII: *Ut Sacramenta ad palatium fuerint adhramita, in palatio perficiantur.* Item lib. IV. cap. XXVIII: *Ubi antiquitus consuetudo fuit de libertate Sacramenti adhramire, vel jurare, ibi mallum habeatur, & ibi Sacramenta jurentur.* Habes & in lege Salicâ tit. XXXIX, & XLIX. Item Legg. Longobard. lib. I. tit. XXV. leg. LXXV, & lib. II. tit. LV. leg XXVI. Apud Ansegisum Capitularis lib. III. cap. LVIII, ac lib. IV. tit. XXVIII, & XXIX Item incerti scriptoris Formulis veteribus cap. I*. * *Pag. 169. edit. Paris.*

Adjurnare, ex Gallico *adjourner*, pro *diem alicui dicere*. Capitulorum Karoli M. & Ludovici Pii, lib. V. cap. CLI: *Pronimia reclamatione, quæ ad nos venit, de hominibus Ecclesiasticis, seu fiscalinis, qui non erant adjurnati, quando in Cœnomanico pago fuimus.* hoc est, qui non erant in jus vocati.

Admallare, apud Marculfum lib. I. Form. cap. XXI, & alios, notat ad judicem vocare litigandi causâ: sicut diximus in *Mallus* cap. XII. Simile *obmallare*, de quo inferiùs.

Advisare est deliberare, vel sententiam dicere: ut dictum lib. I. cap. I. Habes cùm alibi, tum apud Philippum VI in Edictis †, & Nicolaum Clemangium initio libri de Annatis non solvendis. Est ex Gallico *adviser*, ac Belgæ similiter adviseren. Hinc in Glossis: *Advisamentum, sententia.* Legas id in Consilio Pisano*. Barthius Adversariorum lib. XLIII. cap. XX†, censet, *advisare* esse corruptum ex

† *Pag.* 41.

* *Pag.* 41.

† *Col.* 1966

ex Latino *animadvertere*: quod non puto. Addit porrò, ex *advisator* corruptum esse *ambasciator*: de quo cur itidem aliud censeam, liquet ex iis, quæ adduxi libri hujus cap. II.

Afforestare, in sylvam convertere: ut cùm princeps terras, forestę sive sylvæ contiguas, disjectâ sepe, quâ ante distinguebantur, partem sylvæ facit. Sæpius usurpat Matthæus Parisius in Historia. Cujus & illud in Additamento secundo: *Inquiratur etiam, qui de novo fecerint infra metas forestæ, vel extra ad nocumentum forestæ, parcum, vel boscum suum claudere, vel vvarennam, vel aliquem boscum afforestaverit sine vvaranto domini Regis.* Contrarium *deafforestare*, aliquid de foresta demere, inque privatum usum convertere. Unde continuò ibidem subjungitur: *Et si aliquis de foresta domini Regis aliquid deafforestaverit, vel subtraxerit domino Regi.* Tangebamus hanc rem etiam cap. VII. in *Foresta*.

Agistare dicuntur, qui aliena animalia pretio, de quo convenerit, in sua recipiunt pascua. Gallis *adjouster*, à *gist*, cubile, quod à *gesir*, cubare, jacêre. Joannes Angliæ R. apud Matthæum Parisium in an. clocccxv; *Ante festum S. Michaëlu, quando agistatores veniunt ad agistandos dominicos boscos: & circa festum S. Martini, quando agistatores nostri debent accipere panagium suum. Et ad ista duo suamimera convenient forestarii, viridarii, & agistatores, & nullus alius per districtionem.* Item Additamento secundo: *Inquiratur etiam, qui forestarii ceperint finem pro diversis animalibus agistandis.* Nec de solis animantibus dici, sed etiam terris; indicat hoc Eduardi I, Anglorum Regis: *Terrarum ad custodiam maris agistatarum.* Hoc est, quibus, ad maris custodiam, imperatum esset annuum tributum.

Andegavere, vel *andigavere*, quantum videre possum, is dicitur, qui cùm non habeat suum, vel proximum hæredem, consignat, quantum in bonis habeat, ac quid de iis, mortuo se, fieri velit. Longob. lib. II. tit. XIV. leg. XVII: *Et si, casu faciente, sine heredibus mortuus fuerit, & antea judicaverit res suas proprias, se vivente; id est, andegaverit, & arigaverit; secundùm legem Longobardorum habeat, cui donaverit.* Sic est in editione Lindenbrogii. Vetus autem Basileensis editio tit. XCI. de Manumiss. §. XI, pro, *id est, andegaverit, & arigaverit*, habet, *id est, andigavere, & andegaverit.* Sententia fuerit istiusmodi: si, dum in vivis est, ac sanus, de rebus suis judicaverit, quale judicium vocatur *andigaverum*: is cui bona sua adjudicaverit, ea possideto: prout leges Longobardorum exigunt. Quo pacto radix, sive thema sit,

andi-

andigavero: inde præteritum *andigaveri*, sine syllabæ incremento; ut à *lego*, *legi*. Integrum quoque nomen sit *andigaverum*. Pro quo, si rectè veteres Glossæ à Lindenbrogio adductæ, καὶ συγκοπὴν, etiam *andigavum* dixerint. Sic enim illæ, *Andigavum, id est, insanitate, Artigavum, ani firmitate*. Quanquam &, citra syncopen, potuerint *antigavum* dixisse; ut mox liquebit. Videmus isto firmari, quod dicebamus, *andigaverum*, vel *antigavum* esse ejus, qui viveret, & valeret. De origine vocabuli, quid in mentem venerit, exponam. Germanis, & Belgis hodieque, gaef/gæf/geef/gæve idem est, ac sanus, integer. Unde & in compositione ongaef/vel ongeef verken: quod aliter ongantș non integer, morbidus. Ab isto gaef/pro integro, & sano, est *andigavum*; sive à gave/*gaverum*. Hæc eò pluribus sum persecutus, quia in voce ea multi adeò doctissimi viri sint decepti: idque occasione veterum Isidori glossarum, in quibus legitur: *Anclabeo, vel auricabeo, lex Longobardorum*. Colligit inde vir bene de studiis meritus, Bonaventura Vulcanius, quemadmodum leges Gothorum propriâ appellatione *bellagines* dicebantur; Jornande in Geticis teste. sic leges Longobardicas esse nuncupatas *auriclabeones*, vel *auricabeones*, vel *anclabeones*, vel *andecabeones*. Variè enim ea vox exprimitur in Mssis. Eadem est Mens doctissimi Lindenbrogii in notis ad Paullum Warnefridum de gestis Longobardorum lib. IV. cap. XLIV*. Adhæc amicus noster πολυμαθέστατος, ὁ μακαρίτης Matthias Martinius, in Etymologico, voce *Anclabeo*, censet, vocabulum istoc esse ab Germanico ancleben/pro quo Belgæ aencleven/affigere: nempe quia leges affigantur, ut legantur à populo. Nostra verò longè alia est sententia; imò & viri, dum viveret, amicissimi, Laurentii Pignorii, magni Italiæ ornamenti: qui in symbolis Epistolicis, Epist. XLIX, optimè perspexit, non si post vocem *auricabeo*, vel *antecabeo*, subjiciatur *Lex Longobardica*; eò esse putandum, hæc verba duo esse prioris interpretamentum; cùm interdum subjiciatur nomen scriptoris, ad docendum, ubi vocem eam sit invenire. Id verò hic factum: ut sententia glossographi sit, vocem eam exstare in legibus Longobardicis. Sed cùm variè vox ea legatur in Mssis, proximè ad veram lectionem accedunt *andecabeo*, & *auricabeo*: quomodo & in Mso antiquo reperit Pignorius: Interim censeo, in libris omnibus R ante O desiderari. Ut sit *andecabero*, vel *auricabero*, vel potiùs *anticabero*. B, & V consonum, promiscuè usurpabant; & C, ac G, facilè commutantur. Quare arbitror, glossographum attendisse ad *andigavero*:

* *In editione Leidensi pag. 281. Sed poterâ Lindenbrogium hic præterire quia istoc omisit in editione Hamburg. pag. 356. ut postea animadverti.*

prout in Basileensi Legum editione exarari id verbum, antea monebamus.

Attachiare, pro per lictores, ipsosve prætores, apprehendere, vel detinere, à Gallico *attacher*. Utitur Matthæus Parisius in charta libertatum Joannis Regis†: *Si tales inveniantur in terra nostra in principio vverra, attachientur sine damno corporis, vel rerum, donec sciatur à nobis, vel à capitali justitiario nostro, quomodo mercatores terræ nostræ tractentur in terra contra nos vverrina.* Usurpat & alibi. Atque hinc *attachiationes*, pro apprehensione, vel detentione, apud eundem, in Vitis Abbatum; quæ ante biennium hoc*, cum Additamentis, egregio clarissimi Watsii beneficio, in lucem primùm prodierunt. Utrumque, uti & *attachiatores*, & *attachiamenta*, habes sæpius in legibus Burgundionum. Ita est cap. IX. §. 1: *Attachiari nemo debet in nundinis, nisi in criminibus gravioribus.* Item cap. CXVI: *Siquis manens in burgo attachiatus fuerit infra burgum, ibidem debet judicium inse suscipere.* Vide ad leges Scoticas Indicem Skenæi: cui *attachiamentum* definitur, *quoddam vinculum juris, per quod reus invitus cogitur respondere juridicè parti de se conquerenti.*

† Pag. 298. edit. Tigur.

* Londini an. 1640.

† Lego, adgradiendum. In Bibliotheca Patrum edit. 2. est gradientes.

Bannire, sicut & *bannus*, de quo aliquid diximus cap. III, variè admodum sumitur. Nam uti *bannus* quandoque notat edictum, sive promulgationem publicam; ita & *bannire* accipitur pro edicere, edicto convocare, denunciatione publicâ obligare, & obstringere. Gregorii Turonensis Appendix cap. LXXXVII: *Jussu Sigeberti omnes leudes Austrasiorum in exercitu gradiendum† bannîti sunt.* Legg. Ripuariæ tit. LXV, §. 1*: *Siquis legibus in utilitatem Regis, sive in hoste†, sive in reliquam utilitatem, bannitus fuerit, & minimè adimpleverit, si agritudo eum non detinuerit, solidis IX multetur.* Marculfus monachus lib. I. form. cap. ult. *In regno nostro illo, gloriosum filium nostrum illum regnare præcepimus, Ideo jubemus, ut omnes pagenses vestros —— bannire, & locis congruis per civitates, vicos, & castella, congregare faciatis.* In Capitulis, quæ Missis Dominicis data à Carolo Magno cap. XX. *De banno Domni Imperatoris, quod per semet ipsum solitus est bannire. id est, de mundeburdio Ecclesiarum, & viduarum, orphanorum, & minùs potentum.* Apud Ansegisum lib. III. Capitularis cap. LXIX: *Quicunque homo nostros habens honores in hostem bannitus fuerit, & ad conditum placitum non venerit.* Alterum etiam ex eo Capitulari locum adducimus in *Mannire*. Ac similiter capio hoc in Constitutione Caroli Magni*: *Ut nullus ad placitum banniatur, nisi qui causam suam quærere debet.*

* Sive tit. 67, ex editione 1.

† Sic ed. 1. & Lindenbrog. Malim in hostem, ut in utraque edit. tit. 67. (al. 68. c. 2. In hostē bannitus fuerit.

* Pag. 291. edit Moguns. ann. 1602.

Est

Est tamen, qui ingeniosè satis putet, *bannire* hîc poni pro *obligare*: veniréque à Germanico binden / vincire, obstringere; unde band / vinculum, obligatio. Itaque hanc ejus Constitutionis mentem esse arbitratur: Neminem teneri se tribunali, seu judicio sistere, nisi cujus interfit, quid statuatur. Imo & quando *bannire* accipitur pro convocare ad militiam, ab hac origine vocem arcessit, quia band Germanis sit vexillum: unde colligit, *bannire* idem esse, ac ad vexillum, sive ad signa militaria, convocare. Puto ego, hæc omnia esse ab uno fonte, quia *bannus* sit edictum; unde *bannire*, edicere, vel edicto convocare. Quare *ad placitum bannire*, sit in jus vocare. Sic *bannus*, & *bannire*, etiam interpretamur in Synodo Confluentina* anni Iocccix: *Ab hoc die, & deinceps, de Dei banno, & nostro, banni mus, ut nemo hæc amplius præsumat.* Hoc est, Spiritu S. & nobis ita jubentibus, edicimus. Vel, Dei, & nostro jussu. Nec tamen putandum, *banni*, & *banniendi* vocabula, sic semper accipi. Nam quia, qui non paret banno, hoc est, edicto publico, is obnoxius est mulctæ: eò & *bannus*, pro mulcta, sumitur, & *bannire*, pro mulctare. Hoc vel liquet ex Hincmaro; cujus verba in *Mannire* adducimus. Atque inde *arribannum*, sive *heribannum*, vel *herebannum*, mulcta pecuniaria, quam debet, qui ad expeditionem profectus non est, post principis sui bannum, sive edictum. Genuinè *Heribannus*, Heerbann / bannus in hostem eundum, *vocatio ad castra* vel *exercitum*; & inde, qui detrectat, mulctam incurrit; unde *Heribannus*, mulcta nõ euntis in hostem. Pluribus de eo vidimus cap. IX. Nec edicti neglecti pœna solùm esse solet mulcta pecuniaria; sed etiam exilium; unde *bannus* pro exilio; *bannire* pro proscribere, relegare, in exilium mittere. Quo de vocis ejusce usu aliqua diximus cap. III. Ac sic etiam sumitur in Decreto Childeberti Regis cap. VIII: *Similiter Colonia convênit; & ita bannivimus, ut unusquisque judex latronem, ut audierit, ligare faciat.* Item apud Albertum Argentinensem ad ann. cIocccxlviii: *Multos populares bannivit, occupans res eorum.* Crebrum quoque est in Legg. Neapolitanis. Ac similiter Germanis bannen / mittere in exilium; ac *banniti*, & *banditi*, Italis scriptoribus, exules, & relegati. Estque ab ea *banniendi* significatione *forbannitus*, h.e proscriptus, exul; ut diximus c. VI. Uti verò *bannire* nunc de mulcta, nunc de exilio, dicitur: ita & verbale ejus *bannimentũ* Pro mulcta pecuniaria habes in Bulla Pii IV. de jurisdictione Gubernatoris Almæ Urbis† *Totamq; summam principalem, per eosdem mercatores exactam, & recuperatam, juxta formam dicto-*

* *In Constitutionibus Karoli Calvi, & successorũ tit. 26. in Annũtiatione Regis Ludovici cap. 6. sive edit. Paris. pag. 240.*

† *Tom. 2. Bullarii p. 1.*

dictorum bannimentorum, ex nunc ipso facto eidem Camera Apostolica; parti verò læsæ, id quod ultra prædictam summam principalem in cambiis & recambiis à dictis mercatoribus irremissibiliter exigendum.

Barcaniare, tricari, tergiversari, ac, ut veteres dixere, bovinari. Constitut. Karoli Calvi tit. XXVIII, sive edicto in Carisiaco: *Si illum denarium bonum invenerit, consideret ætatem, & infirmitatem, & sexum hominis: quia & femina barcaniare solent.* Ubi, ut clarissimus Sirmondus annotavit, *barcaniare* est id, quod Galli dicunt *barguigner*, hoc est, licitando cunctari.

Blutare, ex Germanico & Belgico, bloten/blooten/ontblooten. Gloss. *Blutaverit, evacuaverit.* Longobard. l. I. Tit. VIII. L. I. *Blutare casam.*

Brasbrat, *lucubro*: reperias in Isidori glossis, eoque Glossario, quod è variis excerpsit Pythœus. Sed nihil isto ineptius. Nempe scriptum fuerat, *lucubro, bras, brat*: ut verbum primæ declinationis esse cognosceretur.

Braxare, à Gallico *brasser*, pro *cerevisiam coquere*, in Historia Cæsarii Heisterbachensis: ubi & *braxatrix*, de ea, quæ cerevisiam coquit.

Burdare Matthæo Parisio, rusticorum more decertare fustibus, qui Anglis *burdons*: unde *burdandi* verbum.

Cratare, unguibus lacerare, ex Germanico fragen. Lex Burgund. Tit. III. §. XLIV. *Si quis alium unguibus crataverit, ut non sanguis, sed humor aquosus decurrat.*

Deafforestare, vide superiùs *Afforestare.*

Deforciare, & *difforciare*, per vim, (quæ Gallis *force*) aliquid impedire. Matthæus Parisius in Henrico II: *Si fortè aliquis disforciaret domino Regi rectitudinem suam: archiepiscopi, episcopi, & archidiaconi, debent eum justituare, ut Regi satisfaciat.* Et in Henrico III ad annum CIↃCCXXXVI: *Quicunque deforciaverit eis dotem suam.* Ibidem paullò pòst *deforciatores* legas. Et ad ann. CIↃCCXLIV: *Quam* (portionem de hæreditate) *prædictus David deforciat ipsi Griffino.* De *fortia*, pro violentia, libro seq. dicam in *Fortalitium.* Vocis usum ex foro docet Somnerus in Glossario.

Diptire, à Saxonico dippan/quod itidem signat *tingere, inficere.* Sanè hodiéque Anglis dipte valet tinctum. Nec dubito, quin vera sit doctissimi Spelmanni opinio deducentis à Δίπτειν. quod itidem tingere, mergere. Barbarum illud habes apud Ekkehardum Jun. Casibus S. Galli cap. I: *Altare verò S. Mariæ, & analogium Evangelicum,*

ejus-

ejusdem fratris nostri artificio deaurata, Hattoms sui de scrinnis vestivit argento, & diptivit, ut videre est, ex auro electo.

Dismanare, in jus vocare. Incertus in formulis veteribus. Marculfo proximè subditis, cap. xxxi: *Neque vos, neque juniores atque successores vestri, ipsum pro hoc inquietare, nec dismanare non præsumatis.* Vide *Dismannire* cap. prox. in *Mannire.*

CAP. XXIII.

De Verbis cœptis ab E, F G, H. Qualia sunt eschipare, *pro adornare, armare que navim.* Feoffare, *pro feudum alicui conferre.* Forbannire, *pro in exilium pellere.* Forrari, *pro pabulatum abire.* Furrare, *pro vestem pelle, vel alio, suffulcire: uti* furruria, *pro istiusmodi duplicatione vestis.* Garantizare, *auctoritate, & patrocinio suo alterum protegere.* Gurpire, *pro abdicare, atque rejicere jus dominii. Idem esse* guerpire, *vel* vverpire *unde* laisov verpire. Harpare, *canere harpâ.* Hiusare, *pro signo apposito indicare aliquid esse venale.*

NUnc incipiam de Verbis illis ortu ipso barbaris, quæ inchoant à vocali secundâ, ac tribus sequentibus consonis; modò & H in consonantibus reponi mereatur.

Eschipare affine videtur Gallico *eschaper*; quod significat *effugere, evadere*: sed est à Germanico schiff/ vel schip/ navis; uti hoc à ναῦς. Propriè notat navim instruere rebus convenientibus. Ac sic usus Joannes Angliæ rex in Edicto suo apud Matthæum Parisium, in rebus anni cIↃccxIII*: *Sicut se, & naves suas, & omnia sua diligunt, habeant illas in Portesmue in media Quadragesima, bene eschipatas bonis & probis marinellis, & bene armatis.* Ubi in cunctis editionibus pro *eschipatis* quidem est *adornatis*: sed *eschipatis* legi in Mss, alterumque à primo esse editore substitutum, testis nobis doctissimus Watsius. Legas quoque in Charta Rhotomagensi Philippi Galliarum Regis†: *Nulla navis de tota Normannia, præterquam de Rothomago, poterit eskipare ad Hiberniam, exceptâ unâ solâ, cui semel in anno de Cæsarisburgo licitum erit eskipare.*

* Pag. 233.

† In Normannicarum rerum scriptoribus an. 1063.

Feoffare, pro *infeodare*, in feodum, sive feudum inducere, sive investire. Matthæus Parisius in Additamento Historiæ suæ secundo: *Inquiratur, si aliquis forestarius capitalium de feodo attraxerit sibi terras, maritagia, vel gardas, —— si inde aliquem feoffaverint, sine assensu Domini Regis.*

Forbannire, in exilium mittere; ut *forbannitus*, exul. Utroq; usus est Carolus Calvus tit. XII. apud Silvacum, cap. VI: *Qui abhinc inante latronem receperit; maximè autem illum, qui forbannitus fuerit; vel qui illos, quos Missi nostri forbannierunt, recepit, postquam forbanniti ab eisdem Missis nostris fuerunt.* Similiter tit. XXXIX. cap. I & III. Utrumque etiam usurpat Matthæus Parisius. Cujus est in Historia anni CIↃCCXLV, *Forisbannitus ab Anglia* Item in Abbatum Vitis, *Forbanniantur à regno.* Qui & alibi ait *forbanniant*, & *forbanniantes*. Vide, quæ diximus cap. VII. in *Forbannitus*.

Forrari, pabulatum ire, à Gall. *fourage*, Belg. voeragie halen. Matth. Paris. ad an. CIↃCCXLII. *Quidam de Francis discurrebant emolumentis victualium intendentes, quod vulgariter forrari dicitur.*

Furrare barbaris seculis dixere, pro vestem aliquam pellibus, serico, vel alio, suffulcire, ac duplicare: quomodo Germani, ac Belgæ, voeren/Galli *fourrire*, Angli furre. Sic apud Matth. Paris. in Hist. Henrici III. ad an CIↃCCXXXVII: *Coram majori Ecclesiâ Pontificalibus se induit: scil. superpellicio, & desuper capâ chorali pellibus variis furrata, & mitrâ.* Ac similiter Cantipratanus & Jacob. de Vitriaco lib. I. Vitæ B. Virginis. Inde *furruria* pro ejusmodi duplicatione vestis, eidem Matthæo Parisio in an. CIↃCCXLII: *Cum penulis, & fururiis depellibus variis cisimorum**. Pro quo & *suffuratura* in Concilio I. Salisburgensi: ut observatum Guilielmo Watsio in Glossario. Est verò *furrare* ex foderare: unde *fodratura*, de quo diximus cap. VII.

* Certorũ sylvestriũ animantium.

Garantizare, auctoritatem suam alteri accommodare, patrocinio suo alterum tueri. A *garandia*, vel *garantus* quorum utrumq; à Gall. *garant*; quod Bud. *auctorem*, vel *vindicem litis*, interpretatur. *Garandia*, ipsa *auctoritas* sive *vindicia*. *Garantus*, qui auctoritatem præstat, sive qui causæ patrocinium suscipit. *Garandisare*, auctoritatem præstare, ut dicebam: uti *vvarandiare*, de quo superiùs actum in *VVarentis* vocabulo. Pro quo similiter, *garantus* usurpatur in jure Norman. cap. L: *Et notandum, quòd garantus alium potest vocare garantum; & sic potest hæc vocatio fieri usq; ad tertium. Tertius autem garantus quartum non potest advocare.* Vide, quæ dicam inferiùs in *VVarantizare*.

Gargarare retulimus ad barbara originis Latinæ: de quibus lib. proximo.

Gurfare, & guifa, quid sint, diximus in *VVisa*.

Gurpire, vverpire, vel *vvirpire*, sunt è Germanico werpen; quod est jacere. Quia verò jactu festucæ sese dominio exuerent; hinc sumi

mi soler, pro quippiam dimittere, sive sese re quapiam exuere, & alium eâ investire. Itaque & in re connubii legas, *uxorem gurpire*, pro dimittere. Fulbertus Carnotensis epist. LI: *Galerenus sæpe misit ad me licentiam ineundi connubii novi, petens, illam se gurpisse, suamque pecuniam recepisse, licet verè protestans.* De gurpitione facultatû sic vita Caroli M. apud Adhemarum†: *Ibique multitudo Saxonum baptizata est, & secundùm morem, omnem ingenuitatem illorum. & alodem, manibus gurpierunt, si amplùs immutassent.* Ubi, ut Pithœo monitum, in aliis libris, *dultum fecerunt*: sed, ut videtur, ex glossemate. Utroque saltem idem significatur. Aimoinus lib. v. cap. XLVIII: *Vestinense*, sicut promiserat, Regi vverpivit.* Mathilda in donatione revocatâ, quæ legitur apud Baronium Annal. Tom. XII. ad an. CIↃCII†: *Insuper per cultellum festucam nodatam, guantonem, & gurraschonem terræ, atque ramum arboris, & me exinde foras expulit, garpini, & absentem me fecit* &c. Ubi sic distinguo, legóque, *foras expulit, garpivi*; vel si malis, *gurpivi*, aut *gerpivi*. Usurpat etiam, atque id sæpius, Balduinus apud Miræum in Notitia Ecclesiarum Belgicarum cap. CLXXXV*. Item hisce omnibus vetustior Marculphus monachus, Formularum lib. I. cap. XIII: *Villas, sitas in pago illo, suâ spontaneâ voluntate nobis per festucam visus est vverpisse.* Quæ ad verba hunc etiam locum Bignonius in Notis adducit, è Chronico S. Benigni Divionensis: *In præsentia principum eosdem servos vverpivit, & S. Benigno reddidit.* Ac præterea monet, venire hæc à Gallico *desguerpir*, hoc est, dimittere; unde & *la guerpie*, vidua, quasi relicta, dicitur veteribus Gallis: in his Froissardo etiam, priori Historiarum volumine cap. CCXLI. Ex hoc verbo, [Adi & Casparem Barthium lib. XLVI. Adversar. cap. XXIII] & vocabulo *laisus*, sinum notante, est *laisovverpire*; quod est, testucâ in sinum jactâ, sese jure suo exuere, & sic alterum eo donare. Idem Marculphus formulâ antè memoratâ: *villam suprà scriptis locis nobis voluntario ordine visus est laisovverpisse, vel condonâsse.* Qui locus, ut jam doctissimis viris monitum, lucem capit ex illo Legis Salicæ Tit. XLVIII: *Et sic festucam in laisum ejus jactet, & ipsi, in cujus laisum festucam jactaverit, in casa ipsius manere, & hospites tres suscipere.* De hoc etiam in *Laisus* diximus.

† *Sive, juxta alios, Adelmum Benedicti.*

* *Vel* VVastinense.

† *Pag.* 26. *edit. Mor. an.* 1609.

* *Pag.* 510.

Harpare, harpâ canere. Legg. Anglorum Tit. VII. §. XXIII: *Qui harpatorem, qui cum circulo harpare potest, in manum percusserit, componat illud quarta parte.* Uti verò *harpator* ab *harpare*; ita hoc ab *harpa*; illud à Germanico, & Belgico harpe *Harpa* vocabulo Venantius Fortunatus utitur: de quo vidimus cap. IX.

Hinc-

Hinfare significat, signum rei venalis apponere. Constitution. Caroli M. ann. Regni XI: *Casæ eorum* (decimas detrahentium) *hinfentur, quousque pro ipsa decima, sicut suprà dictum est, satisfaciant.* Vim verbi, in notis ad eum locum, non satis cepit Amerbachius: uti retuli cap. XX, in *Guisa*; sive potiùs *vvisa*. Eum tamen, ut solet, sequi non dubitavit Clemangis editor in suo Glossariolo.

CAP. XXIV.

De Verbis barbaris, quibus initium à tertia vocali, vel aliqua è prioribus tribus liquidis. Imbladare, *proseminare.* Imbrigare, *brigas sive lites implicare.* Inconcare, *ingurgitare.* Incrocare, *incurvare, rugare.* Installare, *in alterius locum inaugurare.* Mallare, *in mallum, sive jus vocare: unde* admallare, *&* hamallare. Mannire *itidem, in jus vocare: unde* mannitus, mannita, *&* mannina; *item* dismannire. Misfacere, *pro malefacere,* Misprisere, *pro improbare.* Noare; *pro nugari: nisi Petri Damiani locus de eo sit corruptus.*

NUnc accedo ad ea, quibus princeps litera est tertia vocalium, vel una è tribus liquidis, quæ consequuntur.

Imbladare, à Gallico *emblauer.* Habes in Assisa Reg. Ricardi I. de foresta apud Hoveden. in ann. clocxcviii. *Et videnda sunt in Regnardo nova essarta, & vetera imbladata, post ultimum reguardum, & quo blado, vel legumine, imbladata sunt. Nova autem sarta erunt in manu Regis: si vetera sarta imbladata sunt de frumento, vel siligine; unaquæque acra dabit* XII *denarios de illa vestitura. Imbladare* valet seminare, à *bladum*; de quo dictum nobis cap. III. Ex iis, quæ tum adducebamus, liquere arbitror, *bladum*, unde *imbladatio*, notare *germen*; hoc est, quicquid à planta germinat, sive gignitur. Nam *germen* à genendo, hoc est gignendo, quasi *genimen.* Et videri possit *bladum* venire à Græco βλάστος, quod idem ac βλάστος, βλάστη vel βλάστημα, puta germen, uti βλαστὸς, & βλαστάνω *germino.* Germanis blatt; sicuti Belgis blad folium signat. Ac convenit cum Græco illo. Nam βλαστολογεῖν, pampinare, folia vitium defringere. Sed medii ævi scriptoribus *bladum* potiùs notat frumentum: sicuti Gallis *bled*, & *ble*, seges. Quanquam non solùm fruges sic dicantur; sed etiam arborum, ac vitium fructus. Itaque in isto Joannis Evang. cap. XV, 2. *Aufert omnem palmitem, qui in me fructum non ferat*: pro *fructum*, in veteri tralatione Saxonica, est blada: ac similiter alibi. Imò & Belgis blad/blade/bladinge/dicitur *agrorum provenius*, & συνεκδοχικῶς bonorum omnium usus fructus.

Com

Complures alios, qui præter Richardum Regem, usi sint *imbladationis* vocabulo, superiùs * adduximus.

* *Libri hujus cap.* 30.

Imbrigare, pro litii involvere, est apud Albertum Argentinensem in Anno CIↃCCCXCIII: *Franciscus, se nolens imbrigare cum illo, à gravaminibus cessavit.* Nempe à *briga*, quod & Gallis *brigue*, h. e. lis, jurgium: quo idem Albertus utitur anno CIↃCCLXIV, *Orta briga inter Henricum Comitem de Badenvveiller, & Neuenburgenses.* Item an. CIↃCCLXXVIII: *Rex Boëmiæ absque briga vivens quietè.* Sic *brigosus*, pro *litigiosus.*

Immantare libro proximo reducimus ad illa, quæ à Latinis derivantur. Vide eo libro *Mantus.*

Inbladare, vide superiùs *imbladare.*

Inbrigare, vide *imbrigare.*

Inconcare planè idem esse censeo, ac *ingurgitare.* Nam uti hoc à Latino *gurges*; ita illud à Germanis, vel Belgis: quibus colf/ & congel/ (posterius istoc Flandris est usitatius) planè idem, ac *gurges*, hoc est, profundior fluminis, vel maris, locus; cujus aqua in orbem acta gulæ instar, attrahit, & absorbet ea, quæ innatant. Hujus rei caussam alibi aperimus, ex Mechanicis Aristotelis. Baldericus Noviomensis, & Tornacensis Episcopus, Chronici Cameracensis lib. III. cap. XXII: *Ille verò blasphemus ad quandam tabernam de more profectus, cervisiam nimiam inconcavit.*

Incrocare exponunt suspendere: sed, puto, idem esse ac inflectere, incurvare, similem reddere unci: nempe à Germanico, ac Belgico croken/curvare, flectere, rugare: quod à nomine croke/curvatura, flexus, ruga. Sive à Gallico *croc*; quod notat *uncum, hamum, & hamam*, instrumentum aduncum igni compescendo idoneum, quod Belgis vierhaec. Lex Salica Tit. LXIX. §. II: *Siquis hominem, sine consensu judicis, de ramo, ubi incrocatur, deponere præsumserit; ICC denar. qui faciunt solid.* XXX, *culpab. judicetur.*

Inlagare à *lege* est; pro quo Saxones lagt. Dicam igitur de eo libro proximo.

Installare significat Canonicum facere, sive in Canonicatus dignitate inaugurare, stationem sive locum in Choro pariter & Capitulo assignare. Matthæus Parisius in Henrico III. ad ann. CIↃCCLVI: *Inquisiverunt à quodam ibidem orante, quodnam esset stallum Decani? Et responsum est hoc, demonstrando stallo Decanali. Duo igitur tertio, quem installarunt, dixerunt: Frater, nos te auctoritate Papali installamus.* Liquidiora hæc fiunt ex iis, quæ diximus in *Stallum* cap. XVII.

Laisovverpire quid sit, ex iis cognoscitur, quæ in *laisus*, & *gurpire*, adducebamus.

Mallare, in jus vocare, à mael/*judicium*. *Malli* vox, pro judicio, frequens est; ut in nominibus barbaris ostensum*. *Mallare* legas in leg. Bojoar. Tit. x: *Si Episcopus contra aliquem culpabilis apparet, non præsumat eum occidere, quia summus Pontifex est: sed mallet eum ante Regem, vel Ducem, aut ante plebem suam.* Inde & *admallare*. Lex Salica tit. LXIII: *Siquis de parentilla† tollere se voluerit, in mannum, aut in tunchinium, admallare debet, & ibidem* IV *fustes alninos super caput suum frangere.* Vide Pythœum in Glossis ad Kapitula Karoli M.* Dicitur & *admallare*, & *hamallare*, vel *homallare*. Sed de istis jam vidimus in *Mallus*; cùm nominibus ortu barbaris ageremus.

* Cap. 12.

† Sic Lindenbrogio editum. Prima editio parentela, * In Mallus.

Mannire est à Germanico mahnen/ pro quo & Belgæ manen: hoc fortasse à Latino *monere*. Et sanè *monnire*, idem, ac *monere, commonere*; *mannitus*, pro *commonitus, in jus vocatus*. Habes in Constitutionibus Karolinis†, & in Kapitul. Karoli M. lib. I. cap. CXXI, & lib. III. cap. XLV. Crebra quoque in Leg. Salic. Ripuar. Longob. Occurrit & Form. CLIX. Item in Constitutionibus Caroli Calvi tit. XXXI, sive Edicto Pistensi cap. VI: *Secundum regium mandatum nostrum, ad justitiam reddendam, vel faciendam, legibus mannitus, & bannitus fuit.* Ubi *mannire*, & *bannire*, videntur pro eodem sumi. Nempe pro vocare in jus. Sed propriè distingui, indicat Ansegisi Collectio lib. IV. cap. XXV: *Siquis de statu suo, id est, de libertate, vel de hæreditate, compellandus est; juxta legis constitutionem manniatur. De cæteris verò caussis, unde quis rationem est redditurus, non manniatur, sed per Comitem banniatur.* Nempe banniebat Comes, vel ejus vicarius, aliusve judex; & si bannitus non se sisteret placito, bannum, sive mulctam Comiti componebat. At manniebat adversarius, sive actor: ac, reo se non sistente judicio, cogebatur is adversario mulctam solvere. Mannitio autem coram testibus fiebat. Unde Gloss. vett. *Mannitus, vocatus tribus testibus præsentibus. Mannita* substantivum, pro commonitione, sive vocatione in jus, ladung. Lex Sal. Tit. LII. §. II: *Per tres mannitas.* Id est, trinundino. Sed & *manninna* pro eo dixerunt: ut Hincmarus epist. IV, quæ ad Episcopos Franciæ, cap. XV: *Quia prius per manninas veniebant; excogitaverunt quidam, ut per bannos ventrent ad placita. Quasi propterea melius esset, ne ipsas* manninas *alterutrum* solverent; hæc ideo facientes, ut ipsi bannum acciperent.* Ejusdem originis *dismannire*, vel *dimannire*, pro *foris citare*. Formulæ Sollemn. cap. X:

† Pag. 291. edit. Moguntinan. 1602.

* Sic & Lindebrogius, Sirmondi & alii citant. Solvere eum accusandica ju; alterutrum pro alterutri

Vt

Vt de omni hoste, vel omnibus bannis, seu & arribannis, sit conservatus; ut neque vos, neque juniores, atque successores vestri, ipsum pro hoc inquietare, vel dismannire, *ne præsumatis.* Item form. CLXXVII: *Nec de rebus suis in ullo abstrahere, nec* dismannire *præsumatis, nec facere præcipiatis.* Nec aliud *dismanare* in veteribus formulis; ut vidimus cap. præcedenti: nisi & istic *dismannire* legendum; quod arbitror. Nec aliud *admannire*, de quo Guilelmus Somnerus in Glossario.

Mufacere, vide mox *in Misprisere.*

Misprisere est à Germanico mispryſen: hoc est, vituperare. Ad verbum autem notat *illaudare:* ut *illaudatus*, pro non laudato, apud Maronem*. Nam pryſen laudare: mis verò in compositione significat Germanis, ac Belgis, *malè, perperam*: ut misdeuren / delicto in mulctam incidere: misnaegen / displicere. Ad hoc exemplum *misfacere*, quod iisdem misdoen / malè facere, delinquere. Utroque hoc & *misfaciendi*, & *misprisendi* verbo, utitur Carolus Calvus Constitut. tit XXVII, post reditum à Confluentibus, cap. V†: *Et ut illi homines, qui in isto regno contra seniorem nostrum domnum Karolum misprisserunt, si se recognoverint, propter Deum, & propter fratris sui deprecationem, quicquid contra eum misfecerant, eis vult indulgere.*

* 3. Georg. vers. 5.

† Pag. 247. edit. Paris. an. 1623.

Noare, pro nugari, vel nugando effutire, dixerint Latinobarbari; si sana est lectio apud Petrum Damiani lib. IV. epist. XVII*: *Dum hinc inde discurreret, cum ludentibus, & cachinnantibus pueris choros duceret, & frivola quædam, ac scurrilia verba noaret.* Sic quidem Mſſi. Sed editor Constantinus Cajetanus Syracusanus conjectabat, pro *noaret* legendum esse *boaret.* Planèque suscribo. Nam posterioribus temporibus *boandi* vocem etiam ad clamorem humanum transtulere: ut patebit, cùm loquar de verbis in alienâ significatione novè usurpatis.

* Pag. 84. edit. Paris. an. 1610.

CAP. XXV.

De cœptis ab O, P, Q, R, S, T. Obmallare, Prisere, Quitare, *rejiciuntur alia ad loca.* Raubare, *vel* robare, *pro prædari.* Reffare, *pro evellere.* Replegiare, *repetere bona mobilia, aute vade, qui* plegius *dictus; aut vadimonium* plegium, *vel etiam* plegagium, *aut* plegiagium. Saicire, *invadere, qua alter possidet; vel tradere alteri, ut possideat; unde* saisina, *vel* seisina; *item* resaicire, dissaicire, *vel* dissaisare; *a quo*

dissaicina. Scarire, *pro constituere, populo præcipere: item pro adscribere in numerum militum, vel etiam militaris copiâ instruere. In Ludovici Pii Constitutione conjectura. Idem* scariendi *verbum generatim pro collegio, vel societatis cuipiam, jungere.* Exscaritus. Sio, *de pueris nascentibus.* Tangano, *cùm verbum est, significare idem ac* adjuro: *cùm nomen, idem esse ac* adjuratione, *sive* juramento.

QUarta sequitur vocalis: quam consonæ excipiunt quinque. Nunc igitur videamus de verbis inde incipientibus.

Obmallare, in mallo, sive judicio respondere. Ut *admallare*, in mallum sive judicium vocare. Vide superiùs *Mallum*, & *Admallare.*

Prisere, pro vi occupare, vel invadere, etsi barbaræ originis videatur, Latini tamē ortus est: ut planius fiet ex iis, quæ proximo promam libro. Consule istic, quæ dicam in Verbis, *Prisere*, & *Proprindere.*

Quitare, etiam barbaræ originis creditur, cùm Latinæ sit. De quo itidem libro sequenti.

Raubare, vel *robare*, notat spoliare, deprædari; ex Germanico rauben/ vel rooven: quod ipsum ex Latino *rapere.* Lex Salica tit. xx. §. x. *Si quis alterum in via adsallierit, & eundem raubaverit*, Similiter *derobare*; Gallis *desrobber*, vel *disrobber.* Clemens Papa Epistolâ ad Eduard. III. Regem Angl. *Orphanorum, viduarum, & aliarum miserabilium personarum, quæ depradata, & derobata, famisq; subjecta angustiæ, clamant ad Dominum.* Usus & Carolus VI. Gall. Rex, in edict. de Offic. Bail. †& Petrus de Vineis epist. lib. v. cap. LXII.

† Pag. 176

Reffare, pro evellere, à Germanico reuffen. Quod etiam observatum Illustri Comiti Hermanno Neunario, de veterum Francorum sedibus dissertanti. Fortasse autem Teutonicum reuffen/ & rauben/ uti & Belgicum rooven/ fuerit à Latino rapere. *Reubare* usurpat. Lex Salica tit. xxix. §. vi: *Si quis messem alienam per furtum metere, aut reffare præsumserit; DC. den. qui faciunt solid. xv. culp. jud.*

Replegiare est reposcere bona mobilia, dato apud præfectum vade, sive fidejussore. Sic *canes replegiatos*, dixit Matt. Paris. in an. CIↃCCXL*. Sanè & Anglis breve, per quod bona ea reposcerent, to replevy/ quasi *replegium* dicitur. Sunt verò *replegium*, & *replegiare*, à *plegius*, vel *plegium. Plegius*, vas, sive fidejussor. Joan. Angliæ Rex in charta libertatum concessarum, apud Matth. Paris. in ann. CIↃCCXV: *Nec plegii ipsius debitoris destringantur, quandiu ipse capitalis debitor sufficiat ad solutionem. Plegium* verò est vadimonium. Idem Parisius an. CIↃCLXIV: *Ex-*

* Pag. 539. edit. Londin. ann. 1640.

communicati non debent dare vadium adremanentiam; nec præstare juramentum; sed tantùm vadium & plegium *standi judicio Ecclesiæ ubi absolvuntur.* Proque eodem &*plegagium*, vel *plegiagium*, dixere. Utrumque in ejusdem Parisii historia reperias. Vide plura sis apud Watsium in *Plegius*, & *Replegiatus.*

Saisire est ex Gallico *saicir*: significat verò vel occupare, manum injicere, invadere; vel alteri possidendum tradere, dignitatem alteri firmare, ac stabilire. Ivo Carnotsiēs Epist. CI. *Cujus reculas saisivit, quas apud quendam burgensem invenit*: Ac. epist. CXXI. *Et vinum domini Helduini cantoris in vico coriario saisi verunt.* Legas & apud Wilhelmum Malmesburiens. de gestis Pontificum Anglor. lib. I: *Rex ergo episcopatum saisivit.* Item Innocent. lib. III. epist. VIII, quæ est ad Archiepiscopum Senonensem, ejusq; suffraganeos: *Rem*, inquit, *agi præcepit, non sui moris, sed nec etiam sui juris, etiam saisiri faciens regalia.* Ac postea: *Quod alia, quàm regalia, saisiri non fecerat.* Est & Matthæi Parisii ad CIↃCLXI. *Omnes reditus clericorum saisias in manum meam.* Ac, ante pluscula, apud eund. legas: *Propter factam recognitionem, saisinam non amittas, qui prius fuerat saisitus de civitate, vel castello, vel burgo, vel dominico maneriо Regis.* Ubi & à verbo *saiciendi* derivatum *saisina* nomen videmus. Proquo & *saisina* legas in Vita Roberti, duodevigesimi abbatis S. Albani. *Hanc donationem, & seisinam, multi viderunt, & audierunt.* Nempe ut Galli *seisne.* Ab eadem origine sunt quædam composita. Ut *resaisire* apud Anselmum Cantuariensem archiepiscopum, epist. ad Henricum Anglorum Regem †. *Dissaisare*, & *dissaisire*, pro bonis deturbare, vel possessione suâ exuere: quod in jure feudali *devestire.* Rogerus Hoveden in Ricard. I, ann. CIↃCXCIV: *Dissaisiaverunt eum* (Archiepiscopum) *de omnibus maneriis suis, excepto*, &c. Ac ibidem: *Deinde fecerunt Canonicos introduci in stallos suos, de quibus Archiepiscopus eos dissaisierat.* Habes & Constitutionum Neapolitan. lib. III. tit. XIV. leg. II: *Si non præstiterit, ter submonita, per dominum poterit dissaisiri.* Et Tit. XVII; *Dominus potest de eo, quod tenet ab ipso, ipsum per exguardium dissaisire.* Ab hoc verbo est *dissaisina*, pro privatione possessionis, vel dignitatis. Legas in iisdem Neapolitanis, sive Siculis Constit. lib. III. Tit. XXXII. Vide & *saisire* lib. IV. cap. XXIII, & quæ de *saisiare* sequentib. inde libris dicemus.

† *Lib 3. epist. 109. Colonienſis edit. ann. 1612. pag. 142: ubi editum:* De Archiepiscopatu meo me resaciviſtis. *Sed legendū*, resaciviſtis.

Scarire est constituere, designare. Carolus Calvus tit. XXXIX, apud Catisiacum, cap. IV: *Ut fidelitatem nobis promittant; sicut tunc scarivimus, & scriptam Comitibus nostris dedimus.* Suspicor esse à *scara*, signi-

ficante turbam sive populum: qua de significatione dictum cap. XVII. Ita *scarire* propriè sit promulgare, publicè edicere. Fortasse etiam *scarrire* dixerint pro jungere scaræ, hoc est, turbæ militari, vel instruere scarâ ejusmodi. Saltem *scaritus* idem valet ac scaræ alicui militari adscriptus, vel etiam militari scarâ instructus. Fredegarius, vel quisquis ille, qui Pipini Regis gesta conscripsit: *Rex Pipinus in quatuor partes Comites scaritos, & lendes suos, ad perquirendum Waifarium, misit.* Ludovicus Pius Constitut. in Synodo Ticinensi, anno IↃCCCLV: *Cùm ad nostrum quislebet nostrorum fidelium properat obsequium, tam eundo, quàm redeundo, gradiatur pacificè, & ni generalis utilitas, cum scaritis veniat in statutis.* Ubi post *generalis*, videtur deesse *obstet*, vel simile. Sequitur deinde, providèdum, ne scariti ea inferant damna, quæ milites solent. Latiùs verò extensa est *scariti* significatio ad omnes, qui alicui jungerentur corpori, etsi id non foret militare. Carolus Calvus tit. XLIII, apud Carisiacum, cap XVII: *Vnus eorum, qui cum eo scariti sunt, causas teneat.* Etiam *exscaritus* legas in capitulis Karoli M. ineditis: unde à Sirmondo† citatur: *Vi medio mense Augusti cum exscaritis hominibus ad nos esse debeant. Exscariti* verò tum universè dicuntur, de quocunque collegio, vel societate, exemti; tum particulatim, exauctorati, è militum numero expuncti.

† *Ad Carol. Calvi*, 43.

Sio, pro *rujo*, sed de pueris, credo à sono factum: quod si fuerit, barbarum quidem erit, nec tamen à voce barbara: de quali origine nunc agimus. Gloss. Philox. *Siat*, ὑφῶ, ἐπὶ βρέφους. Similiter à sono Belgicum seicken, quod itidem notat mejere.

Tallare, vide *Tallia*, cap XVIII.

Tangano in Glossario exponitur, *adjuro, interpello*. Lex Salica tit. LX. §. 1: *Tunc dicat ille, qui causam requirit: EGO VOS tangano, usque dum inter me, & contra causatorem meum, legem judicetis.* Item LL. Ripuariæ tit. LV: *Tunc ille, in quem sententiam contrariam dixerint, dicat: EGO VOS tangano, ut mihi legem dicatis.* Item tit. LVIII. §. XIX. *Hoc constituimus, ut hominem Regium Romanum, vel tabularium, interpellatum in judicio non tanganet, & nec alsacia requirat.* Etiam *tangano* in auferendi casu legas, quasi à recto *tanganus*, vel *tanganum*. LL. Ripuariæ tit. XXX. §. 1: *Dominus in judicio pro eo* (servo) *interrogatus respondeat, & sine tangano loquatur, & dicat: EGO ignoro, utrùm servus meus culpabilis an innocens, de hoc exstiterit. Propter eum**, *secundùm Legem Ripuariam, super* XIV *noctes ad ignem repræsento.* Similiter tit. LIX. § VIII: *Dum interpellatur, respondeat ad interrogationes, & sine tan-*

* *Clarius. & Latiùs magis, dixeris*: Propter id: *vel* Propterea cum.

rangano loquatur; *& dicat*, *Non malo ordine, sed per testamentum hoc teneo.*

Thingare quid significet, in *Thinx* diximus cap. XVIII.

Trufare, vel *truffare*, quid sit, exposui cap. XVIII. in *Trupha*.

CAP. XXVI.

De cœptis à vocali V, vel consonâ VV. Warantizare, *obstringere se ad alterum auctoritate suâ tuendum. Vbi & de* vvarando, *seu* vvaranto. Werrire, *ciere seditionem, vel bellum movere.*

SUpersunt è verbis origine barbaris, quibus initium est à quincta vocali, & consonis sequentibus.

Vtlagare, proscribere, in exilium mittere. Vide, quæ adduximus cap. XIX.

VVarantizare dicitur major minorem defendens, ac securum reddens, ne ab adversariis opprimatur. Matthæus Parisius in Henrico III. ad an. CIↃCCLVII: *Erat namque natione VVallensis, & generosus, ac strenuus: & quia retroactis aliquot diebus, Regi adhæserat, VVallenses omnes terras, & possessiones suas, quas habuerat amplas, in cineres, quas rex vvarantizare nec voluit, nec potuit, redegerunt.* Legum Scoticarum opus (quod à primis verbis, *Quoniam attachiamenta* inscribitur) cap. LV, hujusmodi habet breve de Waranto: *Rex tali Vice-Comiti salutem. Mandamus & præcipimus vobis, quoniam justè compellatis talem ad vvarantizandum, justè & secundum leges B filio, & heredi quondam C, terram de E, cum pertinentiis in tenemento de N, quam de eo se tenere clamat, hereditariè per chartam, secundùm tenorem dictæ chartæ, ne pro defectu vestro amplius inde justam querimoniam audiamus.* Eodem opere cap. LXXVIII, §. III, legas: *Rex debet ei excambium rationabile facere, vel ei dictam terram vvarantizare.* Gemma: *Varandizare*, waranden / beschermen. Ac ibidem; *Varandia*, een beschermenisse / oft een warande. Vocabularium, ut nominant, quod Gemma inscribitur: *Varandizare*, beschermen. Ac ibidem: *Varandia*, een beschermenisse / beschuddenisse. Est à Germanico *vvaran*, hoc est, bewaren / servare; vel à weren / sive beweren / tueri, defensitare. Nempe quia rex, vel alius potentiâ pollens, eum tuetur, ac conservat, cui suam dignatur auctoritatem accommodare. Sic *VVarantum* dicitur breve regium, quo quis semper potest probare, id quod facit, facere regio jussu. Sanè viri principes quan-

quandoque fæda quædam mandant ministris, ac postea defugiunt auctoritatem; eóque, qui eorum jussa exsecuti, supplicio miserè pereunt. Sapiunt, qui priùs obtinuere manum principis: quia id breve verè est *vvarandum*, hoc est, 't geen bewaert/ quod conservat: sive 't geen beweert/ quod tuetur: à quorum alterutro etiam *vvarandum* dicitur. Nec solùm *vvarandum* est in regio jussu; sed etiam concessu. Ut in potestate venandi attributâ, ac similibus. Matthæus Parisius in Henrico III. ad an. clocexxxii, de rationibus agens, quas exegit rex ab Huberto justitiario, inter cætera ait: *Item de libertatibus, quibus idem Hubertus usus est in terris sibi datis, & episcopatibus, & custodiis, sine vvarranto, quæ pertinent ad dominum Regem. VVarantum* etiam est securitas à venditore præstita emtori, quò tranquillè aliquid possideat. Qua de significatione satis actum cap. xx, in *VVarentem*. Eâque à significatione *vvarantizare* dicitur vvarantus, sive venditor, quando se emptori obligat per acta Curiæ, aut chartam, aut contractûs instrumentum. Per hæc enim emtor probat, venditorem in se suscepisse vvarantiam, sive evictionem rei in judicio petitæ. In iis tamen, quæ gratis sunt donata, donatus non obstringitur ad evictionem præstandam, nisi speciatim promiserit.

VVarnire quid sit, liquet ex iis, quæ in *VVarnitus* vidimus cap. xx.

VVerpire quid significet, dictum nobis superiùs in *Gurpire*. Etiam adi sis Barthium lib. XLVI. Adversar. cap. XXIII.

VVerrire, turbas dare, arma inferre. Carolus Calvus Edicto synodi post reditum à Confluentibus*: *De ista die inante Karoli, H Ludovici Imperatoris fi'ii, regnum illi non forconsiliabo, neque vverribo†, si me Deus adjuvet, & istæ sanctæ reliquiæ.* Est à *vverra*, pro bello; de quo dictum cap. xx.

VVifare, aut *guifare*, quid sit, ostendimus in *VVifa*, cap. eodem. De verbis vidimus.

* *Edict.* 27. §. 8.
† *Lego:* neque vverribo. Sic me Deus adjuvet.

CAP. XXVII.

De particulis origine ipsa barbaris. Vis est huz, *vel* huts, *pro foras.* Josum, *pro deorsum. Epilogus hujusce libri.*

INterdum verò & particulis peccatur, ortu ipso barbaris. Quale est *huz*, vel *huts*: quod planè Hebræum. Nam חוץ, *huts*, foris, foras, extra. Legas in Vita Ludovici Pii ab eo, qui tum vixit, conscriptâ: *Quibus id agentibus, sicut plures mihi retulerunt, cõversa acie in sinistram par-*

*partem, indignando quodammodo, virtute quantâ potuit, dixit his: Hutz, hutz: quod significat foras, foras. Vnde paret, quia * malignum spiritum vidit: cujus societatem nec vivus, nec moriens, habere voluit.* Eadem legas apud Aimoinum lib. v. de Gestis Francorum cap. xix; nisi quòd apud eum *hutz, hutz*, scribatur.

* Quia, pro quòd. Sed possis etiam dicere, non tã spectrum conspexisse damoniacum quàm rejecisse ab animo cogitationes de peccatorum multitudine; quas moribundis diabolus aggravare nũ cessat, ut desperent de misericordia divina

Iosum, vel *jusum*, valet *deorsum*: ut clarè ostendit ἀντιθετος; † illa apud Eckehardum Juniorem de casibus monasterij S. Galli cap. iv: *in ipso quoque* (antiphonario) *primus ille literas alphabeti significativas, notulis, quibus visum est, aut sursum, aut jusum, aut ante, aut retrò, assignari excogitavit.* Quæ etiam legas apud Ekkehardũ vita Notgeri. cap. ix, Ac Hispani similiter, *metter de yuso.* Habes & in Legib. Alaman. Tit. xlv. *Pausare arma sua josum.* Etiam in naufragio trifariam discriminabant merces, & alia. Quædam dicebantur *flotson*; ut quæ in mari fluitarent, à Germanico flotten/ pro quo Gallis *flotter*, Belgis vloten/ Anglis flitte. Quædam verò *jotson*; quæ sidissent, fundumque petiissent: à quo *jotsom* ἀφ' οὗ συγκοπὴν *josum* esse factum videtur. Quædam *lagon*; quæ rejecta essent in litus, inque arena jacerent; à Saxonico lagan; quod Belgis ligghen; quibus & latg/ vel leeg/ quod in imò jacet, sive humile, ac depressum.

† Oppositio.

Habemus de nominibus, verbis, particulis, ortu ipso barbaris: quorum non minùs, quàm eorum, quæ barbara quidem sunt, sed à non barbaris promanarunt, magnam vim reperias in vitis Sanctorum, præsertim prout primitus scriptæ. Non sat bene de antiquitatis amantibus promeritus est Laurentius Surius Carthusianus, cùm earum stylum immutavit. Quamquam enim non ignoro, eò id feciisse, quòd ab iis, qui palati essent delicatioris, avidiùs legerentur: impensiùs tamen probo doctissimi Bollandi institutum: qui, præterquam quòd multorum Vitas exhibet ineditas hactenus; id, in quo aliquantum peccârat Surius, in Sanctis primi mensis jam corrigere est aggressus, & de cæteris idem pollicetur. Sanè suo si stylo dentur, certiùs constabit de multis; ubi alioqui periculum sit, ne interpolator falsus fallat, quia malè sit assecutus mentem scriptoris. Et in id genus barbaris, mutuò sibi allucent facem, vitæ Sanctorum non interpolatæ, & aliâ aliorum scripta, qui pares sint, aut suppares. Nec periculum est, ne ob styli barbariem legantur minùs. Quin, ob fidem majorem, ea, sed cum judicio, versabunt magis, qui omnigenam historiam tam Ecclesiasticam, quàm civilem, amant; nec tam quærunt verborum folia, quàm rerum fructus.

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE VITIIS SERMONIS, AC VARIIS GLOSSEMATIS,

LIBER III.

CAP. I.

TRANSITVR ad secundi generis Latinobarbara; quæ, barbara licet ipsa, non tamen barbara sunt originis; sed Latina, vel Græca. In horum aliis quidem, quid significent, liquet; in aliis non item. in priori genere solum exponendum, quomodo veteres pro eo dixerint: in altero genuina significatio adstruenda ex origine vocabuli, ex scriptoribus, qui usurparint. De utroque junctim videndum: ac primò de Nominibus, & in his ante cætera de inchoatis à principe vocali: ex quibus ista adducimus. Abecellus, *qui vix videt.* Abominabilis, *pro detestabilis.* Accidia, *pro acedia.* Acetosa, *pro rumex.* Accubita, *pro stibadii lectulo.* Acquisitio, *pro comparatione.* Acra, *pro agro.* Actionarii, *quibus res nostras agendas committimus.* Actinosus, *pro radians, sive splendens.* Addititius, *pro appositus.* Adjacentiæ, *loca vicina sub eodem domino.* Adoptatio, *pro adoptio: maleque alterum auctoritate Agellii defendi: & à quo Noctium Atticarum sint argumenta; à quo item Græcorum interpretatio.* Adsalitura, *invasio, atque insultus latrocinantium, ac similium.* Adversitas, *pro res adversa.* Æra, *supputationis initium.* Affectuosus, *de eo, qui singulari est erga alium affectu.* Afficio, *assimulatio.* Affirmativa, *rectius ajentia; ut* negativa, *negantia.* Afflatio, *afflatus.* Agagora, *circumforaneus.* Agibilis, *res gerenda.* Agonia, *carnis, ac spiritus, in moribundo conflictus.* Alabrum, *vel* alibrum, *pro muliebri rhombo: unde* alabrare, *pro filare rhombo glomerare.* Allevamentum, *lenimentum.* Allox, *vel* hallux, *pro allex.* Almitas, *pro sanctitas.* Altaragium, *oblatio in altari.* Alternitas, *pro alterna vice.* Ambigena, *pro hermaphrodito.* Amnenses, *qui fluvium accolunt.* Amphibalum, *vel potius* amphibolum, *amictûs genus.* Animalculum, *pro bestiola, vel homullo.* Anitergium, *quo anus tergetur.* Antemurale, *propugnaculum ante muros.* Anterior, *pro prior.* Antiphonarium, *antiphonarum codex.* Aplaria, *cochlearia; unde* aplarius. Aprocrisiarius, *legatus Ecclesiæ.* Apostillus, *epistola dimissoria.* Apparentia, *pro specie, qua tale quid videtur, quale non est.* Appendicia, *pro eo quod alicunde dependet.* Appodiatus, *innixus.* Appun-

punctamenta, *pro actis conventis*. Aptitudo, *habilitas*. Aquagium, *locus unde aqua ducitur*. Arbusculosus, *arbusculis consitus*. Archipontifex, & archipræsul, *pro pontifex maximus, & summus præsul*. Archisterium, arcysterium, ascysterium, architerium, *pro ascæterium, sive monasterium*. Arga, *pro inerti*. Argumentosus, *contentiosus*. Aripennis, *vel* aripennus, *certa agri mensura*. Armilausia, *vel* armelausa, *vestis armos, sive scapulas, contegens*. Arrestum, *sententia Curiæ*: *unde* arrestare, *decernere*. Arsus, *pro usto, vel tosto*. Articula, *pro articulus*. Artigraphus, *pro artis scriptore, vox hybrida, quales etiam* dextrocherium, chrysoclavus, holoverum. Artilleria, *machinæ bellicæ*. Artista, *artium liberalium doctor*. Ascella, *pro axilla*. Assisa, *consessus*. Assuefactio, *consuetudo*. Astulæ, *pro assulæ*. Asylus, *pro asylum*. Auca, *anser*. Audibilis, *cadens sub auditum*. Audientialis, *per quem ad principis audientiam devenitur*. Augmentabilis, *augmenti capax*. Augmentator, *amplificator*. Aurifrigia, *opus Phrygium aureis filis*.

NUncabiis, quæ originem barbaris debent gentibus, venio ad illa, ubi majores agnoscas Romanos, vel Græcos: ipsa tamen ignota sint illis, quos hodieq; pro norma, & amussi dictionis, esse habendos, elegantiorum nemo in dubium vocârit. Hæc duûm generum erunt. Quædam vulgò sunt in usu, atq; ab omnibus intelliguntur: in quibus propterea nô tam opus est apponere, quid significent, vel quis usurpet; quàm quomodo pro iis loquantur puri sermonis amatores; præ cæteris Tullius. Alia verò interpretationis egent; ut sine qua intelligi nequeant scriptores Latinobarbari, qui abavorum, & ante eos, claruere temporibus; aliqui etiam sex, septem, imò denis, & amplius, retro seculis. Utraq; hæc ita sociabo, ut, quemadmodum superiori libro in origine ipsâ barbaris faciebam, hîc etiam in ternas ea digeram classes; nominum, verborum, particularum. Ac ne in minutiis istiusmodi laborem mihi faciam molestiorem, nunc itidem literarum ordini insistam.

Abecedarius. De Præceptore, qui docet pueros Alphabetum. Etiam de puero elementario & rei literariæ tyrunculo. Novatum, ut Græcum ἀλφαβητάριος.

Abocellus senex, pro eo, qui penè oculis captus, semicæcus: apud Petrum Blesensem Serm. XVIII, & XLIII. Ut *amens*, quasi sine mente; sic *abocellus*, quasi sine oculis.

Abominabilis, pro *detestabilis* vel *detestandus*, Hieronym. tamen ad Jerem. XXII. 31. vocab. יריו *gnhariri* à Symmacho Græcè ait exponi eâ voce, quæ Latinis *abominabilem* signat.

Accidia Scholasticis frequens, pro *acedia*; ut Cassianus vocat lib. quinctο de institutis cœnobiorum cap. 1; ubi exponitur, *anxietas, sive tedium cordis*. Usi LXII. interpretes Psalm. CXVIII, 28: Ἐνύσταξεν ἡ ψυχή μου ἀπ' ἀκηδίας: quod vetus interpres reddit, *Dormitavit anima mea pra tedio*. Quod *accidia* dicant, ex eo est, quòd vocalis E, ut I, pronunciari soleat: quomodo & *eleison* dicunt pro *eleëson*, cùm Græcè sit ἐλέησον. Multa de acedia differit Thomas in secundâ secundæ, quæst. XXXV; ut scholasticorum alios mittam. Hinc *accidari*, de quo in verbis libro proximo. Testimonia Isidori, Papiæ, Balbi, Hugnitionis habet Meibomius Not. ad Herlingsbergam Roslæ p. 43.

Acetosa à grato acore vulgo nuncupatur, quæ Græcis ὀξαλὶς, *rumex* Latinis. Sed in plantarum nominibus crebrò βαρβαρίζουσι: ut dictum lib. I. cap. XXVIII.

Accubita, vox ignota antiquis: sed res etiam nova. Nam cùm veteres, accumbentes mensæ, tribus lectis uterentur, quæ quadratam efficerent figuram: postquam sigma sive stibadium est repertum, etiam lectulum, in quo accumberent, σιγμοειδῆ sive semicircularem esse, necesse fuit. Usi eâ voce Lampridius in Heliogabalo, & vetus interpres Juvenalis sat. V, vers. XVII. Verba hujus: *Antiqui stibadia non habebant, sed stratis tribus lectis epulabantur; unde triclinium sterni dicitur*. Plura de eo Salmasius ad Lampridium.

Acquisitio an veteres dixerint, ambigo. Sanè pro eo *comparatio* lego apud optimos scriptores. In glossis tamē est: *Acquisitio*, συγκτῆσις. Etiã de plurium rivorũ collectione usurpatur apud Frontinũ de Aquæd.

Acra est ab Saxonico æcer; uti hoc à Latino *ager*, id ab ἀγρὸς. Nec tamen simpliciter agrum notat; sed certam agri mensuram, quomodo Latini *jugerum* dicunt. Crebra est vox in Regum, & aliorum Donationibus: ut ex Ingulpho, & aliis, videmus. Sigebertus in Chronico ad an. CIↃCCI: *Rogerius Torel, miles illustris Vulcacinensis territorii, dedit Ecclesiæ Gemeticensi in perpetuam eleemosynam apud Gisenneas* XVI, *& dimidiam*, acras *terræ arabilis, &* VII *acras nemoris, in manu VV alteri archiepiscopi reddidit*. Usus & Matthæus Parisius; sed frustra in prima editione quæras; nam editor ubiq; expunxit; proq; ea *jugerum* reposuit. At in editione clarissimi Watsii, viri cum aliis, tum editione hujus scriptoris, optimè de Historia meriti, *acra* suis restitutum locis. †Pag. 270. Walsingamus in Richardo II†: *Nulla acra terræ in Comitatibus prædictis, quæ in bondagio, vel servitio, tenẽs alterius, quàm ad quatuor denarios, haberetur*. Plura qui cupit, Henrici Speelmanni Glossarium adeat.

Actio-

Actionarii, actionibus præpositi. Leges Longob. lib. 1. Tit. IX. Leg. XXVIII. Usus & Petrus Diaconus, monachus Casinensis. Gloss. vett. *Actionarii, qui res nostras agunt.* Et particulatim magis Glossæ aliæ: *Actionarii, Comites, actiones, & jura perquirentes.* Verbum *Actionare*, in jus vocare, postulare, lite involvere. Edvvardus Rex Angliæ apud W. Thorn in Chronico col. 2135. *Ne Abbas & Conventus ex hujusmodi perceptione onerari inquietari vel* actionari *à quocunque valeant.* Convenit *actionnes* Gallico idiomate.

Actinosa Ecclesia, pro radiis pietatis resplendens, ab ἀκτὶς, *radius.* Sic locutus B. Ambrosius de interpellatione David.

Additutius, pro *additus, appositus*, pervulgatum quidem: sed auctorem idoneum requiro.

Adjacentias dixere loca vicina, eidem domino parētia. Ludovicus Rex Pii filius, Caroli M. nepos: *Curtem nostram Turegum in Ducatu Alemannico in pago Durgangensi, cum omnibus adjacentiis.* Habes apud Simlerū in Helvetia l. 1. p. 4. Nempe *adjacentia*, singulari, pro plurali: quomodo & *pertinētiam* dixere. Ita Sigebertus ad an. CIↃCCI: *In hominibus, & oblationibus, & reditibus, sive pertinentiis.* Vid. infr. *Pertinentia.*

Adjectivus quis sit, inferiùs in *Iactivus* exponam.

Adoptatio, pro *adoptio*, usurpant nonnulli: ac se tuentur illo Agellii lib. v. cap. XIX: *Quod per prætorem fit, adoptatio dicitur: quod per populum, arrogatio.* Sed planè puto legendū, *adoptio.* Sic n. ab *adoptando* veteres συγγνωμικῶς maluere, quomodo iidem ab *auctionando*, h. e. publicè sua bona vendendo, non *auctionatio* dixere, sed *auctio.* De Agellii loco firmat, quòd argumentum ab ipso sic concipiatur: *Quid sit adoptio, quid item sit arrogatio.* Noli enim putare, argumēta aliunde esse, quàm ab ipso Agellio: qui operi suo præmiserat præfationem, & capitum argumenta. Nunc præfatio, sed ἀνεφάλῳ*, pars facta ultimi capitis; argumenta autem suo cuiq; capiti præmissa. Atque hoc observatum etiam Ptolomæo Flavio, Observat. cap. XCV. Nempe penè simile est, ac Plinio placitum: cui præfatio, & index scriptorum, unde sua hausit, primum constituunt librum. Græcorum verò apud Agellium interpretatio, non ab Agellio est; sed Theodoro Gaza: uti inter alios monitū Andreæ Alciato Annotationibus in Posteriores Codicis libros†.

* *Capite sive initio carens.*

† *Pag. 575. edit. Lugdun.*

Adsalitura barbarum, pro quo veteres *adsultus.* Sed *adsalitura* est magis speciale. Juramentū Franci hominis in Constit. Car. Calvi tit. XII. apud Sylvacum c. XIII: *Ego illi adsaliturам, illud malum, quod sc hach vocant, vel sciam, nō faciam; nec, ut alius faciat, consentiā.* Similiter in

frumento Centenarii, quod proximè subditur. Nempe *adsalitura* dicitur de adsultu raptorũ, latronũq;, ex insidiis homines invadẽtium.

Adversitas displicet: Tullius pro eo *res adversæ*, vel *turbida*, aut *gravis fortuna*.

Æra, pro quo & *era*, numerum significat, dicitur pro epocha, sive supputationis initio. In Gothicarum, ac Hispanicarum rerum scriptoribus, plurimisque Conciliis, est crebrum: atque ab eo tempore inchoat, quo Hispani, jussu Augusti, recepere formam anni Juliani: quod factum xxxviii annis ante natum Jesum Christum, ex vulgari æra Christi: ita ut, duodequadraginta annis demtis de æra Hispanica, habeamus annos Christi: additis totidẽ ad æram Christi, habeamus æram Hispanicam. De vocabuli origine differimus in Originũ libris.

Affectuosius, is, qui magno erga aliquẽ affectu. Gloss. Mss: *Affectuosius*, συμπαθής. Unde *affectuosius*, apud Petrum de Vineis l. iii. epist. iii, & Arnoldũ Lexovien sem ep. ad Alexandrũ Papam. *Affectuosissimè*, h. e. maximo cum affectu, apud Abbatem Bonæ Vallis in vita S. Bernardi.

Affictio, pro assimulatione, apud Nithardum invenio.

Affirmativa, & *negativa*, vulgaria sunt Dialecticis. Sed cur non potius cum veteribus *ajentia*, & *negantia*, dicamus? Nec tamen magnopere de his contendero; quando hæc Cati sunt L. ccxxxvii. Tit. de verborum significationibus: *Duobus negativis verbis, quasi permittit lex magis, quàm prohibuit.*

Afflatio ajunt, pro eo, quod Tullio *afflatus divinus*, *vaticinatio*; generatim etiam *motus*.

Agagora, pro circitore, seu circumforaneo, Henrico Monacho de vita Germani lib. vi. Nempe ab ἀγορά, *forum*.

Agibilis displicet, pro res gerunda. Quomodo Tullius*, *Senectus avocat à rebus gerendis.*

* Lib. de Senect.

Agonia, pro certamine, quod moribundi certant, à Græco ἀγών, quod est certamen. Cæsarius lib. vi. Mirac. cap. xvii: *Posito eo in agonia, diabolus adfuit.* Similiter lib. vii. cap. liii: *In ipsa agonia videre capit.* Similiter *agonizare*, de jamjam animam acturis. Idem lib. i. Mirac. cap. xxxv, & lib. v. cap. viii, & lib. vi. cap. xxxvi. Item Rogerus de Houeden Tom. ii. Vitæ Henrici II.

Alabrum vulgò vocatur, quod aliter *rhombum* dicere solemus: muliebre videlicet instrumentũ, quo fila rotando glomerãtur. Belgis est haspel: unde *alabrare* haspelen. Habet quasi alas quasdã, ut, si origine Latinum est, sic ab *ala* dici videatur; veluti à *candela* est *candelabrum*.

Sal-

Saltem verisimilius hoc, quàm quod apud Isidorũ legas, qui *alibrum* nuncupat. Locus est lib. XXIX. Orig. cap. XXXIX: *Alibrum, quod in eo librentur fila, id est, solvantur.* Rem non obscurè describit: sed etymon eo minùs placet; quia non, uti *amitto*, ita *alibero*, dicatur.

Allevamenta quæ vocant, cum veteribus dixeris *lenimenta*.

Allox, pro *allex*, legas apud Althelmum episcopum lib. I. cap. XLII; ubi de S. Juliani, & sociorum martyrio: *Dum, lecto olei liquore delibutis, digitorum articulos, & palmarum pollices, obvolverent, simulque pedum alloces trucister adnecterent &c.* Collega vetus, clarissimus Meursius, mavult *allices*. Movit eum hoc Festi: *Allex*†, *pollex scandens proximum digitum: quòd velut insiluisse in alium* videatur, quod Græcus ἅλλεται.* Ac similiter glossæ Isidori: *Allex, pollex in pede.* Sed veteres quidem *allex*; at posteriora secula *allox*, vel *allux*, vel *hallux*. Onomasticon: *Hallux*, ἀντίχειρ. Nihil igitur mutandum. Solùm illud in considerationem venit, quòd Festus strictiùs vocem *allicis* interpretetur, quàm Isidorus facit, vel Althelmus usurpat; ut qui generatim eo pedis pollicem intelligant; non eum duntaxat, qui digitum vicinum conscendat.

† *Alii codd.* Allus. * *Mss alterum.*

Almitas non memini me legere apud idoneos scriptores: *almities* priscos pro eo dixisse, colligo ex Festo, Charisio, & Glossis. Alterum usurpat Paschasius Ratbertus in vita S. Adelardi † cap. IV. sect. XV: *Pulcrâ facie; sed fide, ac sanctitate, pulchrior: dives progenie; sed ditior almitate; quia propago erat natus de propagine cœli.* Incertus in vita Tillonis monachi, sive S. Hillonii, cognomento Pauli*, cap. III. sect. XXX: *Non contingat tibi hoc, Sacerdos sancte; neque nobis videre* (te morientem) *sed almitatem tuam Christus mundo adhuc conservet.* Hoc est, sanctitatem: nempe ab ea *almi* significatione, non quâ Ceres, Plauto etiam nutrix, alma dicitur; sed quâ Lucretio, & aliis, sic Venus nuncupatur. Nempe propriè *almus* est, qui alit: sed altori sanctus honos debetur; unde καὶ μετάληψιν pro *sancto* sumitur.

† *In Vitis SS. ad 2. Ian. apud Bolland.* * *In SS. vitis ad 7. Ian. apud Boll.*

Alteragium, vel potiùs *altaragium*, nummorum, panum, vel alius rei, oblatio facta in altari; emolumentum sacerdoti proveniens ratione altaris; unde & nomen. Matthæus Parisius in vita Guilielmi, abbatis vigesimi secundi S. Albani: *Assignabatur sexta pars illius æstimationis in obventionibus alteragiorum.*

Alternitas eorum est, quæ alternâ gaudent vice. S. Gerardus, abbas Sylvæ-majoris, in vita S. Adalberti cap. VI. sect. XXIX †: *Vnicâ fervens in eum amoris caritate, gaudebat; & dolebat, mutuâ animi alternitate.*

† *In vitis Sanctorum ad 2. Ian.*

Ambr-

Ambigenum, pro *androgyno*, sive *hermaphrodito*; quia *genitiu* sic, ut *ambo* ei sexus insint. Petr. Blesensis ep. xc: *Ambigena non generant, teste Hippocrate**. *Quod igitur genitalia in mulo faciũt hoc sandalia in Abbate.* Abbati Guilielmo conatur persuadere, ut si Abbas permanere velit, Pontifici remittat episcopalia ornamenta, mitram, annulũ, sandalia.

*Lib. 1. de ratione victus.

Amnenses, amnis accolæ. Gloss. Mss: *Amnenses*, ἐξωτερικοί.

Amphibalum, vel *amphibolum* potiùs, vestis laxæ genus, corpus undique ambientis, ἀπὸ τοῦ ἀμφιβάλλειν, quod notat *circumjici, indui*. Usurpat Anonymus in vita S. Boniti, cujus temporibus vixit, cap. II. sect IX†: *Lachrymari ei gratia in sacro non deerat officio, ita ut amphibali summitas, quâ caput tegebatur, ex profusione earum madida videretur.* Et cap. VII. sect. XXXV: *Dic Abbatissæ Didæ, ut partem amphibali mei, quo caput tegitur, secum retineat.* Usus similiter Gregorius Turonensis de gloria Confessorum cap. LIX.

†In vitis Sanctorum ad 15. Ian. apud Bollandum.

Animalculum videan dixerint classici scriptores. Malim cum his *bestiola*; vel, in ratione præditis, *homullus*.

Anitergium, vox non inscitè composita, veteribus tamen, ut arbitror, ignota. Utitur Petrus Damiani lib. I. epist. IX, quæ ad Nicolaum Papam II*: *Materias congerebat, quibus ad requisita natura necessaria fratribus anitergia ministrabat.* Similèq; *facitergium*; de quo cap. XII.

*Pag. 33. edit. Parisian. 1610.

Antemurale propriè propugnaculum ante muros; impropriè, quod illud referat. Non puto, legi apud idoneos scriptores: nec tamen minùs sic dici potuit, quàm *antelucanus, antemeridianus, antepilanus*. Usurpat Frodoardus in Chronico†: *Quod circundantes Franci, vallum, quo pro antemurali cingebantur, irrumpunt.* Sæpius quoque utitur Matthæus Parisius: qui & Damiatam dicit* *clavem, & antemurale totius terræ Ægypti.*

†Pag. 125.

*Ad ann. 1220.

Anterior, pro *prior*, apud Priscianum† lego: sed nõ occurrit nunc mihi scriptor classicus, qui usurpet: nec adfert Priscianus; solùm dicit: *Ab eo, quod est, Ante, anterior, superlativum in usu non invenit.* Hactenus igitur suspectum.

†Lib. 3 cap. 2 quod est de superlativo.

Antiphonarium nesciunt vetustiores. Sed puto dici potuisse, ex quo ritus antiphonarum inductus est. Utitur Chronicon Casinense lib. II. cap. ult. Non dubium verò, quin ex Occidentis Ecclesiis prima antiphonas usurpârit Mediolanensis; idq; auctore B. Ambrosio; de quo id in vita ejus proditum à Paullino. Idemque postea proditum à Sigeberto in Chronicis, & Radulpho Proposit. XII. In Orientis Ecclesiis, quas secutus Ambrosius, prima prævit Antiochena;

ubi

ubi is mos inductus à Diodoro, & Flaviano; ut à Theodoreto traditum: verius, ut arbitror, quàm qui à B. Ignatio hanc consuetudinem arcessunt. In his Walafridus Strabo de rebus Eccles. cap. xxv. & Sigebertus in Chronicis.

Apalare, & *applare*, censeo esse origine Latina; utcunque, nonnisi inclinante jam Latino sermone, invenias. Primus, quem usum reperiam, est Ausonius epist. xx:

Iam patinas implebo meas, ut parcior ille
Majorum mensis apalaria succus inundet.

Negat Vinetus, se intelligere, quid vocis sit *apalare*. Hermolaus Barbarus, lib. II. Corollariorum in Dioscoridem, pro *apalaria* reponebat *apuarum*. Turnebus in Adversariis priùs *epularia* corrigebat: postea maluit *hapalaria*, quasi pertinuerit ad ova ἁπαλά, sive mollia. Primus Josephus Scaliger in Ausonianis Lectionibus vidit, rectum esse *apalatia*, vel *applaria*; ac *cochlearia* signari. Isidorus in Glossis: *Applar, cochlear.* Glossæ S. Germani: *Appia (appla* legendum) εἶδος σκύφου, ὡς Παλλάδιος. Unde *appla* videri possit obsoletum, ac olim poëtæ Bacuvio usurpatum. Ut ab *olla, ollar*, à κάλπη, *calpar*; sic ab *appla* vase, *applar*. Vel in glossario memorato *applar*, aut *aplar*, legendum. Hinc *apallarius*, h. e. *cochlearius*. Anastasius bibliothecarius in Sergii vitâ: *Posuit in absidâ basilicæ suprascripta super sedem apallariam argenteam.*

Apocrisiarius, vel *apocrisarius*, pro legato; ac propriè Ecclesiæ †: sed postea etiam ad principum legatos extensa est significatio. Constantini demum temporibus hæc legandi consuetudo in Ecclesia cœperit; si audimus Hincmarum epist. III. cap. XIII. Ut in re novâ non magnopere novo offendi vocabulo debeamus. Usi præterea Paullus Diaconus de gestis Longob. lib. III. cap. XIII. & lib. IV. c. XXX. Anastasius, & Abbo Floriacensis, in Pontificum Vitis, Otho Frisingensis, Ivo Carnotensis, aliique magno numero: è Græcis item Justinianus Novell. VI. Zonaras, Nicetas, &c. Apud Papiam est: *Apochrysarius, thesaurarius, vel legatus.* Nempe putavit, esse à χρυσὸς, aurum. Sed omnino ex eo accepit nomen, quòd illius esset ἀποκρίνεσθαι, sive ἀπόκρισιν ποιεῖσθαι, *responsum dare.* Itaque *responsales* vocat Hincmarus epistolâ antè memoratâ. Unde etiam discimus, palatium rexisse; dictumque Palatii custodem, vel capellanum; eundem, & Comitem Palatii, omnes causas tractâsse; etiam Ecclesiastica, Canonica, ac Monastica confeciss negotia.

† *Isidori Glossa in* Apocrisiarius.

Apostillus, epistola ἀπολυτικὴ, sive dimissoria; à voce *apostolus*; quo-

modo dimissoria epistola vocatur sæpius in Digestis. Matthæus Pari-

* Pagina 678. edit. Londin.

sius in Henrico III *: *Si quis adnos* (h.e. Papam) *duxerit appellandum; causam appellationis in scriptis assignare deproperet; petat apostillos, quos ei præcipimus exhiberi.* Non dubiũ, quin ab ἀπὸς τίλλειν, quod est dimittere, veniat *apostolus*, & diminutivè *apostillus*. *Apostoli* vocem eâ significatione sæpius habemus in Digestis. Ac lib. XLIX. titulus VI. est, De libellis dimissoriis, qui *Apostoli* dicuntur: quomodo & in lege, quæ subjungitur, interpretatur Marcianus.

Apparentia, pro specie, visione, visu, vulgare est; sed barbarum.

Appendicia, vel potiùs *appendicia*, habes in diplomate Childeberti Francorum Regis, apud Aimonium lib. II. cap. XX; item privilegio Caroli Simplicis apud eundem lib. V. cap. XLII; ac aliquoties in privilegio à Joanne Papa confirmato, apud Baldericum Cameracensis Chronici lib. I. cap. XXV: adhæc in diplomate Eugenii Papæ ad Heloissam: *Quemadmodum vobis rationabiliter concessa sunt cum universis appendiciis.* Nihilo melius est, *appendentia*: quod usurpat Guilhelmus Heda: *Civitatem*, inquit, *una cum omnibus appendentiis, regali donatione concessit.* Veteres dixere *appendices*; vel, re majori nominatâ, subjiciebant, quæ sub ea comprehenderentur, sive quæ de ea dependérent.

Appodiatus propriè sit podio innixus: sed generatim sumitur pro appositus, applicatus, innixus. Legas in epistola Joannis Papæ in Chronico Bohemico Aulæ Regiæ cap. X: *Per summitatem cujusdam scalæ, brachio crucis appodiatæ.* Item cap. XXII: *Sedebam quietus Pragæ ---- appodiatus lapideo parieti.*

Appunctamenta quæ vulgò dicuntur, ea Budæo in Forensibus dici placet *acta & conventa controversia.* Sic, pro illo, *sine appunctamento*, dicere jubet, *citra comperendinationem*: nempe ut primo certamine controversia decidatur.

Aptitudo vulgo, quæ *habilitas* Tullio. Prius istoc non arbitror apud idoneos scriptores reperiri.

Aquagium, locus unde aqua agitur. S. Gerardus, abbas Sylvæ-majoris, in vita S. Adelardi, abbatis Corbejensis, cap. IV: *Semper quippe, quasi aliquod aquagium, manabant ex eis* (oculis) *lachryma.* Diploma

* Apud Miræum in notis Belg. Eccles. pag. 133

Hilsundis Comitissæ *: *Silvam ad porcos alendos cum omni jure, vvanicapio, teloneo, molendino, censu, pedagio, & aquagio in pratis*, &c.

Arbusculosus, σύνδενδρος, Gloss. Mss. Homero est δενδρήεις, δενδρώεις, πολύδενδρος. Latinè, *arboribus*, vel *arbusculis abundans, arboretum*, vel *arbustum*.

Archa-

Archipontifex legas in vita S. Ludgeri, prout ex Othelgrimo, Altfrido, Uffingo, & discipulo quodam Bernardi abbatis, est concinnata *, cap. XXI: *Quod cùm Hildebaldus, Coloniensis Archipontifex, qui viro sanctissimo amicissimus erat, percepisset.* Præterea est apud Galfridum Monemuthensem Histor. regum Britann. lib. IX. cap. XIII. item *archipræsul*, apud eundem lib. IX. cap. XII, & XIII, & lib. XI. cap. XII. ac Rogerum Hovedenum Annal. Tom. I. Sed cur non potiùs dicamus *pontifex maximus*, vel *summus pontifex*, aut *præsul*, vel hujusmodi quid. Nec similia, *archiepiscopus*, *archipresbyter*, *archimandrita*: quia in his non est hybrida illa compositio, cùm ex duobus Græcis conflentur. In *Archiducis* vocabulo usus rationem vicit; ut diximus lib. I. cap. XVI. Ubi & de *archiguberni*, & *archipherecita* vocabulis, vidimus.

* *Edita Coloniæ à Quentelis ann.* 1515.

Archisterium, ut Papias exponit, est monasterium. Græcum esse ait. Sed Græcè est ἀσυντήριον, quod propriè palæstra, sive locus, ubi se exercent. Inde corruptè *archisterium*. Ut apud anonymum in vita S. Deicolæ abbatis †, discipuli S. Columbani, cap. I. §. 1: *Gloriantur se sorturi Dominici gregis ductores in civitatibus muratis, & archisteriis episcopalibus, nec non castellis turribus præmunitis.* Imò & similiter legitur apud Evagrium in vita Antonii Magni, quam ex S. Athanasio transtulit. Locus est cap. XIV: *Iudices, qui ad interim archisterium, propter asperitatem itineris, ---- ire non poterant.* Quem ad locum * Bollandus similia quædam loca observat. Ut in vita S. Walpurgis: *Atrium S. arcisterii, & cœmeterium adjacens arcisterio.* Vita S. Wilibaldi: *Arcisteriale jugum.* Ac similiter Edgarus Rex Angliæ, in Sanctione de instaurato monasterio Wintoniæ † *Wintoniensis Ecclesia novi monasterii arcisterium, nostro Salvatori, ejusq; genitrici semper virgini Mariæ, & omnibus Apostolis, cum cæteris Sanctis dicatum, restauravi.* Paulus Langius in Chronico Citizensi ann. CIↃ CCCC LXIX. *Burchfeldense archisterium.* Imo & *arcysterium*, pro *asceterium*, legas apud S. Eulogium in epistola ad Willesindum, Pampelonensem episcopum: *ascysterium* pro eodem lib. I. Memorialis SS. item *architerium* in historia translationis S. Faustæ §. III: *Tantam erga ipsum architerium habebat* (Arnaldus) *devotionem, ut spondens voveret, se in eodem pro Christi amore comam capitis sui deposi turum.* Quibus *archisterium* non improbatur, adferunt pro se istoc ex Glossario Cambredonensi Mso: *Archisterium, monasterium. Archisterium, principalis statio: sterion enim statio dicitur; archos, princeps.* Sed ineptum est ἄτυμον. Ἀρχὸς quidem *princeps*: sed στήριον non est Græcum: in μοναστήριον, & similibus, solùm vocis est productio.

† *Apud Bollandū in vitis SS. ad* 18. *Ian.*

* *In Vitis SS. ad* 17. *Ian.*

Apud Selden. Notis ad Eadmerū pag. 15.

Arga, iners & inutilis, est quidem ex Germanico Arg: sed hoc ex Græco ἀργὸς, quod ex ἀεργῶ, piger, iners. Possis igitur referre, tum ad barbara originis barbaræ; tum ad illa non barbari ortus; prout vel † *Remotiorem* ἔμμεσον †, vel ἄμεσον * ortum attendas. Usus Paullus Diaconus lib. I. * *Proximum.* de gestis Longobardorum cap. XXIV: *Quem dum interrogaret, quid de illis latrunculis factum esset, Argaid ei (sic enim nomen habebat) eosdem fugisse respondit. Tunc ei Ferdulfus indignans, ita locutus est: Quando tu aliquid fortiter facere poteris, qui Argaid ab Arga nomen deductum habes?* Ac post aliqua: *Tum Argaid ita Ferdulfo dixit: Memento, Dux Ferdulfe, quòd me esse inertem, & inutilem, dixeris; & vulgari verbo Arga vocaveris.* LL. Longobardicæ lib. I. tit. V. qui est de conviciis, leg. I: *Si quis alium argam per furorem clamaverit, & negare non potuerit, & dixerit, quòd per furorem dixisset: tunc juratus dicat, quòd eum argam non cognovisset.*

Argumentosus, pro eo, quod multiplex argumentum continet, jam Fabii ætate dicebatur: sed à vulgo solùm; ut ipse indicat lib. V. cap. X. At posterioribus seculis etiã *argumentosus* vocabatur, qui in aliis arguendis semper foret, sive homo contentiosus, &, ut Græci dicunt, φιλονεικής. Luitprandus in Legatione suâ ad Nicephorum, Imperatorem Constantinopolitanum †: *Nicephorum basileùs, homo ταχυχειρ, id est, militia* † *Pag. 116. edit. Ingolstad. ann. 1600.* *deditus, palatium, ceu pestem, abhorret; & vocatur a nobis prope simultatis amator, atq; argumentosus; qui non pretio sibi gentes amicas, sed terrore, & gladio, sibi subditas facit.*

Aripennis, vel *aripennus*, est certa agri mensura; quæ Gallis hodie *arpent.* Gregorius Turonensis lib. V. cap. XXVIII: *Statutum fuerat, ut possessor de propria terra unam amphoram vini per aripennum redderet.* Incertus veterum formularum scriptor, qui in Bignonianâ editione Marculfo proximè subjicitur, formulâ sive cap. L: *Oppignoro tibi vineam, ------ quæ continet aripennos tantos.* Huic vocabulo inter barbara, origine Latina, locum dedimus, propter illud in scriptoribus agrorum *: *Hunc Batici arapennem dicunt, ab arando scilicet.* Bæticum ait, & tamen ab origine Latinâ. In glossis vett *arpennium* exponitur πλίθρα. * *Pag. 229. edit. Turnebi.* Hoc (ut quidem Scaliger censet, notis in Diras Valerii Catonis) sic dicitur, quasi *arvipennium*, ab *arvum*, & *pannere*, pro *pandere*: quomodo apud Plautum *dispennere* est à *dis*, & *pando*. Multùm tamen metuo, ne fallatur Scaliger. Nec enim Bætici id verbi finxissent à vocibus obsoletis. Uti neque Galli; quibus vocem *arapennis* tribuit Columella lib. V. cap. I. Fusiùs de hocagimus in Originum libris.

Armi-

Armilausia, vel *armilausa*, pro thoracis genere, apud veterem Juvenalis interpretem sat. v. vers. CXLIII. ubi *viridem thoraca*, exponit *armilausiam prasinam*. Usus & Paulinus epist. III. *Cum praterea facie non minus, quam armilausâ, rubere.* Et epist. VII. *Sibi ergo ille habeat armilausiam suam, & suas caligas.* Vox est composita, cujus prior pars *armus*. Nempe ex eo nomen, quòd armos, hoc est, scapulas, tegeret. Posterior pars obscurior est: quam tamen se reperisse censet Isidorus lib. XIX. Originum cap. XX. ubi sic scribit: *Armelausa vulgò, quod antè, & retro, divisa, atque aperta est, in armos tantùm clausa, quasi armiclausa, C literâ ablatâ.* In Glossis Isidori est: *Armelaus, scapulare monachorum.* Ubi Salmasius † rectè correxit, *armilausa*. Quod verò *scapulare* interpretatur, satis firmat etymon ab armis, hoc est, scapulis; ut ἰμώμιδα liceat reddere. Extendebatur μέχρι τῶν γονάτων, *ad genua usque*: sicut est apud Mauritium in Strategicis, qui ἀρμιλάυσιον vocat; ut & Suidas in Ἀρμιλάυσιον.

† *Ad Trebellium Poll. pag.* 335.

Arrestum, pro ἄρεστὸν, h. e. placitum, sive sententia Curiæ, ab ἀρέσκειν, *placere*. Ergo pro, *Arresto Curiæ decretum*, rectius sit, *ita placuit Curiæ*. Frequens vox in Foro; uti & verbum inde formatum, *arrestare*; quod & usurpat Concilium Pisanum in Promot. Philippus IV. Galliarum R. III. edict. de non carc. deb. * Beka in vita Ottonis II. episcopi XXXIV. Malim pro eo decernere, scisscere: quandoque vadari; item, sub placito principis, vel curiæ detinere; detinere prætoriâ manu, injicere manum alicui vel bonis cum interdicto. Vide lib. IV. cap. I. Distinguit inter *Arrestum* & *Aresta*. Carolus Molinæus Com. in Consult. Paris. Part. 2. Tit. 2. §. 74. p. 20.

* *Pag.* 2076.

Arsus, pro flagratus, vel etiam tostus: quo pacto utitur Plinius Valerianus lib. II. cap. IX.

Articula, pro *articulus*, est in Actis de S. Arcadio Martyre †: *Post tot martyria, quot divulsa compagum articula! quot resecta sunt membrorum fragmenta!*

† *Apud Bollandum in Vita Sanct. ad* 12. *Jan. pag.* 76.

Artigraphus, ex Latino, & Græco, dicitur Servio, & Cassiodoro; qui vel voce planè Latinâ vocandus erat artis scriptor; vel planè Græcâ, τεχνικὸς aut τεχνόγραφος. Egimus de hoc pluribus lib. I. artis Grammat. cap. IV. Interea excusari hybrida hæc vox potest; quòd & bono ævo *epitogium*, & *epirhedium*, dixerint. Sed, inclinante Latinitate, multa ejusmodi irrepsérunt: ut *dextrocherium*, apud Capitolinum in Maximinis duobus, & Trebellium Pollionem in XXX. Tyrannis: pro quo planè Latinè poterant *dextrale*, vel planè Græcè δεξιοχείριον. Sic *chrysoclavus*

Anastasio biblioth. cujus est, *vestis de chrysoclavo, vestes chrysoclavæ, tabulæ chrysoclavæ.* Poterat cum aliis planè dicere Latinè, *auriclava*, vel *auroclavatæ.* At omnino Græcum τὸ χρυσόπηκτον. Eidem Anastasio crebrum *oloverum*, seu *holoverum*, ex ὅλος, totus, & *verus*, hoc est, purpureus: quomodo & Græcis κατ' ἐξοχὴν, ἁλικρινὲς χρῶμα, quod aliter κόκκινον, ut ex Hesychio constat. Qui *holoverum*, & *holosericum*, confundunt, abunde à Salmasio refelluntur, notis in Trebellium Poll. ubi primus docuit, *holoveras vestes* dictas esse sericas istas, quarum & trama, & subtemen, esset purpurei coloris: ut *olovera* vocatæ sint ad discrimen earum, quæ non ex omni parte texturæ forent veri, sive purpurei coloris.

Artilleriam vulgò voce Gallicâ nuncupant machinas bellicas. Propriè verò signat *arcualia.* Olim arcubus usi, nunc bombardis: ac postquam etiam hæ in aeuum venêre locum, vetus tamen nomen retentum, quod Italis *artigliaria*, Gallis *artillerie.* T, & C, commutari, satis ostendit, quòd, T vocali sequente, vulgò in multis pronuncietur velut C: ut in tertia syllaba vocis *justitia*, & aliis exc entis.

Artista, pro doctore artium liberalium. Mirum, id nec refugisse eruditissimum Jurisconsultum, Udalricum Zasium; idque eo in opere, quo juventutem imbuit eloquentiæ studio. Nam comment. in Ciceronis, vel potiùs Cornificii Rhetorica ad Herennium, sic scribit * *Et hoc etiam est in scholis Artistarum consultum.*

* Pag. 104 edit. Basil.

Ascella, pro *axilla*, apud Baldericum Noviomensem in Chronico Cameracensi lib. 1. cap. xi. *Funea ascellis suppositio.* Item apud Cæsarium Heisterb. lib. v. cap. xxxiv. *Saccellum nummis refertum sub ascella portant.* Imò & reperias apud antiquiorem his Gregorium Turonensem, tum in Historia Franc. tum lib. de miraculis Martini, atque alios.

Assisa, vel *assisia*, cùm in aliis multis legere est; tum apud Matthæum Parisium, Rogerum Hoveden, Philippum IV. Gall. Regedict. III. de Off. in Constitut. Neapolit. Imp. Fridericus lib. 1. Constitut. Sicul. 41. *Quæ ratione ad ipsorum cognitionem pertineant, prædecessorum nostrorum assisis comprehensa, apertius definimus.* Propriè notat, quod Ciceroni est *consessus*, à Gallico *assis*; ut *estre assis*, sedere: *estre assis aupres du juge*, assidere in judicum collegio. Imò & *assis*, ab *assidere* factum videtur. Sumitur verò non modò pro Curia, vel Judicum consessu; sed etiam pro eorum decreto. Quin & alias habet significationes; quâ de re vide Spelmannum Watsium, Heraldum. 1 qq. xi. p. 90. & 91. ubi pro censu adscriptitiorum sumi docet. §. 3. Taborem. Racem. Crimin. p. 439.

Assue-

Assuefallio crebrum, etiam non ineruditis. Tullius pro eo *consuetudo, usus, exercitatio.*

Astula, pro *assula*; quomodo, ut Festus in *Fomites* ait, vocantur minutiæ, quæ excutiuntur, dum arbores cæduntur securibus. Belgis *spaenderen*. Hispanis, *astillas de madera*. Nempe *astillas* ξυλοχοιρίσκους ex *astulas*, quod corruptum ex *assulas*: unde *assulatim*, minutatim, quasi comminuendo in assulas. Eo Nævium, Plautumque, usos, Nonius ostendit. Hispanos verò *astillas* dicere, eo minùs mirandum, quòd jam temporibus Isidori, qui Hispanus erat, *astulam* pronunciarunt. Nam lib. XVII. Origin. cap. VI. *astulam* dici ait à tollendo, quasi *abstulam*. In plerisque editis, etiam Breulianâ, cum spiritu est *hastulam*. Sed *astula* est in Mssis nostris, & Venetâ editione an. CIↃ CCCC LXXXIII. Legas apud multò antiquiorem S. Paulinum, cujus illud lib. x. de Natali S. Felicis.

Quam ǵ, aqua non poterat, vicit brevis astula flammam.

Et alibi idem non semel. Frequenter etiam hisce usi juniores. Ut Beda in vita S. Felicis, presbyteri Nolani Confessoris. §. XVI: *Sumtam de ligno Dominicæ crucis non grandem astulam misit in medium incendii furentis: statimque immensa illa volumina flammarum, quæ tanta virorum manus, aquas spargendo, exstinguere nequiverat, ipse lignum addendo restinxit.* Vid. Joh. Rhodius Emendat. ad Scribonium p. 323.

Asylus, apud aliquos, sed perperam, legas, pro *asylum*, ara perfugium.

Anca anserem notat, non quidem ab ἀὴχλὴ, hoc est *cervix*; ut glossographus Clemangis putavit; sed ex Græco ὁ χὴν. Quandoque enim articulus fit pars vocis: ut ex τὸ μέθυ est *temetum*; non quia *tentet mentem*, ut nugantur Grammatici. Diminutivo ejus usus Appulejus lib. IX. Milesf. *O bona ancella, & satis fœcunda.* Ac pro eo & *ancellum* in glossis invenio. Nempe jam sub Antoninis, quando Appulejus vixit, videntur dixisse *anca*; unde hodieque Italis *oca*. *Anca* vocabulum habes in vitis XXIII. Abbatum S. Albani, à Matthæo Parisiensi scriptis, & priori editioni ex Mssis à Guilhelmo Watsio Theologo additis: *Amisit* † VII † *equos; in vaccis, ovibus, aucis, & gallinis, ad pretium x marcas.* Item usus Ægidius le-Brun, in Donatione Bellopratensi monasterio factâ anno CIↃCCLVI *: *Contuli etiam singulis annis decem ancas accipiendas in villa meâ pranominatâ.* Sic rescribendum; ubi à Miræo editum *ancas*.

† Pag 129.

* Apud Miræum in Notit. Eccles. Belg pag. 607.

Audibilis barbaris relinquamus. Latinum, *cadens sub auditum.*

Audientialis charta, apud Marculfum monachum titulus formularum est duodetrigesimus. Sic dicebatur, per quam aliquis ad Principis audientiam vocaretur.

Augmen-

Augmentabilis, pro quo Cicero de Finibus, *crescendi accessionem habens.*

Augmentator, pro amplificator, qui dicunt, videant, quem laudare ejus vocabuli possint auctorem.

Avisamentum, sententia, consilium, monitum, deliberatio, consideratio. Vox Gallis Nota *avisement*, & addita d *advisement*, sæpeque obvia, quam tractant in Glossariis Goldastus & Somnerus.

Aurifrigia crebrum est apud Anastasium bibliothecarium de vitis Pontificum, & Conradum Episcopum in Chronico Moguntino. Item legas in Chronico Laurishamensi de donis Henrici, abbatis XLV. *Cappa tres cum aurifrigiis, palla altaris cum aurifrigio* &c. Sic dicitur, quia fiat ex aureis filis, & opere Phrygio. Habes & apud Matthæum Parisiensem, in Henrico III ad an. CIↃCCXLVI † semel iterumque. Sed ibi *aurifrisia* scriptum corruptè; ut jam monitum doctissimo Guilhelmo Watsio in Glossario †.

† Pag. 705.

† Pag. 271.

CAP. II.

Acceditur ad cœptaa B litera. *Uti sunt*, balbuties *pro hæsitantia lingua* Baptismum, *pro baptismus.* Barbator, *vel* barbitonsor, *pro tonsor.* Barbota, *tela, vel potius navigii genus.* Bardiaci, *pro bardaici.* Bestialis, *pro bestiarum proprius.* Benefactor, *pro bene merito.* Bibitio, *pro potatio.* Biberes, *pro vini scyphis.* Bibones, *musce.* Bidellus, *seu* budellus, *vel* bedellus, *aut* pedellus, *pro apparitore.* Bis-acutus, *pro bipenni, vel securi.* Boatus, *substantivè, pro mugitu; vel adjectivè, pro laudato.* Bodinus, *pro botellus.* Bostar, *pro bubili.* Brocardica, *pro primis elementis.* Brolium, *vel* briolium, *βριόλαγον, sive vivarium.* Bubillus, *pro bubulus.* Buccellarius, *pro parasito, vel quem postea vasallum nominarunt.* Bursa *pro crumena.* Buxtula, *pyxis è buxo.* Byrsum, *pro corio.*

HAbemus de literarum principe: nunc transeo ad secundam.

Balbuties, etsi pervulgatum, haut dixero. Nec enim puto eo usos esse idoneos scriptores. Malim igitur cum Tullio, *hæsitantia lingua.* *Baptismum* in recto non usurpem; sed *baptismus*, vel *baptisma.* Rufinus tamen in tralatione Pamphili Apologiæ pro Origene (nisi librarii hæc culpa) ait †: *Vt salutare baptismum non aliter, nisi Trinitatis cognominatione compleatur.*

† Pag. 279. edit. Basil. an. 2536.

Barbator barbarè, pro *tonsore*, est apud Petrum Blesensem epist. XIV. Sed nec Latinum, quod multis in usu, *barbitonsor.* Adeò ut nec refugerit perdoctus vir, Petrus Servius lib. de unguento armario †.

† Pag. 39.

Bar-

Barbota quid sit, & unde sit, quæritur. Planè censeo, esse navigii genus. Quod clarè ostendit hoc Matthæi Parisii ad an. CIↃCCXIX: *Targias * mulias, & galeias, cum barbotis, & navibus aliis, Christicolæ rapuerunt.* Idem firmat, quòd unâ alterâque pòst paginâ legas: *Cum galeis, & barbetis armatis.* Nec multò ante locum utrumque est: *Cum barbotis, & uncis ferreis, navem diutiùs impugnarunt.* Quem locum operæ est conferre cum illo Godefridi, mònachi S. Pantaleonis, in Annalibus *: *Cum barbolis, & uncis ferreis, impugnaverunt eam diutius, ignem Græcum, cum lapidibus, desuper dejicientes de turribus.* Ubi planè rescribendum *barbotis*; ut ex Parisiii verbis liquet postremò allatis. Summus vir Meursius credebat, rectum esse, prout in vulgatis Godefridi legitur Codd. *barbolius*: id esse teli genus, à barbæ similitudine sic vocatum. Atque inde venire *martiobarbulus*; de qua voce postea loquemur. Sed enim satius omnino est, unum Gregorii monachi locum ex pluribus Matthæi Parisii locis corrigi; quàm complures Parisii ex uno Gregorii immutari. Interea non repugnamus, quo minùs *barbota* dicantur, quia navium earum rostra ferrata barbam referrent. Sanè & *mentum* à barba Italis *barbotto*: quod ad *barbotam* proximè accedit. Et Anglis, teste Watsio, barbed/telum, vel sagitta ferro armata. Ut sic naves dixerint, quibus itidem rostra ferro armata.

* Clypæos, *ut dictum lib. 2. cap. 18.*

* *In Scriptoribus rerum Germanicarum à Marquardo Freherо editis pag.* 288.

Bardiaci cuculi perperam vocantur, qui dicendi sunt *bardaici*. Nam Græcè est βαρδαῖοι, vel Ptolemæo Ουαρδαῖοι. Bardæi, Illyridos populus fuere; quorum cuculi isti gestamen. Sic ab *Achæus*, *Achaicus*; ab ἀρχαῖος, ἀρχαικὸς, ut τρίπεζα ἀρχαικὴ Dionysio Halic. lib. II. *archaici lecti* Horatio lib. I. ep. V. Addunt aliqui, à spondæus *spondaicus*: sed de isto aliter est. Nam Græcè est σπονδεῖος: * unde non *spondaicus* est, ut vulgò loquuntur; sed *spondiacus*. Quemadmodum dictum in libris de Arte Grammaticâ.

* *Spondæus pes*

Bastagarius, bajulus, gerulus. Munus ferendi necessaria ad exercitum vocant JCti Bastagam. Est à Græco βαστάζω, *porto*; βάστα γμα, *gestamen*.

Bestialis, pro bestiis conveniens. Ut *bestialis sensus*, apud Petrum Blesensem epist. XVIII.

Benefactor alicujus Collegii, obtinet vulgò. Cum veteribus malo, *bene merens*, vel *bene meritus*.

Bibitio non dixeris, sed *potatio*.

Biberem, pro vini scypho, non refugit Everhelmus Abbas, in vita S. Popponis, Abbatis in cœnobio Arduennæ, *Stabulaus* dicto, cap. XIII.

§. LI. *Discedens inde, caritatis vestigia suis reliquit; singulisque per tricenos dies singulos dari biberes præcepit.* Romanis etiam veteribus *biber* nomen fuit, ex *bibere* factum, teste Charisio: quemadmodum pluribus dictum lib. I. de Analogia, sive III. de arte Grammatica, cap. XXVI. Nec sanè, quòd cerevisiam Belgæ vocant bier, aliunde esse, existimandum. Solùm secundum Bextritum; ut alibi referimus.

Bibones, muscæ, Petro Blesensi, serm. XXIII. Nempe à bibendo, quia humorem amant.

Bidellus dicunt Itali; alii *bedellus*, vel *budellus*; ut Matthæus Parisius in Charta Joannis regis ad an. CIↃCCXV: *Nullus forestarius, vel budellus, faciat de cætero scotallum, vel colligat garbas, vel avenam, vel bladum.* Latè vox patet: præcipuè tribui solet ministris, sive officialibus alios citantibus, ut in jus veniant. Barbaræ esse originis, colligunt ex tam diversa scriptura: unde & de eo vidimus lib. II. cap. III. Sed hujus sit loci, si corruptæ sint voces memoratæ è *pedellus*: hoc verò fuerit à *pedo* viatorum, cujus loco etiam Academiarum bidelli Rectori sceptrum præferunt Lycei. Vel si sic dicatur, quòd alteri à *pedibus* sit, quasi *pedarius*. Eam opinionem secutus Joannes Nisæus in vita Xysti Betuleii †, de quo sic scribit: *Academiæ servivit munere, quod à pedibus solet appellari.*

† Præmittitur ea vita Lactantii editioni cum Betuleii commentariis.

Bis-acutus, pro bipenni, sive securi, vel ferramento, quod utrimque incîdat. Ut apud Euagrium in vita S. Antonii. † *Vi farculum sibi bis-acutum, cum frumento deferret.* Item in Frontonii vita *; ubi monachos legas *deferre aderemum parva olerum semina, & bis-acutos, parvosque farculos.*

† Cap. 25.
* Cap. I.

Boatus, pro *mugitu*, non dixere idonei Latinitatis auctores. Multò minùs usurpant pro inclyto: prout utitur Abbo de Obsid. Lutet. Qui nec *boare* refugit, pro laudibus extollere.

Bodinus vulgò, ex Gallico *boudin*, farcimine, quod *botulum* vocant Martialis, Festus, Tertullianus in Apologetico. Hujus est: *Inter tentamenta Christianorum botulos etiam sanguine distentos admovetis.* Imò nec dubium, quin Gallicum illud sit ex *botulus*, L in N conversò: ut ex λύμφαι, νύμφαι; ex *luscitiosus*, *nuscitiosus*, apud Festum; à σκίλος, Belgicum schenen. Pluribus de eo dicimus, cum de *botellus* videbimus, in falsò damnatis.

Bostar, pro bubili; ut Columella etiam vocat. Bostur, quasi boum stabulum, sive ubi boves stant; ut Græcis βύσ-ασις, vel βυσ-άστον. Habes apud Isidorum in Glossis, Abbonem lib. I. de Obsidione Lutetiæ, Matthæum Parisium, in Hist. Henrici III. & Papiam.

Breve.

Breve. Vox *Edictum* sonans, sive Pontificis, sive Regis, & *brevitate* voluntatem signans, Goldastus in Glossario deducit ex voce Germanica Brieff; nec dissentiunt alii.

Brocardica, quasi protarchica, hoc est, πρῶται ἀρχαί, prima principia: ut *Brocardica* Juris Azonis.

Brolium, vel *briolium*, pro vivario: vocabulum corruptum ex *perivelium*, hoc est, περιβόλαιον. Luitprandus in Legatione sua ad Nicephorum, Imperatorem Græcum: *Sed & idem Nicephorus in eâdem cœna me interrogavit; si * vos perivolia, id est, briolia, vel si in perivoliis onagros, vel cætera animalia, haberetis. Cui cum vos briolia, & in briolis animalia, onagris exceptis, habere affirmarem: Ducam te, inquit, in nostrum perivolium; cujus magnitudinem, & onagros, id est, sylvestres asinos, te videre mirabaris.*

* Si pro an, more equo jeculi.

Bubillus, pro bubulus: nempe quâ forma *ovillus* dicimus. *Bubillus* est apud Plinium Valerianum lib. III cap. XIV.

Buccellarius, à buccella; hoc à bucca: ut *buccellarius* sit, cui ab aliquo buccæ implentur buccellis; hoc est, cui ab alio præbetur cibus. Isidorus in Glossis: *Scurra, parasitus, bucellarius.* Sed accommodata vox ea vasallis, qui de aliena viverent mensa. Utuntur sic Leo, & Anthemius, Imperatores L. X. C. ad Legem Jul. de vi publica, Gregorius Turonensis lib. II. Histor. cap. VIII: item Leges Wisigothicæ lib. V. tit. III, leg. I. Quædam & de iis Turnebus Adversariorum lib. XXIV cap. XVI, & lib. XXVI. cap. XV. Item Cujacus lib. II Feudorum tit. VII; Rigaltius, & Meursius in Lexicis Ἑλληνικοβαρβάροις; Carolus Labbæus notis in veteres glossas verborum Juris. Unde adscribam hæc verba ex lib. IX. Basilic. tit. XVIII: Βυκελλάριοι λέγονται οἱ παραμένοντες στρατιῶται ἐν τῇ τῶν Βέννα ἀναμείξ, ὅ ἐστιν ὁ ἄρτος, ἐκλήθησαν Βυκελλάριοι, οἱ τὸν ἄρτον τινὸς ἐσθίοντες ἐπ' αὐτῷ τούτῳ τῷ παραμένειν αὐτῷ. *Bucellarii dicuntur stationarii milites. Ex nomine autem bucca, quod est panis, vocantur buccellarii, panem alicujus edentes in hoc, ut morentur apud eum.* Inde Glossæ vett. *Adsecla, buccellarius.*

Bursa, pro crumena; ut Gallis, *bourse*, Belgis beurse/vel borse, à Græco βύρσα: quod iis corium; unde origo fabulæ Græcanicæ de caussa, cur arx Karthadæ, sive Carthaginis magnæ, *Bursa* dicta sit: veram autem caussam adduximus lib. I. de Origine, & progressu Idololatriæ cap. XXXII. Pro *crumena* verò *bursa* vocabulo usi Petrus Blesensis epist. XVII, & LXXIV, Godefridus Calvus, Bituricensis Archiepisco-

pus, in vita S. Guilielmi Briocensis, Petrus de Vineis lib. v. epistol. XXIII, etiam Philippus IV Gall. Rex edicto de Off. *Bursa eburnea* apud Hincmarum legas epist. VIII cap. III. *Bursarius*, qui Episcopi bursam gestaret, apud Godofridum Calvum, loco ante memorato.

Buxtula, pyxis, capsa è buxo. Odo, abbas Glannafoliensis in Ecclesia Cenomanica, in Historia translationis S. Mauri, cap. IV: *Reliquiæ protomartyris Stephani, quæ à Bertulfo abbate, tempore Chlotarii Regis, juxta prædicti patris Mauri tumulum, ob ejus venerationem, in buxtula lignea recondita fuerant.* Ita Bollandus ex Mssis expressit. Alii, *buxcula*, vel *buxula*: Brulius *pyxide*. Et sanè *buxtula* idem notat. Nam *pyxis* propriè capsa è buxo; à Græco πυξὸς, quasi *buxis*: ut κατάχρησις sit, cùm aream, argenteam, ferream, pyxidem legimus *. Abunde de eo in Oratoriis Institutionibus † dixi. Similiter verò à *buxus*, *buxitula*, *buxtula*. Nisi malis cum nonnullis scribere *buxula*. Nempe ut à *buxus* sit *buxeus*, inde *buxeolus*: pro *buxeola* verò dixerint *buxula*.

* *Plin. lib. 18. cap. 11. Sueton. in Ner. cap. 12.*

† *Lib. 4. cap. 8. sect. 11.*

Byrsum, pro corio, ex Græco βύρσα, pellis, corium: de quo paullo antè in *Bursa* vidimus. Anonymus * de Miraculis S. Adelardi cap. v sect. XXVII: *In mundo pallio, postea in byrsocervino,* (reliquias S. Adelardi) *involverunt.*

* *In vitis SS. ad 2. Jan. apud Bollandum.*

CAP. III.

De incipientibus à C literâ, sequente vocali principe. Cacabata *olla, quâ cibum coquimus.* Calamaucum, *capitis tegmen, ad arcendum Solis æstum.* Calefactorium, *pro hypocausto: pro quo &* caldarium. Caliditas, *pro calore.* Caloratum, *pro calefactum.* Calvariola, *pro vasis genere.* Cambium, *pro collybo*; *à* cambio, *unde* concambire, *&* concambiare; *item* concambium. Caminatum, *quod habet caminum.* Campanile, *&* campanarium, *ubi suspenditur campana.* Cancellarius *primitus, qui à secretis*; *& ut paullatim ea dignitas creverit.* Cancerosus, *pro eo, qui cancro morbo, vel leprâ, laborat.* Candidatrices, *quæ candidiora reddunt lintea, Soli ea exponendo.* Canutus, *pro canus.* Cappa, capellus, capero, *capitis tegmina.* Capillatura, *pro capillitio.* Capitale, *pro cervicali.* Capitaneus, *pro centurione, vel ordinum ductore.* Capitiarius, *exactor tributi in capita impositi.* Capitulare, *pro collectione capitum, sive canonum, præcipuè de rebus Ecclesiasticis.* Cappa, *monachale capitis tegumentum.* Capsus, *pro parte basilicæ, vel*

corporis

corporis humani. Caragii, *characteres magici.* Caraxatura, *pro pictura, scripturâ, liturâ.* Carena, *quadraginta dierum pœnitentia.* Careta, *vel* carecta, *pro vehiculo.* Caristia, *pro annonæ caritate.* Carrada, *vel* carrata, *carri onus.* Carrago, *vallum militare ex carris extructum.* Carriagium, *pro sarcinis carro impositis.* Carricatura, *servitium præbendi carrum ad vecturam.* Carrochium, *currus castrensis, in quo erigebatur vexillum prætorium: item grandis navis oneraria; quæ &* carucha, caruca, *vel* curuca. Carropera, *quasi carri opera: ut* manopera, *pro manuum opera; atq; ab hoc* manoperarii. Cartularius, *qui Imperatoris est à codicillis.* Caruca, *pro aratro: unde* carucata, *quantum terræ uni aratro sufficit; &* carucagium, *tributum cuiq; aratro, sive terræ eo subigendæ, impositum.* Casale, *pro villa.* Casatus, *sive* cassatus, *is, qui Ecclesiæ beneficio villam obtinet.* Castellæ, *naves frumentum deferentes.* Castitia, *pro villa, quam Ecclesia possidet.* Castrensiani, *pro palatii ministris.* Castroniæ carnes, *pro vervecinæ.* Casturlarius, *præfectus arcæ publicæ.* Casubula, *pro sacro pallio.* Catabulum, *pro stabulo: ut* catabularii, *stabulo præfecti.* Cataneus, *ex* capitaneus, *factum; ac quàm latè* capitanei *vocabulum se extendat.* Catomus, *de supplicii genere, quo alienos in humeros sublati caderentur virgis.* Cavena, *monasterii locus ubi codices, vel vestes, adservarentur. Vnde* cavenaria, *quæ posticiariis præesset; & qui* posticiarii *fuerint.* Cavernum, *pro caverna; quomodo in genere iidem abeunt* sagus, lacernus, pandurus, graphius, metallus. Caussativus, *pro efficiente.*

NUnc dicam de iis nominibus, quæ initium capiunt à secundâ consonante.

Cacabata olla, à *cacabus.* Pelagius, Romanæ Ecclesiæ diaconus, in Vitis Patrum lib. v. libello xv. num. xv. *Appenderunt in collum meum cacabatas ollas, & ansas vasorum, & miserunt me circituram in vico illo per viam cadentes.* Verba sunt B. Macarii †. Vita autem ejus ex Græco Mso expressa sic habet: *Suspenderunt ad collum meum fictiles ollas, & ansas vasorum, & circumduxerunt in pago per vias, cadentes.* Ut *cacabatæ* ollæ videantur fictiles illæ, in quibus cibus coquitur. Sanè *cacabus* propriè, ubi cibum coquerent; teste Varrone in quarto de LL. videlicet ἀπὸ τῆς κάβης, à quo & κάμπλ@, caupo, atque alia.

† *Apud Bolland. in vit. SS. ad 15. Ian.*

Calamaucum capitis erat tegumentum, cassidem referens, sive galeam; à qua & ei nomen *galeri* datum. Isidorus in Glossis: *Galeros, calamaucos*

mancos. Beda de Tabernaculis lib. III. cap. VIII: *Super caput autem gestat pileum in modum parvuli calamauci, sive cassidis.* Corruptum ex Græco καμιλαύχιον: quomodo Græcis vocari, ex Malaxo, Achmete, & Grammaticis, Meursius in Glossario ostendit. Propterea & Musurus, sive quisquis Etymologici Magni auctor, putabat, nomen hoc esse, ἀπὸ τὸ ἰλαύνειν τὸ καῦμα, *quia ardorem pellat.* Nempe ut sic dicatur, quasi καυμιλαύνιον. Verisimilius saltem hoc, quàm ut Græci à Latinis acceperint, quod voluit Suidas. Sic enim scribit: Καμιλαύχιον, Ρωμαίων ἡ λέξις.

Calefactivum, pro quo *calorificum* Agellius lib. XVII. cap. VIII.

Calefactorium, pro hypocausto. Cæsarius lib. IV. cap. VII. *Iussit in calefactorio ignem fieri.* Videtur idem esse *caldarium*, quod apud eundem Cæsarium lib. IV. Miracul. cap. LXV; item antiquiorem hoc Gregorium Turonensem de Gloria Confessorum cap. XCVIII. En hujus verba: *Accensoque foco ponit caldariam ligneam super ignem, impletam aquâ cum oleribus; urgensque ignem, ita vehementer fervere coegit, ut putaretur anea esse.* Sed & usæ Legg. Longobard. lib. I. tit. XXX. leg. I. Matthæus Parisius, & alii. Gloss. *Caldarius*, Θερμοδότης.

Caliditas multis in usu pro calore. In quibus Cornelius Jansenius, Gandavensis Episcopus, Harmoniæ ac Historiæ Evangelicæ ca. XLVIII. quod est de muliere peccatrice, cui remissa peccata. Ubi ait *: *Charitas sit justificationis caussa formalis, sic in ea se habens, quomodo caliditas in calefactione. Caloratum* Plinio Valeriano, pro *calore praditum.*

* Pag. 369.

Calvariola, vascula, in glossario Puteani. Utitur & vetus Juvenalis interpres ad sat. V. 48. Vide autem, an non potiùs legendum sit *caldariolum*; ut sit à *caldarium*, hoc à *caldus*, pro *calidus.*

Cambium etsi sit à Latino *cambire*, hoc à Græco κάμπτειν; ipsum tamen nec Latinum est, nec Græcum; ut dictum pluribus lib. I. ca. XVIII. Habes apud Cæsarium lib. IV. Miracul. cap. LXVII. & Petrum de Vineis lib. III. epist. LXVI. Item in Legg. Longobard. lib. III. tit. VIII. leg. IV. Adhæc in Philippi III. Gall. Reg. edicto III. de Judæis, & usuris †, & Philippi IV. Gall. Reg. edicto de iisdem *. *Cambio*, unde venire diximus, etiam in Glossis Mssis exponitur ἀμείβομαι, in aliis δίγε Μάνευν. Sed pro *cambire*, etiam *cambiare* legitur in Chronico Cistercienſi †. Ac similiter *cambiâsse*, semel, iterumque, est in lege Salicâ Tit. XXXIX: ubi & Tit. XLIX. qui de siltortis, habes *cambiaverint.* Dixere etiam *concambire*, permutare. Quod reperias Formularum Solemnium tit. XX: *Nec*

† Pag. 216.
* Ibid.
‡ Pag. 66.

donare,

donare, nec alienare, nec concambire. Inde *concambium* apud Marculfum lib. II. Form. cap. XXIII: adhæc Legum Alamann. tit. XX. & Cæsarium lib. IV. Miracul. cap. LXVII. item Hedam ad Bekam Appendice. Etiam *concambiatus*, apud Baldericum in Chronico Cameracensi lib. III. cap. XLIX: *Ecclesiam à fratribus concambiatam.* Vide Goldasti Not. in Ekkeh. cap. XVI. p. 211.

Caminata dormitoria, numero singulo, apud Monachum Sangallensem. *Caminata*, camera, conclave arcuatum. *Caminatus* verò de cubili, habente caminum. Exempla dabit Goldastus Not. ad Ekkehard. cap. I. p. 184.

Campagi de voce inferiùs in *Gamba* dicam.

Campanile est turris, in qua suspenditur campana, Anastasio bibliothecario in Leone IV. & Cæsario lib. IV. Miracul. LXXXVI. & lib. IX. cap. VIII. item Turocio in Histor. Hungarica. Atque hoc vocabulum est in se barbarum. *Campana* verò, unde venit, non in se est barbarum, cùm *Campanus* vox sit planè Latina. *Campana* igitur solùm significationem habet novam; idq; jam à temporibus Paullini, Nolani episcopi. Latinos Græci sequuntur: unde & Balsamo καμπάνης vocem usurpat, agens de convocatione ad ædes sacras. Proque eâ & *campanum*, puta æs, dixit Wallafridus Strabo de Miraculis S. Galli ca. X. & alibi. Pro *campanili*, etiam *campanarium* legas: quomodo appellat Leo Marsicanus lib. II. cap. I. *Campanarium hujus monasterii scanderet.* Ac similiter καμπαναρίον vocat Malaxus in Historia Patriarch. Itidem *Campanarius* vocabatur, cui campanæ cura, Cæsario lib. II. Miracul. cap. XII. & lib. V. cap. LVI. & lib. VII. cap. XXI. item lib. IX. cap. LXV.

Cancellarii nomen non arbitror apud quemquam inveniri antiquiorem Vopisco: qui in Carino usurpat. Vocabatur sic is, qui priùs *à secretis*, dictus: ut ait Hincmarus epist. III. cap. XVI. Nempe qui scriberet judicum literas, responsa, edicta. Primùm omnibus, ut nunc loquimur, notariis id nomen attributum. Postea præcipui id nomen factum peculiare. Itaque in veteribus ἀρχιγραμματεὺς exponitur. Vox non est à cancellando; quod putavere viri summi, Budæus, & Turnebus: sed quia intra cancellos consisteret; ut hodieque videmus, sæpius loca reticulis, vel cancellis, claudi, ubi scribæ agunt, & per quos ad judices fit admissio. Hinc Gloss. Basilic. Καγκελλάριοι, οἱ ἐντὸς καγκέλλου ἱστάμενοι· hoc est, *qui intra cancellos consistunt.* Et Cassiodoro de iisdem, *à cancellis esse*, vel *cancellos agere*, lib. I. & II. Var. ac lib. II. instit. divin. & human. Et ait Erricus monachus lib. VI de vita S. Germani:

A can-

-- *A cancellis prisco de more minister.*

Cancellarii vocem habemus in Codice Theodosiano, lib. I. Tit. XII. in Edicto Arcadii, & Theodosii Imper. *Periculum enim primatum officii Cancellarios, sub fide gestorum electos, judicibus applicari jubemus.* Habes & in Capit. Karoli M. lib. III. cap. XLIII. Item Legg. Ripuar. Tit. LIX. §. XI. Longobard. lib. II. Tit. XXXV. in Constit. Karoli Calvi, in Carisiaca, facta ann. IↃCCCLXI. Præterea in vita Ausberti, & apud Ivonem Carnotensem epist. CLXXVI. nec non Eugenium Papam diplomate ad Heloissam, Sigebertum Gemblac. in Chron. ann. cIↃCXVIII. ubi de Joanne, qui in Papatu successit Paschali, cùm antea fuisset Romanæ Ecclesiæ cancellarius. Item Arnold. Hildeshemensem in Chronico Slavorum lib. IV. cap. XIX. *Cancellaria* verò, pro cancellarii officio ac dignitate, reperias in Constit. Neapolitanis lib. I. Tit. LI. Rolandi Dolensis epist. ad Lucium Papam, Concilio Pisano II*, & compluribus aliis in locis. De nomine & officio Cancellarii pluribus Limnæus Tom. I. Jur. publ. lib. III. cap. III. num. XII. seqq; Tom. IV. in Addit. & Notit. Franc. lib. II. cap. XV; Banckius in Tax. Cancell. Apostol. p. 255. seqq.

* *Pag.* 90.

Canceroſus, cancro morbo laborans: quo vocabulo etiam lepram complexi, quia & is morbus lepræ instar serpit. Vita S. Othonis lib. I. cap. XLIII †: *Habebat cognitos, & ex nominibus propriis notatos, omnes paralyticos, languidos, canceroſos, seu leproſos, de civitate suâ.*

† Edita Ingolstadii an. 1611

Candidatrices exponunt lotrices. Quid si illæ potiùs, quæ lintea Soli exponunt, ut sic candidiora fiant? Belgis Bleicsters / quæ à lotricibus diversæ. Sed possit nomen utrinque convenire: imò potuerint olim eædem utrumque exsequi. Usus Petrus Blesensis epist. XIV. Apud quem & *candidatio* legas serm. XXVII. Etsi ἀναλογίαν spectes, penè dixerim, non deterius esse, quàm *candidatus*.

Canutus, pro *canus*. Ekkehardus jun. (qui quadriennio ante annum obiit millesimum) in Casibus S. Galli cap. XVI: *O maturitatem vestram, & penè omnibus vobis sparsam canitiem! Abbatem vestrum inter tot canutos, qui sibi posſit subrogari, inveniri non potuisse?* Auctor miraculorum S. Godehardi: *Apparuit ei quidam canutâ facie.*

Capa, vel *cappa*, propriè capitis tegumentum; unde & nomen. Sed latiùs extensa significatio: fuitque non monachalis modò; sed etiam militum, aliorumque laicorum. Fusè de ea Warsius in Glossario ad Matthæum Parisium.

Ca-

Capellus, galerus, à capite sic dictus. Matthæus Paris. ad annum MCCXXXV: *Capellū suum ex capite cum peplo demisit generosa Imperatrix.*

Caparo, capitis tegmen, quod vulgò *caputium*. Matthæus Parisius ad ann. MCCXXVII. in Regula fratrum minorum: *Postea concedant eis annos probationis: videlicet duas tunicas sine caputio, & cingulum, & braccas, & caparonem usque ad cingulum.* Hinc Gallicum *chaperon*, Belgicum Kapproen.

Capillatura, pro capillis, sive, ut Appulejus vocat, capillitio. Ivo de adulter. hab. vir. aut mul. *Impudicum autem habitus in viris est inordinata, ac superflua capillatura.*

Capitale, pro cervicali, sive pulvino, qui capiti, ac cervici, subjicitur. Hooft kussen/ Hooft-polster; imò & Hoofdbolinck/ quasi dicas *farcimen capitis*; quia ut farcimen esculentis, ita cervical plumis farciatur. Usus sic *capitalis* voce Cæsarius lib. IV. Miracul. cap. XXVI: *Capitale ejus vertit, & mollificavit, vestes excussit, calceamenta circa lectum composuit.* Aliâ significatione sensum adjectivo *capitale*, idem quod *præcipuum, magnum, arduum.* Ekkeh. jun. de Cas. S. Galli cap. XVI: *Nihil capitale absq; ejus nutu faciat.* Idem mox repetit. Convenit nostrum: Haupt-sachlich.

Capitaneus, is qui pro capite est; estque vel *minor*, ut centurio; vel *major*, ut ordinum ductor, quales sunt capitanei generales, barones regni, atque alii. Utuntur eâ voce Hincmarus epist. III. cap. XXVII. Baldericus in Chronico Camerac. lib. III. cap. XXXVIII. Petrus de Vineis lib. III. epist. XII. Constitutiones Neapolitanæ lib. I. Tit. XL. Beka in vita Friderici II. episcopi XLIII. Ludovicus IX. Gall. Rex de Sentent. Arest. * Concilium Pisanum, II. in Promotionibus †, Joannes à Leidis lib. I. cap. VII. &c. Videtur autem & pro *judice*, sive *causarum arbitro*, sumi. Imperator Fredericus II. apud Matthæum Parisium in ann. MCCXLIV: *Statuet Dominus Imperator* Capitaneum aliquem *de Prælatis Italiæ*; *sub cujus solius examine litigabitur, usq; ad beneplacitum Domini Papæ.*

* Pag. 198.

† Pag. 174. ed. Paris. an. 1612

Capitiarius dicitur, non qui monachorum capitia, sive cappas, vel cucullas, curat: sed qui exigit capitulare tributum; quod Jurisconsultis etiam *capitatio* vocatur, quia in capita penditur: sicuti & Aristoteli in Oeconomicis ἐπικεφάλαιον dicitur; Ciceroni verò per I. ἐπικεφάλιον, ad Atticum lib. V. epist. XVI. Belgis similiter vocatur Hooft-geld. Voce, quam dixi, sic usus est Fulbertus Carnotensis epist. CIII. ad Aquitanorum Ducem: *Constituas tibi alium thesaurarium, & capitiarium, de bo-*

Anastasio biblioth. cujus est, *vestis de chrysoclavo, vestes chrysoclavæ, tabula chrysoclava.* Poterat cum aliis planè dicere Latinè, *auriclava*, vel *auroclavata.* At omnino Græcum τὸ χρυσόπηκτον. Eidem Anastasio crebrum *oloverum*, seu *holoverum*, ex ὅλος, totus, & *verus*, hoc est, purpureus: quomodo & Græcis κατ' ἐξοχὴν, ἀληθινὸν χρῶμα, quod aliter κόκκινον, ut ex Hesychio constat. Qui *holoverum*, & *holosericum*, confundunt, abunde à Salmasio refelluntur, notis in Trebellium Poll. ubi primus docuit, *holoveras vestes* dictas esse sericas istas, quarum & trama, & subtemen, esset purpurei coloris: ut *olovera* vocatæ sint ad discrimen earum, quæ non ex omni parte texturæ forent veri, sive purpurei coloris.

Artilleriam vulgò voce Gallicâ nuncupant machinas bellicas. Propriè verò signat *arcualia.* Olim arcubus usi, nunc bombardis: ac postquam etiam hæ in arcuum venêre locum, vetus tamen nomen retentum, quod Italis *artigliaria*, Gallis *artillerie*, T, & C, commutari, satis ostendit, quòd, T vocali sequente, vulgò in multis pronuncietur velut C: ut in tertia syllaba vocis *justitia*, & aliis sexcentis.

Artista, pro doctore artium liberalium. Mirum, id nec refugisse eruditissimum Jurisconsultum, Udalricum Zasium; idque eo in opere, quo juventutem imbuit eloquentiæ studio. Nam comment. in Ciceronis, vel potiùs Cornificii Rhetorica ad Herennium, sic scribit * *Et hoc etiam est in scholis Artistarum consultum.*

* Pag. 104 edit. Basil.

Ascella, pro *axilla*, apud Baldericum Noviomensem in Chronico Cameracensi lib. 1. cap. XI. *Funea ascellis suppositio.* Item apud Cæsarium Heisterb. lib. v. cap. XXXIV. *Saccellum nummis refertum sub ascella portant.* Imò & reperias apud antiquiorem his Gregorium Turonensem, tum in Historia Franc. tum lib. de miraculis Martini, atque alios.

Assisa, vel *assisia*, cùm in aliis multis legere est; tum apud Matthæum Parisium, Rogerum Hoveden, Philippum IV. Gall. Rædict. III. de Off. in Constitut. Neapolit. Imp. Fridericus lib. 1. Constitut. Sicul. 41. *Quæ igitur ad ipsorum cognitionem pertineant, prædecessorum nostrorum assisiis comprehensa, apertius definimus.* Propriè notat, quod Ciceroni est *confessus*, à Gallico *assis*; ut *estre assis*, sedere: *estre assis auprès du juge*, assidere in judicum collegio. Imò & *assis*, ab *assidere* factum videtur. Sumitur verò non modò pro Curia, vel Judicum consessu; sed etiam pro eorum decreto. Quin & alias habet significationes; quâ de re vide Spelmannum Watsium, Heraldum. 1 qq. XI. p. 90. & 91. ubi pro censu adscriptitiorum sumi docet. §. 3. Taborem. Racem. Crimin. p. 439.

Assue-

Assuefactio crebrum, etiam non ineruditis. Tullius pro eo *consuetudo, usus, exercitatio.*

Astula, pro *assula*; quomodo, ut Festus in *Fomites* ait, vocantur minutiæ, quæ excutiuntur, dum arbores cæduntur securibus. Belgis spaenderen. Hispanis, *astillas de madera*. Nempe *astillas* ἐκνοχοις ἰκῶς ex *astulas*, quod corruptum ex *assulas*: unde *assulatim*, minutatim, quasi comminuendo in assulas. Eo Nævium, Plautumque, usos, Nonius ostendit. Hispanos verò *astillas* dicere, eo minùs mirandum, quòd jam temporibus Isidori, qui Hispanus erat, *astulam* pronunciarunt. Nam lib. XVII. Origin. cap. VI. *astulam* dici ait à tollendo, quasi *abstulam*. In plerisque editis, etiam Breulianâ, cum spiritu est *hastulam*. Sed *astula* est in Mssis nostris, & Venetâ editione an. CIↃ CCCC LXXXIII. Legas apud multò antiquiorem S. Paulinum, cujus illud lib. x. de Natali S. Felicis.

Quam ij, aqua non poterat, vicit brevis astula flammam.

Et alibi idem non semel. Frequenter etiam hisce usi juniores. Ut Beda in vita S. Felicis, presbyteri Nolani Confessoris. §. XVI: *Sumtam de ligno Dominicæ crucis non grandem astulam misit in medium incendii furentis: statimque immensa illa volumina flammarum, quæ tanta virorum manus, aquas spargenda, exstinguere nequiverat, ipse lignum addendo restinxit.* Vid. Joh. Rhodius Emendat. ad Scribonium p. 323.

Asylus, apud aliquos, sed perperam, legas, pro *asylum*, ara perfugium.

Auca anserem notat, non quidem ab αὐχλὼ, hoc est *cervix*; ut glossographus Clemangis putavit; sed ex Græco ὁ χλὼ. Quandoque enim articulus fit pars vocis: ut ex τὸ μέθυ est *temetum*; non quia *tenet mentem*, ut nugantur Grammatici. Diminutivo ejus usus Appulejus lib. IX. Milesi. *O bona aucella, & satis fœcunda.* Ac pro eo & *aucellum* in glossis invenio. Nempe jam sub Antoninis, quando Appulejus vixit, videntur dixisse *auca*; unde hodieque Italis *oca*. *Auca* vocabulum habes in vitis XXIII. Abbatum S. Albani, à Matthæo Parisiensi scriptis, & priori editioni ex Mssis à Guilhelmo Watsio Theologo additis: *Amisit* † VII † Pag 129. *equos; in vaccis, ovibus, aucis, & gallinis, ad pretium x marcas.* Item usus Ægidius le-Brun, in Donatione Bellopratensi monasterio factâ anno CIↃCCLVI *: *Contuli etiam singulis annis decem aucas accipiendas in villa meâ prænominatâ.* Sic rescribendum; ubi à Miræo editum *ancas*.

* Apud Miræum in Not. Eccles. Belg. pag. 607.

Audibilis barbaris relinquamus. Latinum, *cadens sub auditum*.

Audientialis charta, apud Marculfum monachum titulus formularum est duodetrigesimus. Sic dicebatur, per quam aliquis ad Principis audientiam vocaretur.

Augmen-

Augmentabilis, pro quo Cicero de Finibus, *crescendi accessionem habens.*

Augmentator, pro amplificator, qui dicunt, videant, quem laudare ejus vocabuli possint auctorem.

Avisamentum, sententia, consilium, monitum, deliberatio, consideratio. Vox Gallis Nota *avisement*, & addita d *advisement*, ex peque obvia, quam tractant in Glossariis Goldastus & Somnerus.

Aurifrigia crebrum est apud Anastasium bibliothecarium de vitis Pontificum, & Conradum Episcopum in Chronico Moguntino. Item legas in Chronico Laurishamensi de donis Henrici, abbatis XLV. *Cappa tres cum aurifrigiis, palla altaris cum aurifrigio* &c. Sic dicitur, quia fiat ex aureis filis, & opere Phrygio. Habes & apud Matthæum Parisiensem, in Henrico III ad an. CIↃCCXLVI † semel iterumque. Sed ibi *aurifresia* scriptum corruptè; ut jam monitum doctissimo Guilhelmo Watsio in Glossario †.

† Pag. 705.

† Pag. 271.

CAP. II.

Acceditur ad cœpta à B litera. *Vitsunt*, balbutics *pro hæsitantia lingua.* Baptisinum, *pro baptismus.* Barbator, *vel* barbitonsor, *pro tonsor.* Barbota, *teli, vel potius navigii genus.* Bardiaci, *pro bardaici.* Bestialis, *pro bestiarum proprius.* Benefactor, *pro bene merito.* Bibitio, *pro potatio.* Biberes, *pro vini scyphis.* Bibones, *musca.* Bidellus, *seu* budellus, *vel* bedellus, *aut* pedellus, *pro apparitore.* Bis-acutus, *pro bipenni, vel securi.* Boatus, *substantivè, pro mugitu; vel adjectivè, pro laudato.* Bodinus, *pro botellus.* Bostar, *pro bubili.* Brocardica, *pro primis elementis.* Brolium, *vel* briolium, *σφαιρίδιον, sive vivarium.* Bubillus, *pro bubulus.* Buccellarius, *pro parasito, vel quem postea vassallum nominarunt.* Bursa *pro crumena.* Buxtula, *pyxis è buxo.* Byrsum, *pro corio.*

HAbemus de literarum principe: nunc transeo ad secundam.

Balbuties, etsi pervulgatum, haut dixero. Nec enim puto eo usos esse idoneos scriptores. Malim igitur cum Tullio, *hæsitantia lingua.* *Baptismum* in recto non usurpem; sed *baptismus*, vel *baptisma.* Rufinus tamen in tralatione Pamphili Apologiæ pro Origene (nisi librarii hæc culpa) ait †: *Ut salutare baptismum non aliter, nisi Trinitatis cognominatione compleatur.*

† Pag. 879. edit. Basil. an. 1536.

Barbator barbarè, pro *tonsore*, est apud Petrum Blesensem epist. XIV. Sed nec Latinum, quod multis in usu, *barbitonsor.* Adeò ut nec refugerit perdoctus vir, Petrus Servius lib. de unguento armario †.

† Pag. 39.

Bar-

Barbota quid sit, & unde sit, quæritur. Planè censeo, esse navigii genus. Quod clarè ostendit hoc Matthæi Parisii ad an. cIↃCCXIX: *Targias * multas, & galeias, cum barbotis, & navibus aliis, Christicolæ rapuerunt.* Idem firmat, quòd unâ alterâque pòst paginâ legas: *Cum galeis, & barbotis armatis.* Nec multò ante locum utrumque est: *Cum barbotis, & uncis ferreis, navem diutiùs impugnarunt.* Quem locum operæ est conferre cum illo Godefridi, monachi S. Pantaleonis, in Annalibus *: *Cum barbotis, & uncis ferreis, impugnaverunt eam diutius, ignem Græcum, cum lapidibus, desuper dejicientes de turribus.* Ubi planè rescribendum *barbotis*; ut ex Parisiis verbis liquet postremò allatis. Summus vir Meursius credebat, rectum esse, prout in vulgatis Godefridi legitur Codd. *barbolius*: id esse teli genus, à barbæ similitudine sic vocatum. Atque inde venire *martiobarbulus*; de qua voce posteà loquemur. Sed enim satius omnino est, unum Gregorii monachi locum ex pluribus Matthæi Parisii locis corrigi; quàm complures Parisii ex uno Gregorii immutari. Interea non repugnamus, quo minùs *barbota* dicantur, quia navium earum rostra ferrata barbam referrent. Sanè & *mentum* à barba Italis *barbotto*: quod ad *barbotam* proximè accedit. Et Anglis, teste Watsio, barbed/telum, vel sagitta ferro armata. Ut sic naves dixerint, quibus itidem rostra ferro armata.

* Clypæos, *ut dictum lib. 2. cap 18.*

* *In Scriptoribus rerum Germanicarum à Marquardo Freherо editis pag.* 288.

Bardiaci cuculi perperam vocantur, qui dicendi sunt *bardaici*. Nam Græcè est βαρδαῖοι, vel Ptolemæo Ουαρδαῖοι. Bardæi, Illyridos populus fuere; quorum cuculi isti gestamen. Sic ab *Achæus*, *Achaicus*; ab ἀχαιὸς, ἀχαικὸς, ut τράπεζα ἀχαικὴ Dionysio Halic. lib. II. *archaici lecti* Horatio lib. I. ep. v. Addunt aliqui, à spondæus *spondaicus*: sed de isto aliter est. Nam Græcè est σπονδεῖος: * unde non *spondaicus* est, ut vulgò loquuntur; sed *spondiacus*. Quemadmodum dictum in libris de Arte Grammaticâ.

* *Spondeus est*

Bastagarius, bajulus, gerulus. Munus ferendi necessaria ad exercitum vocant ICti Bastagam. Est à Græco βαστάζω, *porto*; βάστα γμα, *gestamen*.

Bestialis, pro bestiis conveniens. Ut *bestialis sensus*, apud Petrum Blesensem epist. XVIII.

Benefactor alicujus Collegii, obtinet vulgò. Cum veteribus malo, *bene merens*, vel *bene meritus*.

Bibitio non dixeris, sed *potatio*.

Biberem, pro vini scypho, non refugit Everhelmus Abbas, in vita S. Popponis, Abbatis in cœnobio Arduennæ, *Stabulaus* dicto, cap. XIII.

§. LI. *Discedens inde, caritatis vestigia suis reliquit; singulisque per tricenos dies singulos dari biberes praecepit.* Romanis etiam veteribus *biber* nomen fuit, ex *bibere* factum, teste Charisio: quemadmodum pluribus dictum lib. I. de Analogia, sive III. de arte Grammatica, cap. XXVI. Nec sanè, quòd cervisiam Belgæ vocant bier/aliunde esse, existimandum. Solùm secundum Bextritum; ut alibi referimus.

Bibones, muscæ, Petro Blesensi, serm. XXIII. Nempe à bibendo, quia humorem amant.

Bidellus dicunt Itali; alii *bedellus*, vel *budellus*; ut Matthæus Parisius in Charta Joannis regis ad an. CIↃCCXV: *Nullus forestarius, vel budellus, faciat de catero scotallum, vel colligat garbas, vel avenam, vel bladum.* Latè vox patet: præcipuè tribui solet ministris, sive officialibus alios citantibus, ut in jus veniant. Barbaræ esse originis, colligunt ex tam diversa scriptura: unde & de eo vidimus lib. II. cap. III. Sed hujus sit loci, si corruptæ sint voces memoratæ è *pedellus*: hoc verò fuerit à *pedo* viatorum, cujus loco etiam Academiarum bidelli Rectori sceptrum præferunt Lycei. Vel si sic dicatur, quòd alteri à *pedibus* sit, quasi *pedarius*. Eam opinionem secutus Joannes Nisæus in vita Xysti Betuleii †, de quo sic scribit: *Academiæ servivit munere, quod à pedibus solet appellari.*

† Præmittitur ea vitæ Lactantii editioni cum Betuleii commentariis.

Bis-acutus, pro bipenni, sive securi, vel ferramento, quod utrimque incîdat. Ut apud Euagrium in vita S. Antonii. † *Vt farculum sibi bis-acutum, cum frumento deferret.* Item in Frontonii vita *; ubi monachos legas *deferre ad remum parva olerum semina, & bis-acutos, parvosque farculos.*

† Cap. 25.
* Cap. I.

Boatus, pro *mugitu*, non dixere idonei Latinitatis auctores. Multò minùs usurpant pro inclyto: prout utitur Abbo de Obsid. Lutet. Qui nec *boare* refugit, pro laudibus extollere.

Bodinus vulgò, ex Gallico *boudin*, farcimine, quod *botulum* vocant Martialis, Festus, Tertullianus in Apologetico. Hujus est: *Inter testamenta Christianorum botulos etiam sanguine distentos admovetis.* Imò nec dubium, quin Gallicum illud sit ex *botulus*, L in N converso: ut ex λύμφαι, νύμφαι; ex *luscitiosus*, *nuscitiosus*, apud Festum; à σκέλος, Belgicum schenen. Pluribus de eo dicimus, cum de *botellus* videbimus, in falsò damnatis.

Bostar, pro bubili; ut Columella etiam vocat. Bostur, quasi boum stabulum, sive ubi boves stant; ut Græcis βόσ-κησις, vel βοσ-κόσιον. Habes apud Isidorum in Glossis, Abbonem lib. I. de Obsidione Lutetiæ, Matthæum Parisium, in Hist. Henrici III. & Papiam.

Brevis.

Breve. Vox *Edictum* sonans, sive Pontificis, sive Regis, & *brevitate* voluntatem signans, Goldastus in Glossario deducit ex voce Germanica Brieff; nec dissentiunt alii.

Brocardica, quasi protarchica, hoc est, πρῶται ἀρχαί, prima principia: ut *Brocardica* Juris Azonis.

Brolium, vel *briolium*, pro vivario: vocabulum corruptum ex *perivelium*, hoc est, περιβόλαιον. Luitprandus in Legatione sua ad Nicephorum, Imperatorem Græcum: *Sed & idem Nicephorus in eâdem cœna me interrogavit; si * vos perivolia, id est, briolia, vel si in perivoliis onagros, vel cæteranimalia, haberetis. Cui cùm vos brolia, & in brolliis animalia, onagris exceptis, habere affirmarem: Ducam te, inquit, in nostrum perivolium; cujus magnitudinem, & onagros, id est, sylvestres asinos, te vidisse mirabere.*

* Si pro an, more ejus jocali.

Bubillus, pro bubulus: nempe quâ forma *ovillus* dicimus. *Bubillus* est apud Plinium Valerianum lib. III cap. XIV.

Buccellarius, à buccella; hoc à bucca: ut *buccellarius* sit, cui ab aliquo buccæ implentur buccellis; hoc est, cui ab alio præbetur cibus. Isidorus in Glossis: *Scurra, parasitus, bucellarius.* Sed accommodata vox ea vasallis, qui de aliena viverent mensâ. Utuntur sic Leo, & Anthemius, Imperatores L. X. C. ad Legem Jul. de vt publica, Gregorius Turonensis lib. II. Histor. cap. VIII: item Leges Wisigothicæ lib. V. tit. III, leg. I.* Quædam & de iis Turnebus Adversariorum lib. XXIV cap. XVI, & lib. XXVI. cap. XV. Item Cujacus lib. II Feudorum tit. VII; Rigaltius, & Meursius in Lexicis ἑλληνικοβαρβάροις; Carolus Labbæus notis in veteres glossas verborum Juris. Unde adscribam hæc verba ex lib. IX. Basilic. tit. XVIII: Βυκελλάριοι λέγονται οἱ παραμένοντες στρατιῶται ἐν ᾗ τῆ Βέννα ἀναμενοῦς, ὅθεν ὁ ἄρτος, ἐκαλέσθησαν Βυκελλάριοι, εἰ τὸν ἄρτον τινὸς ἐσθίοντες ἀπὸ τούτου τοῦ παραμένοντος. *Bucellarii dicuntur stationarii milites. Ex nomine autem bucca, quod est panis, vocantur buccellarii, panem alicujus edentes in hoc, ut morentur apud eum.* Inde Glossæ vett. *Adsecla, buccellarius.*

Bursa, pro crumena; ut Gallis, *bourse*, Belgis beurse/vel borse, à Græco βύρσα: quod iis corium; unde origo fabulæ Græcanicæ de caussâ, cur arx Karthadæ, sive Carthaginis magnæ, *Bursa* dicta sit: veram autem caussam adduximus lib. I. de Origine, & progressu Idololatriæ cap. XXXII. Pro *crumena* verò *bursa* vocabulo usi Petrus Blesensis epist. XVII, & LXXIV, Godefridus Calvus, Bituricensis Archiepisco-

pus, in vita S. Guilielmi Briocensis, Petrus de Vineis lib. v. epistol. XXIII, etiam Philippus IV Gall. Rex edicto de Off. *Bursa eburnea* apud Hincmarum legas epist. VIII cap. III. *Bursarius*, qui Episcopi bursam gestaret, apud Godofridum Calvum, loco ante memorato.

Buxtula, pyxis, capsa è buxo. Odo, abbas Glannafolien sis in Ecclesia Cenomanica, in Historia tanslationis S. Mauri, cap. IV: *Reliquiæ protomartyris Stephani, quæ à Bertulfo abbate, tempore Chlotarii Regis, juxta prædicti patris Mauri tumulum, ob ejus venerationem, in buxtula lignea recondita fuerant.* Ita Bollandus ex Mssis expressit. Alii, *buxcula*, vel *buxula*: Brulius *pyxide*. Et sanè *buxtula* idem notat. Nam *pyxis* propriè capsa è buxo; à Græco πυξὸς, quasi *buxis*: ut κατάχρησις sit, cùm auream, argenteam, ferream, pyxidem legimus *. Abunde de eo in Oratoriis Institutionibus † dixi. Similiter verò à *buxus*, *buxitula*, *buxtula*. Nisi malis cum nonnullis scribere *buxula*. Nempe ut à *buxus* sit *buxeus*, inde *buxeolus*: pro *buxeola* verò dixerint *buxula*.

* *Plin. lib. 18. cap. 11. Sueton. in Ner. cap. 12.*

† *Lib. 4. cap. 8. sect. 11.*

Byrsum, pro corio, ex Græco βύρσα, pellis, corium: de quo paullo antè in *Bursa* vidimus. Anonymus * de Miraculis S. Adelardi cap. V sect. XXVII: *In mundo pallio, postea in byrsocervino*, (reliquias S. Adelardi) *involverunt*.

* *In vitis SS. ad 2. Jan. apud Bollandum.*

CAP. III.

De incipientibus à C literâ, sequente vocali principe. Cacabata *olla, quâ cibum coquimus.* Calamaucum, *capitis tegmen, ad arcendum Solis æstum.* Calefactorium, *pro hypocausto: pro quo & caldarium.* Caliditas, *pro calore.* Caloratum, *pro calefactum.* Calvariola, *pro vasis genere.* Cambium, *pro collybo*; *à* cambio, *unde* concambire, *&* concambiare; *item* concambium. Caminatum, *quod habet caminum.* Campanile, *&* campanarium, *ubi suspenditur campana.* Cancellarius *primitus, qui à secretis*; *& ut paullatim ea dignitas creverit.* Cancerosus, *pro eo, qui cancro morbo, vel leprâ, laborat.* Candidatrices, *quæ candidiora reddunt lintea, Soli ea exponendo.* Canutus, *pro canu.* Cappa, capellus, capero, *capitis tegmina.* Capillatura, *pro capillitio.* Capitale, *pro cervicali.* Capitaneus, *pro centurione, vel ordinum ductore.* Capitiarius, *exactor tributi in capita impositi.* Capitulare, *pro collectione capitum, sive canonum, præcipuè de rebus Ecclesiasticis.* Cappa, *monachale capitis tegumentum.* Capsus, *pro parte basilicæ, vel*

corporis

corporis humani. Caragii, *characteres magici.* Caraxatura, *pro pictura, scripturâ, liturâ.* Carena, *quadraginta dierum pœnitentia.* Carcta, *vel* carecta, *pro vehiculo.* Caristia, *pro annonæ caritate.* Carrada, *vel* carrata, *carri onus.* Carrago, *vallum militare ex carris extructum.* Carriagium, *prosarcinis carro impositis.* Carricatura, *servitium præbendi carrum ad vecturam.* Carrochium, *currus castrensis, in quo erigebatur vexillum prætorium: item grandis navis oneraria; quæ &* carucha, caruca, *vel* curuca. Carropera, *quasi carri opera: ut* manopera, *pro manuum opera; atq; ab hoc* manoperarii. Cartularius, *qui Imperatoris est à codicillis.* Caruca, *pro aratro: unde* carucata, *quantum terræ uni aratro sufficit; &* carucagium, *tributum cuiq; aratro, sive terræ eo subigendæ, impositum.* Casale, *pro villa.* Casatus, *sive* cassatus, *is, qui Ecclesiæ beneficio villam obtinet.* Castellæ, *naves frumentum deferentes.* Castitia, *pro villa, quam Ecclesia possidet.* Castrensiani, *pro palatii ministris.* Castroniæ carnes, *pro vervecinæ.* Castularius, *præfectus arcæ publicæ.* Casubula, *pro sacro pallio.* Catabulum, *pro stabulo: ut* catabularii, *stabulo præfecti.* Cataneus, *ex* capitaneus, *factum; ac quàm latè* capitanei *vocabulum se extendat.* Catomus, *de supplicii genere, quo alienos in humeros sublati cæderentur virgis.* Cavena, *monasterii locus ubi codices, vel vestes, adservarentur. Unde* cavenaria, *quæ posticiariis præesset; & qui* posticiarii *fuerint.* Cavernum, *pro caverna; quomodo in genere itidem abeunt* sagus, lacernus, pandurus, graphius, metallus. Caussativus, *pro efficiente.*

NUnc dicam de iis nominibus, quæ initium capiunt à secundâ consonante.

Cacabata olla, à *cacabus.* Pelagius, Romanæ Ecclesiæ diaconus, in Vitis Patrum lib. v. libello xv. num. xv. *Appenderunt in collum meum cacabatas ollas, & ansas vasorum, & miserunt me circituram in vico illo per viam cadentes.* Verba sunt B. Macarii †. Vita autem ejus ex Græco Mso expressa sic habet: *Suspenderunt ad collum meum fictiles ollas, & ansas vasorum, & circumduxerunt in pago per vias, cadentes.* Ut *cacabatæ* ollæ videantur fictiles illæ, in quibus cibus coquitur. Sanè *cacabus* propriè, ubi cibum coquerent; teste Varrone in quarto de LL. videlicet ἀπὸ τῆς κάβης, à quo & κάμπλος, caupo, atque alia.

† *Apud Bolland. in vit. SS. ad 15. Ian.*

Calamaucum capitis erat tegumentum, cassidem referens, sive galeam; à qua & ei nomen *galeri* datum. Isidorus in Glossis: *Galeros, calamaucos*

mancos. Beda de Tabernaculis lib. III. cap. VIII: *Super caput autem gestat pileum in modum parvuli calamauci, sive cassidis.* Corruptum ex Græco καμηλαύχιον: quomodo Græcis vocari, ex Malaxo, Achmete, & Grammaticis, Meursius in Glossario ostendit. Propterea & Musurus, sive quisquis Etymologici Magni auctor, putabat, nomen hoc esse, ἀπὸ τὸ ἐλαύνειν τὸ καῦμα, *quia ardorem pellat.* Nempe ut sic dicatur, quasi καυμελαύνιον. Verisimilius saltem hoc, quàm ut Græci à Latinis acceperint, quod voluit Suidas. Sic enim scribit: Καμηλαύχιον, Ῥωμαίων ἡ λέξις.

Calefactivum, pro quo *calorificum* Agellius lib. XVII. cap. VIII.

Calefactorium, pro hypocausto. Cæsarius lib. IV. cap. VII. *Iussit in calefactorio ignem fieri.* Videtur idem esse *caldarium*, quod apud eundem Cæsarium lib. IV. Miracul. cap. LXV; item antiquiorem hoc Gregorium Turonensem de Gloria Confessorum cap. XCVIII. Ex hujus verba: *Accensoque foco ponit caldariam ligneam super ignem, impletam aquâ cum oleribus; urgensque ignem, ita vehementer fervere coegit, ut putaretur anea esse.* Sed & usæ Legg. Longobard. lib. I. tit. XXX. leg. I. Matthæus Parisius, & alii. Gloss. *Caldarius*, Θερμοδότης.

Caliditas multis in usu pro calore. In quibus Cornelius Jansenius, Gandavensis Episcopus, Harmoniæ ac Historiæ Evangelicæ ca. XLVIII. quod est de muliere peccatrice, cui remissa peccata. Ubi ait *: *Charitas sit justificationis caussa formalis, sic in ea se habens, quomodo caliditas in calefactione.* *Caloratum* Plinio Valeriano, pro *calore praditum.*

* Pag. 369.

Calvariola, vascula, in glossario Puteani. Utitur & vetus Juvenalis interpres ad sat. v. 48. Vide autem, an non potiùs legendum sit *caldariolum*; ut sit à *caldarium*, hoc à *caldus*, pro *calidus.*

Cambium etsi sit à Latino *cambire*, hoc à Græco κάμπτειν; ipsum tamen nec Latinum est, nec Græcum; ut dictum pluribus lib. I. ca. XVIII. Habes apud Cæsarium lib. IV. Miracul. cap. LXVII. & Petrum de Vineis lib. III. epist. LXVI. Item in Legg. Longobard. lib. III. tit. VIII. leg. IV. Adhæc in Philippi III. Gall. Reg. edicto III. de Judæis, & usuris †, & Philippi IV. Gall. Reg. edicto de iisdem *. *Cambio*, unde venire diximus, etiam in Glossis Mssis exponitur ἀμείβομαι, in aliis ἀλλάσσειν. Sed pro *cambire*, etiam *cambiare* legitur in Chronico Cisterciensi †. Ac similiter *cambiâsse*, semel, iterumque, est in lege Salicâ Tit. XXXIX: ubi & Tit. XLIX. qui de filtortis, habes *cambiaverint.* Dixere etiam *concambire*, permutare. Quod reperias Formularum Solemnium tit. XX: *Nec*

† Pag. 216.
* Ibid.
† Pag. 66.

donare,

donare, nec alienare, nec concambire. Inde *concambium* apud Marculfum lib. II. Form. cap. XXIII: adhæc Legum Alamann. tit. XX. & Cæsarium lib. IV. Miracul. cap. LXVII. item Hedam ad Bekam Appendice. Etiam *concambiatus*, apud Baldericum in Chronico Cameracensi lib. III. cap. XLIX: *Ecclesiam à fratribus concambiatam.* Vide Goldasti Not. in Ekkeh. cap. XVI. p. 211.

Caminata dormitoria, numero singulo, apud Monachum Sangallensem. *Caminata*, camera, conclave arcuatum. *Caminatus* verò de cubili, habente caminum. Exempla dabit Goldastus Not. ad Ekkehard. cap. I. p. 184.

Campagi de voce inferiùs in *Gamba* dicam.

Campanile est turris, in qua suspenditur campana, Anastasio bibliothecario in Leone IV. & Cæsario lib. IV. Miracul. LXXXVI. & lib. IX. cap. VIII. item Turocio in Histor. Hungarica. Atque hoc vocabulum est in se barbarum. *Campana* verò, unde venit, non in se est barbarum, cùm *Campanus* vox sit planè Latina. *Campana* igitur solùm significationem habet novam; idq; jam à temporibus Paullini, Nolani episcopi. Latinos Græci sequuntur: unde & Balsamo καμπάνης vocem usurpat, agens de convocatione ad ædes sacras. Proque eâ & *campanum*, puta æs, dixit Wallafridus Strabo de Miraculis S. Galli ca. X. & alibi. Pro *campanili*, etiam *campanarium* legas: quomodo appellat Leo Marsicanus lib. II. cap. I. *Campanarium hujus monasterii scanderet.* Ac similiter καμπαναρίον vocat Malaxus in Historia Patriarch. Itidem *Campanarius* vocabatur, cui campanæ cura, Cæsario lib. II. Miracul. cap. XII. & lib. V. cap. LVI. & lib. VII. cap. XXI. item lib. IX. cap. LXV.

Cancellarii nomen non arbitror apud quemquam inveniri antiquiorem Vopisco: qui in Carino usurpat. Vocabatur sic is, qui priùs *à secretis*, dictus: ut ait Hincmarus epist. III. cap. XVI. Nempe qui scriberet judicum literas, responsa, edicta. Primùm omnibus, ut nunc loquimur, notariis id nomen attributum. Postea præcipui id nomen factum peculiare. Itaque in veteribus ἀρχιγραμματεῖς exponitur. Vox non est à cancellando; quod putavere viri summi, Budæus, & Turnebus: sed quia intra cancellos consisteret; ut hodieque videmus, sæpius loca reticulis, vel cancellis, claudi, ubi scribæ agunt, & per quos ad judices fit admissio. Hinc Gloss. Basilic. Καγκελλάριοι, οἱ ἐν καγκέλλῳ ἱστάμενοι· hoc est, *qui intra cancellos consistunt.* Et Cassiodoro de iisdem, *à cancellis esse*, vel *cancellos agere*, lib. I. & II Var. ac lib. II. instit. divin. & human. Et ait Erricus monachus lib. VI de vita S. Germani:

A can-

Capellus, galerus, à capite sic dictus. Matthæus Paris. ad annum cIↃccxxxv: *Capellū suum ex capite cum peplo demisit generosa Imperatrix.*

Caparo, capitis tegmen, quod vulgò *caputium*. Matthæus Parisius ad ann. cIↃccxxvii. in Regula fratrum minorum: *Postea concedant eis annos probationis: videlicet duas tunicas sine caputio, & cingulum, & braccas, & caparonem usque ad cingulum.* Hinc Gallicum *chaperon*, Belgicum Kapproen.

Capillatura, pro capillis, sive, ut Appulejus vocat, capillitio. Ivo de adulter. hab. vir. aut mul. *Impudicus autem habitus in viris est inordinata, ac superflua capillatura.*

Capitale, pro cervicali, sive pulvino, qui capiti, ac cervici, subjicitur. Hooft-kussen/ Hooft-polster; imò & Hooftbolster/ quasi dicas *farcimen capitis*; quia ut farcimen esculentis, ita cervical plumis farciatur. Usus sic *capitalis* voce Cæsarius lib. iv. Miracul. cap. xxvi: *Capitale ejus vertit, & mollificavit, vestes excussit, calceamenta circa lectum composuit.* Aliâ significatione sensum adjectivo *capitale*, idem quod *præcipuum, magnum, arduum.* Ekkeh. jun. de Cas. S. Galli cap. xvi: *Nihil capitale absq; ejus nutu faciat.* Idem mox repetit. Convenit nostrum: Hauptsachlich.

Capitaneus, is qui pro capite est; estque vel *minor*, ut centurio; vel *major*, ut ordinum ductor, quales sunt capitanei generales, barones regni, atque alii. Utuntur eâ voce Hincmarus epist. iii. cap. xxvii. Baldericus in Chronico Camerac. lib. iii. cap. xxxviii. Petrus de Vineis lib. iii. epist. xii. Constitutiones Neapolitanæ lib. i. Tit. xl. Beka in vita Friderici II. episcopi xliii. Ludovicus IX. Gall. Rex de Sentent. Arest. * Concilium Pisanum, ii. in Promotionibus †, Joannes à Leidis lib. i. cap. vii. &c. Videtur autem & pro *judice*, sive *causarum arbitro*, sumi. Imperator Fredericus II. apud Matthæum Parisium in ann. cIↃccxliv: *Statuet Dominus Imperator* Capitaneum aliquem *de Prælatis Italiæ*; *sub cujus solius examine litigabitur, usq; ad beneplacitum Domini Papæ.*

* Pag. 198.

† Pag. 174. ed. Paris. an. 1612.

Capitiarius dicitur, non qui monachorum capitia, sive cappas, vel cucullas, curat: sed qui exigit capitulare tributum; quod Jurisconsultis etiam *capitatio* vocatur, quia in capita penditur: sicuti & Aristoteli in Oeconomicis ἐπικεφάλαιον dicitur; Ciceroni verò per i. ἐπικεφάλιον, ad Atticum lib. v. epist. xvi. Belgis similiter vocatur Hooft-geld. Voce, quam dixi, sic usus est Fulbertus Carnotensis epist. ciii. ad Aquitanorum Ducem: *Constituas tibi alium thesaurarium, & capitiarium, de bo-*

nis clericis, qui sunt in tua vicinia. Sicuti verò is Latinis *capitiarius*; ita & Græcis recentioribus κεφαλητίων: ut Justiniano Novell. VIII. Cedreno item, ac Zonaræ.

Capitulare est collectio *capitulorum*; qualis illa est Ansegisi, ac Benedicti Levitæ. *Capitulum* verò hic ἐκκλησιαστικῶς idem, ac *caput*; quomodo dicimus *capita fidei*, quæ vulgò *articulos* * appellant. Aliter *canones*, præcipuè in rebus Ecclesiasticis, vocantur: sed à Rege si sancian-tur, vim Legis † accipiunt. Lupus Ferrariensis epist. XLII: *Canones eosdem, sive, ut vos vocatis, capitula.* In Legg. Longobard. *Jam non ulteriùs capitula, sed tantùm leges dicantur. Capitulare* verò aliud esse, ac *capitulum*; quippe quod capitula multa comprehendat; indicat Hadrianus Papa, cùm ad Karolum M. sic scribit epist. III *: *Inter quæ edixit nobis capitulare adversùm Synodū, quæ pro sacrarum imaginum erectione in Nicæa acta est. Unde, pro vestra mellifluâ regali dilectione, per unumquodq; capitulum responsum reddimus.* De nomine & usu vocis politicè latè Limnæus Prolegom. Anastationum ad Capitulat. sect. I. n. I. seqq.

* *Vide operis hujus lib. I. c. 32*

† *Justinian. Novell. 131. καὶ τὰ ἐκκλησιαστικῶν κανόνων.*

* *Conciliorum Tom. 3 pag. 263. edit. Coloniensi ann. 1606.*

Cappa, capitis tegumentum monachale; ex Germanico *cappe*, quod à *caput*; unde & *capitium* similiter dixere posteriores. Usi Honorius, Odo, Galo; de quibus in Glossario Meursius. Item Ludovicus Pius additamento ad Capitul. cap. XIII. XII. & LXI. Leo Marsicanus Chronici Casinensis lib. I. cap. XII. Rogerus de Houeden Annal. Tit. II. Cæsarius lib. I. Mirac. cap. XXXVIII. & XLI. & lib. IV. cap. X. Imò & Petrus Damiani †, Gaufridus abbas Altæ Tubæ *, Chronicon Cistercienſe, &c. Vid. Goldastus Not. ad Ekkehard. cap. V. p. 197. 198.

† *Lib. I. ep. 20.*

* *De vita S. Petri, episcopi Tarentasii c. 27*

Capsus, pars interior templi, vel basilicæ, Gregorio Turonensi lib. II. cap. XIV. & XV. Item pars in corpore humano, Legg. Longobardicar. lib. I. Tit. VII. Leg. IX. & Tit. VIII. leg. XIV. ac XX.

Caragius corruptum è *character*, ac particulatim dicitur de characteribus magicis. Sic usurpat S. Augustinus Sermone CCXLI. de tempore; & in nono operum S. Augustini tomo S. Eligius, Noviomensis Episcopus, sermone ad plebem. Ejus enim esse sermonem illum, alibi diximus. Verba S. Eligii sunt: *Non caragios* *, *promittentes, quæ explere non valent; non divinos, non sortilegos ---- consulere præsumatis.* Etiam in Consilio Autisiodorensi (quod anno habitum ID LXXXVIII.) ita sonat canon quartus: *Non licet ad sortilegos, vel ad auguria, respicere; non ad caragios, nec ad sortes, quas Sanctorum vocant.* De notatione vocis vid. Serarius ad Epist. Bonif. CXXXVII. cujus verba affert Somnerus in Gloss. v. Eiblacum.

* *Nisi hic sumere malis pro ipsis Magis, qui à characteribus multa pollicentur.*

Cara-

Caraxatura, vel *charaxatura*, dicitur, quando lineamenta ducimus, sive primitus, sive aliis in priorum locum inductis. Vide in Verbis *Caraxare*.

Carena, vel *carina*, mentionem habes in Concilio Salegunst. cap. XVII. & XIX. apud Burchard. lib. XIX. cap. V. & Ivon. par. XV. cap. CLXXXIII. & CLXXXV decr. In Pœnitentiali item Romano tit. I. de Homicid. cap. XXXIV. sive ultimo legas: *Ita faciendum est tibi, ut, pro psalmista, quadraginta dies in pane, & aqua, quod Theotonice* (al. Teutonicè) *carina vocatur, cùm 7. seqq. annis pœniteas.* Item usurpat Cæsarius lib. IV. Miracul. cap. XXXVII. & lib. V. cap. XLII. Apud Petrum Damiani, lib. II. initio epistolæ VII. pro eo *carinas*, ut aliis in libris *carrinas*, scriptum. *Carenam*, quasi *carentenam*, à carentia hominum, vel ciborum dici, apud Tancredum legas cap. IX. de accus. in I. Collect. Sed omnino est ex Gallico *quarante*, quasi *quarantena*, hoc est, quadragena; puta quadraginta dierum numero. Quod liquet ex adducto Pœnitentialis Romani loco, & plurimis aliis, in his ex Constit. Innocentii in Gener. Lateran. cap. LXII: ubi clarè legas de consuetudine injungendi quadraginta dierum pœnitentiam. At Matthæo Parisio in Vitis, *quarentena* longè aliud est: nempe jus viduarum post mariti excessum quadraginta diebus remanendi in ædibus. Nec enim illæ domo exigi antea ab hæredibus poterant, quæ juris hoc haberent; ut plurimùm erat. Vide quæ de utraque hac significatione dicam cap. XL.

Carentia, pro vacuitate, inopiâ, egestate, barbarum est. Sed de hoc, quia, si adjectivè sumatur, Latinum est, iterum dicam in falsâ significatione acceptis.

Careta, vel *carecta*, pro vehiculo, vel plaustro. Corruptum est è *carrus*. *Careta* usurpat Matthæus Parisius in Charta libertatum Regis Joannis ad annum CIↃ CCXV: *Nullus baillivus noster, vel vicecomes, vel alius, capiat equos, vel caretas alicujus, pro cariario faciendo.* Alterum habes in Additamentis: *Capiuntur carecta clericorum & religiosorum.*

Caristea, pro caritate annonæ. Usus Jacobus Vitriacus Historiar. Orient. cap. VIII. nec uno loco Petrus de Vineis. Est & Thomæ Walsingami in Hypodigmate Neustriæ *: *Existit bladorum caristia, & præcipuè frumentorum.* Etiam Serarius, lib. IV. rerum Moguntiacarum cap. II. adducit è codd. Mso hæc de Hattone, Moguntino Archiepiscopo XV. eo, qui à muribus dicitur comestus: *Anno* IↃ CCCCLXX. *fertur Hattonem, Archiepiscopum tenacissimum, tempore quodam magnæ* * Pag. 477.

cariſtia, pauperes non paucos —— igne ſuppoſito crudeliter combuſiſſe.

Carnis privium, tempus Quadrageſimæ, quo carnibus non licet veſci. *Carnivorium*, tempus poſt Quadrageſimam, quo carnibus iterum licet veſci. Meurſius Gloſſar. in χρεοφάγ & in τορεοφάγ.

Carrada, vel *carrata*, carri onus. Sic accipitur monacho Sangallenſi (ſive is Notkerus, ſive Warnerus) lib. 1. de vita Karoli M. cap. xv: item in diplomate Hludovici, & Hlotarii Auguſtorum, apud Aimoinum lib. v. Hiſtor. Franc. cap. x: *De melle, carrada una ex mediis octo.* Itidem Chronico Laurishamenſi in Henrico Abbat. IV. & ſcriptori vitæ Guilhelmi Hirſaugienſis cap. xvi. Pro eodem & *carriagium* dicitur: de quo mox agam.

Carrago, carrorum, & farracorum conſtructio, ut ſint militibus pro vallo. Sic uſus Ammianus Marcellinus lib. xxxi. Item eo antiquiores, Trebellius Pollio in Gallienis, ac Claudio, & Vopiſcus in Aureliano. Eſt & in vita S. Othonis † lib. ii. cap. xli: *Carratam pro denario recenti acciperes alecis; de cujus ſapore, vel craſſitudine, guloſitatis arguerer, ſi dicerem, quod ſentio.* Leoni in Tacticis ſimiliter καῤῥαγ vocatur.

† *Habeo in Divis Bamberg. ſub. à Grezero edit. an. 1611.*

Carriagium, vel *cariagium*, onus carri, ſive quod vehitur carro. Ita Matthæus Pariſius utitur; cujus verba in *careta* adduximus. Pro impedimentis etiam ſumitur, quia carro vehantur. Walſingamus in Richardo II †: *Cumque certam noſtri elegiſſent ſtationem ordinatè, & pulchrè diſpoſiti per turmas ſuas: cariagium quod, quod Garcinas * appellamus, à tergo locâſſent.* Idem eopſe opere †: *A tergo autem conſpicit eorum cariagium, & carectas locatas, tanquam de fuga minimè cogitarent.* Et paullò poſt: *Fugiunt idcirco meticuloſi plebani; & quia nulla alia reſtabat via ultra carectas ſuas, & cariagia; per ſalitus iter facere elaborant.* *Carradam* pro eodem dixiſſe, antea vidimus.

† *Pag.* 251. * *Sarcinas.*

† *Pag.* 264.

Carricatura, ſervitium carri, & vecturæ. Conſtitut. Karol. Cal. tit. xxiii. cap. xiv: *In carricaturis, & paravaredis, contra debitum exigendis gravare.* Vide inferiùs *carropera.*

Carrochium, è Latina *carri*, currus caſtrenſis, in quo ſuper perticâ, ut longè poſſet proſpici, figebatur vexillum prætorianum. Uſi Matth. Pariſius, Petrus de Vineis, Nauclerus, atque alii. Spelmannum adi, & Watſium ad Matthæum Pariſium. Eſt & altera *carrochii* ſignificatio: at non Latinæ originis, verùm barbaræ: ut cum ſumitur grandi pro nave onerariâ: quomodo & Hiſpani *carraca*, & Belgæ Caraek; καὶ συγγενὴς verò Cracke. Atque hac ſignificatione *carrucha* eſt uſitatius.

Niſi

Nisi & hoc ejusdem originis putes: nempe ut sic dicatur, quasi carrus marinus: quomodo navis etiam Apollonio †, ἅρμα Ποσειδάωνος, & Catullus * ait,

Diva levi fecit volitantem flamine currum.

† *Lib. 4. Argonaut. vers.* 1355.

* *Carmine de nuptiis Pelei, & Thetidis.*

De quo jam olim egi Oratoriarum Institutionum lib. IV, cap. VI. §. II. Pro *carrucha*, vel *caruca*, etiam *curuca* dixere. Hinc librorum aliqui *carrucha*, alii *curuca*, habuere in illo Gildæ Sapientis epist. de Excidio Britanniæ: *Itaque illis ad suaremeantibus, certatim de curucis, quibus sunt trans Stiticam vallem evecti, &c.* Ubi editio Polydori Virgilii, *de carruchis.*

Carropera, & *manopera*, sunt vocabula conflata ex voce *opera*. Sed prior pars in priori est *carrus*; in posteriori, *manus*. Nempe utrumque erat servitutis: priori quis præstabat operam, sive servitium carri, & vecturæ; posteriori operam debuit manibus. Carolus Calvus tit. XXXI, sive Edicto Pistensi, cap. XXIX: *Carropera, & manopera, ex antiqua consuetudine debent.* In Polypticho S. Remigii: *Faciunt carropera de annona, aut vino, in leugis* XII: *sin autem, dabunt denarios* XII. Atque alibi: *Carroperas, & manoperas, inter totos circulos L. Carropera* aliter *carricatura*, à carri servitio: ut dictum paullo antè. Posteriori ætate *curbada*, uti Gallis *Corvees. Manopera* aliter *servitium manuale*: indeque, qui ad hoc obstringuntur, *manoperarii*, in Caroli Calvi diplomate pro S. Dionysio.

Cartularius, sive *chartularius*, qui imperatori erat à codicillis. Usi Abbo de vitis Pontificum, Arnulphus Lexoviensis epist. ad Alexandrum Papam, Godfridus Viterbiensis Chron. part. XX. Græcis similiter χαρτουλάριος, ut Zonaræ, Nicetæ, & Codino, ab officio dicto Curopalatæ. Sed de hoc capite proximo.

Caruca notat aratrum: uti & Gallicum *charrue*: quod inde venit. Usurpat Ivo epist. CCLXXXVI: *Donum Ecclesiæ Hardeluth, cum omnibus hospitibus, & cum terra ad duas carrucas.* Hoc est, quibus terris arandis gemino sit aratro opus. Similiter Matthæus Parisius ad an. CIↃ CCLIV, in mandato inaudito Henrici III: *Inquiratur in maneriis religiosorum, quot sint carucæ propriæ ad colendum dominicum, & quot sint consuetudinariæ.* Ubi videmus, distingui proprias ab iis, quas consuetudo esset conducere. *Carruca* esse à *carro* vocabulo, liquet ex iis, quæ de *carrochio* proximè dicebamus. Similiter apud Miræum † Balduinus Comes Gisnensis in Donatione Carofensi monasterio factâ: *Et terram triginta dierum apud Altenges, & apud Marlengehem, & carrucatam, & dimidium terræ*

† *In Donationibus Belgic. pag.* 50, 51.

apud Suanecam. Et paullò pòst : *Everardus totum pradium suum de Herberges. Rainevvidis decimam septem carrucarum.* Item Thomas Walsingamus in Hypodigmate, seu descriptione Neustriæ *: *De singulis autem carucis Angliæ dati sunt Regi duo solidi pro relevatione statûs sui.* A *caruca* est *carucata*; ut cum legimus *carucata*, vel *carrucata terræ*: hoc est, tantum agri, quantum uni sufficit aratro. Matthæus Parisius in rebus anni CIↃ CC: *Rex Angliæ cepit de unaquaque carucata totius Angliæ tres solidos.* Ab eodem est *carucagium*, tributum, quod singulis aratris, de communi Regni concilio, imponitur. Ac pro eo & *carragium* dicitur. Vide quæ de caruca, carucata terra, & carucagio, Watsius in Glossario ad Matthæum Parisium annotavit.

* Pag. 463.

Casale, villa, à casis sic dicitur. Vita Angelæ de Fulginio cap. 1. sect. XXXIV: *Hoc accidit mihi primâ vice, quando vendiderat casale meum, ut darem pauperibus. Erat enim melior terra, quàm haberem.* Ubi tamen in Mso *Casalenum*; ut doctissimus Bollandus annotavit. Sed *casalenum* nusquam invenio; sæpius verò *casale*. Sic sanè usus non semel Matthæus Parisius; etiam pro villa cum propugnaculis. Loca suggeret Watsii Glossarium.

Casatus, & corruptiùs *cassatus*, vasallus, sive qui beneficio Ecclesiæ habeat casam, seu domum, ac terram, in qua vivat. Privilegium Kenredi, & Offæ Regum, ex veteri Ms editum à Clemente Reinero, & vitæ S. Eguini, episcopi Wigornensis, à Bollando additum †: *Volumus insuper ac decernimus in nomine Domini, terram quinque cassatorum, quæ Morton nuncupatur, eâdem libertate in perpetuum gaudere.* Vide, quæ inferiùs in *Casa* dicam: quando agetur de falsâ significatione usurpatis: ubi & de *Casali*, & *Casamento*.

† In vitis SS. ad 12. Jan.

Castellæ in navibus, quæ frumentum deferrent, memorantur in Vita S. Genovefæ *, cap. VII §. XXXIX: *Navali evectione remeantibus, contigit, ut naves eorum, vento flante, ita inter scopulos, vel arbores periclitarentur, ut castellæ, in quibus fruges exhibebant, in latere versæ, etiam navet aquâ implerentur.*

* In vitis SS. ad 3. Jan. apud Bollandum.

Castitia, quæ perperam in nonnullis libris *cardicia*, sic à *casis* vocari arbitror; sive à *casare*, vel *casato*, hoc est, casis instructo, vel ornato, quasi *casatitia*: quâ formâ dicimus *adscriptitius*, *suppositius*. Movet me, quòd idem sint *casale*, & *castitium*. Nam ut in veteri charta S. Benigni est; *Mansum indominicatum cum casalibus superexstructis*: ita in charta veteri S. Germani Parisiensis est; *Mansum dominicatum cum casa*, & alia

aliis castitiis. Sunt verò *castitia*, structuræ sive ædificia Ecclesiæ adhærentia. Constitutionum Karoli M. & Ludovici Pii libro v (à quo Ansegisi Collectionem Collectio Benedicti Levitæ excipit) cap. CXLVIII: *Omnes intelligant non solùm claustra monasterii, vel Ecclesia, atque castitia Ecclesiarum, sub immunitatis defensione consistere; verum etiam domûs, & villas, & septa villarum.* Item in Capitulis Karoli Calvi, & successorum, tit. IX, qui est Synodi Sucssionensis, cap. V †: *Volumus etiam, ut investigent Missi nostri, qualiter illis, qui easdem res Ecclesiasticas, unde decimæ dantur, sive non dantur, illas salvas habeant, & in castitiis, & in sylvis custoditis.* Eodem volumine, tit. XXIII, sive epistolâ episcoporum ad Ludovicum Regem, cap. XIV: *Ædificent villas vestras moderatis castitiis, ut & honestas necessaria sit, & familia non gravetur.* Item in Collectione Bignonianâ, postremo veterum Formularum Codice, cap. V, cujus lemma, Donatio ad Sponsam: *Mansis ad commanendum cum castitiis suprapositis, terris arabilibus, & mancipiis.* Walgarius sacerdos, S. Everardi Comitis capellanus, in Donatione, quâ Cisoniense cœnobium dotavit † *Inter terram arabilem, & pratum bunaria triginta, & mansum unum cum casa superpositâ, seu & cætera castitia.*

† pag. 89.

† Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. cap. 30, sive pag. 50.

Castrensiani in Cod. Theodosiano, Rubr. de Castrensian. & minister. Sic dicebantur, qui Græcis *curopalatæ*, hoc est, ministri palatii, sive aulici. Est ab ea *castrorum* significatione, quâ etiam *castra* pro *aula* posuere: ut in vita S. Macedonii, in Collectione Bollandi *.

* Tom. 2. in Vitis SS. 24. Jan. pag. 597. sect. 5.

Castronia carnes, pro vervecinæ, quia vervex, aries castratus; unde Italis simpliciter *castrone*, vel *castrato*, vocatur. Ab Italico igitur *castrone* corruptrices, fecere *castronius*; unde Italicum illud. Leonclavio, in Pandecte Turcico cap. CCXII, observatum, perperam hanc vocem scribi apud Aithonum cap. LIV. Nam nunc legitur: *Haberi carnes crastinas, hadinas, gallinaceas.* Ubi omnino *castroneas* restituendum.

Castularius, ex *cistularius*, ut idem sit, ac *arcarius*, sive arcæ, aut cistæ publicæ præfectus, à Germanico fast; quod ipsum ex Latino *cista*. Karolus M. constitut. cap. XV: *De cerariis, & tabulariis, atque castulariis, sicut de longo tempore fuit, observentur.* Similiter ad eum locum cepit in Notis Vitus Amerpachius.

Casubula, aliter *casula*, vel *planeta*. Sic *poderis* dici solet, sive *sacrum pallium*. Græcum est ὁ καζὼς, unde Latin. *casa*, ut ab ὁ χάρτης, hæc *charta*, ab ἡ μαργαρίτης, hæc *margarita*. *Casa* vero hic non domum, sed vestem, signat:

signat: uti *tectum*, tum ad ædificia, tum ad rem vestiariam pertinet. A *casa* est *casula*. Isidorus lib. XIX. Originem XXIV: *Casula est vestis cucullata, dicta per diminutionem à casa; quòd totum hominem tegat, quasi minor casa.* Alcuinus lib. de divinis Officiis: *Casula, quæ super omnia indumenta ponitur, significat charitatem.* Rabanus Maurus *: *Septimum sacerdotale indumentum est casula, sic dicta, quòd totum hominem tegat, quasi minor casa.* Flodoardus lib. III cap. XXI: *Mittens ei quædam preciosa ornamenta, casulam scilicet diaprasinam, & alia manuscula, cum solidis centum.* A *casa* est Gallis *casacke*, & Belgis itidem. At Italis *casaco*. Hispan. *casaca*. Pro Casacke etiam Belgæ cajacke. & κατ' ἀφαίρεσιν Jacke. Est & à *casula*, *casubula*, atque inde Belgicum Casuyfel. Euerhelmus abbas in vita S. Papponis abbatis † cap. XIV, §. LVIII: *In celebratione Missarum, casubulam, quâ induebatur, lachrymis humectabat.* Sed paullò pòst, nempe §. LXI, etiam in Mso, *casucula* pro eo legas: *Albâ etiam casuculâ sanctum illud corpus Fratres curabant vestire.* De Græco κασᾶς, vel κασῆς, unde & καλοκάσια, vide Salmasium in Exercitationibus ad Solinum *.

* De clericorum institutione lib. 1. cap. 21.

† In vitis SS. ad 25. Ian. apud Bolland.

* Pag 966.

Catabulum sine dubio est à Græco κατάβολον: quod posterioribus Græcis *navale*, vel *emporium*, notabat: ut ex Suida discere est in Ἐπίνειον. At infimæ Latinitatis scriptoribus *stabulum* significat. Papias: *Catabulum, stabulum.* Sic legi debere, ubi vulgò *cantabulum*, jam Meursio in Glossario observatum. Anastasius in Marcello Papa: *Semper contemnens, & deridens præcepta Maxentii, damnatus est in catabulo: qui dum multis diebus serviret in catabulo, orationibus, & jejuniis, Domino servire non cessabat. Mense autem nono nocte venerunt clerici ejus omnes, & emerunt eum de catabulo.* A *catabulo* dicebantur *catabulenses*, qui stabuli curam gererent, & jumenta ductarent. Ad hoc servitium publico præstandum, sæpe damnati sunt Christiani. Vide, quæ ex Cassiodoro †, & aliis, Baronius ad Martyrologium * annotavit.

† Lib. 3. Var. epist. 10.

* 16. Ian.

Cataneus factum videtur ex *captaneus*, uti hoc ex *capitaneus*; de quâ voce in Feudorum libris. Usus Ivo Carnotensis epist. CXXIX. Ubi Juretum vide: qui in Appendice docet, sic loqui Romoaldum, secundum archiepiscopum Salernitanum, opere inedito, sed in bibliotheca Christianissimi Regis adservato, quo vitam, ac mores Principum continuat. Verba sunt: *Et Comitissa de Berthenora cum Guillelmo de Markysella, nobili Ferrariensi cataneo, cum magna multitudine militum, & peditum, ad succursum ejusdem civitatis veniebat.* Cæterùm *capitaneus* vox vulgò quidem

quidem pro centurione sumitur; vel etiam *chiliarcha*, seu tribuno, quem *colonellum* dicimus; imò & eo, qui tertiam ducit agminis partem; atque adeò &, qui totum ducat exercitum, cui *capitanei generalis* nomen: sed quandoque etiam accipi superioribus seculis solet de præfecturis extra militiam. De quo quædam Guilhelmus Watsius in Glossario.

Catomus, ex κάτω, & ὦμος, quod *humerum* notat. *In catomo tolli*, vel *levari*, dicebantur, qui attollerentur in humeros, ut de tergo alieno dependentes faciliùs flagris cæderentur. Acta S. Babylæ cap. II. §. VI: *Iratus vero Numerianus Rex jussit tres infantes levari in catomo; & priori dari duodecim plagas, secundo autem novem, tertio verò septem.* Vide Baronium in Martyrolog. ad XV. Jun.

Cavena à cavitate vocabatur locus monasterii, ubi res certæ asservarentur. Regula S. Cæsariæ scripta à fratre S. Cæsario, Arelatensi episcopo, cap. V. sect. XXXII: *Quæ cellario, sive cavenæ, sive vestibus, vel codicibus, aut posticio, vel lanipendio, præponuntur, desuper Evangeliorum claves accipiant, & sine murmure serviant reliquis.* Cavenæ præfecta dicebatur *cavenaria*: ac præerat posticiariis, à posticio, quod curabant, sic dictis. Unde eopse cap. sect. XXX: *Quod transmissum fuerit, præsente Abbatissâ, vel Præpositâ, posticiariæ accipiant, & cavenariæ tradant.* Gotho-Saxonicum esse vult Locrenius à fyte vel foave/*camera*; cui cognatum fole/*tuguriolum, casa*; fajut faiyt/cubiculum in navi. 2. *feud.* 1. *fin.*

Cavernum, pro *caverna*, posteriorum est seculorum. Gloss. † *Cavernum*, ἀγύπνιμα. Nempe ut *sagus* dixere pro *sagum*; *lacernus* pro *lacerna*; *pandisirus* Isidoro, quod Græcis τὸ παραδείσιον; *grafius* pro *graphium* apud Symposium *; *metallus* pro *metallum*, epigrammate apud Spartianum in Pescennio Nigro; ut quidem in Palatino codice reperit maximus Salmasius: † *Col.* 309. *edit. H. Steph. & B. Vulcan.* * *In ænigmatis: editi tamen* graphiũ

Nigrum nomen habet, Nigrum formavimus ipsi,
Ut consentiret forma, metalle, tibi.

Caussativus philosophis frequens: temere sanè, quando de *efficiente* causâ sic loquuntur. Sed si ad quodvis caussæ genus extendant; fatendum est, Latinis non esse vocabulum, quo id examussim exprimant. Verùm de hujusmodi vocibus alibi fusiùs agemus.

CAP. IV.

De iis, ubi literam C excipit secunda vocalis, vel adspiratio. Cellarius, *vel* cellararius, *aut* cellerarius, *præfectus cellæ, quæ &* cellarium, *dicebatur,*

& cellariolum. Cellulanus *verò, pro monacho, sive is in cœnobio, sive eremo degeret: ac similiter is Græcis* κελλιώτης. Centonium, *pro cento.* Ceragium, *pretium emendis Ecclesiæ cereis.* Ceroferarius, *pro acolutho:* ceroferarium, & ceroferale, *pro candelabro cereum gestante.* Cericola, & vericola, *malè huc referri; cùm propriorē* cervolus, *hoc est, hinnulus; pro altero* vetula, *hoc est, vitula, sit scribendum.* Cervicosus, *qui animi est obstinati, ac pervicacis.* Cespiticum, *quod publico tribuitur ad viarum conservationem.* Chalami, *pro fistulis aereis.* Chamus, *pro capistro.* Chartularius *quàm variè sumatur.* Chelandium, (*pro quo* & chelandrium, *ac fortasse etiam* chalendram, *lectas*) *navigii genus esse.* Chrysoclavus, *pro clavo aureo.*

CEllerarius, pro *Cellarius*, sive cellæ præfectus. Usurpatur in Regula S. Benedicti cap. xxx, quod est de Cellerario; item à Flodoardo lib. 1. Histor. Rhem. cap xii, ubi *cellararius* legitur: adhæc Leoni Marsicano Chronici Casinensis lib. iii, cap. xxxix, Cæsario lib. ii. Mirac. cap. xxxv, & lib. iv. cap. v, xix, & lxix: ac lib. xi. cap. xxxii: item Matthæo Parisio in vita Roberti, xviii. Abbatis S. Albani, & Garini, abbatis xx. Nec putandum, ubique istis in locis *cellarius* rescribi oportere; nam ut à *cella* est *cellarius*; ita à *cellarium* fecere *Cellararius*; pro quo & scripsere *Cellerarius*. *Cellarium*, pro *cella*, est in Regula † S. Cæsariæ virginis, à fratre ejus Cæsario, Arelatensi Episcopo, conscriptâ, cap. v, sect. xxx, & xxxii. Item in Legg. Alamann. tit. lxxxi, §. ii, apud Burchardum in Decretis lib. xix*, Lambertum Schafnaburgensem Hist. Germ. † Cæsarium Haisterbachensem lib. iv. Miracul. cap. lxxxv: *Assaturam sibi præparatam cellario intulit, & comêdit.* Glossæ vett. *Cellarium*, ταμεῖον. Unde Germanicum Keller; & latino barbarum *cellariolum*. Regula Cæsariæ loco antè memorato: *Etiam cellariolum, & coquinariam suam, infirma in commune habeant.* Aliud verò à cellario, sive cellarario, est *cellulanus*; quomodo Cœnobita, vel Eremita, dicebatur à cellula, qua concluderetur. Sidonius Apollinaris lib. ix. epist. iii, ad Faustum, Regiensem episcopum, qui abbas fuerat Lirinensis: *Quas de palæstra congregationis eremiticæ, & de senatu Lirinensium cellulanorum, in urbem quoque (cujus Ecclesiæ sacra superinspicis) transtulisti, nil ab abbate mutatus per sacerdotem.* Item apud Ennodium Ticinensem lib. i. epist. v, lemma est: *Præceptum, quando jussi sunt omnes Episcopi cellulanos habere.* Etiam Græcis posterioribus monachi similiter κελλιῶται

* *In vitis Sanctorum apud Boll. ad 12. Ian.*
* *Pag. 147.*
† *Pag. 273.*

κελλιῶται ut Dorotheo Doctrin. XVI. Sed hi eopse nomine signabant eos, qui ministrarent interiori Imperatoris conclavi, ac Despotarum. Quod τῷ μακαζίτῃ Meursio observatum ex Phranzis Chronici lib. II. cap. I.

Censaria, nummi aliæque res census nomine exactæ. Ita ex Hovedeno & Parisio in Glossario Somnerus, verbo, Tassare.

Centenium, pro *Cento*. Suidas: Κεντῶν, κεντῶνος, ῥωμαϊστὶ καὶ κεντήνιον. Atque hoc utcunque tueri se potest Gentianus Hervetus, quando *centenium* retinet in tralatione vitæ Euthymii Magni, abbatis †, cap. XV. §. XC: *Stratum quid erat aliud, quàm storea, & quæ solent appellare centonium, & embrumium, & vas fictile ad aquam?*

† *In Vitis SS. ad 20. Ian.*

Ceragium, pecunia ad emendos cereos in usum Ecclesiæ. Matthæus Parisius in Additamentis *: *Si Ecclesia petat ceragium.* Belgæ itidem unico exprimunt vocabulo, **was-gelt.**

* *Pag. 201.*

Ceroferarius, Papiâ teste, idem ac acoluthus; & veluti *acoluthus* vocabatur, quia sacerdotes, diaconos, & subdiaconos, ad altaris obsequium sequeretur: (id enim Græcis ἀκολουθεῖν:) ita *ceroferarius*, nuncupatus, quia lumina accenderet, & candelabrum cum *cereo ferret.* Quod candelabrum cum cereo similiter *ceroferarium* vocabatur: ut ex Durando liquet lib. II. Divin. Off. cap. VII. Vocem *ceroferarii* habes apud Leonem Marsicanum Chronici Casinensis lib. II. cap. XXV. *Fecit & ceroferaria duo librarum* XV. Pro eodem *ceroferale* dicit Gregorius Turonensis de gloria Confess. cap. LXXIX. Similiter Vesontionensis monachus in translatione S. Sebastiani martyris † cap. IX. §. XLIII: *His thymiateria, ac thuribula; illis ceroferalia deportantibus, atque corusco lumine diem augentibus.*

† *In Vitis SS. ad 20. Ian. apud Bollandum.*

Cericola, & *vericola*, etiam in barbaris, quæ à Latinis veniant, reposuit Martinius in doctissimo Etymologico suo; nempe deceptus est à Marcello Donato, qui Elucidationibus in Suetonium cap. XXXVI, putavit, strenas Januarias solere, more gentilium, mitti cum voto ad aliquod numen particulare; uti ad Venerem, quò multam feliciter prolem largiretur; ad Cererem, ut copiosas faceret fruges; indeque eas strenas à Cereris, & Veneris cultu, dictas *Cericolas*, quasi Cererícolas; *Vercolas*, quasi Venericolas. Prora, ac fundus hujus rei Donato est Concilium Altisiodorense, sive Antisiodorense, vel potiùs Autisiodorense, quod vulgò referri solet ad annum IↃCXIII, vel seq. perperam sanè, cum Aunacharius Episcopus, qui ei præfuit, jam antè fuerit defunctus.

Verisimiliùs Baronius, quem Binius sequitur, ad ann. Ɔxcv. Sed tutissimum sit, referre, cum Sirmondo, ad an. ƆLxxviii; quo Episcopatum Aunacharius cœpit. Ejus Concilii canon primus est istiusmodi, si Donatum audimus: *Non licet Kalendis Ianuarii vercola, aut cericola, vel strenas diabolicas, observare: sed in ipsa die sic omnia beneficia distribuantur, sicut & reliquis diebus.* Sed scrupulum meritò injiciunt editiones aliæ. In Binianâ est, *vecola, aut cervolo.* In Caranzæ epitome, *vecolo, aut cervolo*; ac similiter est apud Laurentium Bochellum in Decretis Ecclesiæ Gallicanæ *: sed longè optima Sirmondi editio habet, *vetula*, aut *cervola.* Nempe *vetula* tum dixere pro *vitula*; *cervolus* verò, seu *cervulus*, est à *cervus* diminutivum. Atque hanc lectionem solidè comprobat Sirmondus, è sermone quodam, qui apud Augustinum tomo ɪx, tractatu xx, absque nomine legitur auctoris, cùm, ex Mssis, S. Eligii, Episcopi Noviomensis, esse noscatur. Verba ejus sunt: *Nemo in Calendis Ianuarii nefanda, & ridiculosa, vetulas, aut cervolos, vel jacticos faciat.* Adducit etiam Sirmondus ex Pœnitentiali vetere in Codice Andegavensi: *Siquis in Kalendis Ianuariis in cervulo, & in vetula, vadet; tribus annis pœniteat, quia hoc dæmonum est.*

*Pag. 576.

Cervicosus vulgò dicitur, pro obstinatus; sive homine, qui *nimium sui juris, sententiaque* est; ut loquitur Tullius primà in Verrem.

Cespiticum significat, quod datur ad vias cespite complanandas, atque, ubi opus, etiam saxis, vel silicibus sternendas: quemadmodum Germanus du Breul, monachus S. Germani à Pratis, annotavit ad Aimoini lib. v. de Gestis Francorum: nempe ad Privilegium Karoli M. prius: ubi pro *cespitatico* perperam scribitur *cispitatico*: minùs tamen malè, quàm, in sequenti Caroli Magni privilegio, pro eo *cepsaticum* legas. Ut à *balnea, balneaticum*; à *cathedra, cathedraticum*; ita à *cespes cespitaticum.* Ac de etymo quidem nemo ambigat. Sed de significatione metuo, ne verius eam eruere sit ex illis Cassiodori verbis Variarum lib. v. epist. xiv: *Antiqui barbari, qui Romanis mulieribus elegerint nuptiali fœdere sociari, quolibet titulo prædia quæsiverint, fiscum possessi cespitis persolvere, ac super indictionis oneribus par re cogantur.*

Cessodium, cessatio. Utitur Henr. Rosla in Herlingsberga v. 467. de cessatione ab otio, & inclinatione ad reconciliationem animorum.

Chalami,

Chalami, tubi sive fistulæ ex ære; puto, corruptum ex *calamus*; cujus habent figuram. Matthæus Parisius in Abbatum Vitis: *Pulsato classico, sonantibus chalamis, quos burdones appellamus. Burdones* est ex Gallico *bourdons*.

Chamus, pro *camus*, Græcè κημὸς, quo *capistrum* signatur. Honorius Serm. de Inventione Crucis: *Constantinus* ἁγ., *Ecclesiæ impugnator acerrimus, illo tempore monarchiam tenuit; quem divina pietas in chamo, & freno, constringens, sibi appropinquare compulit.*

Charaxainra quid sit, dicam in Verbis, voce *Caraxare*.

Chartularius, qui causas Ecclesiasticas cognosceret, ac dirimeret, nomine Papæ Romani. Sic Hilarium, *suum* in Africa *chartularium* vocat Gregorius M. Sed longè inferiori loco *chartularii* erant Constantinopoli: ubi sic dicebatur, qui chartophylaci, vel scenophylaci, vel magno sacellario, inserviret συμμιεισῆς τῦ χάρτε, ut ait Balsamo. Vide de chartulariis Cujacium lib. IV. Observat. cap. V. & ad Cod. Justinian. lib. X. tit. XXIII. Meursii Glossarium in Χαρτυλαρίῳ, & quæ ad Codinum non uno in loco Gretzerus annotavit. Pithœo autem, & aliis, observatum, etiam *chartularios* esse dictos, qui per chartulam, sive tabulas, donati forent libertate. Sic usurpatur in legibus Longobardicis. Adi Lindebrogii Glossarium ad leges antiquas.

Chelandium, navigii genus apud Græcos recentiores. Usi è Latinis, Paullus Diaconus in Justiniani temporibus, Luitprandus in Legatione ad Nicephorum Phocam †, atque idem Histor. lib. V. cap. VI: ubi semel, iterumque, *chelandria* legas, pro *chelandia*; ut est in Legatione. Sicuti & χελάνδια est apud Cedrenum, & Constantinum de Administ. Imper. Sed fortasse, & *chelandium*, & *chelandrium*, vel etiam *cherandria*, dixerint. Suspicatur clarissimus ὁ μαχαιρίτης Meursius, eam vocem restitui oportere Veteri Juvenalis interpreti ad sat. VI. ubi nunc vulgò: *Canna, genus navis, quæ gandeia dicitur: ut sit chelandia Micipsarum.* Sed quo minùs, pro *gandeia*, putem, *chelandria* esse rescribendum; facit, quòd chelandriarum usus frequens fuerit Græcis: gandeia Afrorum propria. Nam continuò id subdit idem interpres. Verba ejus in *Gandeia* adduximus lib. II. cap. VIII. Vide autem, an non idem navigii sit genus, quod *chalendram* vocat Gregorius IX. Papa apud Matthæum Parisium in Henrico III: *Obligavit insuper se Imperator ad centum chalendras, & quinquaginta galeas ducendas, & tenendas, & tenendas ultra mare.* Qui locus confirmat, quod dicebamus, videri non tantùm *chelandium*, sed

† *Pag. 99. edit. Ingolstad. ann.* 1600.

etiam *chelandrum*, dixisse. Quantillum enim abeunt *chelandrum*, & *chalendra*!

Chrysoclavius apud Papiam etiam habes. Est verò idem ac aureus clavus: nempe ornatus vestis aureum referens clavum. Usus Anastasius bibliothecarius in vita Leonis III. & Benedicti III. Vox est hybrida; pro qua vel planè Græcâ dixeris χρυσόσημον; vel planè Latinâ, *auriclavum*. Quo usus est vetus Juvenalis scholiastes, ad illud sat. VI.

Aut latum picta vestis considerat aurum.

Sed vulgò editum, *Auroclavas vestes miratur*, pro *auriclavas*. Nisi *auroclavatas malis*; ut Vopiscus appellat in Tacito & Bonoso. Græci similiter χρυσοκλάβεις, quod in Lexico Cyrilli, voce ἱσυχγικὸν: item χρυσοκλαβικὸν, ut apud Codinum Curopalatem de Officiis. Sed perperam vulgò legitur χρυσοκλαδάριον: quod primus observavit Meursius: cum verò secutus Gretzerus.

CAP. V.

De auspicantibus à C *litera, sequente vocali tertiâ, vel primâ è liquidis.*

Cicuritas, *pro mansuetudo*. Cincendela, *vel* cicindela, *vel* cicindelum, *pro pensili lucerna. Pro quo & legas* cincintillus, *vel* cicintellus. Cingula, *pro cingulum, vel cingulus*. Circada, *pecunia quæ debetur Ecclesiam visitanti*. Circulatum, *pro rotundo*. Cistelium, *pro arcis, quibus custodirentur fera*. Clameum, *pro actione clamosa in jus alium vocantis*. Clamodici, *de quibus etiam cum clamore dicantur fœda, ac facinorosa*. Clausura, *inclusio monastica; aliàs verò angustia aditum in regionem quampiam, hosti excludendo idonea: quales & nuncupantur* clusæ, *vocabulo ambiguo; cùm sic etiam nominentur obices aquarii*. Cliothetrum, *sellæ genus*.

Cleuritas non dixero cum nonnullis: sed cum Tullio, *animi mansuetudo*.

Cincendela, vel *cicendela*, vel *cicindela*, pro lucerna pensili, quæ totâ ardeat nocte, apud varios lego scriptores; sed eos mediæ, vel ultimæ ætatis. In his, præter Gregorium Turonensem, est Fulbertus Carnotensis epist. LXXVIII: *Inter organa vatum, & ardentes cincendelas* † *virginum*. Unde Glossæ Cyrilli creditæ: κανδήλη, *cicindela*. Isidorus in Glossis: *Licini, lucerna, vel cicindilia*. Glossarium Arabicolatinum: *Licinius, quasi lucius. Est enim & cicendela lucerna*. Item Catholicon

† *Al.* cincendulas.

Janu-

Jannense: *Cicendela, à candeo, candes, dicitur genus scarabæorum (crabronum* voluit dicere) *quòd volans candeat. Cicendulum ponitur pro candela: nam dicitur à candeo.* Sed hæc iis condonanda temporibus. Nam *cincendulum* barbarum est: *cicendela* verò, quamvis Latinum, longè tamen aliud signat. Vide, quæ dixi, lib. I. cap. XXVIII. Porrò ex verbis Catholici colligere est, non solùm *cicendulam* muliebri genere dixisse; sed & *cicendulum*, vel *cicindelum*, in neutro. Atque usus eo scriptor is, qui breviùs exaravit vitam Sulpicii *, Bituricensis episcopi, cap. II. sect. XII: *Quid de illo cicindelo dicam, qui est ante sepulcrum ejus? quem ferunt semel fuisse impletum; &, exundante multitudine olei, quod desuper labebatur in terram, multis peruncti, de infirmitate suâ exuti sunt.* Nisi malis *cicindelo* esse à virili *cicendelus*. Pro quâ opinione est diminutivum *cincendillus*, vel *cicentillus*; ut à *mamma, mammula, mamilla*; à *tantus, tantulus, tantillus*; aliâque. Usurpat scriptor vitæ S. Tillonis †, cognomento Pauli, aliter dicti Hillonii, imò & Tilmanni, ex quo *Tilonis* nomen καὶ ἀποκοπὴν factum. Verba ejus sunt ult. §. ult. *Multa ibi, jubente Domino, & S. Tillonis meritis, operantur virtutes. Inter quos* * *etiam & cincentillus, exabundante ubertim oleo, perfunditur. Ex quo sancto olei liquore multi, peruncti illic, à diversis sanantur infirmitatibus.* Vir doctissimus malit, *cicindelis*. Sed nihil, arbitror, mutandum. Dicas, & *cicindele* dixisse: unde Papias: *Cicindelia vitreas lampades vocamus.* Sed & alterum, ut videmus, ἀναλογίᾳ comprobatur: & *cicindelia* possit esse à recto *cicindelium*, ut simile sit ac *premium*. Et fortasse *cicindela* scripserit Papias.

* *In Vitis Sanctor. ad 17. Ian. apud Bolland. pag. 176.*

† *In Vitis Sanctor. ad 7. Ian. apud Bolland.*

* Quas *malim*; ut referatur *ad* virtutes, *h. e. res mira virtutis, ac efficacia.*

Cingula, pro *cingulum*, non Perotto modò, sed Bedæ etiam probatur in Orthographia: pro quo & *cingulus* dictum Ciceroni in Somnio Scipionis, ac Macrobio ad eum librum commentanti, lib. II. cap. V.

Circada, pecunia, quæ penderetur pro visitatione loci. Nomen à *circare*: unde & *circitores*, qui circumirent loca. Hincmarus Rhemensis epistolâ ad Regem Ludovicum Balbum, Karoli Calvi filium, cap. VIII *: *Ut Ecclesia in isto regno per occasionabiles circadas, & per indebitas consuetudinarias exactiones, non affligantur.* Usus & Ivo Carnotensis, epistolâ, absente Fulberto, suo episcopo, scriptâ; quæ inter illas Fulberti legitur numero CX: *Jubes, inclyte Præsul, nos dare tibi circadas de Ecclesiis nostris, quæ sunt in Episcopio tuo.* Item epistolâ CCLXXXVI: *Ecclesiam de Mundanis villa, liberam à synodo, & circada, & omni exactione.*

* *Pag. 6. edit. Moguntin. an. 1602.*

Circulata gemma, pro rotunda, apud Petrum Blesensem epist. XXX.

Cisto-

† *In vitis SS. ad 9. Ian.*

Ciſtelium, vel *cruſtelium*, (variant enim codices) legas apud S. Althelmum epiſcopum, in actis S. Juliani, & ſociorum Martyrum: *In Amphitheatrum cruentus carnifex imperat duci, quatenus patefactis cavearum ciſtelis, & apertis clathrorum obſtaculis, urſorum geminis carperentur, & leonum rictibus roderentur.* Ubi, puto, legi debere, *Vrſorum genuinis*, puta dentibus; quod commodè reſpondet illi de *leonum rictibus*. Cenſeo autem, rectiùs *ciſtelis* legi, ut ſit à *ciſta*; ac fuiſſe ciſtam cancellatam, ſive clathris obductam.

Clameum, vel *clamium*, vindicatio ſive poſtulatio juris, à Gallico *clame*: ut *clamer* à clamare, quia fere id fieri ſoleat cum pipulo, & clamore. Henricus rex apud Matthæum Pariſium in anno clɔccxl: *Fecerit te ſecurum de clamio ſuo proſequendo.* Item in Additamentis: *Quietantiam juris, & clamei.* Thomas Walſingam, in Hiſtoriæ Anglicanæ Eduardo III*: *Quòd Rex Angliæ haberet omnes terras ſuas ducatus Aquitaniæ, quas ſibi Rex Franciæ injuſtè uſurpaverat; ſi Rex Angliæ totum jus, & clameum, quibus regnum Franciæ vindicabat, Regi Francorum remitteret.* Skenæo notis ad Reg. Maj. ſive legum Scoticarum lib. I. cap. VIII. *Clameum, libellus, petitio*, definiuntur, *brevis ſcriptura narrationem actoris in ſe continens.* L. ult. C. de appellat. vel, *formula ſcripti, complectens actionem, & futuræ litis expoſitionem in judicio.* lib. I. C. de edendo.

† *Pag. 170.*

Clamedici non tam, puto, ſunt homines clamoſi, ac qui blaſphemias dicere gaudeant; quàm qui clamore, ac pipulo aliorum, differantur, ut infamibus uſu venit. Carolus Calvus tit. XXXIX. apud Cariſiacum, cap. III: *De illis liberis hominibus, qui infames, vel clamedici ſunt de teſtiis, vel latrocinüs, & rapacitatibus, & aſſalturis.*

Clauſura, pro incluſione in monaſteriuum, uſurpatur à Radevico Friſingenſi de geſtis Friderici I. lib. III. cap. III. & Petro Bleſenſi epiſt. XII. Item Eugenio Pontifici ad Hildegardim: *Regulariter cum ſororibus tuis vivas ſecundùm regulam S. Benedicti, ſub clauſura ejuſdem loci.* At in Codice Theodoſiano, & aliis antiquiorum locis, *clauſura*, vel *cluſura* ſunt, quæ Theophylactus Simocatta lib. VII. vocat ὀχυρώματα τῆς ὁδοῦ; Curtius autem, *angüſtiæ aditüum, qua regionem aperiunt.* Origo nominis inde, quòd iis hoſtis excluderetur. Sic legas in epiſtola Pauli Perfidi ad Wambanum, Principem magnum Toletanum *: *Deſcende uſq; ad clauſuras. Nam ibi invenies Oppopumbeum.* Id caſtellum erat in montibus Pyrenæis. Poſteriores etiam *cluſas* dixere. Ut Capitularia Karoli M. item Annales incerti ſcriptoris, de rebus geſtis Fran-

* *Tom. I. ſcriptorum de reb. Francia edit. Andrea du Cheſne p. 820*

co-

corum † ad annum Dccclxxiii: *Cui Desiderius obsistere nitens, clusis Alpium obseratis, occurrit. Franci, clusis potiti, Desiderium fugientem, & Papiæ inclusum, obtinent.* Itaque postea anno Dcccclxxiv. legas: *Karolus verò, audito Karolmanni adventu in Italiam, primò clausis Alpium se defendere nititur; sed nihil proficit.* Monachus quoque cœnobii Egolismensis S. Eparchii in vita Karoli M. * *Et tunc ambo exercitus ad clusas se conjunxerunt.* Usurpat quoque Hincmarus Remensis ad Hincmarũ Laudanensem c. v; Regino Abbas Chronicorum lib. i. ubi loquitur de temporibus belli inter Desiderium, & Karolum; Luitprandus lib. i. cap. ii. & lib. v. cap. viii; Sigebertus Gemblacensis de vita S. Guiberti cap. xiii. Conradus Urspergensis in Chronicis, &c.

† Ex edit. wecheliana anno 1594. pag. 9.

* Pagina 238. ejusd. edit.

Cliothetrum, sellæ genus. Suessionensis monachus anonymus, lib. de translatione S. Sebastiani † cap. vi. §. xxvi: *Inter hæc Joannes prætereti maceratione jejunii, & vigiliarum continuatione fessus, ut cliothetro sedebat, violentiâ somni subitò deprimitur, & imperfectè resolvitur.*

† In vitis SS. apud Bolland. ad 20. Jan.

Clusa substantivè idem, ac *clausura*: de quo in *Clausura* superiùs dictum. Sic *clusor*, in vita S. Othonis lib. i. cap. xlvi. Nempe à *cludo*, unde & Janus *Clusius Patulcius*, & Plinio *clusilis*. Similiter *clusoria* ars quasi *clausoria*, quæ in claustris parandis occupatur. Usus Tangmarus in vita Bernvvardi episcopi. Malim verò *claustrariam* dicere, quomodo *claustrarium artificem* Lampridius ait in Heliogabulo. Est in Glossis Cyrillo tributis: Κλειστοφύλαξ, *cloistrarius*. Ubi *au* in O abit; quomodo ab *aula olla*, à *caudex codex*, ab *aurata orata*, Belgis à *claustrum* Clooster. Imò & *Cloistra Romana*, Latii oppidum, Plinio lib. iii. cap. i: quæ & Κλοῦστρα similiter Ptolemæo. *Clusam* etiam dixere pro catarracta, quia aqua eâ, velut obice, cluditur, sive clauditur: unde & Hebræis putatur vocari מטרת המה Metheg Haamah, hoc est, *frenum rivi, vel aquæductûs*. Legas istoc ii. Sam. viii. i. Gallis à *clusa* similiter *escluse*; uti Belgo-Germanis Sluyse.

CAP. VI.

De nominibus barbaris, sed Latinæ originis, aut Græcæ, quæ incipiunt à C literâ, sequente quartâ vocali. Coætaneus, *pro æqualis, vel ejusdem temporis.* Coævus, *pro eodem.* Cocula, *pro vestis genere.* Cœnadicum, *vel potiùs* cœnaticum, *Quadragesimalis piscium census.* Cœnobita, *consors vitæ ejusmodi, qualem κοινόβιον dixere veteres.* Cognitior, *pro notior.* Cognoscibile, *cognitionem habens.* Colimpha, *vel potiùs* co-

lymba, *navicula urinatoria genus.* Collateralc, *quod à latere constitutum.* Collegiatum, *in corpus aliquod, sive collegium, redactum.* Collistrigialis *pœna, qua alicui laqueo collum stringitur.* Colludiosum, *ubi actor cum reo colludit.* Colobia, *tunica sine manicis.* Colonitium, *quod à colono persolvendum domino.* Colorus, *pro coloratus.* Commater, *susceptrix.* Commerciator, *negotiator.* Comicia, *pro Comitatus.* Comitatio, *pro comitatus.* Comitissa, *pro domina Comite.* Comitiva, *pro comitatu via: item pro dignitatis genere.* Commendatorius, *pro commendatitius.* Commensalis, *convictor.* Commercium, *quicum alicui est commercium.* Commissarii, *judices, vel rei inquisitores.* Commodioritas *è barbarorum numero expunctum: nec propter ea Latinitate donandum.* Commonitorium, *pro commonitione.* Communia, *fœdus communi in caussa initum: ac fortasse etiam bona communia, & indivisa.* Comodia, *vel* commodia, *loca viatoribus ad divertendum commoda.* Comparilia, *bona, quæ comparuerint, vel compareant.* Compassio, *pro misericordia.* Compater, *pro sponsore fidei, offerente, vel susceptore.* Compatriota, *pro συμπατριώτη, populari, vel conterraneo.* Compauperatus, *pauper redditus.* Complacentia, *qua quid complacitum est.* Complanus, *pro planus.* Completorium, *pro complemento.* Complices, *pro facinoris sociis.* Compotista, *vel potiùs* computista, *logistices, sive bene numerandi gnarus.* Concagatus, *vel* conchagatus, *pro* concacatus. Concanonicus, *pro syncanonicus.* Concordantia, *pro verborum indice, vel rerum consensu.* Condium, *pro mensura genere; nisi id* congium *potiùs.* Confabulatio, *pro colloquio.* Confiniales, *pro contermini, vel finitimi.* Confrater, *pro collega; simileque* consoror. Confugium *facere, pro fugam capere.* Congellus, *pro syncellus.* Conludio, *pro collusio.* Conradium, conredium, *vel* conrodium, *modus cibi in monasterio alicui concessus.* Conregionalis, *qui ejusdem est regionis.* Conscholaris, *condiscipulus.* Conscientiosus, *contra conscientiam nihil unquam acturus.* Constabularius, *Comes stabuli.* Consuetudinarium, *liber monasteriis consuetudines continens.* Consularius, *consularis.* Contectalis, *uxor.* Contemporalis, *vel* contemporaneus, *pro æqualis, vel eorundem temporum.* Contenementum, *habitus, gestusque: cui simile* manutenementum, *pro tutela, vel assertione liberali manu factâ.* Contina, *pro templo.* Continentia, *pro conspectu operis.* Contoralis, *pro conjuge.* Contribulis, *pro tribuli.* Conviator, *pro comes.* Convici-

vicinium, *pro vicinia.* Coopertorium, *pro tegumento.* Copiates *vespillo.*

Coætaneus pervulgatum etiam usu doctorum, pro eo, quod Græcis Ἥλιξ, ἐμῆλιξ, ἡλικιώτης: Ciceroni, & aliis, æqualis, ejusdem ætatis, vel temporis. Ajunt, *coætaneus* apud Porcium Latronem legi oratione in Catilinam: *Marco siquidem Catoni, aut Scipioni, coætaneo suo.* Sed enim is scriptor supposititius est. Multa adeò sunt declinantis Latinitatis argumenta; ut cuilibet non obesæ naris constare possit, alium esse ab illo Porcio Latrone, quem non uno in loco sic laudat Marcus Seneca †, philosophi parens. Ludovicus Carrio ineptissimum appellat sophistam. Mihi adeò insubidus non videtur. Potiùs accessero iis, qui Vibium Crispum arbitrantur. In his est Hadrianus Junius, lib. de Coma, cap. VIII.

† *Præfat. lib.* 1. *Controvers. & lib.* 3. *Controvers.* 25.

Cœvus ajunt ipsum apud Ciceronem legi orat. in Vatinium: ubi sit, *Hunc tu morem ignorabas? nunquam epulum videras? nunquam puer, aut adolescens inter cœvos fueras?* Et sanè sic libri nonnulli veteres. Sed meliores penè omnes pro *cœvos* habent *coquos.* Quod meritò præfert Hadrianus Turnebus lib. XXI. Adversariorum cap. XI. extremo. Cicero pro eo dicit *æqualis alicujus*; ut in primo de Divinat. *Apud Philistum, æqualem temporum illorum.* Et in Bruto: *Memoria proditum est, poetas nobiles poetarum æqualium morte doluisse.* Græcas σωήγους vocantur.

Coculam esse vestis genus, liquet ex eo, quòd jungatur cum orario, & guna, veste pelliceâ. Sic enim Cinehardus epist. ad Lullum episcopum: *Orarium, & coculam, & gunam brevem, nostro more consutam.* Si conjecturæ est locus, dixero, nomen inde ducere, quòd similis esset vesti coquinariæ. Nam unde *cocula* potiùs sit, quàm à *coqua*, vel *coquus*: unde *coquulus*, vel *coculus*, ὁ μαγειρίσκος, ut est in Glossis? Imò & *coculum*, vas culinarium ex ære. Gloss. *Coculum*, χάλκιον. Festus, sive Paulus Diaconus: *Cocula, vasa ænea coctionibus apta. Alii cocula dicunt ligna minuta, quibus facilè decoquuntur obsonia.* Ubi vide, quæ ex Varrone, & Isidoro, Scaliger annotavit.

Cœnadicum quid sit, indicat Odo, Abbas Glannafolienſis in Translatione S. Mauri † cap. VI. §. XXXII: *Wilfuinus quidam, vir clarus secundùm seculi dignitatem, atque in equestri ordine nonnullos præcellens, cùm toto quadragesimali tempore censum piscium (quem more provinciæ cœnadicum*

† *In vitis SS. apud Bolland. ad* 15. *Jan.*

dicum vocant) *per vim fratribus abstulisset.* Malim à *cœna, cœnaticum*; quâ formâ dicimus *balneaticum*, & similia. Gloss. *Cœnaticus*, συμποσιακός. Quia in Quadragesimali jejunio pro carnibus essent pisces, pro prandio cœna; Quadragesimalem piscium censum *cœnaticum* nuncupabant.

Cœnobita Ivoni Carnotensi epist. CXCII. A Græco κοινοβίτης: uti hoc à κοινόβιον, quod apud Palladium in Histor. Lausiaca, ubi de Paulo Simplice, & apud tot alios. Imò & Agellii est lib. I. cap. IX. de Pythagoræis: *Coibatur societas inseparabilis, tanquam illud fuerit antiquum consortium, quod re, atque verbo, appellabatur* κοινόβιον. Qui verò κοινοβίτης, is & κοινοβιακὸς μοναχὸς Theophylacto in Matth. cap. XIII. *Cœnobiticus* est apud Ivonem Carnot. epist. CCLXIX. De hujusmodi, ut in re nova, nolim contentionis funem ducere. Notum quippe, ut monachis Christianis (de Judæis enim, qui Esseni dicebantur, nunc non loquimur) origo fuerit à Paullo Thebæo; sicuti in vita ejus proditum est à B. Hieronymo. Monachorum verò alii seorsum singuli vixere, ut eremitæ; alii gregatim, ut cœnobitæ.

Cognitior, pro notior. Leges Wisigothicæ lib. IV. tit. V. leg. VI. Fortasse tamen prorsus abstinuerint veteres. Sed hoc tempore nullus memoriæ observatur.

Cognoscibilis non facilè dixero; sed cum classicis, Tullio præcipuè *cognitionem habens.*

Colimpha, quasi *colymba*, ἀπὸ τῆ κολυμβᾶν, natare. Navicula erat urinatoria, in quâ qui foret, etiam eâ aquis obrutâ, non indigeret lumine, quia speculi electrini, vel vitrei beneficio pelluceret. De ea sic B. Hieronymus: *Asserit* (Ister,) *Alexandrum magnum illuc per obsidum fœdera peracceſſiſſe, ob hoc tantùm, ut hac cauſſa navalium induſtriam conſideraret, & aſtutiam. Et ultrà, quàm credi poteſt, de eo famoſiſſimas fabulas inquiunt. Ajunt enim, in ipſas colimphas ipſum Alexandrum introiſſe, & profundum conſcendiſſe, usq; ad imum, ut ſciret Oceani profundum, & differentiam maris, & abyſſi. Nobis verò incredibile videtur.* Memini, me eampse historiam legere in Jacobi Magni Toletani Sophologio. De Istro verò, unde ea produntur, egimus in Græcorum Historicorum Historia. Præterea de eo vide-sis verba etiam memorata referentem Martinum Opitium, Notis eruditis ad Rhythmum Teutonicum de S. Annone, Archiepiscopo Colonienſi *.

* *Pag. 28. & 29. edit. Dantiſc. an. 1539.*

Colla-

Collaterales dicunt, quorum alter alterius latus claudit. Ac ad alia etiam extenditur significatio. Utitur eo vocabulo Petrus Blesensis epist. xv. Habes & in Constitutionibus Neapolit. lib. I. tit. LIII. Leg. II, & lib. II. Tit. x. item Speculo Saxonico lib. I. Artic. XVII. §. III. Interim *lateralis dolor* ipsius Plinii est, atque adeò Lucilii: cujus hoc in satyris:

Nam lateralis dolor certissimus nuncius mortis.

Collegiata Ecclesia legas apud Carolum VI. in edict. de immunitat. & Rep. Eccles. † & in Concil. Pisan. Promotionib. * Etsi verò ea vox ignota sit classicis scriptoribus: non tamen planè barbara, cum in Codice Theodosiano legere sit, *Municipes collegiati, & corporati urbium*, lib. v. de locat. fundor. jur. emphyteut. Nempe ex civitatibus publici ministerii caussa conscripti, ac certum corpus, & collegium constituentes. Nullo modo audiendus est Isidorus, quando sic scribit lib. IX. Orig. cap. IV: *Collegiati dicuntur, quòd ex eorum collegio, custodiisque, deputentur, qui facinus aliquod commiserunt. Est enim sordidissimum genus hominum, patre incerto progenitum.* Quæ profectò nec unius sunt assis.

† *Pag. 210.* * *Pag. 200.*

Collistriagialis pœna, ut suspicor, ea dicebatur, quâ collum stringeretur; hoc est, qua alicui laqueo pereundum. Matthæus Parisius in rege Joanne an. CIↃCCIII † *Eodem anno rex fecit generaliter acclamari, ut legalis assisa panis generaliter sub pœna collistrigiali observaretur.*

† *Pag. 200. edit. Tigurina; at pag. 208. edit. Lond.*

Colludiosum, de eo, quod est colludentium inter se; quando nempe lis simulatur, atque ita caussa proditur. Petrus de Vineis lib. v. cap. XCIV: *Per colludiosas probationes.* At *colludium* est apud Solinum, cap. XVIII †, & Sidonium lib. I. epist. II: ut præteream juniores multò; quales Flodoardus lib. II. cap. II, & Aldhelmus, de laude Virginit. cap. x. Similéque *inludium* apud Tertullianum de Resurrectione Carnis.

† *Sive ex distinctione Salmasiani codicis cap. 12.*

Colobium accepere Latini juniores à sui temporis Græcis; qui itidem κολόβιον dicunt, quasi κολοβὸν, hoc est, mutilum, eò quod careat manicis. In Glossis Arabicolatinis, voce *Levitonarium, sine tunicis*, corruptè legitur pro *sine manicis*. Usi è Græcis Codinus in Originibus Constantinopolitanis, & Dorotheus Doctrin. I. E Latinis habes in Codice Theodosiano lib. XIX. tit. X; apud Cassianum Institut. lib. I, sive de habitu monachorum cap. V; Isidorum lib. XIX. Originum cap. XXII *; item in libro de veteribus Ecclesiæ ritibus, qui Carolo M. tribuitur, cum sit totus ex opere Albini Flacci Alcuini de officiis divinis: adhæc apud Anastasium de vitis Pontificum cap. XXVIII, sive in Eutychiano. Audiamus quoque Servium in hoc Maronis I. Æn.

* *In* Colobium, & Levitonarium.

Romanos rerum dominos, gentemque togatam.

Bene gentem, quia & sexus omnis, & conditio, togâ utebatur: sed servi nec colobia, nec calceos, habebant. Atque idem in illud IX. Æn.

Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ.

Tunicæ, inquit, *vestræ habent manicas: quod etiam Cicero vituperat, dicens: Manicatis, & talaribus tunicis. Nam colobiis utebantur antiqui.* Usi sanè; ut rectè hîc ait Servius. Voce tamen *colobiorum* non usi. Erant verò duo tunicarum genera. Quædam enim habuere χειριδωτὰς, sive manicas: ut Pœnis, ac Romæ etiam feminis. His brachia tegebantur usque ad καρπὸν manus; unde & *manicatæ*; & *manuleatæ*; item χειριδωτοὶ, ac καρπωτοὶ, dicebantur. Aliæ autem ex parte quidem tegebant lacertos, at non brachia; imò nec lacertos usque ad cubitum, sed partem lacertorum humeris propiorem: ut ex veterum statuis cognoscere est. Posterius hoc tunicarum genus colobiorum habuit nomen; quia, ut dixi κολοβαὶ forent, sive mutilæ. Cur colobia amarint Ægyptii monachi, exponit Cassianus loco superiùs designato: uti & antè memoratus nobis Dorotheus Doctr. I. Usi quoque sacerdotes: sed postea iis dalmaticæ successerunt; quia vestis ea, ut splendidior, commendare sacrum ordinem videretur. Adducam de eo verba Anselmi, antiqui Decretorum Collectoris, quæ ille ex Eusebio adducit nescio quo: ex Anselmo autem refert Ciacconius, annotationibus in Cassianum †: A S. *Sylvestro, & presbyteris ejus, colobiorum usus sumsit initium: & Marcus, & Iulius, & Liberius, eo ordine sunt usi. Post hos autem colobia in dalmaticas commutata sunt: visum est enim melius huic proposito convenire, quòd accuratiùs magis adspectibus placere valeat.* Sed de collobii in dalmaticam commutatione, pleniùs ex iis liquebit, quæ libro sequenti de Dalmatica dicentur.

† Pag. 674. edit. Rom.

Colonitium, quod colonus domino debet. Vide incerti scriptoris formulam XXXII, quæ inscribitur, *Notitia de colonitio.* Alibi etiam in formulis ipsis legas.

Colorus, pro coloratus. S. Gerardus abbas * Sylvæ-majoris in vita S. Adelardi, cap. VIII. §. XXXVII: *Erat tamen decoris gratiâ venustus, discretâ macie, satis admodum colorus.* Cæterùm non multùm abit à *florus*, pro floridus. Sic locuti Nævius, Pacuvius, Attius, &, judicio P. Colvii †, Maro ipse XII. Æn.

* In vitis SS. ad 2. Jan.

† Notis in Appul. 8. Met.

Comerciarius, vel potiùs *commerciarius*, in vita S. Anastasii Persæ martyris *, cap. IV. §. XXVII, à commerciis videtur sic dictus; quomodo

* In vitis SS. ad 22. Jan. apud Bolland.

modo idem fuerit ac negotiator, vel mercator. Κομμερκιάριος & similiter dixere Græci posteriores: in his Constantinus de Administratione Imperii. Quid mirum? quando iidem nec refugerunt κυμμέρκιον, vel κυμέρκιον, pro *commercium*: atque inde etiam formarint κομμερκεύειν, *commercia exercere*. Nihil, puto, opus adscribere auctores sic locutos: quando apud Meursium in Glossario legi possunt. Vicinum est *commercius*; de quo mox dicam.

Comicia, pro dignitate *Comitatus*. Cæsarius lib. VIII. Mirac. cap. XXVI: *In Comicia de Monte*. hoc est, Comitatu Bergensi. Item. lib. IX. cap. XLVIII: *Lodovicus, Comes Lossensis, etiam Comiciam tenebat de Reinecke*.

Comitatensis fabrica, apud Ammianum Marcellinum lib. XVIII. Sic, ubi priùs *Comitenses* legeretur, è Mssis rectè reposuit Lindenbrogius. De illo tamen Henrico Valesio adsensero, quòd hîc non agatur de Fabricensibus, de quibus in Notitia imperii; sed per tralationem sic vocentur, qui in comitatu Constantii Cæsaris primas obtinerent.

Comitatio, pro comitandi actu, vulgare est. Pro quo *comitatus* veteres maluere.

Comitissa, pro domina Comite, legas apud Leonem Ostiensem Chronici Casinensis lib. I. cap. XLVII: *Omnia quæ Isesgarda Comitissa obtulit S. Benedicto*. Sed de isto abunde dictum lib. I. cap. XLVII.

Comitiva, pro societate, sive comitatu viæ. Petrus Blesensis epist. XIV: *Quamdiu vestrâ usus sum comitivâ, qualibet dies, in qua Domini Regis alloquio non fruebar, mihi tristis, & nubila videbatur dies*. Idem Blesensis epist. XX: *Revertor ad Dominum vestrum, cujus familiaritatem, & suavissimam comitivam, perdidisse me doleo*. Petrus de Vineis lib. III. epist. XXIII: *Tantorum principum societate, tam gratificâ comitivâ suffulti*. Similiter Beka in vita Willebrordi episcopi I, & Turocius in Histor. Hungar. Apud Cassiodorum etiam hæc vox; sed pro dignitate, invenitur. Locus est lib. III. Var. epist. XII: *Accedit etiam provecti* (illustris Argolici ad Præfecturæ Urbanæ dignitatem) *nobilissimus pater, qui Comitiva Privatarum insulas nullius acerbitate calumnia profanavit*.

Commater est in Legg. Longobardicis lib. II. tit. VIII. leg. V, & in Capitulari Benedicti Levitæ lib. VI. cap. CCCXCVI. Malim ego dicere offerentem, vel susceptricem, vel sacræ initiationis arbitram. Vide paullo inferiùs *Compater*.

Com-

Commercius, pro negotiationis socio, finxere ad modum, quo *commercium* dicitur. Incertus scriptor formularum veterum in Collectione Bignognianâ, formulâ XLV, quæ est indiculus Regalis †: *In quoscunque portus civitatis, seu mercada, nullo contradicente, suus venditor, vel commercius, quodlibet negotium potestatem habeat vendendi.* Vide superiùs *comerciarius*. † Pag. 272.

Commendatorius, pro *commendatitius*, eò usque refugiam, donec incidero in idoneos scriptores, qui præiverint.

Commensalis, qui eâdem utitur mensa, Petro Blesensi epist. XVIII. Purè loquentibus est *convictor, socius mensæ.* Sumtum autem ex Græco συνεσθίων.

Commissarius est pervulgatum. Sed rectiùs *judices* dixeris, vel rei *inquisitores.*

Commodioritas, non dico in Latinis, sed ne in barbaris quidem meretur locum. Ut quod nemo vel Latinus, vel barbarus, usurpârit. At inquit doctissimus amicus noster in auctario Philologico, saltem posterioris esse ævi vocabulum; quale *prioritas*, & *superitas*; ostendit glossarium vetus; ubi est *Commodior ætate*, τῇ ἡλικίᾳ: nec enim dubitandum, quin scriptum fuerit, *commodioritate.* Hæc non operosum fuerit refellere. Nam scripserat glossographus, *Commodo tibi, commodor à te.* Hinc subjecerat Græcam interpretationem; quæ temporum injuriâ deperiit. Inde sequebatur. *Commodato*, quod itidem excidit. Hujus interpretatio fuit, τῇ χρήσει.

Commonitorium videtur, quale *commonitio* est apud Quinctilianum. Sed non arbitror, quemquam Quinctiliani ætate, nedum Tullii, priori usum esse. At legas in Codice Justinianeo, *commonitoria sententia, commonitorium suffragium, commonitoria instrumenta.* Imò & apud Ammianum Marcellinum est lib. XXVIII: *Commonitorium repertum est manu scriptum Hymelii.* Item postea: *Commonitorium cum Augusti literis tradidit.* Adhæc in Codice Theodosiano, lib. III. tit. XXIX, ubi imperatores, Theodosius, Arcadius, & Honorius: *Quod siquis, dum solo commonitorio de suffragio nititur, bona duxerit occupanda.* Vincentius Lirinensis præfat. libri adversus hæreses: *Sublevanda recordationis, vel potiùs oblivionis meæ gratiâ, commonitorium mihi paràsse sufficeret.* Unde & vetus libri inscriptio promanavit, *Commonitorium Peregrini adversùm hæreticos.* Primitus enim Vincentius, ut est apud Gennadium in Catalogo, dissimulato nomine inscripserat, *Peregrini adversùm hæreticos.*

cos. Mitto his juniores: ut Anastasium bibliothec. in Gregorio II, atque alios. Græci quoque κομμουνιτήριον dixere: ut Euagrius lib. II. cap. XVII, Justinianus Novellâ XXVIII, Suidas item, apud quem κομμουνιτήριον scriptum. Meursio etiam adsentio apud Gregorium Dialogo de Vitis Sanctorum lib. III. pro κομουντέριον emendanti Κομμουνιτόριον.

Communiam dixere fœdus, vel conspirationem eorum, quorum communis causa videtur laborare. Aimoinus lib. v. de Gestis Francorum cap. LIII: *Senonensis civitatis burgenses *, adversus abbatem S. Petri Vivi Herbertum in iram concitati, quia communiam eorum dissolvi fecerat, eum truculenter necaverunt.* Idem cap. LVI: *Contigit, quòd Vizeliacenses burgenses, communiam inter se facientes, adversus dominum suum Abbatem, & monachos, superbiâ inflati insurrexerunt, eosque diutissimè infestatione maximâ afflixerunt. Communiter siquidem conjuraverant, quòd Ecclesia dominio ulteriùs non subjacerent.* Ac postea eopse capite; *Super injustâ inquietatione Vizeliacensis communia.* Item: *Qui prædictam communiam manutenebat.* Item: *Communiam dissipari faceret.* Adhæc: *Quid de prædictâ communiâ faceret.* Item: *Quod communia deinceps non consentiret, sed eam penitus dissiparet.* Item: *Communiam relinquerent, & deinceps non iterarent.* Ex quibus satis liquet, *communiam* dixisse, quod Cicero vocat *animum, ac voluntatem communem aliquid defendendi.* Usurpat quoque Ivo Carnotensis epist. CLXXX: *Ut per Radulphum Balgejacensem aliquanto prolixas induti.as detis prætaxato Arnulfo, non de minoranda justitia ecclesiastica; sed tantummodo de non ducenda super eum communia.* Hoc est, ne, qui se ab archiepiscopo læsos arbitrantur, in communi causa porrò conspirent, eique Romæ multum negotii faceſſant. Similiter *jurare communiam* est apud Rogerum de Houeden Annal. Tom. II. Videntur & *communiam* dixisse bona, quæ non unius forent domini: ut bona indivisa, unde pro rata portione fructus ad quemque redit. Formul. LVII.† : *Una cum terris, sylvis, campis, pratis, communiis, nec non & mancipiis ibidem commanentibus.*

* *Cives, sive burgi incolæ.*

† Pag. 1244. edit. Lindenbrog.

Comodia, vel *commodia*, diversoria, quia iter facientibus commoda. Isidorus in Glossis: *Comoda, ostiaria.* Ubi *ostiaria* plane Italicum *hostaria.* Utitur Historia Austriaca. Vide, quæ de isto Meursius in Glossario, voce Κόμοδα.

Comparilia censeo vocari bona, quæ in loco certo fuisse, idoneis possit testibus comprobari. Legg. Bajovar. tit. IX. cap. II. §. V: *De minore verò, quod scopar appellant, cum ..... sol. componat, & universa com-*

parilia restituat. Sententia est, eum, qui intenderit minorem scuriam, sive horreum, (quod *scopar* vocari, dictum libro præcedenti cap. XVII*) duplici pœnâ teneri: ac priorem esse, ut persolvat certum solidorum numerum: qui quantus fuerit, librariorum incuriâ ignoratur. Sanè nec in Tilii, nec Lindenbrogii editione, exprimitur. Alteram pœnam esse, ut idem incendiarius refundat pretium omnium, quo constitissent ea, quæ in horreo istoc minori, ante incendium, comparuissent. Indeque *comparilium* nomen; quia, latâ hac lege, ubi de incendiario constiterit, haut aliud supereſt, quàm ut actor probet, quæ comparuerint priùs.

* *In* Scuria.

Compassio, vel *condolentia*, pro συμπάθεια, sive *misericordia*. Arnulphus, Lexoviensis episcopus, epist. XII: *Audità sanctæ Romanæ Ecclesiæ turbatione, condolui, quia dolorem matris audire sine compassione non poteram filius specialis.* Cæsarius lib. VI, cap. V: *Quidam dixerunt, nunquam se legisse de aliquo homine, qui tanta fuerit circa pauperes compassionis.* Anonymus de Genealogia regum Daniæ, à V. Cl. Stephano Stephanio editus è Mſſis: *Adsunt ministri diaboli, absque ulla compassione victimam Domini sævis manibus rapientes.* Sed de isto etiam in verbo *Compatior* dicemus.

Compater, qui de sacri baptismatis fonte elevat, sive susceptor, vel sacræ initiationis arbiter: Tertulliano is, libro de baptismate, cap. XVIII, dicitur *sponsor fidei*; Augustino, lib. I. de peccatorum meritis cap. XXXIV, & epist. XXV, *offerens*. *Compatris* vox obtinuit jam ætate Caroli M. quippe cujus tempore celebratum fuerit Concilium Moguntinum; ubi legas cap. XLVII: *Ut compater, vel proximi, filiolos suos spirituales catholicè instruant, præcipimus.* Habes etiam in Capitulari Ansegisi lib. II. cap. XXXIX. Junioribus quoque frequens ea appellatio. Contentus ero indicare Cæsarium lib. V. cap. XXXIX, & lib. II. cap. XXIV. Item vitam Joannis Eleemosynarii cap. IV, §. XXI†. Indeque *comparernitas* apud Turocium. Barbarè dici *compatres* & *commatres*, quasi Latinè *Baptismatis testes* diceremus, notat Jacob Henrichmannus in Instit. Grammaticis in Præfat. ad Studiosos Anno 1508. ut barbariem eliminent. Jocabatur versu Frischlinus:

† *In Vitis SS. ad 23. Ian.*

Propater esse volo, sed nolo compater esse.

Eosdem ignavi etiam *Patrimos* falsè nominant, cum *patrimus* eum, qui patrem adhuc viventem habet, significat, eodem notante. Vide superiùs *Commater*, & inferiùs *Matrina* & *Patrimus*.

Com-

Compatriota est apud Guihelmum Malmesburiensem lib. I. de gestis Anglorum, & Petrum de Vineis lib. III. cap. XLI. Guarinus Veronensis epigrammate, quod primæ Catulli editioni præmisit *:

Ad patriam venio longis de finibus exul.
Causa mei reditus compatriota fuit.

* *Regii Lepidi, ann.* 1481.

Pro eo *sympatriota*, vel *conterraneus*, dici oportere, commonui lib. I. cap. XIX. Ivo epist. CIX. etiam usurpat pro eo *conregionalis*. Sed nihil opus fingere ejusmodi, ubi vetera suppetunt bona.

Compauperatus non refugit B. Bernardus serm. ad Fratres de monte Dei, & Petrus Blesensis epist. CXXXVII. Malim, pauper factus, ad paupertinam sortem redactus.

Complacentia habes in Concilio Senonensi. *Complacentiam habere in aliquo*, oblectare se aliquo, in aliquo acquiescere.

Complanus, pro planus. Petrus Blesensis epist. CIV: *Descendamus in complana, ubi valles abundabunt frumento.* Verùm uti *planus* dicimus; nõ *planare*, sed *planũ facere*: ita rectum est *complanare*; non item *complanus*.

Completorium, pro complemento. Ludovicus I. Kapitularium Addit. I. cap. XII: *Priusquam lectio completorii legatur, bibant.* Item cap. XLVIII: *Ut benedictio post completorium à sacerdote dicatur.* Auctor vitæ S. Huberti Leodicensis: *Officium completorium cecinimus, cubitumque recessimus.* Item Cæsarius lib. I. Mirac. cap. XXV, scriptor Chronici Cistercienses *, & ante hosce omnes S. Marcellinus in vita S. Suiberti. Imò in Regula S. Benedicti cap. XLII. legas: *Omnes in unum positi compleant, & exeuntes † à completorio nulla sit licentia denuo cuiquam loqui aliquid.* De hora completorii vide sis Durandum Rationalis lib. V. cap. X. & Durantum de Ritibus Ecclesiæ lib. III. cap. XII.

* *Pag.* 55.

† *Pro*, exeuntibus: *vel potiùs*, ubi exierint.

Complices, pro facinoris sociis, est apud Prudentium σὺν συμφάνοις:

——— *Perdere*
Puerum, ac magistrum, complices sectæ impiæ.

Usus & Salvianus lib. II. de Avaritia, Cassiodorus non semel, scriptor vitæ Ludovici Pii *, Rhegino Abbas Chronic. lib. II, Flodoardus lib. II. cap. XX. Alexander Papa in Edicto suo apud Arnulphum Lexoviensem episcopum: cujus est *, *Cum tribus malitiæ suæ complicibus.* Fulbertus Carnot. epist. XLV, Ivo Carnotensis epist. L. ad Rickerium, Senonensem Archiepiscopum; imò is nec in singulo numero refugit epist. LXIII: adhæc Leo Marsicanus in Chronico Casinensi lib. II. cap. LX, Baldericus in Chronico Cameracensi lib. I. cap. XVII, Petrus de Vineis lib. III. epist. V,

* *Pag.* 370. *vers.* 28.

* *Pag.* 26.

Beka in vita Andreæ Episcopi XXV. & Hereberti Episcopi XXVI. Etiam in Conciliis reperias: uti Toletano III. can. II, & Meldensi cap. X. Omnino autem semibarbarum est. Ajunt Ciceronem uti primâ in Catilinam invectivâ: *Sin tu exieris, exhaurietur ex urbe tuorum complicium magna, & pernicioſa ſententia Reipublicæ.* Sed pro *complicium*, ut jam olim Valla vidit, *comitum* legi debet: pro *ſententia* autem *ſentinæ*. Atque ita meliores omnes codd. Monitumque idem H. Stephano in Pseudocicerone †.

† Pag. 41. 42.

Compotiſta est apud M. Joannem de Thvvrock in Chronicis Hungaricis partis II. cap. XCVII: *Quorum VValachrorum numerum, ibi per Vngaros occiſorum, ſubtilis ſolummodo infernalis compotiſta collegit. Compotiſta*, rationum conficiendarum intelligens: nempe pro *computiſta*, à *computando*, unde *computus*; quam vocem non semel habes in Appendice Kapitularium Karoli M. Sed longè est Karolinis temporibus vetustior. Vide, quæ dixi lib. I. cap. XVIII.

Concagatus est in Lege Salica tit XXXIV. §. II: *Siquis alterum concagatum clamaverit*, Gloſſar. *Conchagatum*, *ſordidatum*. Priores dixissent *concacatum*. *Concacare* ipsius Senecæ est.

Concanonicus lego apud Ivonem Carnotensem epist. CXXXVII, & Petrum Blesensem epist. XLIX. Et tamen, pòstquam Sereniſſimus magnæ Britanniæ Rex Karolus, pro divina erga eos benignitate suâ, qui de Ecclesia, ac literis, bene mereri ſtudent, in Canonicorum Metropolitanæ Cantuariensis Ecclesiæ Canonicos sive præbendarios me ex Belgica hac unicum adlêgit, verear collegarum alios, viros pietate ac doctrinâ eximios, *concanonicos* appellare. Potiùs *ſyncanonicos* dicerem, ne vox hybrida sit. Quare non simile est, ac *collega*, *condiſcipulus*, ac similia; quæ ex Latinis duobus sunt conflata. Quid quòd ne in istis quidem hujusmodi compositio semper conceditur? Uti liquet ex *concivis*, *confœderatus*, atque aliis; de quibus dictum lib. I. cap. XIX.

Concludio an rectum sit, in *Conludio* dicam.

Concordantiæ etiam vocabulum fecere librorum titulum. Sed Latinè in vocabulis dixeris *Indicem omnium vocum*: in rebus, *conſenſum*, aut *concentum* nuncupes; vel cum Græcis *harmoniam*, aut *loca parallela*.

Condium, mensuræ genus; quia conditur eâ quantum capit. Gregorius Turonensis in vita S. Caluppani Recluſi: *At ille, munere cæleſti congaudens, concavum in lapide parvulum, in modum ciſternæ, faciens, quod tenebat quaſi condia duo, lymphas divinitus ſibi indultas ſuſcipiebat.* Nec alibi tamen *condia* me legisse, nunc reçordor. Fortasse igitur *congia* scri-

scripserit. Nempe ut, illo seculo, recto singuli numeri non *congius* modò, sed etiam *congium*, usurparint.

Confabulatio vulgare est. Sed *colloquium* malim. Græis est λέσχη.

Confinales est apud Monachum Engolismensem de vita Karoli M. *Conterminos*, vel *finitimos*, dixero: vel si ab antiquis abire visum, *collimitaneos*: uti Solinus *collimitor*, *collimitium*, *collimitatus*.

Confrater, pro collega, sive qui eodem munere fungitur. Usi Ivo Carnotensis epist. CXXXIII, & Galfridus Monemuthensis lib. XI. cap. III. Hinc *confratria*, pro collegio, in Historia Albigensi cap. XLI*. Simile est *consoror*. Utitur Cæsarius lib. XII. Memorabilium cap. XXXVI. *Confrontare.* * *Pag.* 100.

Confugium, ut *perfugium*, dicit Glaber Rodulphus in vita S. Guiljelmi † cap. I. §. II. *Compertens prædicti Berengarii uxorem in quoddam castrum, situm in lacu urbis Novitiæ, feciſſe confugium.* Hoc est, confugisse. † *In vitis SS. ad* 1. *Jan.*

Congellus, pro *syncellus*, σύγκελλος, quasi ejusdem cellæ contubernalis: cujus dignitas ab illa Patriarchæ erat proxima. Notkerus Balbulus in Martyrologio: *Cùm plurimos discipulos, vel socios, sanctitatis suæ dispares habuisset; unum tamen, congellum scilicet, Latinè fausti nomine illustrem, præceptorem beatissimi Columbani, magistri, domini, & patris nostri Galli, virtutum, ac meritorum suorum quasi unicum, exemplo Isaac, reliquit hæredem.*

Conludio, conlusio, vel collusio. Leges Bajuvar. tit. VIII. qui est de Furto, cap. VI: *Ille, cujus conludione crimen admissum est, tanquam fur, damnetur.* Ita rectè editio Tiliana: ubi, errore typographi, *concludione* est in Hamburgensi. Sed nec Solinus pro eo *conludium* refugit, Ut mirari non oporteat, si idem reperias in Decreto Childeberti cap. VII.

Conradium, *conredium*, & *corredium*, significant certam cibi mensuram, in cœnobio alicui adsignatam; vel universè, præbendam, aut pensionem. Quâ de re plenius in Glossario suo Spelmannus. Usurpat Matthæus Parisius in vita Guilhelmi, abbatis XXII. S. Albani: *Duo conradia monachalia exigentem jure perpetuo ex dono cujusdam Abbatis.* Item in vita Joannis, abbatis XXIII: *Exigens conradium cotidianum abbatis sibi perpetuò ad opus leprosarum ibi manentium concedi.* Ac mox ter repetit. Idem in Additamentis *: *Terras consuetudinarias in libertatem, novas infeudationes, vel hæreditaria conradia, vel liberationes, alicui non concedant, sine conventus sui consilio, & assensu.* Usus etiam Rex Guiliel- * *Pag.* 296.

mus Edicto suo, quod legitur in Constitutionibus Neapolitanis sive Siculis, lib. III. tit. XVIII: *Cum in eorum terris nos hospitari, vel corredium ab eis recipere contigerit.* Semel, iterumque, ibidem pro eo *corredum* scribitur. Possit *corradium* dictum videri, quia ad alimoniam sit corrasum, collectumque. Sed puto *corredum*, vel *corredum*, esse ab edendo. Aut, si *corrodium* malis, à corrodendo. Nec tamen in ejuscemodi conjecturis ipsi mihi satisfacio.

Conregionalis, qui ejusdem regionis; ut *conterraneus*, qui ejusdem terræ. Ivo Carnotensis epist. CIX. quæ ad Papam Paschalem: *Unde ego, & quidam conregionales nostri, hoc murmur non æquanimiter accipientes, utpote Romanæ Ecclesiæ filii unanimes, scribere decrevimus sanctitati vestræ.*

Conscholaris, pro condiscipulus. Petrus Blesensis epist. LXXXVI: *Quandoquidem te habui conscholarem.* Joannes Saresberiensis epist. CLXXII. ad Comitem Henricum †: *Idem quoque tres Prophetæ, & conscholares eorum, scripserunt librum Esther, quam vulgata opinio ab Esdra compositum asserit.*

† Pag. 234.

Conscientiosi voce barbarâ carere possumus, cùm pro eo dicere liceat, justum, numinis metuentem; nihil acturum, quod iniquum putet; etiam in minutiis sollicitum, ne fortè quid agat præter fas, & æquum; qui omnia, quæ agere paret, ad divinam exigat voluntatem; qui minutiùs, & scrupulosiùs, omnia acta agendaque expendat ad lancem legis divinæ; cui religio sit quicquam aggredi, quod existimet posse displicere Deo, & bonis. Inter eos, qui usurpent, etiam est Thomas à Kempis lib. I. de Imitatione Christi cap. IV: *Cum sapienti, & conscientioso viro consilium habe.*

Constabularius, *constabulus*, & *coneſtablus*, quasi Comes stabuli; ex Italico *conto*, quod est *comes*; & *stabula*, vel *stalla*, quod idem ac *stabulum* signat. Regino Prumiensis Chron. lib. II. ad annum CIↃ X: *Burchardum Comitem stabuli sui, quem corruptè constabulum appellamus, cum classe misit in Africam.* Verius id puto, quàm ita dici à *constabulare*; quod Junio Columellæ est diversa animalia eodem fovere stabulo. Sæpe *Constabularis* voce usus Guilielmus Tyrius de bello Sacro; item Matthæus Parisius. Etiam habes in Sigeberti append. in ann. CIↃCLXV; & apud Rogerum de Houeden Annal. Tom. II. Crebrò etiam apud Thomam Walsingamum. Veteribus Francis dictus *Comes stabuli*; ut videre est ex Hincmari Rhem. epist. III. cap. XVI. Anonymo de bello

sacro

sacro simpliciter *stabularius* vocatur lib. VIII. cap. VI: *Conradus, Henrici III. stabularius.* Vulgò Stal-meester. Vide sis Watsium in Glossar. & imprimis Spelmannum.

Consuetudinarium, liber in monasteriis, quo continentur conventûs consuetudines. Matthæus Parisius in vita Pauli XIV. abbatis S. Albani: *Hic quoq; consuetudines ----- approbavit, & conservari persuasit; quas qui videre desiderat, in consuetudinario scriptas poterit invenire.* Meminit & alibi in eapse vita.

Consularius, pro *consularis*. Freculphus Chron. Tom. I. lib. II. cap. XVI: *Quicquid Diceneus, eorum Consularius, præcepisset, hoc modis omnibus expetendum, hoc utile dijudicantes † fore.* Nempe Freculphus secutus est Græcos, qui dicunt κονσιλάριος, vel κονσελάριος. Priori modo ea vox exarata est apud Constantinum Them. Orient. I, & XV: posteriori autem apud Justinianum Novell. VIII. ac similiter Hesychius: Κονσιλάριος ὑπατικός. Rectè Græci, qui Latino vocabulo dant terminationem Græcam: sed malè Latini, qui Latinum vocabulum in sermone Latino malunt corrumpere, Græcorum exemplo. Idem de similibus dixero. Ut in Hesychio, qui aliquorũ vitas breviter complexus est, & cognomentum habuit *Illustris.* Græcis ille non Ιλλοῦστρις, sed Ιλλούστριος: at si Latinè nominandus, non *Hesychium, Illustrium*, sed *Illustrem* dixero; etsi plerique aliter.

† *Pro* dijudicantes *puto legendum* dijudicarent.

Contectalis, qui quæve, sub eodem habitat tecto; & particulatim uxor. Vita S. Kunegundis Imperatricis cap. I: *Sanctus Henricus, cognomento Pius, gloriosissimum Romani imperii decus, ejusq; dignissima contectalis, pia memoriæ Chunegundis, Augusta & Imperatrix.* Aliqui suspicantur, scribendum *conlectalis*, à lecto; quod apud Dithmarum. Sed nihil mutandum. Nam sic Imperator ipse S. Henricus in diplomate super Helingersberge: *Interventu dilectæ contectalis nostræ Chunigundæ.* Ita etiam Conradus II. in privilegio de anno 1039. Canuto Ludovico (Landgrafiorum Hassiæ præsente) concesso: *Notum esse volumus, qualiter nos ob interventum dilectissimæ contectalis nostræ Gisela.* Exempla in Diplomatibus variis obvia.

Contemporalis, & *contemporaneus*, dici solet, qui Græcis σύγχρονος. Malim *æqualis, ejusdem ætatis scriptor*, vel simile. Usus priori Lupus Servatus, Hincmari æqualis, præfatione in vitam S. Wigberchti: *Hieronymus Paulæ suæ vitam, quæ certè remotissima fuerat, literis illustravit; & antistes Ambrosius virginis Agnes passionem, cui profectò contemporalis non*

non fuerat, editam reliquit. Et quid Lupum allego? quando legas apud Tertullianum adversus Valentin. cap. LII. Et sanè facta vox ἀναλόγως, cùm similiter *extemporalis* dicamus; de quo dictum libri primi cap. undevigesimo. Malim nihilominus loqui cum antiquis. At Sigebertus Gemblacensis ne quidem refûgit *contemporalitas*, pro συγχρονισμός.

Contenementum, pro habitu, gestuque; à *con*, & *teneo*: atque hinc Gallicum *la contenance.* Ac simile *manutenementum*, *manutenentia*, pro patrocinio, sive tutela; & inde Gallicum *maintenir*, quasi manu tenere; ut Latini dicunt, *liberali manu asserere.* Simpliciter *tenementum* sæpius habes apud Matthæum Parisium in anno CIↃ CLXIV. ubi de sexdecim capitulis consuetudinum, sive libertatum †. Item in charta libertatum à Rege Joanne concessarum *. Atque ibidem etiam legas, *salvo contenemento suo.* Explicatur *Tenementia* Goldasto in Glossario, *Regio, tractus & terra, quam quis tenet & possidet.* Vid. Guil. Somneri Glossarium v. Tenementum & Manutenere.

† *Pag.* 96. & 97. *edit. Tigurina an.* 1598.

* *Pag.* 248. *edit. ejusd.*

Contina, pro templis, à Slavis dicebatur, origine Latinâ; quia continerentur iis Deorum simulachra. Andreas Abbas lib. II. de vita Sancti Othonis cap. XXX. †: *Omnes illa contina, numero quatuor, mirâ celeritate confracta sunt, ac direpta.* TIEMO. *Quare illa templa vocabant continas?* SEFRIDUS. *Slavica lingua in plerisq; vocibus Latinitatem attingit: & ideo puto, ab eo, quod est continere, continas esse vocatas.* Et cap. seq. *Erant autem in civitate Stetinensi contina quatuor: sed una ex his, quæ principalis erat, mirabili cultu, & artificio, constructa fuit.*

† *Habes in Divis Bamberg. editis à Gretsero Ingolstadii ann.* 1611.

Continentia, pro συνόψει, sive *conspectu*, vel *argumento*; quomodo Fulgentius Grammaticus *De Continentia Virgiliana* scripsit. Usus & Cæsarius Miracul. lib. II. cap. X. Item Falco Beneventanus in Chronicis †: *Legatus literas hac omnia continentes præfato dedit Crescentio; qui magis magisq; confusus, literarum continentias adimplevit.*

† *Pag.* 258.

Contoralis, pro tori consorte, apud Bekam in vita Rixfridi Episcopi VII: *Ac Erimgardam, suam contoralem.* Similiter Turocius in Histor. Hung.

Contrapassum, injuriæ vel damni compensatio æqualis; reciproca perpassio. Utitur Thomas Aquinas, estque deflexum ex Græco ἀντιπεπονθός.

Contribulis est apud Gregorium Turonensem de gloria Confess. cap. XCVI. Pro eo *tribulis* esse dicendum, ostendi lib. I. cap. XIX.

Conversabilis, comis, natus ad conversationem.

Con-

Conviator, pro *comes*: ut apud Petrum Damiani lib. II. epist. XV *: *Adraldus, dum in Burgundiæ regno mihi conviator incederet.* * Pag. 212. Parij. ann. 1610.

Convicinium, παροικία, ut est in Gloss. Mssis.

Coopertorium, vestis genus, quia cooperit hominem, ac velat; Gregorio Turonensi de vita S. Nicetii †: item Sigeberto in Chronico: *Rejicientes à se quicquid regulæ refragabatur; foricos videlicet, & pelliceas, æstamina, caputia quoque, & femoralia, pectinia quoque, & coopertoria.* Itidem in Chronico legas Cistercienſi *. † Pag. 1874. * Pag. 59. & alibi.

Copiates idem, ac vespillo: quem ejus vocis usum neutiquam esse antiquum, arguunt verba hæc Constantii Augusti, & Juliani Cæsaris, Codicis Theodosiani lib. XVI. tit. XV: *Clerici verò, vel hi, quos copiatas recens usus instituit nuncupari, ita à sordidis muneribus debent immunes, atq; à conlatione præstari, si exiguis admodum mercimoniis tenuem sibi victum, vestitumq;, conquirent.* Etiam in Glossis Philoxeni legas: *Bispelliones, νεκροθάπται, κοπιάται. Bispello, νεκροφόρος.* Observat verò eum ad locum Bonaventura Vulcanius, meus quondam in Græcis post Franciscum Nansium præceptor, *κοπιάται* hic sumi activè, cùm contra passivè *κοπιᾶσαι* dicantur, compositi in sepulchro, qui Latinis propriè *siti*. Nempe *κοπιατὸς* vox est ab activa significatione *τῦ κοπιᾶν*, ut significet eos, qui laborant, seque defatigant in mortuis efferendis, ac sepeliendis.

CAP. VII.

De cœptis à C, *sequente* R, *V, vel* Y. *Hujusmodi sunt*, Creatura *pro re creatâ*. Credentia, *pro adsertione*. Crementum, *pro incrementum*. Crepa, *pro urna ferali*. Crinosus, *pro crinitus*. Cuba, *pro extima navis parte*: cubella, *pro lintre, in quo pasta fiunt: & quid præterea* cuba, *significet*. Cubiculus, *pro cubiculum*. Cuculla, *pro cucullus*. Cucumellum, *sacri vasis genus*. Cumba, *pro lectica, vel cuneo; qui &* gumba. Cupientia, *pro cupidine*. Cupla, *pro copula*. Coprum, *pro ære*. Curabile, *pro medicabile*. Curapalates, *pro curopalates*. Curcilla, *pro insatiabili edendi aviditate*. Curtisanus, *pro aulico*. Cuva, *pro cuppa*. Cyclopædia, *pro ἐγκυκλοπαιδεία*. Cysurgia *videri à librario imperito, pro chirurgia*.

C *Reatura* Theologis quidem perusitatum: sed rectiùs cum veteribus *rem creatam* dixeris.

Credentia, pro eo, quod demonstrat, ac fidem facit. Cicero prò hoc dicit *assertio*. Ut 1. Academic. quæst. *Quibus de caussis nihil oportere, neq; profiteri, neq; affirmare quemquam, neq; assertione approbare.* Itaque *literas assertorias* malim, quàm *literas credentia*; prout vocant eas, quibus magistratus pro subdito facit fidem; ut quas legato præbet, quò ostendat ei deberi audientiam. Matth. Parisius ad ann. cIↃcclii: *Literas, quas nobiscum attulimus de credentia, ex omnibus nobilibus Gasconiæ Regis fidelibus.* Et in ann. cIↃcclxix: *Ostendens literas credentiæ, & favoris.* Aliqui & libellum ejusmodi vocant *certificationem*. Paulus J. C. simpliciter dixit *libellum*.

Credentiarius de eo, qui cibos præguſtat, quem præguſtatorem Credenzer vocant.

Crementum, pro composito suo *incrementum*. S. Gerardus, abbas Sylvæ-majoris in vita S. Adelardi *, prologi §. 1: *Tanto voluptas sit subesse domino; qui non modo fautor est cremento proficientium, sed & remediabiliter providet casibus ruentium.* Nec tamen penitùs damnem; quandò in Glossis Philoxeni reperio: *Crementa, αὐξήσεις.*

* *In vitis SS. ad 2. Ian.*

Crepa, utrùm barbaræ, an Latinæ sit originis, parum liquet. Videtur verò esse capulus, sive urna feralis, quæ Græcis θήκη. Vita Bathildis reginæ, quæ Lotharii Imperatoris mater fuit, cap. iv. §. xxvi †: *Jussit præterea & crepam ex auro, atq; argento, mirificè fabricari: quam super Confessoris membra deponere deberet.* *Crepus* aliud est: sic enim Lupercus, Festo teste, vocabatur. In Mso est *creppus*: sed perperam, ut puto, cùm addat Festus, sive Paulus, vocabulum esse à crepitu pellicularum; quia Luperci, nudi, per vicos, & compita, discurrentes, pellibus ferirent feminas, persuasas sic se fore fecundiores.

† *Apud Bolland. in vit. SS. ad 26. Ian. pag. 736.*

Crinosus pro *crinitus*, Lege Salicâ tit. xxvi. §. 1. & 11. Item in Decreto Childerici, Francorum Regis, cap. 11: *In sequenti hoc convenit laudis nostris, ut nullus de crinosis incestum usum sibi societ conjugio.* Ubi per *crinosos* intellige regiâ stirpe ortos. Nec enim Rex Francorum, vel regio genere nati, tonderi solebant; sed cæsariem per humeros diffundebant. Quo de more vide, quæ in Glossario suo Lindenbrogius, vel quæ inde Spelmannus, annotavit.

Cuba, ut est in Glossario Mso Camberonensi, *extrema pars navis, dicta eò quòd incubet aquis.* Ac apud ultimos barbaræ ætatis scriptores etiam reperias *cubella*, pro lintre, in quo pasta formari solet: ut Rosweido ex Nideri Formicario relatum. At aliud Sabinis *cuba*. Festus:

Cu-

Cubam Sabini vocant eam, quam miliuares lectícam, unde videtur derivatum esse cubiculum. Proque eo & *cumba* videntur dixisse; ut mox referam. Aliud etiam *cuba* Syriæ incolis. Hieronymus in vita Pauli Thebæi: *In cisterna veteri, quam gentili sermone Syri cubam vocant.* Nempe Syris גבא *gebe* notat λάκκον, sive lacum, stagnum. Unde & Macedonius, quòd staret in fossa profunda, dictus *Gubba*; ut est apud Theodoretum, Philothei lib. IX. cap. XIII. Vide *Cumba.*

Cibiculus, (ut & *balneus*) habes in Burdigalensi Itinerario.

Cuculla, vestis monastica, pro cucullus. Forsan placuit, vestem monachalem terminatione distinguere à cæteris culullis. Usus Hieronymus in vita Hilarionis, Cassianus lib. I. Institut. cap. IV. B. Benedictus in Regula sua cap. LV.: *Sufficere credimus cucullam, & tunicam: cucullam in hieme villosam, in æstate puram,* &c. Item Cæsarius lib. I. Mirac. cap. III. Vita Deicoli cap. II. §. IX *. Beka in vita Ottonis II. episcopi XXXIV. &c.

* *In vitis SS. ad 18. Ian. apud Bolland.*

Cucumellum erat inter sacra Christianorum vasa. Acta Proconsularia sub Munatio Felice: *Calices duo argentei, item calices sex argentei, cucumellum argenteum, lucerna argentea septem.* Adducit Baronius ad annum CCCIII †. Diminutivum est à *cucuma*, vasis genere ex eo nomen sortito, quòd ventrem haberet magnum, uti cucumis.

† *Tom. 2. pag. 250. edit. Moreti.*

Cultellatus, vide in Verbis, voce *cultellare.*

Cumba dicitur lectica à cubando; ut est in Glossario Mso Camberonensi. Sanè Festus auctor, Sabinos *cubam* dixisse pro lectica: nempe ut *cuba* à cubando; sic *cumba*, quia ei incumberent. Sed Isidoro in Glossis *cumba* exponitur *cuneus, ripa.* Pro eo & *gumba* legas, facili literarum commutatione. Glossarium Camberonense memoratum: *Gumba, cuneus.*

Cupientia, pro cupido, vel cupiditas. Glossæ Msæ: *Cupientia, ἐπιθυμία.*

Cupla, ex Germanico Coppel; uti hoc è Latino *copula.* Constitutio Karoli M. * *Ut Episcopi, & Abbates, & Abbatissæ, cuplas canum non habeant; nec falcones, nec accipitres, nec joculatores.* Divisim enim scribendum, non voce compositâ, *cuplascanum*; prout edidit Vitus Amerpachius: qui *cuplascanum* interpretatur gregem, vel cœtum canum, à Kupten / id est, copulando. De cuplis sive coplis canum venaticorum est hoc Sidonii lib. VIII. epist. VI: *Quos neque est tanti, raro te insectante superandos, copulis palam dictis inquietari.* Ita enim est in optimis quibusque Mssis; non *superando scopulis.*

* *Pag. 260. edit. Mogunt. an. 1502. qua Constitut. Karolina subjuncta Hincmaro.*

Cuprum pro eo, quòd Plinio *Cyprium as*, & ἁπλῶς *Cyprium*. Horatius etiam initio odarum *trabem Cypriam* dixit pro ærata. Hinc æs Belgis Coper. Chronicon Ivonis Carnotensis Mſum: *Apoſtolorum corpora recondidit are, & cupro ea circumdans quinque pedes groſſo.* (*cupreum* non damnâro; quia Y, & V, commutari ſolent. Chronicon Ciſtercienſe† : *Neq; thuribula, niſi cuprea, vel ferrea.* Vide *Cypreus*, in iis, quæ falſâ ſumuntur ſignificatione.

† Pag. 29.

Curabile, pro medicabile, ſive eo, quod curationem recipere poteſt, vulgaris eſt notæ; ſed improbæ, ut puto.

Curcilla in Gloſſis Iſidori dicitur eſſe *oppilago*: uti & *oppilago* in iisdem exponitur *curcilla*. *Oppilago* autem, quaſi oppilatio; quia corpus oppilet, ſive impleat cibis. *Curcilla* verò à *curculio*; ſi quidem Martinium audimus; nempe quòd edacitas, ſive fames ingens, guttur exerceat edendo: uti *curculio* Varroni, quaſi *gurgulio*; quia nihil is penè aliud, quàm guttur, videatur. Sanè *curcilla* βύλιμος, ut ex gloſſis Cyrillo tributis conſtat. Quamquam ibi perperam *furcilla legatur*. Βυλιμία verò, vel βύλιμος, ὁ μέγας λιμὸς, qui & βύπεινα, fames non tolerabilis: ut etiam apud Agellium eſt lib XVI. cap. III.

Curopalatus Luitprando in Legatione, pro *Guropalates*; quod ex Græco Κυροπαλάτης, uti hoc ex *curo palati*, ut Corippo dicitur lib. I. Rectè Evagrius lib. V. cap. I: Τῷ φυλάττειν τὴν αὐλὴν ἐμπεπιστευμένος, ὃν κυροπαλάτην ἡ Ῥωμαίων λέγει φωνή. *Eum, cui commiſere cuſtodiam aulæ, Romana lingua Curopalaten vocat.* Leoni Marſicano corruptiùs, quàm Luitprando, *coroplaſi* dicitur.

Curtis, domus aut ædificium, locus ſeptus, conveniens cum Germanico Gard/& Ebræo גד, *habitare*, de quo Bochartus II. Geog. ſac. I. cap. XXIV. p. 514; cum Italico *Corte*, courtiſan, cortegiano. Vid. Goldaſtus Not. in Ekkehard. c. IV. p. 191.

Curtiſanus, aulicus, curialis; hoc eſt, qui curiam ſequitur. Uſus Joannes Gerſon, ſermone de S. Antonio, habito in Concilio Conſtantienſi. Eſt verò à Gallico *court*; quod à Latino *cors*; uti hoc à χόρτος, unde & *hortus*. Itaque ut Galli à corte *cortiſanos*; ita Belgæ ab Hof/ Hoveling. Nempe *cors*, & *aula*, propriè locus ille concluſus ſub dio ante ædes; ac peculiariter ante ædes virorum principum.

Cuva, vas grandius; è Latino *cupa*, vel *cuppa*; ſpiritu priùs addito, ut ſit *cupha*; hinc PH, quod crebrum, in V conſonum commutato; unde & *cupa* Gallis *cuve*. Matthæus Pariſius in vita Garini, Abbatis S. Albani XX: *Concedimus eis —— unum cribrum furfuris, & majorem*

cuvam

cuvam de drasco. Et in vita Guilielmi, abbatis XVII: *Cuva plena aqua, quæ apposita ibi fuit ad aquam, per quandam rimam instillantem, recipiendam.* Unde Germanicum Küfer/doliator.

Cyclopædia leges apud nonnullos: sed optimi scriptores pro orbe disciplinarum dicunt *encyclopædiam.*

Cysurgia lego apud Petrum Damiani lib. III. epist. II: *Occulta diu vulnera in lucem producere, & disciplina cysurgio secare non cessat.* Puto, nihili esse vocem, legendumque *chirurgiæ.* Nam medici, qui & chirurgus, est urere, ac secare. Quare, *disciplinâ chirurgia secare*, fuerit idem, ac manu medicâ secare.

CAP. VIII.

Proferuntur, quibus initium est D litera, sequente alterutrâ priorum vocalium. Daciæ, *vel potiùs* datiæ, *pro tributo.* Dalmaticatus, *Dalmaticâ indutus.* Dapifer, *dapes deferens.* Dapsilitas, *de mensis, cibisque sumtuosis.* Decalicator, *potator.* Decani *alii in opificum familiis, alii in militia, alii in præfectura paganica, alii in monasteriis. Unde* decania, *collegium decem monachorum, vel canonicorum*; & decanica, *pro carcere decania.* Deceptio, *quo quis circumveniatur, vel decipitur*: item deceptorius, *pro fallaci.* Decimancula, *pro decima minuta.* Decoloratus, *pro decolor, vel decoloratus.* Decretista, *canonum intelligens.* Defensa, *pro defensione.* Deifica, *à Deo facta.* Deividus, *Deum videns: atque obiter de ætate Ioannis Erigenæ.* Delatura, *pretium delatori statutum.* Demanium, *sive* domanium, *qua domini jure possidentur.* Denarata, *pro denariorum pretio.* Denariales, denariati, *vel* denariarii, *denarii jactu, ex lege Salica, manumissi: uti* chartularii, *sive* tabularii, *manumissi per chartam, sive tabulam.* Derisio, *pro ludibrio.* Despotus, *pro δεσπότης, sive despota*; *qui &* cralis; *uti κραουνα*, cralæna. Destructio, *pro excidium*: destructor, *pro perditor.* Detractorium, *quo detrahitur de fama alicujus.* Dextrarius, *equus bellicus*: *cui opponitur* parafredus. Dextrocherium, *pro dextri brachii armilla*: *uti* brachiale *de armilla utriusque brachii.*

EX barbaris iis Latini, vel Græci ortûs, quæ proximè adduximus, lux affulsit incipientibus à C litera. Nunc ordo nos ducit ad consonam sequentem.

Dacia, pro tributis, & vectigalibus: nisi potiùs, quod arbitror, *datia* scribendum; ut idem sit ac *datus*, vel *datio*: quomodo à *tribuo*, *tributum*:

imo & *tribus* ipsa, ut ab *acuo, acus*: etsi aliter de hoc veteres. Apud Petrum de Vineis libro quincto hujusmodi est lemma capitis undequadragesimi: *Quod datia, vel collecta, non auferantur ab his, qui in servitio Curiæ non commorantur.*

Damnietas, pro damnum. Longobard. LL. lib. II. tit. XXIX, leg. I: *Habeat potestatem tantum de rebus suis dandi, quantum debitum ipsum fuerit; ut ei major damnietas, propter onera solidorum, non accrescat* Et mox: *Sapienter attendat, ut ad ipsum infantulum aliqua damnietas contra rationem, aut per negligentiam, minimè veniat.* Item leg. VI: *Qui pro causa ista cartam scripserit, nullam exinde habeat damnietatem.* Similiter Tit. LV, leg. XVII. Item Form. CV, CXXI, & CXXVI.

Dalmaticatus, pro dalmaticâ indutus. Lampridius in Commodo: *Dalmaticatus in publicum processit, atque ita signum quadrigis emittendis dedit.* De veste Dalmatica dicam in verbis Latinis novâ donatis significatione.

Dapifer satis ἀναλόγως formatum. Est apud Henricum Huntodunensem Histor. lib. VI: item Hedam †. Nec quicquam vulgatius, quàm ut Elector Palatinus Cæsaris dapifer vocetur. Hinc *dapiferatus* *.

† Pag. 282.
* *Vide Notas in Gosfridum Vindocinensem pag.* 99.

Dapsilitas, à *dapsilis*, est apud Henricum Huntidonensem Hist. lib. VIII. Item Thomam Walsingum in Descriptione Neustriæ *. Nec *dapsiliter* refugêre Aimoinus, & alii. Antiqui pro eo eo *daptice*, teste Festo: nempe à *dapticum*, pro dapsili.

* *Pag.* 497.

Decalicator, qui calices exhaurit. Gloss. *Decalicator*, καταπότης. Sed Festo *decalicatum, calce litum.* quia *calx* priùs *calix*, à χάλιξ.

Decanum vocant, qui in opificum familiis principem tuetur locum. Sed rectiùs *decurionem* appelles: ut si dicas *decurionem familiæ sutoriæ, sartoriæ*, &c. Posteriores tamen hac voce crebrò usi; multoque laxiùs; ut liquet ex legibus Wisigothicis, Longobardicis, & Hincmaro epist. IV. cap. XV In militia quidem *decanum* vocitarunt posteriores, qui decem militibus sub uno papilione degentibus præesset, ipse undecimus, caput contubernii: ut est apud Vegetium lib. II. cap. XIV, & Isidorum lib. IX. Orig. cap. III. Item extra militiam decani fuere judices minores; qui Comiti suberant. Comes enim pagi erat universi judex. Suberant ei centenarii, qui per centenas jus dicebant. His centenariis minores decani; qui tantummodo per decanias dicebant jus: unde minoribus presbyteris conferuntur à Walafrido Strabone. De iis sic Incertus scriptor veterum Formularum cap. X: *Centenariis, & decanis, vel omnibus in Christo credentibus.* Inde Hincmarus epist. IV. cap. XV: *Comites, & Vicarii, vel etiam*

etiam Decani, plurima placita constituant. Sed & extensa est significatio ad eos, qui monasterio, vel canonicis, sive præbendariis, præessent. Sic Ivo epist. 1: *De cætero sciatis Canonicos Parisienses, decanum videlicet, cantorem, Rainoldum archidiaconum, in præsentia nostra, secundùm præceptum Domini Papæ jurâsse.* Sicuti verò centurio præerat centuriæ; sic decanus dicebatur præesse decaniæ. Ut apud Bekam in vita Bernulphi episc. xx: *Vt decania similter, & abbatia, diebus illis vacaret.* Etiam à decano, vel decania, *decanicam* dixere, pro carcere Ecclesiastico. Julianus Antecessor Constitut. Lxxiii: *Executor autem litium constitutus intus in decanicis Ecclesiarum recludatur, competentes pœnas luiturus.* Habes & in capitulis Caroli M. & Ludovici, lib. v. cap. ccxxv. De pluribus vocis significationibus agit Glossarium Speelmanni.

Deceptio vulgare, sed illaudatum. Ἀναλόγῳ quidem, ut ab *incipio, inceptio*; sic à *decipio, deceptio.* Sed enim non memini legere hoc apud idoneos scriptores: qui pro eo *circumscriptio, aucupium, tendicula.* Improbum itidem *deceptorius*, pro *veteratorius, insidiosus.*

Decimancula, pro parva decima. Baldericus Noviomensis Chronici Cameracensis lib. 1. cap. xxv: *Ecclesia cum dote, decimancula in Rodulfi curte, ex hodierno die, & in reliquum tempus sit in potestate canonicorum.* Nisi *decimuncula* scripsit. Siquid innovandum, *decimulam* dixero.

Decoloroſus, pro eo, quod colorem amisit: quomodo *decoloroſos colores florum* legas apud Adamannum de rebus Sancti Columbæ libro tertio. Classici pro eo semper *decolor*, vel etiam *decoloratus.*

Decretista, decretorum juris Canonici peritus. Cæsarius lib. xi. Miracul. cap. xlvi: *Nuper in terra nostra quidam, decretista nominatus, mortuus est.*

Defensam sæpius legas in Constitut. Neapolit. lib 1. Tit. xv. Habes & Tit. xvi, xvii, xli, lxxxi. Videntur autem *defensa* dixisse pro defensione, ad exemplum vocabuli *offensa*, pro offensione. Simileque *missa* pro missione, vel dimissione catechumenorum, ac pœnitentium. Et apud Cyprianum *remissa peccatorum*, pro remissione.

Deifica instrumenta, quæ Deus fecit: hoc est, Vetus, & Novum Testamentum. Optatus Milevitanus lib. 1. †: *A Proconsule hac pars sententia ita dicta est: Felicem autem religiosum episcopum liberum esse ab exustione instrumentorum deificorum, manifestum est; cum nemo in eum aliquid probare potuerit, quòd religiosissimas Scripturas prodiderit. Omnium enim interrogantium suprascriptorum manifesta est, nullas Scripturas deificas, vel inventas, vel corruptas, vel incensas fuisse.* † Pag. 32.

Dei-

Deividu, pro Deum videns. Joannes Scotus: *Sic solet Scriptura loqui Deivido generi humano, non pedisequo.* Locus est in tralatione Dionysii, cognomento Areopagitæ: unde ea verba adducit Petrus Blesensis epist. XVIII. Annotat ad eum locum Joannes Busæus Noviomagus, (qui editione egregii scriptoris optimè de studiis meritus est) vixisse Joannem Scotum temporibus Caroli Magni. Nempe ad hæc tempora cum refert Tritthemius in scriptoribus Ecclesiasticis; ac Bedæ discipulum, Alcuini, sive Albini, condiscipulum fuisse, arbitratur. Atque hunc ejus errorem sequitur doctissimus Busæus. Sed confunditur sic Carolus Calvus cum Carolo Magno. Nam Calvo à deliciis fuit: nec alius est à Joanne Erigena, hoc est, Hiberno: quem vixisse temporibus nepotum Karoli Magni, nempe liberorum Ludovici Pii, Tritthemius ipse agnoscit. Et hoc satis docent, quæ de hoc Joanne Scoto, sive Erigena, referimus lib. VII. Historiæ de Pelagio, & ejus reliquiis. Interim de vocabulo *Deividi* litem non movero. Nec enim tam barbarum, quam novè, ac duriùs formatum, dixero.

Delatura, pretium delatori constitutum, in decreto Chlotarii cap. XII: *Medietatem sibi vindicet, vel delaturam.* Et in lege Ripuaria Tit. XXXIII. §. II: *Furtum, & delaturam ab eo requirat.* Lege Salicâ Tit. II: *Culpabilis judicetur, excepto capitali, & delaturâ.*

Demanium, sive *domanium*, ex Gallico *domaine*, quod à *dominicum*. Res signat dominicas, sive quas proprio aliquis jure possidet: ac κατ' ἐξοχὴν, quæ ad coronam regiam pertinent. Habes Constitutionum Sicul. lib. I, Tit. LVIII, leg. XI, & Tit. LIX, leg. I, & Tit. LXVII: *Et ipsos etiam de demanio, & homines demanii, esse præcipimus.* Item Tit. LXXVI. lib. XI, & Tit. LXXVII. Adhæc in privilegio Frederici II. apud Petrum de Vineis lib. VI. cap. XXV. *Domanium* verò est apud Philippum, Francorum Regem, in charta Rothomagensi †: item Carolum VII, Gall. Reg. edicto de offic. Ba. p. 178. Conf. Glossarium Somneri.

† *In scriptorum Normannicorum volumine, pag.* 1063.

Denarata, ex *denariata* factum, ac significat pretium denariorum. Carolus Calvus Edicto Pistensi, sive tit. XXXI, cap. XX: *Qui panem coctum, aut carnem, per denaratas; aut vinum, per sextaria, venduni.* Quem ad locum Sirmondus similia adducit. Uti ex charta Besuensi, *denarata cera.* Et è charta ingenuitatis, quâ Asaira famula est facta ingenua, in tabularia S. Vitoni: *Ut annis singulis unam denaratam de cera persolvat.* Ac ibidem è testamento Bertarii: *Persolvant duas denaratas de cera ad altare S. Vitoni.* Hoc est, persolvant in cera duos denarios.

Dena-

Denariales, denariati, vel *denariarii*, qui, jactu denarii, secundùm legem Salicam; ac proinde, ex veterum Francorum more, manumittebantur. Mentio horum Leg. Ripuar. LXII. §. II. Leg. Longobard. lib. II. Tit. XXXV. leg. XI. Verba etiam sunt Pipini, Italiæ Regis, apud Benedictum Levitam Capitular. lib. VI. cap. CCVIII: *Homo denarialis non antea hereditare in suâ agnatione poterit, quàm usque ad tertiam generationem perveniat. Homo chartularius similiter faciat.* Ubi videmus, etiam mentionem liberti *chartularii*, qui aliter *tabularius* vocabatur: nempe quia manumissio ejus per tabulam, sive chartam, fiebat lege Romanâ; quâ & sic manumissi utebantur. At *denarialis*, rege præsente, ejus auctoritate fiebat, jactato à domino, vel alterius manu, denario. Formula, qua hæc fieret manumissio, est apud Marculfum lib. I. form. cap. XXII. Ubi vide, quæ de variis manumissionibus, præcipuéque illa per denarium, Bignonius † annotavit.

† Paginâ 498. 499. 500. 501.

Derisio ajunt pro *ludibrio*, sine unius classici exemplo.

Desolatio non dixero; sed excidium, excisio, vastitas.

Despotus in annalibus Latinis barbarè legas sæpius pro *despota*, Nam Græcè est Δεσπότης. Sic *despota Servia*, pro ejus principe: qui & *kiral*, vel *cralis*; ut uxor *cralena*, pro Βασιλίνα. Ea vocabula Ungaris, Bulgaris, Serviis, regem & reginam signant. Vide Pandectem Turcicum Joan. Leonclavii cap. LIV.

Destructio Trojæ, & similia, legas: sed nullo, ut arbitror, bono auctore. Nec melius censeo *destructor*. Pro *destructio* igitur dixero excidium, excisio, vastitas, exitium, ruina, disturbatio. Proque *destructor*, interfector, perditor.

Detractorium de eo, quo alicujus honos, ac nomen violatur. Concilium Pisanum I *: *Supposita Concilii à verbis detractoriis, contentiosis, scurrilibus, & malè ædificantibus caveant.*

* Pag. 155. edit. Paris. an. 1612.

Dextrarius equus strenuus, bellóque idoneus; puto, à dexteritate. Usi Hincmarus, Petrus de Vineis, Matthæus Parisius & Walsingamus; cujus verba dabo ex Histor. Richardi II*: *Rege cum proceribus, & Regni communitate, locum ingressis, miles intrat armatus, insidens dextrarium decentissimè phaleratum.* Usurpat & Beka; cujus hoc in Andrea: *Corruit unà cum dextrario; quem insequentes hostes consequenter occiderunt.* Et in Wilhelmo: *Levitate sui dextrarii semel & iterum Hollandiensem transvolavit exercitum.* Usurpat & Turocius lib. II. Histor. Hungar. cap. XI. XX. & LIV. Differre à parafredo, indicant hæc verba

* Pag. 237.

Radevici, Frisingensis Canonici, de gestis Frederici Ænobarbi lib. 1. cap. xxvi : *Si extraneus miles pacificè ad castra accesserit, sedens in palefrido sine scuto & armis; siquis eum laeserit, pacis violator judicabitur. Si autem sedens in dextrario, & habens scutum in collo, lanceam in manu, ad castra accesserit; siquis eum laeserit, pacem non violavit.*

Dextrocheria, pro δεξιοχειρία, vox ex Latino *dexter*, & Græco χείρ, apud Capitolinum in Maximino majore, iterumque in minore; Trebellium in xxx. Tyrannis; ac, ut distinctiùs dicam, in Quieto. Est & Luciferi Caralitani de non parcendo delinquentibus, ad Constantium: *Debemus vereri regni tui diadema, in aurem etiam, & dextrocheria.* B. Ambrosius in vita S. Agnetis, ad Virgines sacras : *Ornavit inaestimabili dextrocherio dextram meam, & collum meum cinxit lapidibus pretiosis.* Latini posteriores dixere etiam *brachialia* : quod est apud Isidorum in in Glossis. Est tamen aliquid discriminis : quia *brachiale* latius patet. Nam *brachiale* etiam fuerit, si sinistrâ gestetur manu. Ut illud, de quo Livius lib. 1 : *Vulgo Sabini aureas armillas magni ponderis brachio laevo, gemmatosque magnâ specie annulos, habuerunt.*

CAP. IX.

De cœptis à D, sequente tertiâ vocali. Vti sunt, Diaconalis, *pro diaconicus.* Diagrapha, *pro publicanorum actis.* Diasostes, *socius, ac dux itineris.* Diatus, *diurna luce illustratus.* Digeries, *digestio.* Digladiabile, *cujus ergo gladiis rem geri opera sit.* Dilatatus, *pro multùm distanti.* Diœcesanus, *pro eo, quod totius est diœceseos : deque triplici episcoporum genere.* Directaneus, *pro eo, qui vitâ dirigitur monasticâ.* Discapia, *aqua spatium terras dividens.* Disciplinatus, *disciplina bona conveniens. Unde* disciplinatè, indisciplinatus, indisciplinatio. Disconsitura, *diffidentia*, Discordantia, *discrepantia.* Disparilitas, *varietas.* Displacentia, *pro displicentia.* Divellio, *pro divulsio.* Divinator, *pro divinante.* Divisibile, *dividuum.* Diurnale, *pro diurnum*; *ut* nocturnale, *pro nocturnum.*

Diaconalis, διακονικός. Græcumque hoc legas Concilii Laodicensis can. xxi. Et, in re alia, usi Plato atque Aristophanes. Latinum istoc apud Heloissam est epist. iv. ad Abelardum, & Concilii Pisani 1. sess. xxii.

Diagrapha, pro διαγραφῆς, hoc est, scripturâ, sive publicanorum actis & perscriptionibus. Abbo Eloriacensis in Vitiliano Papa : *Afflictiones*

tiones populo Calabriæ, Siciliæ, Africæ, Sardiniæ, vel per diagrapha, seu capita, atque nauticationes, imposuit. Hinc publicanus ipse διαγραφιάριος, teste Hesychio.

Diasostes, qui peregrinos ducit, ac *custos* solet vocari; ex barbaro-Græco διασώστης, quod à Græco διασώζειν: id notat, quempiam ad aliquem, sive in locum reducere salvum, atque incolumem. In Legatione Luitprandi ad Imperatorem Constantinopolitanum † : *Sic turbatus, diasesta, id est, ductori meo, quinquaginta aureorum res pretio dedi.* Et postea *: *Cum diasoste meo lintre egressus.* Et mox : *Diasostes meus me deserens, duabus parvis impositum navibus, duobus me mandatoribus, qui Hydruntem me per mare conducerent, commendavit.* Post multa † : *Michaël vocatus est diasostes meus.* Nempe sic locutus Luitprandus, uti in itinere loqui audierat Græcum vulgus.

† *Pag. 118 edit. Ingolstadiensis anni 1600.*

* *Pag. 118.*

† *Pag. 125.*

Diatus, pro diurnâ illustratus luce. Ivo Carnotensis in Chronico Mso nobilissimi Guilh. Noomsii : *Si casu turbentur, sole renascente diati divinitus reparantur.*

Digeries, pro digestio, à *digero*; ut à *congero*, *congeries*. Gloss. Msæ: *Digeries*, Διάταξις.

Digladiabile, cujus gratiâ gladiis pugnare, vitamque periculo exponere, sint parati. Wilhelmus Malmesburiensis in Vita S. Wulstani, episcopi Wigornienſis *: *Plura de pace dixerat ; quo commoti nonnulli, qui digladiabili dissidebant odio, offensas utrimque donavere.*

* *Habes etiam in Vita SS. ad 19. Ian. apud Bollandum, pag. 243.*

Dilatatus, pro longè latéque dissitus, apud scriptorem veterem Latinum vitæ Appollonii Tyanei.

Diœcesanus, ad diœcesin pertinens. Ivo Carnotensis epist. CCXIII: *Quod verò communis vita in omnibus Ecclesiis penè defecit, tam civilibus, quam diœcesanis; nan auctoritati, sed desuetudini, & defectui, adscribendum est.* Sic *diœcesanum episcopum* dixere. Nempe alii erant τῆς πόλεως sive civitatis episcopi; qui ἴδιοι sive *proprii*, dicti: alii τῆς ἐπαρχίας, sive *provinciæ*; qui μητροπολίται vocabantur : alii τῆς διοικήσεως, sive *provinciarum*; qui ἔξαρχοι, vel etiam *patriarchæ*, vel *primates*. Sic videas distingui in Concilio Chalcedonensi, canone eo, qui in Codice Canonum Universæ Ecclesiæ, à Justiniani Novellis legum vim fortitis, numero est CXXXI, atque inscribitur, περὶ τῆς ἐκκλησιαστικῶν κανόνων, h. e. de confirmatione canonum totius Ecclesiæ.

Directaneus, quo dirigitur vita monastica. Regula S. Cæsariæ cap. XI, sect. LXIX : *Imprimis dicite directaneum parvulum, Confitemini, cum*

Antiphona, Cantemus Domino. Et mox: *In exteriore oratorio procedendum est; & dicendus est directaneus parvulus. Post hoc canticum, Cantemus Domino &c.*

Discapia, locus, ubi intercapedo inter terras, sive ubi aquis terræ separantur. Legas in Chronico Cameracensi lib. I, cap. LII, literis de donatione Condrensis pagi. Vide autem, quæ istic Colvenerius annotavit. Existimat verò, pro *uva, discapia*, esse junctim, *uvadiscapia*, ex Atrebatensi, & S. Gisleni codice, legendum: atque id boni pro *uvida*, h. e. humida, *discapia*, sive intercapedo, vel intervallum: ut palus significetur, sive, quod Gallis, ac Teutonibus, dicitur macrasch.

Disciplinatus, moribus bonis, disciplinæ beneficio, præditus. Sic Fulbertus sermone contra Judæos: *Bene disciplinata regimina Pontificum.* Cæsarius lib. I. Miracul. cap. III: *Corpore virgo, juvenis disciplinatus.* Hinc *disciplinatè.* Baldericus in Chronico Cameracensi lib. II. cap. XXXVII: *Ut disciplinatius errata corrigeret, & emendatiùs viveret.* Legas & *indisciplinatus.* Evagrius presbyter, B. Hieronymi æqualis, in tralatione vitæ S. Antonii ab Athanasio scriptæ: † *Pessimorum (spiritus) vultus truces, sonitus horridi, sordidi cogitatus, plausus motusque indisciplinatorum adolescentum, vel latronum.* Idem *indisciplinatio* postea usurpat *: *Nihil defuit visionis veritati, ut monstravit effectus, quòd calcitrantium mulorum indisciplinatio Arrianorum esset impietas.* De verbo *Disciplinare* inferiùs dicemus.

† Pag. 45. c. edit. Rosweidiana.

* Pag. 57. a.

Disconfitura, pro diffidentia; ut Angli discomfite. Matthæus Paris. in an. CIↃCCXXX: *In disconfitura, quæ erat in mari, prisones multos nobiles ab nantis regis, qui eos justè ceperant, sibi cepit, & retinuit spoliandos. A confisus* esset *confisura*; ut à *mercatus, mercatura*; ab *usus, usura.* Inde *disconfisura.* Sed S in T abit; ut variis in gentibus crebrum.

Discordantia non dixero; sed *discrepantia.* Apud Tertullianum de Testimonio Animæ etiam est *disconvenientia.*

Disparilitas, pro varietas, non videtur bonæ notæ. Rectum tamen *disparilis*; pro quo & *disperilis*, in Glossis; ubi ἄζυγος exponitur.

Displacentia est apud Joannem Thvvrocz in Hist. Hungar. Malim *displicentia*, cum Seneca de Tranquillitate Vitæ.

Divellio est in Gloss. exponiturque πόλεμος, ἔριδες. Fortasse *duellio* sit rebellio. Sed non memini legere, nisi apud juniores; ut Guiberti Histor. Sacræ lib. V; *indefinente duellione.* A *divello* autem non *divellio* fit; sed *divulsio.* Sed ne hoc quidem apud alios reperio, quàm posteriorum

orum seculorum scriptores. Uti Eulogium Cordubens. lib. III cap. IV. *Divulsionum insurgentia bella.*

Divinator, pro *divinus*: ut illo Martialis lib. III. epig. LXXI:

Non sum divinus; sed scio, quid facias.

Dixeris & *divinans, vates, ariolus, conjector, aruspex, augur.*

Divisibile, quod dividi potest; vel dividuum. Scio, *dividuum* poni à veteribus pro eo, quod divisum. Sed enim nihil impedit, quo minùs de eo usurpes, quod potest dividi. Nam Ciceroni, & aliis, *individuum*, quod nequit dividi; ut atomi.

Diurnale, quod antiquis diurnum; *nocturnale*, quod iis nocturnum. Kapitularium Karoli M. & Ludovici Pii lib. VI. cap. CLXVIII: *Ut sacerdotes signa tangant horis canonicis, & illorum officium agant, sive diurnale, sive nocturnale.*

CAP. X.

De barbaris Latina, Graecave originis, ubi litera princeps D; quam O, R, vel V, consequuntur. Cujusmodi Doarium, dovarium, dodarium, dotarium, dotalitium, *pro antipherna.* Doctrinatus, *pro edoctus.* Doga, *pro δοχῇ, sive dolio: ac videri* dogam *aliud, quàm* buttim. Dogus *verò est asser vasis.* Dolentia, *pro dolor: ubi & de* variantia, retinentia, repetentia, *vocibus Lucretianis.* Dolorificus, *qui affert dolorem.* Doloroſus, *maestus.* Doma, *domus.* Domesticatus, *de nobili officio Palatino.* Domicellus, *pro juniori domino*; domicella, *pro domina filia.* Dominædius, *dominus aedium.* Dominicalis, *quo sumitur corpus dominicum.* Dominicalis, dominicata, *vel* indominicata *terra, qua alteri elocatur à domino loci; potissimùm si ab Imperatore. Item* dominicatus, *vel* dominicatura, *pro dominio loci alteri elocati.* Domnus, *pro dominus.* Dormitorium, *ubi monachi dormiunt.* Dorsale, *vel* dossale, *pro pallio, vel aulaeo.* Draconarii, *signum draconis in militia gestantes.* Drilopotæ, *vitreo bibentes Priapo.* Dromundus, *ingentis navigii genus.* Dubietas, *pro ambiguitas.* Ducatus, & ducatio, *ductus: ut* ducator, *dux, sive ductor.* Duciculus, *circulus, quē vietores vasorū asseribus circumducunt.* Ducissa, *heroina Ducis titulo gaudens.*

DOarium, vel *doarium*; item *dodarium, dotarium*, vel *dotalitium*; etsi à dote dicantur; multum tamen ab ea differunt; cùm hæc signet φερνὴν, quam accipit sponsus; priora illa ἀναφέρνια, quæ sponsa à sponso datur. *Dodarium* habes apud Rogerium de Houeden Annalium

nalium Tom. II. *Dotalitium* est apud Sigebertum in Chronicis ad annum cIↃcLxxviii, ubi de Guilhelmo, rege Siciliæ, Et de duobus istis, & de cæteris, pluribus firmarem auctoribus; nisi abunde id factum scirem à nobilissimo Spelmanno. Conf. Glossarium Somneri.

Doctrinatus, pro edoctus, doctrinâ imbutus. Baldericus in Chronico Cameracensi lib. II. cap. xxxvi; *Hæc virgo, à Beato Autberto doctrinata, velamen piæ religionis accepit.*

Doga est apud Trebellium Pollionem in Divo Aureliano: *Facta erat ratio doga, cuparum, navium, & operum.* Quam lectionem Adrianus Turnebus, antea à se improbatam, (quando pro *doga* legeret *doliorum*) postea comprobavit lib. xviii. Adversar. cap. xix. Favent Glossæ, in quibus est; *Doga*, βύτλις: (βύτλις scribendum:) *Dogarius* βυτλοποιός. Sed non examussim vocabula hæc assecutus glossographus. Est quidem tam *doga*, quàm *buttis*, majoris vasis genus: sed si βυτλὶς, *cupa* βύτλιον *cupella*; ut itidem in Glossis legas: sanè aliud fuerit *doga*, quàm *buttis*. Siquidem aliter *cupa*, quàm *buttis*, describitur ab Herone: de quo discrimine, vide, quæ ad Capitolinum Casaubonus annotavit. Atque idem Casaubonus, notis ad Vopiscum, suspicatur, *doga* esse ab Hebræo דוגה, quod navis genus. Scio, sæpe eandem vocem & poculi, & navigii, habuisse significationem, propter similitudinem. Sed non video, cur in hac voce idem factum credamus. Quare alterum potiùs etymon amplector, ut sit à δοχὴ, χ in G verso; quomodo à χάριτες *grates*, à χαλβάνη *galbana*, à λείχω *lingo*, à χύω *gutta*, & similia. Δοχὴ verò *receptaculum*. Hesychius: Ευριπος, δοχὰς ὑδάτων*. Nempe ἀπὸ τῦ δέχεσθαι. Unde similiter δοχεῖον, imò & δοχός. Idem Hesychius: Δοχεὶ, δοχεῖα, λυτῆρες. Quod si *dogius* etiam, ut *doga*, dixere; sicut *doga* à δοχὴ, sic *dogius* fuerit à δοχός. Cæterùm in allato Pollionis loco Cuiacius malebat, deletâ distinctione, legere: *Facta erat ratio dogæ navium, & cuparum. Ut doga* sit δοχῆς, *capacitatis, sive mensuræ.* Sed nunquam Latini sic *dogæ* voce usi videntur.

Euripoi, receptacula aquarum.

*In vitis apud Bollandum, ad 28. Ian. pag. 921.

Dogius aliud ac *doga*. Siquidem *doga*, vas ipsum; ut proximè vidimus: *dogius* verò asser vasis. Nam vas compingitur ex multis dogis sive asseribus. Ac videtur *dogius* dici quasi δοχὸς, *receptaculum*, ἀπὸ τῦ δέχεσθαι, recipere, continere; quia vasorum asseres liquorem recipiant, ac contineant. Nisi *dogius* à Germanico & Belgico **dungen**: ut in illo, **de ton is in dungen**. i. *Vas in dogos est dissolutum.* Acta de miraculis S. Mariæ de Ripuario †, cap. v., §. xxv. *Posuerunt caput ejus in unam: cum*

vel

vellent aquam immittere, dissoluta est à circulis, & dogis, quasi concisa esset securibus: ita sigillatim diminuta est, ut nec esset, quod foco posset aptari. Ubi *tinam* vocat, quod aliter dicunt *tumam* vel *tomam*: qua de voce actum superioris libri cap. XVIII. Hujus tinæ circulos dicit dissolutos, qui aliter *duciculi*, Belgis **hoepen/reepen**: dissolutos item dogos; hoc est, asseres; ut sententia sit, vas assulatim confractum.

Dolentia, pro dolor: etsi aliquid sit, quòd nec Cicero *indolentia* refugerit in secundo de Finibus. Et cur deterius sit, quàm *variantia*, pro varietate, apud Lucretium lib. I, vel apud eundem lib. III, *retinentia*, pro memoria, vel recordatio? quæ poëta eò justiùs refugit, quòd ea metrum non admitteret: vel *repetentia*, eidem libro eodem, pro *recordatione*? quod nec ipsum recipit metrum. Interim semel, iterumque, Arnobio usurpatum.

Dolorificus agnoscit Calepinus: sed Cicero, & veterum alii, pro eo dicunt *faciens*, vel *efficiens dolorem*, vel *dolorem inducens*.

Doloroſus pro *mœstus, lugubris*, in notissimo Romanæ Ecclesiæ cantico. Item Henrico de Hassia in Speculo Amor.* & Petro de Vineis lib. IV. epist. XVI. * Pag. 7.

Doma Græcum quidem est, δῶμα, ut barbarum dici nequeat; sed non donatum civitate; ut *domatis, domate, domatum, domatibus*, vix meliora sint barbaris. Hanc vocem nec in Carmine refugit Abbo de obsidione Lutetiæ lib. I: imò semel, iterumque, usus. Quin habes etiam apud vulgatum Interpretem, Proverb. XXV. XXIV. *Melius est sedere in angulo domatis, quàm cum muliere litigiosa & in domo communi.* Aliter editio Papæ Sixti V. Sed sic restituit illa Clementis VIII. idque consentientibus codicibus Hebræo, Chaldæo, Græco. Addo Ordericum vitalem Historiæ Ecclesiasticæ lib. X.* *Ipsa hostilis manus omnia incendebat, omnemq; regionem suam ultrò denudabat; ne malevoli homines, ad dirripiendum, aliquid invenirent; nec domata, ubi, ad capessendam quietem, strata sibi coaptarent.* Item apud scriptorem vitæ S. Gudulæ, & S. Bathildis, Reginæ Franciæ cap. I, nec non S. Mevverci; item in vita S. Henrici Imp. cap. VI, & S. Othonis lib. I. cap. XXII. Sed nunc pro *domo*; nunc pro *terrâ*, vel *ditione*, videas usurpari. Quomodo Maro Latinam *domûs* vocem VIII. Æn. *Qui genus? unde domo?* ubi Servius, *de quâ civitate?* * Pag. 773.

Domanium quid, scire si aves, vide superius *demanium*.

Domo-

Domesticatus, pro dignitate ejus, qui *domesticus* dicebatur. De quo agam in nominibus significatione falsâ usurpatis.

Domicellus ἐπανορθωτικῶς ex *dominus*; *domicella* ex *domina*. Utrumque est apud S. Ludgerum de S. Suiberto; item apud Bekam, prius in vita Johannis, episc. xxxix; alterum in vita Godeboldi, episc. xxiv. Sed & *domicellus* usurpat Rogerus de Houeden Annal. Tom. ii; *Domicella* est apud Cæsarium lib. vi. Miracul. cap. v. Nempe à *dominus*, *dominicus*, inde *dominiculus*, hinc *domincellus*: & à *domina*, *dominica*, hinc *dominicula*, unde *domicella*: ferè ut à *cista*, *cistula*, inde *cistella*: à quo & *cistellula*. Item ut ab *unus*, *unnulus*, *ullus*; à *benus*, (unde *bene*) *benulus*, bellus; à *vinum*, *vinulum*, *villum*; & similia. Ad formam *domicelli*, & *domicellæ*, Belgis itidem jonker ex jonc-heer; juffer ex jonc-vrou. Gallicè: *Damoiſell*, quod huc consulit Somnerus in Glossario.

Dominadius, pro dominus ædium. Sic Paulinus S. Felicem vocat epist. ix. ad Severum: *De mea ſollemni ad dominadium meum cantilena.* Similiter epist. xii. ad eundem, & epist. xxviii. ad Victricium, atque alibi etiam in Carmine, Natali xi:

\- - - - *Quàm quod mihi tectis*
Ipſe meis quibus eſt, idem dominadius egit.

* *Notis in vitâ S. Felicis, quæ est in vitis SS. ad 14. Jan.*

Iisque ex locis colligit doctissimus Bollandus*, decipi Ambrosium Leonem lib. ii. de Nola cap. xi; ubi censet, templum Paulini dicatum Dominædio; perque eum, Deum ipsum intelligi.

Dominicalis, linteum, quo, in Eucharistiæ sacramento, corpus Domini acciperetur. Concilium Antisiodorense can. xlii: *Unaquæque mulier, quando communicat, Dominicalem ſuum habeat. Quod ſi qua non habuerit, uſque in alium diem Dominicum non communicet.* Sic uti interpretabamur, intellexere etiam Baronius ad an. ixc. Severinus Binius Notis in hoc Concilium, Cornelius à Lapide in i. Timoth. ii. viii. Ac planè hanc sententiam firmant verba illa Augustini, sive alicujus junioris, serm. cxii. de Tempore: *Omnes viri, quando communicare deſiderant, lavant manus: & omnes mulieres exhibent linteamina, ubi corpus Chriſti accipiant.*

Dominicalis, & *dominicata*, vel *in dominicata* terra dicitur, quæ aliter *dominica* vocatur; h. e. cujus proprietas est penes alium, à quo, ut domino loci, alteri ad certum temporis spatium elocatur. Quemadmodum verò *dominus*, sive *domnus* κατ' ἐξοχὴν dicitur de Imperatore, vel Rege; ita & singulari ratione vox ea agris aptatur imperatoriis, vel regiis.

Domi-

Dominicatæ terræ, præter alios, meminere Leges Longobardicæ lib. II. Tit. LI. leg. XV; Capitularia Karoli M. lib. V. cap. CXLVII; Hincmarus epist. I. ubi est: *Annonam de dominicatis terris collectam.* Sed & substantivè pro eo *dominicatus* dicitur, & *indominicatus.* Carolus Calvus tit. XXXII. qui est, Apud Tusiacum, cap. III: *Proprietas illorum in nostrum indominicatum recipiatur, donec ipsi per fidejussores in nostram præsentiam veniant.* Pro quo posteà capitulo V. ait: *In nostrum dominicatum recipiantur.* Ac utroque alios etiam uti, ostendit ad hunc titulum Sirmondus. Uti & illud, pro *dominicatus*, etiam *dominicatura* dici. Quomodo in præcepto Ludovici junioris de Abbatia in Calvo monte, *Quam & ipse, & antecessores, longo tempore in dominicatura habuerant.*

Domnus, pro *dominus*, crebrum ævo sequiori; de quo, inter alios, Onuphrius in explicatione † vocum Ecclesiast. & Barthius lib. XXIX. Adversar. cap. XIX.

† *Platina subjungitur edit. Colon. an.* 1610

Dormitorium, cœnobii locus, ubi monachi dormiunt, monachorum commune cubiculum. Concilium Aquisgranense an. Ↄ.CCC.XVI: *Nisi in dormitorio cum cæteris, absque caussa inevitabili, dormire præsumserit.* Similiter Leo Marsicanus in Casinensi Chronico, idque sæpius; Cæsarius lib. I. Miracul. cap. XLIII. & lib. III. cap. XIII; ac Matthæus Parisius in vita Joannis, abbatis XXI. S. Albani.

Dorsale vel *dossale*, quid sit, ostendit Leo Marsicanus lib. III. Chronici Casinensis cap. XXX: ubi enumerans, quæ Imperatrix Agnes monasterio Casinensi donâsset, inter alia memorat. *Pallium magnum cum elephantis, quod dossale cognominant.* Habes & in vita S. Mevverci. Pro aulæo, suspenso à tergo mensæ Dominicæ in pariete, usurpat Matthæus Parisius in vita Richardi, XV. abbatis S. Albani: *Dossale unum, sive tapetium, in quo passio S. Albani figuratur.* Et in vita Gaufridi, abbatis XVI: *Dedit quoque dossale magnum, in quo intexitur inventio S. Albani, cujus campus est aërius.* Pallio ex eo ist hoc nomen, quia dorsum contegat; aulæo autem, quoniam mensæ assidentibus sitâ dorso.

Draconarii vocabantur à militari signo, effigie draconis. Vegetius lib. II. cap. VII: *Signiferi, qui signa portant; quos nunc draconarios vocant.* Atque idem dracones in signis militaribus reponit lib. I. cap. XIII. *Dracones etiam per singulas cohortes à draconariis feruntur ad prælium.* Figuram describit Ammianus lib. XVI. Non fuisse in velo pictos, vel acu textos, sed solida corpora; Justus Lipsius ostendit lib. IV. de militia Romana dial. V. Meminit draconariorum etiam Leo Marucanus Chronici Casinensis lib. IV. cap. XXX: *Leoniferos, lupiferos, draconarios.*

Drilopotæ, bibentes è vase, quod penem referat. Vetus scholiastes ad illud Juvenalis sat. 11. vers. xcv:

- - - - *Vitreo bibit ille Priapo.*

In vitreum penem, quos appellant drillopotæ. Sed *drilopotæ*, vel accusandi casu *drilopotas*, rescribendum; à πότης, *potor*, & δρίλος, quod propriè notat *lumbricum*; sed κατὰ μεταφορὰν pro pene sumitur. Ac Belgæ vocem habent, quæ non abludat, ut hinc facta videatur. Adscribere eam hic loci, ut puto, nihil attinet: nempe, ut Tullius de se in erudita illa epistola Pœto scribit, † *Amo verecundiam.*

† *Lib. 9. epist. 22.*

Dromundus, navis ingens. Matthæus Paris. in Henrico I an. clɔ cxcI: *Apparuit ei navis quædam permaxima, quam dromundum appellant.* Antea etiam in Richardo II. dixerat, anno clɔ clxxxv: *Venerunt postea galeæ infinitæ Saracenorum apud Vlyxebonam, ducentes dromundum; in quo talis erat machina, quod per ipsam Saraceni poterant ire, & redire, ultra muros civitatis armati. Sed Deo disponente, quidam in aqua se dromundo supposuit, &, eo perforato, submersit.* Est *dromundus* è Gallico *dromant*: hoc à δρόμος, *cursus*. Vide *Dromo* in alienâ significatione usurpatis.

Dubietas, pro ambiguitas, vel rei incertum, legas in Concilio Pisano *. Item apud Incertum de Genealogia regum Daniæ †: *Exclusit extrema necessitatis dubietatem & ultima confessionis, & pœnitentiæ.*

* *Pag. 164.*
† *Pag. 215. edit. Sorana.*

Ducatus, pro ductus, sive deductio. Petrus Chrysologus Homiliâ de Magis: *Gaudent in terra, se ad Deum, ducatu unici sideris, pervenisse.* Sueno in Historiæ Danicæ Compendio, quem, historicorum Daniæ antiquissimum, primus doctissimus amicus noster Stephanus Stephanius divulgavit: *Ad tumulum itaque ducatum postulavit, in quo prius mucronem experientissimum occultaverat.* Hoc est, deduci se ad tumulum petiit. Legas & pro imperio, sive publica administratione. Quomodo loquitur non Spartianus modò in Pescennio Nigro; vel Commodus Cæsar, cujus in ea vita referuntur verba: sed etiam Curtius, & Suetonius: at prior his, ut arbitror nemo. Apud Tertullianum etiam *ducator*, pro *ductor*: item *ducatio*, lib. de Corona militis. Utramque significationem agnoscunt Philoxeni Glossæ: *Ducatores*, ἀγοὶ, ἡγεμόνες. *Ducatus*, ἡγεμονία. *Ducator*, ἀγὸς, πρηγεμόνος. *Ducatus latronum*, ἀρχὴ λῃστείας.

Duciculus videtur esse orbis, sive circulus ligneus, qui circumducitur dolio: unde & nomen. Monachus Benignianus * in vita S. Urbani, episcopi Lingonensis, cap. I. §. IV: *Illico boves disjunxerunt, ligamina vasorum gladiis præsciderunt, duciculos abstraxerunt.* Vide *Dogus*.

* *In Vitis SS. 23. Ian. apud Bolland.*

Ducissa.

Ducissa, pro domina Duce, est apud Rogerum de Houeden Annal. Tom. II. † : *Mathildis, ducissa Saxonia.* Sed de isto abunde dictum lib. I. cap. XVI. † Pag. 654

CAP. XI.

De cœptis ab secunda vocali. Qualia sunt ista. Eboratus, *pro eburneus.* Echoicus *versus, in quo soni fit repercussio.* Eclipsatus, *pro deficiens.* Edulitas, *tum pro fame ex edulium caritate, tum pro copia eorumdem.* Effectivus, *pro idoneo ad efficiendum.* Electreus, *pro electrinus.* Electuarium, *pro ἔκλειγμα, sive illinctus.* Elephantiosus, ἐλεφαντιῶν, *sive elephantia obnoxius.* Elogicus, *elogium continens.* Embrimium, *lectulus somni capiendi caussa.* Emenda, *mulcta, quâ satisfit actori.* Ementum, *excogitatio.* Emigranea, *pro hemicrania.* Emunitas, *pro immunitas.* Engaria, *necessitas, quâ quis ad parendum compellitur.* Epistolarium, *codex epistolarum, quæ in Ecclesia leguntur.* Equantia, *grex equarum.* Equitatura, *nunc pro equitibus, nunc pro equitatione, acceptum.* Erratus, *pro error.* Eremita, *pro seorsum degente in locis desertis.* Escambium, *pro permutatione.* Esophorium, *vestis interior.* Evacuatorium, *quo quis fatetur sibi satisfactum.* Evidentale, *quo quid evidens fit.* Exagellum, *pro trutina: deque* exagio, *&* agina. Exenium, *pro dono hospitali.* Exoccupatus, *qui se occupationibus exoneravit.* Exordinatum, *ubi ab ordine recessum.* Expalmatus, *cui colaphus impactus.* Experimentatum, *experientiâ compertum.* Expositor, *pecunias pro altero expendens.* Expudoratus, *impudens.* Extales, *exta.* Exterminium, *extra terra limites ejectio.* Exulaticius, *pro ejecto in exilium.*

NUnc videndum de iis, quibus initium est à vocalium secundâ.

Eboratus pro *eburneus, eburnus*, vel *eboreus.* Sidonius Apoll. lib. VIII. epist. VIII: *Licet in deductum nomen à trabeis, atque eboratas curules, & gestatorias bracteatas, & fastos recolas purpurissatos.* Et ejusdem libri epist. XII : *Hic tessera frequens eboratis resultatura pyrgorum gradibus.*

Echoicus versus ab *Echo* dicitur, propter soni repetitionem : ut ex Servii Centimetro cognoscitur. Ac sic etiam legit Sirmondus apud Sidonium lib. VIII. epist. XI: *Faciebat siquidem versus oppidò exactos, tam pedum mirâ, quàm figurarum varietate ; hendecasyllabos lubricos, & cothurnatos ; elegos verò nunc echoicos, nunc recurrentes, nunc per anadiplosin sine principiisque connexos.* In nonnullis codd. est *schoicos.* Sed propiùs abit *eschoicos* : quod in Mss suis reperit Savaro.

Eclipsatus barbarum, pro cessante, & quasi deliquium patiente: ut *Eclipsati juris qualitas*, apud Petrum de Vineis lib. III. epist. XLV.

Edulitas, fames ex annonæ caritate. Petrus Blesensis epist. XCI: *Unum noveris, quòd mortes omnium requiret à te districtissimus judex; quia omnium factus es reus, quorum vitã annona beneficio redimere potuisti. Certè jam albescunt regiones ad messem; nec adhuc in hac edulitatis clade unum pauperem refecisti.* Item epist. CXLI: *In argumentum adventus illius filii perditionis generaliter mundus in maligno positus est, desavit morbo pestilens, & edulitas invalescit.* Utitur & hac voce Lampridius in Alexandro Severo: sed ei de edulium copia, & carnis annona, sermo est.

Effectivus dicit vulgus philosophorum, pro efficiendi vim habens.

Electreus, pro *electrinus*, nesciunt boni scriptores. Apud Lampridium reperias in Alexandro Severo. Nisi is *electros* scripserit: quod censet Salmasius. Nempe qua formâ vasa *aurochalea* dixere, pro *aurochalcina*.

Electuarium legas Constitutionum Sicularum lib. III. Tit. XXXIV. Leg. IV. *Electuaria, & sirupi, & alia medicina, legaliter fiant; ut sic facta vendantur.* Similiter Godefridus Abbas lib. IV. epist. XXIX. Item Cæsarius lib. VII. Mirac. cap. I: *Apud ipsam electuaria sunt confortativa, unguenta sanativa.* Item ejusce libri cap. XLVIII: *Tu de meo electuario non indiges, quia medicus es.* Græci vocant ἔκλειγμα, ἀπὸ τῦ ἐκλείχειν, quod est *delingendo evacuare*. Ut ad verbum *illinctum* possis dicere. Sic usus ἐκλείγματος voce Paulus Ægineta lib. IV. cap. LVII. Imò & Plinius similiter *ecligma* vocat lib. XX. cap. XXII. Dicunt & Græci ἐκλεικτὸν, ut Dioscorides lib. II. cap. CXXV. Atque inde primò *electarium* formarunt: pro quo postea barbarè *electuarium* dixere. Ut fallatur Joannes Ludoviçus de La Cerda in Adversariis Sacris cap. LVIII: cum censet, sic dici quasi *medicamentum electum*. Nec enim est Græcè ἐκλικτὸν, sed ἐκλεικτὸν, ab ἐκλείχω, ut diximus.

Elephantiosus, pro elephantiasi laborans. Sic ille, qui transtulit paradisum Heraclidis cap. VI. de Macario: *Ergo illic exulceratus est totus, quibusdam tuberibus per omnia ejus membra turgentibus: ut unus crederetur ex illis esse, qui elephantiosi vocantur.* Græci dicunt ἐλεφαντιῶντας. Morbus ipse *elephantiasis*, vel etiam *elephas*; imò & Celso, *elephantia*.

Elogicus, ab elogium. Aldhelmus lib. de Virginitate cap. XIII. *Ex ipsius elogica scriptione conjecturam capesso.*

Embrimium vel *embryminm*, quid sit, clarè nos docet Cassianus Collat. I. cap. XXIII, sive ultimo: *His itaque beatus Moses, collationi nostræ*

dans

dans finem, adhuc nos avidos, ac de suo ore pendentes, degustare somnum paullisper hortatus est; iisdem ipsis, quibus insidebamus, psiathiis admonens incubare; embrimiis pariter capiti nostro, cervicalium vice, suppositis; quæ crassioribus papyris in longos graciles que fasciculos coaptatis, sesquipedali intervallo molliter nexa, nunc quidem humillimum sedile, ad scabelli vicem, fratribus in synaxi considentibus præstant; nunc verò, subjecta cervicibus dormientium, præbent capiti non nimiè durum, sed tractabile, aptumque fulmentum. Ad quos monachorum usus hæc iccirco vel maximè opportuna habentur, & congrua; quòd non solùm sint aliquatenus mollia, parvoque & opere præparentur, & pretio; (utpote passim papyro per ripas, Nili fluminis emergente, quam cuique, volenti in usum adsumere, nemo prohibeat desecare:) sed etiam quòd ad removendum, seu, cùm necesse fuerit, admovendum, habilis materia, leviscque natura sint. Ac agnoscit Petrus Ciacconius, in glossariolo ad Cassianum editionis Romanæ, non alibi se hanc vocem legisse, præterquam allato Cassiani loco, & apud Simeonem Metaphrastem in vita S. Euthymii Magni, abbatis: cujus verba libro hujusce cap. IV. in *Centonium*, adduximus. Josephus Scaliger Elenchi cap. XXV. fatetur, se originem vocis nescire. Martinius in Etymologico suspicatur, si origine Scythicum, vel Celticum, sit; esse à **bretn**, quod Teutonicâ lingvâ notat genistam: ut sic dicatur, quia genistâ, sparto, ac similibus, plumarum, vel tomenti loco, farciretur. Sed magis placet Casauboni sententia Exercit. I. ad Apparatum Annalium Baronianorum; ubi, quia embrimiis indormirent, censet, ἐμβρίμια dici ἀπὸ τοῦ βριζειν, quod dormire, ac levem capere somnum, notat; nempe quasi μετὰ τὴν βορὰν ἵζειν, *post sumtum cibum residere.* Unde & *Brizo*, somni, vel insomniorum Dea, teste Athenæo, lib. VIII. Unde Βριζομάντις apud Hesychium. Vel hoc verum est, vel vocabulum fuerit origine Ægyptium; quando Ægyptii eo monachi utebantur.

Emendam dixere ex Gallico *amande*, & *emende*; uti hoc à Latino *emendatio*. Eo solo differt à mulcta, quòd hæc judici, illa actori detur. Speculum Saxonicum lib. I. artic. LIII: *Et in aliis omnibus, quandocunque pars adversa emendam, id est, satisfactionem, acquisiverit; super emendante judex etiam mulctam obtinebit.* Item lib. III. Artic. LII *Judex in suo judicio mulctam habet, & non emendam; eò quòd judex agere nõ potest, & judicare: nemini verò emendatur, nisi actori. Ideoque illustribus emendam non competere, injustè ab aliquibus vulgatum est.* Matthæus Paris. in Histor. *Nos ab eâ capiemus emendam.* Ac in Vitis: *Regi quales*

Epistolarium, liber epistolarum, quæ quoquo anno in Ecclesia legerentur. Usus Matthæus Parisius in vita Pauli, XIV. abbatis S. Albani.

Equaritia quid sit, ostendit Cæsarius lib. VII. Mirac. cap. XXXIX: *Venientibus eis in quendam saltum, poledrus equaritiam, id est, gregem equarum, de longè pascere conspexit, qui statim hinniens, atque lasciviens, ex ducentium manibus se excussit, & cursu velocissimo ad equaritiam properavit; quem cùm conversi insequerentur, equaritiâ fugiente magis poledrus ab eis elongabatur.* Est verò *poledrus*, pullus equinus.

Equitatura, pro equis, quibus utimur in itinere, ac transvectione rerum nostrarum. Goffridus Abbas Vindoc. lib. I. epist. XVI. Constitut. Neapol. lib. III. Tit. XXXVIII. leg. IV. Petrus de Vineis lib. V. cap. XXXVII: *Magistrum G. cum equitaturis, scuteriis, & rebus suis, sine alicujus pedagii exactione, ire, stare, & ad curiam nostram redire, securè & libere permittatis.* Usus & voce eâ Matthæus Parisius, an. CIↃCCXXII *: *Fecerunt unã equitaturã erga terrã Babylonis: --& in illa equitatura tres septimanas, vel plus, morati fuerunt.* Sed *equitatura* hic idem ac *equitatio*.

* Pag. 313. edit Lond. V Vais.

Erratus, pro *error*, vel *erratum*, apud Anonymum de ritibus vet. Eccles. sive potiùs Alcuinum: *Jejunandum est priùs cum eis pro eorũ erratibus. Erratus* in recto singulo; unde *erratibus*, ut *fructibus*. Similiter Ivo Epist. CCLXXXIX, sive, editionis Jureti, postremâ: *Qui etiam, quod nondum erratibus meis adhibui, cogor debere correctionem alienis erroribus.*

Eremita, pro solitario, atque seorsum desertis locis vitam degente. Quales è Christianis primò genuit necessitas fugæ, propter persecutiones gentilium. At si gregatim viverent, vocati *cœnobitæ*: qui primò monasteria sua locis ab urbe remotis, postea etiam in urbibus, habuere. Sed de vocabulis istiusmodi nulli Ecclesiæ scriptori litem movero.

Escambium, pro excambium, hoc est, permutatio, à *cambire*, pro ἀμείβειν. Matthæus Parisius in vita Richardi, abbatis quincti-decimi: *Dedit quoque idem abbas Richardus terram de Meridene in escambio pro terra de Bradvvera.*

Esphorium, vestis interior, εἰσφόριον vel ἐσωφόριον, ab ἔσω, *intus*, & φέρω, *fero, gero*; quia interiùs gestatur. Anastasius Bibliothecarius in vita Joannis Eleemosynarii de Græcâ Leontii Latinè redditâ, cap. VII §. XXXVIII: *Ille putans, quòd egenus esset, expoliavit* * *se esphorium suum, quòd illius melius erat; rogavitque eum, ut hoc ipse vestiretur.* Ac paullo pòst etiam semel, iterumque, usurpat. Ad eum verò locum,

* *Alii.* expolivit: *ut de la Corda in*

Bollan-

Adversariis Sacris Sed omnino placet, exspolivit. Porrò esophorium suum, pro esophorio suo.

Bollandus hæc adducit ex Glossario Camberonensi Mso: *Esaphorium, vestis interior, quæ à Martiano* (Capella) *interula appellatur.* Et ante eum similiter Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. cxxv. Verùm ante Capellam etiam *interulam* vocavit Tertullianus libro de Pallio. Plura de hoc vestis genere diximus lib. superiori cap. iv. voce *Camisia.*

Evacuatoria epistola dicitur Marculfo lib. ii. Form. cap. xxxv. qua quis fatetur sibi satisfactum, sic ut, si postea cautio reperiatur, (quemadmodum ibidem legas) *quoquo tempore ostensa fuerit, nullum sortiatur effectum; sed VACVA, & inanis permaneat.* Ex quibus verbis origo vocabuli elucet: uti & illo Augustini de cura pro mortuis: *Vbi esset recautum, quo illa cautio vacuata fuerat, indicavit.*

Evinditale judicium est apud Marculfum Monachum lib. i. form. cap. xxxvii. Id Bignonius interpretatur *declaratorium,* quo rex notum & evidens facit, quendam in palatio se die dictâ judicio stitisse; adversarium verò vadimonium deseruisse. Num igitur *evinditale* corruptum putabimus ex *evidentale*? An potius à *vendstando,* aut *vindicando,* origo arcessenda?

Exagellium, trutina sive libra, diminutivum videtur ab *exagium,* ἐξάγιον; quod in glossis vett. exponitur *pensatio*: uti ἐξαγιάζω, *examino, perpendo.* Ἐξάγιον legas apud Actuarium in aurea antidoto Alexandri, ac medicorum mediæ ætatis alios: item L. fin. C. de suar. & suscept. vin. Cuiacium adi, & Martinium in Etymologico. Nec dubium, quin ejusdem originis sit *agina*: de quo è Festo ita Paullus: *Agina est, quo inseritur scapus trutina, id est, in quo foramine trutina se vertit. Vnde aginatores dicuntur, qui parvo lucro moventur. Exagium* usurpat Zeno, sermone vi. ad Neophytos: *Habetis aginam; exagium facite; quemadmodum vultis, ponderate.* At *exagellium* est apud Ennodium Ticinensem episcopum, in vita S. Epiphanii, itidem Ticinensis episcopi, præceptoris sui, cap. xiii. § lxii: *Omnibus sacerdotibus, in itinere positis, munificus, communis, affabilis, & quasi exagellium relinquens, se ipso præstantior.* Ubi *exagellium* per tralationem sumitur pro exemplo; quod grati animi ergo, doni loco, relinqueret omnibus, à quibus exceptus foret.

Exenium, servitium: ut Glossæ veteres, & Papias, interpretantur. Baldericus Historiæ Hierosolymitanæ lib. iii: *Condito corpore, quibus potuerunt aromatibus, imperialibus exeniis illud prosecuti sunt.* Testamétum S. Remigii: *Et incolæ loci illius, multiplicibus exeniis gravati, obnixè deprecan-*

deprecantes, quod Regi debebant, Ecclesiæ meæ solvendum me petere compulerunt. Vulgares libri *xemis*: sed in Mssis esse *exeniis*, testis Ludovicus de la Cerda in Adversariis sacris cap. CXXVII. Num ut ab *occupatus* fecere *exoccupatus*; ita à *xenium*, quod est hospitale donum, *exenium* procuderint? Non arbitror. Potiùs dixero, E præmissum, more Gallico; ut in *escole*, à *schola*, & aliis multis: quo de more alibi dictum.

Exoccupatus, ob occupationibus liber. S. Gerardus abbas Sylvæmajoris, in vita S. Adelardi cap. IV*: *Quandocumque res eum occupat mundialis, (utpote exigebat, & exigit in talibus cœconomia temporalis,) paulle post exoccupatus aderat totus in divinis.* Et cap. V. *Quanto curis secularibus erat exoccupatior; tanto divinis & cœlestibus, suspirabat attentior.* Item Petrus Venerabilis lib. I. epist. XXIV: *Felix, & jam beatitudini aternæ participans, exoccupatorum otium, quibus libera, & absque impedimento, in cœlum via paratur.* Vide *Exoccupor. l.* sequenti cap. VII.

* *In vita S. S. ad 2. Jan.*

Exordinatum, ubi ordo conturbatus. S. Gerardus abbas Sylvæmajoris cap. IX. §. XLVI: *Cumque remeasset, ordinabat, si quid ex suis exordinatum fuisset.*

Expalmatus, palmâ manûs percussus, colaphis cæsus. Petrus Blesensis sermone XVIII. de Christo: *Vidi eum in horto ligatum, in atrio Pontificis expalmatum, sputis illitum, in prætorio judicis irrisum*, &c. Ac similiter serm. III: *Colaphis expalmatum.* Pro quo & serm. XXIV ait: *Palmatum colaphis.*

Experimentatum, pro eo, quod Latini dicerent experimento cognitum, apud Plinium Valerianum legas.

Expositor, reperio pro eo, *qui expendit pecuniam.* Sed piget talibus insistere.

Expuderatus, homo nullius pudoris, impudens. Isidorus in Gloss. *Expuderatus, impudicus.* Falli puto, qui *expuderatus* scribunt per E; cùm non, uti *pudens* & *impudens*, à *pudere* sit; sed à *pudore*; unde finxere *puderatus*, inde *expuderatus*.

Extales, pro extis, apud vulgatum interpretem I. sive III Regum vers. IX. Ac similiter Petrus Blesensis epist. CII: *He sunt muscæ, quæ exterminant suavitatem unguenti; aves, quas abigebat Abraham; mures, qui de terra, id est, affectione terrena, ebullunt; qui extales, id est interiora, corrodunt.*

Exterminium, propriè extra terminos ejectio. Gloss. vett. *Exterminium*, ἀφορισμός. Utitur Tertullianus adversus Judæos. Decies ter habes apud veterem veteris instrumenti interpretem. Cujus

exemplo, inter alios, quoque Petrus Blesensis ait epist. LXXXVI : *Ne des animam tuam in exterminium, & in opprobrium famam tuam.*

Exulaticius, ab supino verbi *exulo* ; ut à supinis verborum pignero, transfero, commentor, insero, adscribo ; pigneraticius, translaticius, commentaticius, insiticius, adscriptitius. Glossæ Cyrillo tributæ: φυγὰς, *fugitivus, exulaticius, fugitivosus.*

CAP. XII.

Acceditur ad inchoata ab F. Quale fabarius, *pro cantore fabis vesci solito.* Fabiana, *vel* fabana, *cibus è fabis.* Fabulo, *fabulator.* Facella, *fax exigua.* Facialis, *linteum tergendæ faciei: quod Græcis posterioribus similiter* φακιόλιον, *vel* φακιώλιον: *nisi id potius capitis est tegumentum, quali utuntur Turcæ.* Facitergium, & facitergulum, *sudarium.* Factivus, *efficiendi vi præditus.* Facularii, *faculâ præducentes.* Faidici, *corruptum ex* fatidici. Falcastæ, *vel potius* falcastrum, *ferramentum, referens falcem.* Falconista, *vel* falconarius, *pro accipitrario, sive potius, qui haliæeto accupium exercet.* Falsator, *pro falsario.* Famen, *pro delicto.* Farile, *ubi far reconditur.* Farlura, *pro fartura.* Fasciolum, *pro fasciola.* Fellicitus, *pro felle suffusus.* Femellarius, *pro muliereso.* Ferita, *pro ictu.* Fervura, *pro fervor.* Festinantia, *pro festinatio.* Fibramen, *pro radiis, & quasi fibris Solaribus.* Fibulatorium, *amiculum.* Fictitius, *pro commentitius.* Filiaster, *pro privignus, &* filiastra *pro privigna.* Fiola, *ampulla vitrea liquori conservando.* Firmaculum, *firmamentum, vel etiam fibula.* Firmatorium, *quod est rei firmandæ.* Fiscalinus, *cui cura fiscus, vel de quo cura est fisco.* Firnibus, *pro* finibus, *rejectum.* Flabellus, *pro flabellum.* Flabarius, *pro subulco.* Flaber, *homo inanes flans glorias.* Flamonium, *pro flaminium.* Florenus, Francus, Nobilis, *nummorum genera, unde nomen acceperint.* Foculare, *foci locus.* Folleralis, *nummi genus, quod duodecimam siliquæ partem faceret.* Follex, *saccus scorteus, vel uter camini.* Folonitia, *vanitas.* Foralis, *forensis.* Foraminatus, *perforatus.* Forasticus, *foris contingens, vel foris degens : hoc est, extra Ecclesiam.* Foraticus, *tributum persolvendum foris, sive, extra patrium solum.* Forfactum, *sive* forefactum, *vel* forefactura, *de gravis delicti genere.* Formaria, *virgo formandis cœnobii moribus præfecta.* Formaticum, *caseus.* Formella, *vas, quo caseos figuratur.* Fornata, *coctura panis in furno.* Fortalitium, *vel* forteletum, *propugnaculum* : fortiam *nunc pro eodem, nunc pro violentia, nunc pro*

fortun-

fortitudine accipi. Fortunium, *pro certamine, ubi fortuna magis dominari videtur, quàm virtus.* Fossorium, *ligo.* Fragus, *pro poplite.* Frigefactivum, *pro refrigerans.* Frigoreticus, *vel* frigoriticus, *febricitans.* Fritium dentium, *pro dentifricium.* Frixorium, *sartago.* Frontaria, *regionis limites.* Fuco, *impostor.* Fugela, *fuga.* Fugitivarius, *fugitivos insequens.* Fugitivosus, *profugus.* Fulciatorium, *scipio.* Fulgetrido, *fulgor.* Fulgitrua, *fulgetra.* Fulina, *culina; ut* fulinarius, *coquus.* Fundibula, *funda: unde* fundibularius, *qui fundâ utitur: similiter* fustibalus, *unde* fustibalarius. Fundulus, *gobius fluviatilis.* Furabulum, *nox furibus idonea.* Furfuraculum, *terebra.* Furfurio, *avis genus, quod furfure alitur.* Fusionaticum, *percolatum.*

HInc jam me conferam ad consonas inter secundam, tertiamque vocalem interjectas: ubi *F.* primò occurrit.

Fabarius probum est*: cùm Catonis sit de R. R. libris, *fabarium pilum*; Plinius item nominat *fabarias insulas.* Sed apud idoneum quemquam nullus invenio, cui psaltes eò *fabarius* dicatur, quia utatur fabis, quò vocem reddat firmiorem, ac suaviorem. Solus mihi ejus significationis auctor est Isidorus lib. II. de divinis officiis: *Psallentes legumine in caussa vocis assiduè utebantur. Vnde & cantores, apud gentiles, fabarii dicti sunt.* Etiam junioribus *fabaria* est locus, ubi fabæ succrescunt. Lex Salica Tit. XIX. §. XIII: *Siquis in napiam, in fabariam, in pisariam, in lentulariam, vel his similia, ad furtum faciendum ingressus fuerit.*

* *Vt melius ei locus sit in salsâ significatione usurpatis; de quibus libro sequenti.*

Fabiana, pro cibo è fabis cocto. Anonymus in vita S. Carulelphi: *Tantam fabianam coxit, ut per totam hebdomadem satis haberet.* Sic MStus. Ut à *faba Fabius,* inde Fabianus; sic *fabiana.* Nisi *fabana,* extrito I. legendum; quod visum Meursio in Glossario, vocibus φάβα, & φάβαλον. Ac similiter Martinius in Etymologico. Interim & hoc barbarum.

Fabulo, fabulator, fabulæ scriptor; ut liquet ex Isidoro in Gloss. Macrobius lib. II. Saturn. c. I: *Hac nobis sit liberata latitia, & docta cavillatio, vicem planipedis, & fabulonis, impudica, & pretexta verba jacientis.* Falluntur, qui legunt *fabulonis,* vel etiam *subulonis*; ut Theod. Marcilius ad Suetonium.

Facella diminutivum à *facula*; uti hoc à *face.* Acta Tharaci Martyris; *Et mox tres facellæ, veluti stellæ, apparuerunt supra ipsorum corpora, quæ furtim subtraximus, & abivimus, præcedentibus nos cœlestibus illis lucernis.*

Facialis, linteum tenue, quo faciem extergemus. Gloss. *Faciale,*

σουδάριον. Item: Δὸς προσωπίδιον, *da facialem*. In Colloquio Scholastico: Ξύστραν, σουδάριον, παδιμάγιον, λήκυθον. *Strigilem, facialem pedilem, ampullam*. Nicodemus in gestis Christi: ut vulgo quidem inscribitur: *Cursor videns eum, & facialem, quem tenebat in manu sua, expandit ante eum in terra*. Martyrologium vetus in vita Timothei: *Ut cognosci nequirent, facialibus velantes facies*. Habes quoque apud Henricum de Hassia in Speculo Anim. Lvii. 21. modela.* Imò ad Græcos etiam ea vox pervenit, qui inde suum φακιόλιον formarunt; quod apud Suidam: vel potiùs φακιώλιον; quo usi Germanus in Histor. Eccles. Codinus de Offic. Constant. cap. iv, Achmes cap. ccxxvi. Nisi φακιώλιον ex Italico *Facciolo*; uti hoc ex Latino *fasciola*: ut signet capitis tegmen, è linteo quasi in fascem complicato; quale obtinet apud Turcas, & *turbant* vocatur. Sic ad Codinum censet Clarissimus socer meus Franciscus Junius; sic etiam in Onomastico suo Leunclavius; atque adeò, qui jure subinde, nec ratò injuriâ, abire à Junio solet, Jacobus Gretzerus, magnæ vir doctrinæ, sed sæpe nimis affectui indulgens; ut illam, penè dixerim virulentiam, quam mollissimis possim verbis designem. Placet verò sententia præstantissimi Frontonis Ducæi de loco Palladii in Lausiaca Historia cap. i. Verba ejus: Οὗτος ὁ ἅγιος μέχρι αὐτῆς τελευτῆς οὐκ ἐβάλλετο ἱμάτιον, ἐκτὸς φακιολίου. Quod rectè idem Ducæus vertit: *Hic sanctus* (Isidorus) *usque ad horam obitus nihil lineum gestavit, extra facialem*. Pro extremis verbis apud veterem interpretem perperam erat, *extra vitam*.

* Pag. 6.

* *Invitis SS. ad* 12. *Jan.*

Facitergium, sudarium, à facie tergenda. Regula S. Cæsariæ*, cujus editionem debemus doctissimi Bollandi industriæ, cap. viii. §. xi. vi. *Acupictura nunquam, nisi in mappulis, aut facitergiis, in quibus Abbatissa jusserit, fiat*. Benedictus Episcopus ad S. Bonifacium*: *Benedictionem à vestra beatitudine missam, sicut à patre meo suscepi, &c. Etenim parvum munusculum vestræ sanctitati direxi, sabanum unum & facitergium unum, & modicum thymiama*. Atque ad eandem formam effinxere *anitergium*, de quo superiùs. Cæterùm pro *facitergium* etiam *facitergulum* ἀποκοριστικῶς dixere. Translatio S. Liborii, Episcopi Cenomanensis*: *Raptis feminarum facitergulis eam contexêre*.

* *Epist.* 145. *in farragine epistolarum Bonifacii & ad eum scriptarum.*

* *Apud Surium ad* 23. *Julii pag.* 349. *edit. an.* 1579.

Factivus feram in philosophis, pro ποιητικός. Veteres pro eo *efficiens*, vel is, cujus opus est in faciendo, & agendo. Par ratio in *effectivus*; ut cap. xviii. præcedenti tangebamus.

Fasti-

Facularii, qui faculam sive facem præferunt. Glossæ, Δαδοῦχοι. Ubi rectum, Δαδοῦχοι.

Faidici est apud Petrum, Historiæ Albigensis scriptorem, cap. LXXXV: *Ruptarii, & faidici, & multi alii.* Puto rescribendum, *fatidici.* Ut inter infames referantur vani isti homines, qui fata aliis prædicturos se promittunt. Notum hoc ipsius Horatii:

Tu ne quæsieris (scire nefas) quem mihi, quem tibi,
Finem Di dederint, &c.

Ubi *nefas* idem ac ἀθέμιτον. Equidem isti hominum generi (ut de auguribus dicebat Pacuvius Chryse:)

Magis audiendum, quàm auscultandum censeo.

Imò hoc quoque nimium: quando ne audiendi quidem, sed expellendi, juxta leges adversus Mathematicos latas.

Falcastæ, à falcis similitudine. Fulbertus Carnotensis epist. XLV: *Lanceis, falcastis, & gladiis, in ipso atrio principalis Ecclesiæ trucidaverunt.* Sic in duobus se Mssis reperisse ait Ludovicus de la Cerda Adversariorum sacrorum cap. LXXIII. Puto tamen, vocabulum nihili, legendumque *falcastris*: qua de voce nunc dicam.

Falcastrum quid sit, & unde dicatur, ostendit Gregorius dialogorum libro II. cap. VI: *Quadam verò die ei* (Gotho) *dare ferramentum jussit: quod ad falcis similitudinem falcastrum vocatur; ut de loco quodam vepres abscinderet, quatenus illic hortus fieri deberet.* Ubi sic Græcus interpres: Σιδηροῦν ἐργαλεῖον, ὅπερ ἐπιχωρίως ὀνομάζεται ξυλοκόπις. Usurpat quoque S. Faustus in vita S. Mauri Abbatis cap. II. §. XIII. *Ferramentum, quod falcastrum vocatur, materiem veprium excidenti de manubrio in lacum ceciderat.* Deque eadem re sic Leo Marsicanus Chronici Casinensis lib. II. cap. LXIII: *Miraculum, quod in Gothi falcastro Benedictus pater exhibuit.* Habes & in vita S. Egvvini, Episcopi Wigornensis, cap. IV *: *Sotulares* (rusticus) *implevit, ut tutè jurare posset, quòd super terram suam staret. Cumque, super reliquias S. Egvvini juraturus manum porrigeret: ferro falcastro, quod in manu gerebat, nescio quo casu in cerebro percussus, subitò ad terram mortuus ruit.* Legas & apud Papiam; qui aliter *runconem* à *runcando* dici ait. Vide eum in *Falcastrum*, & *Runcones*.

* *In vitis SS. ad* II. *Jan.*

Falcator quis sit, dicam in Verbis, voce *Falcare*.

Falconista, pro eo, qui Belgis **Valkenier**/ usurpat Beka in vita Joannis II. epist. XL: *Quem soporantem Giselbertus de Aemstel à somno suscitans indesinenter monuit, ut cum falconistis urbem exiret, quoniam inaudi-*

ta copia volatilium in campestribus resideret. Malim *falconarius*: quod apud Hincmarum epist. III. cap. XVI. & XXIV. Nempe ut ab argento *argentarius*. At terminatio *ista* potiùs Græcanica est. Interim nec hoc vocabulum vetus. Quid mirum? quando & *falco* demum Constantini M. ac liberorum ejus temporibus, in usu esse cœpit. Sanè primus, apud quem inveniatur, est Julius Firmicus: ut alibi hoc opere dicetur. *Accipitrarium* cum aliquibus mallem, nisi falco non tam foret ex accipitrum genere; quàm illud aquilæ genus, quod haliætum, & Nisum, appellat Maro in Ciri.

Falsator, quod in lege Salica est Tit. XXXII. §. VIII, non ausim penitùs damnare, quia *falsare pondera, aut monetas*, dicat Modestinus, L. XXXII. D. de lege Cornelia de falsis. Longè tamen malim *falsarius*, quod sæpius est apud Tranquillum: item L. I. §. I. D. de L. Cornel. de falsi. item L. XXIV. C. de Probationibus: uti & Tertull. de Idololatr.

Famen à *fando*, ut à *flando* est *flamen*, dixit Martianus Capella; uti & Abbo de Lutetiæ obsidione.

Farile à far ut ab *ovis ovile*. R simplex est, ut in *farina*; quod ejusdem originis, Gloss. Mss: *Farile*, χοιροτοκοῦν.

Farsura est àpud Petrum Blesensem Epist. LXXXVI: *Quid quæso dulcedinis, aut devotionis, invenies apud eos, quibus versa est in nauseam numerosa atque confusa iteratio, & farsura psalmorum?* Dicendum *fartura*; quod apud Columellam. Hujusmodi enim non à præterito veniunt, sed supino: ut à *factum*, *factura*; à *pictum*, *pictura*. Conqueritur verò Blesensis, quòd fartim, sive confertim adeò psalmos ingerant, ac decantent, ut fartura isthæc nauseam creet.

Fasciolum, pro fasciola, sive fascia exigua. B. Odericus Peregrinationis suæ in Orientem cap. I. §. IV: *Portant* (mulieres) *super capita sua fasciola aurea de perlis pretiosis.*

Fellicitus, pro *felle suffusus*, est apud Plinium Valerianum. Sed ignorant idonei scriptores.

Femellarius Isidoro in Glossis exponitur *feminis deditus, quem antiqui mulierarium vocant.* Cicero pro eo *mulierosum.* Imò & *mulieraria manus* apud eundem, pro multitudine hominum effeminatorum. Ac Hispanis etiam mulierarius similiter *mugeriego.*

Ferita idem ac ictus, vel plaga, aut vulnus, à feriendo. Paullus Diaconus de gestis Longobard. lib. III. cap. XXX: *Talem* (Rex) *Authari feritam facere solet.* Legg. Longobard. lib. I. Tit. II. leg. I:

Exce-

Exceptis plagis, & feritis. Similiter Tit. VI. Leg. III, & IV, & alibi fæpe. Hodiéque Itali dicunt, *una ferita.*

Fervura pro fervore, vel inflammatione, à *ferveo*, ut ab *stor usura.* Gloss. Msæ. *Fervura*, φλιγμονή

Festinantia magna, pro magna festinatione, apud Bernardum Clarævallensem de vita Malachiæ, episcopi Hiberniæ*.

Fibramen, pro fibra, & ἡ μεταφορὰ pro Solis radiis, & velut jaculis. Althelmus de Virginitate:

Plus licet ex centro Titan fibramina † fundat,
Cùm nimbi fugiunt, & fervet torridus æther,

Fibulatorium, amiculum, vel aliud, quod fibulâ stringitur. Anastasius bibliothecarius in Leone IV: *Fibulatoria majora, & minora quinque.* Item in Gregorio III: *Amulas superauratas (paria duo) pendentes; fibulatoria numero quinque.* Imò & posterioribus Græcis inde φιβλατώριον, quod Suidas exponit ἀμφιβόλαιον Περσικὸν *amiculũ Persicũ.*

Fictitius, etsi vulgare, haut facilè dixero; sed *fictus*, vel *commentitius.*

Filiaster, pro privigno, in glossis Isidori, & Onomastico, ac glossis vett. ubi exponitur, πρόγονος. Nempe ut *philosophaster*, & *parasitaster*; qui imitatur philosophum, vel parasitum: sic *filiaster*, qui naturâ non est filius, sed quadam ratione eum imitatur; quia vitricus in patris, ac noverca in matris venit locum. Fulbertus epist. XXXIII: *Siquis filiastrum, aut filiastram suam, ad confirmationem tenuerit; separetur ab uxore, & alteram non accipiat.* Imò & in Concilio Moguntino I. can. LVII. legas: *Siquis uxorem viduam duxerit, & postea cum filiastra sua fornicatus fuerit; --- disjungi præcipimus.* Cujusmodi connubium etiam interdicitur Concilii Illiberitani can. LXVI. Imò & Romanis fuisse Legg. prohibitum, docet Pomponius J. C.

Fiola, ampulla vitrea ad liquorum aliquem continendum; à Latino *phiala*, quod ἀπὸ τοῦ πίνειν quia vinum, potumve alium, eo conservarent. Matth. Parisius in rebus an. CIↃCCIV: *Quod miles quidam extraheret de armorio suo fiolam unam, in qua posuerat de oleo illo, quod de iconia* Dei genetricis apud Sardenai distillat. Sed cum diligenter fiolam illam inspexit, in qua oleum reposuerat lucidissimum, & velut aquæ fontis perspicuum; apparuit in ea oleum incarnatum.*

Firmaculum, pro *firmamentum.* Joachim Abbas prologo in Apocalypsin: *Domum illam spiritualem, in qua, multis obsecrata firmaculis, Scripturarum intelligentia clausa est, intrare satagimus.* Sic sanè editio

* *Columm.* 1947. *edit. Antverp. an.* 1609.

† *Nisi vibramina malis, quia radii, velut tela, vibrantur.*

* *Icone, seu imagine.*

tio Veneta anni cIↃ IↃxxvii. Sed quid si pro *obsecrata*, *firmaculis* Joachim scripserit * *obserata signaculis?* Sic arbitror. Interim & id verum, iis temporibus à firmando similiter *firmaculum* dixisse fibulam, quâ latera vestimenti connecterentur. Matthæus Parisius ad an. cIↃccl : *Ipse Archiepiscopus captam illam pretiosam, qua Subprior indutus erat, dilaceravit, & firmaculum, quod vulgariter morsus dicitur, avulsit.* Utitur & alibi non semel.

* *Approbat Ioh. Rhodius Not. ad Scribon. pag. 332.*

Firmatorium, quo quid firmatur. Petrus Blesensis serm. VI: *Adde ergo libro, quasi firmatorium, gratiam Dei; qua presto est omnibus, si consentiant.*

Firmatura, pro firmamento, est in Chronico Cistertiensi †.

† *Pag. 64.*

Firmitas, locus munitus, arx, aut aliud simile propugnaculum. Bromton. in Chronico Col. 992 : *Rex Northumbriam adiit, ubi cito* in quâdam firmitate, *qua* novum castrum *vocatur, plures de Proceribus cepit.* Convenit Teutonicum : Vestung i. à firmando & muniendo. Quandoque *firmitatis* vox de eo dicitur, quo de rei alicujus rei firmitate cavetur, notante Goldasto ad Aleman. ter. Tom. I. p. 176.

Fiscalinus à fiscalis, uti hoc à fiscus. Dictus verò *fiscalinus*, tum fisci patronus, sive ille, cui fisci cura ; tum is, de quo cura est fisco, sive fisci patronus : ut in Digestis, *fiscalis debitor*, vel *ancilla*. Sic in Constitutionibus Caroli M. habes *, *fiscalinos regios*, & *fiscalinas regias*. Atque id ipsum caput habes in Capitularibus Karoli M. & Ludovici Pii lib. III. cap. XVII: *De fiscalinis ortus servis.* Hincmarus de translatione S. Remigii : *Fiscalini, nimio terrore perculsi, non putarunt, se vel unâ horâ vivere posse.* Similiter Flodoardus Historiæ Remensis lib. I. cap. XX. At *fiscalis* rectiùs in Concilio Pisano II. *Procuratorem nostrum fiscalem in Ducatu nostro Mediolanensi.*

* *Pag. 305. edit. Mogunt. an. 1602*

Firmibus inter Latino barbara non reponam : licet apud Leonem Marsicanum sive Ostiensem sit lib. III. cap. XLVI : *De omnibus firmibus, ac pertinentiis.* Planè enim censeo, *finibus* legi oportere.

Flabellus, pro *flabellum*. Anonymus in vita præceptoris sui S. Fulgentii, Ruspensis episcopi, cap. XIV : *Nam & scriptoris arte laudabiliter utebatur, & palmarum foliis flabellos sapissimè contexebat.*

Flabarius, custos porcorum : ut exponitur in Isidori glossis. A *flabris* vox esse videtur. Sed cur inde subulcis sit nomen, non video. Variè conjectat Martinius : sed, quod pace ejus dixerim, nihil adfert, in quo acquiescam.

Flabri,

Flabris, fabulosi, ventosi: ut est in Glossis Isidori. Nempe quia venti, atque ostentationis ergo, inanes flant glorias. Ut à facere, *faber*; sic à flare *flaber*. Sed non arbitror, eam vocem alibi reperiri.

Flamonium, pro *flaminium*, sive flaminis honos. vel dignitas, vel sacerdotium. Sidonius Apollinaris lib. v. epist. VII: *His sunt, qui invidere cunicatis otia, stipendia paludatis, viatica veredariis, mercatoribus nundinas, munuscula legatis, porteria quadruplatoribus, prædia provincialibus, flamonia municipibus, archariis pondera*, &c. Ubi *flamonia* se in cunctis & Mssis, & editis, inveniss̄e, Savaro ait. In veteri etiam lapide Albæ-Juliæ est †: L. FLA. VALENS OB HONOREM FLAMONII B. D. P. Apud Wolfangum Laxium & alterum lapidem habes ex ruinis Ulpiæ Trajanæ, & inde apud Gruterum in Inscriptionum opere *. Firmat quoque Isidorus in Glossis Mss. *Flamonium, honor, qui datur Flaminibus*. Huguitio: *Flamonius, honor Pontificalis*.

† In Gruterianis Inscriptionibus pag. 195. num. 5.

* Pag. 354. num. 5.

Florenus, nummus aureus, primitus à Florentinis cusus, ac floris signo insignitus; unde & nomen. Albertus Argentinensis in Chronico: *Annuatim debent præsentare ad cameram Papæ unum marmotinum, hoc est, denarium aureum; qui bene noscitur à curia, & est minoris, quàm parvulus florenus de Florentia*. Græci postremis seculis inde φλωρίον vocarunt: quod ex Phranze, Makxo, & aliis, Meursius in Glossario ostendit. Italis est *fiorino*. Gallis etiam olim florenus suus, inde *Franc* dictus. Item Anglis ex auro nobilissimo: unde *Nobilis* vocatus, ab Eduardo III. anno cujus CIↃCCCXLIV; circa quod tempus institutus ordo Georgianus, sive periscelidis: ut & inde *Georgiani Nobiles* Spelmanno dicti videantur.

Foculare, ἐσχαρών, locus, ubi extruitur focus. Legg. Longobard. lib. I. tit. XIX. leg. II: *Si quis focum super novem pedes à foculare portaverit, & damno ex ipso foco sibi, aut alteri, factum fuerit*. Legas etiam in Constitutionibus Siculis, sive Neapolitanis, lib. I. tit. C.

Follerales, minutum nummi genus, apud Marcellinum Comitem legas in Chronico: *Nummis, quos Romani Teruntianos*, (perperam vulgo *Terentianos*) *Græci follerales vocant, Anastasius suo nomine figuratis, placabilem plebi commutationem distraxit*. Nempe quia duodeni follerales siliquam conficerent, plebi, ob exiguitatem pretii, valde in commutando utiles erant.

Follex in vett. glossis exponitur, tum σάλαξ, saccus, scorteus, sive pelliceus; tum καμίνου δέκτης, camini uter. Et sanè possit *follex* videri con-

tractum ex θύλακος, ς in φ transeunte: quomodo à θύω est Latinum *fio*, unde *suffio* & *suffitus* à θῦμα item *fumus*: à θῆρ, φήρ, unde *fera*. *Follex* non memini me legere extra glossas. Sed *follicum*, juxta emendationem Salmasianam *, est apud Cornificium lib. 1: *Et damnato statim follicum lupi in os, & solea lignea in pedibus inducta sunt. In carcerem ductus est*, Ita libri vett. De verbis *follico*, & *folleo*, dicam in verbis.

* *Ad Tertullianum de Pallio*

Folonitia, vanitas, ut exponitur in Glossis Isidori. Ac in veteri etiam Dictionario legas: *Follicea, vel folleritia, vanitas, superbia, stultitia*; Bon. Vulcanius conjectabat, *folonitia* esse corruptum ex φιλονεικία. Sed omnino est à follibus vani aëris plenis. Unde & Italis *follia*, Gallis *folie*, vanitas. Vide *Follico* in Verbis.

Foralis pro *forensis*. Gregorius M. epist. LXXII: *Causas enim prædictæ feminæ, sive sint, sive fuerint, nostro volumus indicio terminari, ut foralis illi inquietudo submoveri debeat, & tamen à judicii justitia nullatenus excusetur.* Item epist. LXVII: *Studii nostri esse condecet, à litigiis moralibus submovere; ut divinis ministeriis piè, ac sollerter, invigilent.*

Foraminatus, pro perforatus. Sidonius lib. I, epist. V: *Nauticis cuspidibus foraminato fundi glutino sordidaretur*. Idem lib. III. epist. III: *Alii cæsim, atque punctim, foraminatos circulos loricarum livescentibus digitis metiuntur.*

Forasticum, à *foras*, pro eo, quod foris sit, sive ab illis, quos τὰ ἔξω δίν Græci nuncupant: uti sunt gentes, sive nationes, quos & *paganos* dixere. S. Bonifacius epist. III: *Nam cum talibus, & cum paganis, & cum permista, & cum plebeia multitudine, nostri labores, & pugnæ forastica videntur esse.* His mox opponit fideles, sive Ecclesiæ filios. Sic enim scribit: *Intima verò, quando quis de gremio matris Ecclesiæ presbyter, vel diaconus; ecclesiasticus, vel monachus; discedit à fide, & veritate.* Unde satis clarè elucet, *forasticos* opponi fidelibus à fide deficientibus.

Foraticus à *foras*: unde & *forasticus*, de quo vidimus. Legas in præcepto Dagoberti de mercato S. Dionysii, ubi de iis agens, unde tributum ad fiscum redit, inter alios jungit, *pulveraticos, foraticos, missaticos, laudaticos, saumaticos, salvaticos*. Lindenbrogio videtur signare tributum, quod in LL. Longobardicis *transitorium*, vel *tractorium*, vocatur: uti hodiéque Gallis *traicte, foreine*.

Forfactum est quidem è Gallico *forfaict*; sed hoc ipsum est è *forefactum*; quomodo vocat Eadmerus, monachus Cantuariensis, quod sic dicitur, quasi *foris-factum*, delictum crimenque notat. Ponitur universè

pro

pro gravi delicto, ac propriè quidem pro eo, cujus ergò aliquis sit fortis; hoc est, amittat privilegium, vel etiam jus aliquid exigendi, sic ut non necesse habeat alter solvere, quod debeat. Ut apud Matthæum Parisium in an. CIↃCXIV: *Catalla eorum, qui sunt in foris-facto Regis.* Literæ * Officialis Cameracensis, & aliorum, de miraculo S. Pharaildis, datæ anno CIↃCCXLII: *Illa verò videns, hos panes conversos in lapides; geniculando veniam à Deo, sanctâque Pharailde, de forefactis suis petiit.* Ubi generatim sumitur pro peccato. Est alioqui, cum ponatur pro mulctâ pecuniariâ, ob delictum irrogatâ. Ut in legibus Burgorum, quas tulit David primus ejus nominis Scotiæ Rex, cap. XLII: *Forisfactum in burgo, non excedit octo solidos.* Item cap. LXXI: *Qui aliter faciendo convictus fuerit, dabit plenarium forisfactum.* Et cap. LXXIV: *Castigetur per ballivos burgi pro forisfacto suo primo, secundo, tertio.* Et cap. LXXXVIII: *Dabit octo solidos ad forisfactum.* Et alibi iisdem legibus sæpe. Nec *forfactum* modò dicitur, sed & *forefactura*: quod est apud Rogerum de Houeden Annalium T. II. †. item Ludovicum XI. Gall. Reg. in Edicto, *Ne alienа*, &c. Vide plura inferiùs in Verbis, voce *Forefacere*.

* *Apud Bollandum in Vitis SS. ad 4. Jan.*

† Pag. 609.

Forjudicatio quid sit, liquebit ex iis, quæ in Verbis dicam de *forjudicandi* voce.

Farmaria, una è sanctimonialibus senioribus, sic dicta, ut puto, à formandis moribus, sive quia curæ illi, nequid adversus formam, ac leges cœnobii, peccaretur. Regula S. Cæsariæ * à fratre ejus S. Cæsario, Arelatensi episcopo, exarata. cap. VII. §. XLIX: *Siquis verò germanam suam, vel filiam, aut quamlibet parentem, aut sibi cognatam, videre voluerit; præsente formariâ, vel qualibet seniore, ei colloquium non negetur.*

* *Apud Bollandum ad 12. Jan.*

Formaticum, unde Gallicum *formage*, legas in Ordine Romano de divinis Officiis cap. de die Sabbathi sanct. Paschæ *: *Eodem die dominus Papa, & cæteri Romani, ova manducant, & formaticum, id est, caseum.* *Formaticum*, & Gallicum *formago*, quod nec Gaza refugit in tertio de Histor. Animal. ex eo dicuntur, quòd lacte siccato formam suam accipiant à vasis genere, quod *formellam* vocant. De hoc nunc dicam.

* *In Auctario Bibliothecæ. SS. PP. col. 84.*

Formellæ caseï legas apud vulgatum Scripturæ interpretem 1. Reg. sive Sam. cap. XVII. 18. Est verò vasis genus, quo formatur, ac figuratur caseus. Superiorum seculorum versiculus est:

Caseus exiguus dat, quod formella figurat.

A forma, formula, formella; ut à *cista*, cistula, cistella.

Fornata, pro furnata, hoc est, panis in furno coctura. Matthæus Parisius in vita Garini, sive Warini, xx. abbatis S. Albani: *Concessimus eis primum panem, & ultimum, de qualibet fornata Curiæ nostræ.* Belgis van eelken back.

Fortalitium, quod veteribus *propugnaculum, castrum munitum.* Elmhamus, Prior de Lenton, in gestis Henrici V. Angliæ Regis:

Ad fortalitii facti, murique cacumen,
Hostes portabant dolia, ligna, petras.

Usurpat & Nicolaus Lyra in Daniel. IV. 27. Etiam *forteletum* pro eodem in Latino barbaris invenias. Item *fortia.* Ut apud Bekam in vita Godevini, Episcopi XXVIII: *Hic insuper episcopus, pro sempiterna sua laudis memoria, superædificat B. Martino quatuor fortia.* Sic Gallis *fortereſſe*, Belgis fortreſſe: nec multùm abeunt vox Italica, Anglica, Hispanica. Aliàs *fortia*, sed genere muliebri, vis, ac præcipuè injusta; ut in legg. Bojoar. Tit. II. cap. X. §. I: *Per consilium malignorum, vel per fortiam.* Et L. Ripuar. Tit. XI. §. IV. *Si quis regio homini, aut Ecclesiastico, de quacunque libet re, fortiam fecerit, & per vim tulerit, in triplum componat.* Marculfus lib. I. form. XXVIII: *Eo quòd terram per fortiam tulisset, & post se retineat injustè.* Hinc *defortiare, & diffortiare, & defortiatores*; ut dicam in verbis. Imò est cum & *fortiam* pro fortitudine posuerint. Ut legg. Bajoariorum Tit. XI. cap. V: *Cui Deus dederit fortiam, & victoriam.* Ubi in bonam partem accipi videmus: uti quandoque *virtus* in malam: de quo dicimus lib. IV. in vocibus alienâ positis significatione.

Fortia, vide, de quo proximè dixi, Fortalitiũ, unde decurtatũ, Forth.

Fortunium quid sit, indicat hoc Matthæi Parisii in an. CIↃCCXLI: *Hastiludim, quod vulgariter fortunium, imò potiùs infortunium, appellatur.* Et anno eodem: *Ipsi torneamento interfuisti, & sophisticè fortunium appellasti.* Quasi nempe magis illic fortuna dominetur, quàm virtus.

Fossorium, pro ligone: ut in vita S. Godhardi cap. X: *Secures, & fossoria accipiunt.* Item apud S. Audoënum in vita S. Eligii, parte eâ, ubi de inventione ejus corporis *: *Mox ut terram sarculo scalpere* (al. cavare) *cœpit, manubrium fossorii manibus ejus inhæsit.*

* *Apud Bollandum ad 3. Jan.*

Fragus in Isidori Glossis exponitur *recurvatio poplitis, quæ & suffraginatio.* Ἔτυμον adducit vetus dictionarium: *Fragus, curvatio genuum, vel ipsum genu: & dicitur à frango, quia videtur ibi os fractum.*

Fri-

Frigefactivum, pro *refrigerans*, quod vim habet frigoris. Agellius *frigorificum* pro eo, lib. XVII. cap. VIII.

Frigoreticus, vel *frigoriticus*, barbaris est frequens, pro *febricitans*: videlicet quia febris adfert rigorem, ac frigus. Usus eâ voce Gregorius Turonensis lib. V. Histor. Franc. cap. X, & lib. I. de Gloria Mart. cap. VI, déque Gloria Confessorum cap. XV, & XVI: item lib. I. Miraculorum S. Martini cap. XXXVIII, & lib. IV. cap. XXXVII. Item Frodoardus Histor. Rhemens. lib. II. cap. XIV: *Frigoritici quidam, cum fide venientes, candelam in votis offerunt, & abrasum sepulcri pulverem sumunt; quem aqua mixtum bibunt; & sanitatem hujus sancti Rigoberti meritis adipiscuntur.* Item usus lib. IV. cap. XLIV. Adhæc Baldericus Noviomensis Chronici Cameracensis lib. I. cap. LV: *Frigoritici, atque diversis agritudinibus occupati venientes, optatâ merentur sanitate donari.* Hepidamnus, sive Hepidannus, in vita S. Wiboradæ virginis: *Frigoretico morbo non modicè vexabatur.* Translatio *S. Rigoberti, Rhemensis archiepiscopi, cap. I §. V: *Siquis aliquando ex frigoreticis, aut accerrimo dentium dolore vexatus, cum fide accessit, mox remedium sensit.* Sic & *frigoritio*, pro frigore febricitantium. Gregorius Turonensis lib. III. de Miraculis S. Martini cap. ult. *Dato igitur mane redivit ad propria; nec ultrà, ab hoc morbo frigoritionis, vel confractionis ullius, pertulit grævitatem.*

*Apud Bollandum in Vitis SS. ad 4. Ian.

Fritium dentibus est apud Plinium Valerianum lib. I. cap. XXXVI, pro *dentifricio*; sive, ut Appulejus describit, *mundicinis dentium, tenui, candifico pulvisculo.*

Frixorium, pro patella, in qua friguntur carnes, ut probum agnoscitur ab Hadr. Junio in Nomencl. Ac lego apud scriptorem vitæ S. Laurentii episcopi Dublienſis cap. XI: *Caro velut in frixorio coqueretur.* Cum Plinio malim pro eo *sartago.*

Frontaria (unde Gallis *frontiere*, quod & Belgis in usu) sunt limites regionem, ex eo, quòd, frontis instar, primò in conspectum veniant.

Fuco, qui fucum alteri facit, illusor, adulator. Gloss. vett. *Fuco*, ἰσχύμενος.

Fugela à *fugio*; ut à *suadeo*, *suadela*; à *tutor*, *tutela*, Abbo dixit Carm. de Obs. Lutet. Sed vel est novum, vel obsoletum: uti quoque *acutela*, & *custodela*; quæ Priscianus agnoscit lib. V*. Classici semper *fuga*, non *fugela*.

*Non longè ab initio.

Fugitivarius, qui fugitivos persequitur: unde φυγαδευτὴς exponitur in vett. Glossis. Est à *fugitivus*; quâ formâ à primus, *primarius*, à plenus *plenarius*.

Fugitiosus, exul, fugitivus. Gloss. Cyrillo tributæ: φυγὰς *fugitivus, exulaticius, fugitivosus*. Ut ab ebrius, *ebriosus* sic à fugitivus, *fugitivosus*.

Fulciatorium, pedum, seu virga, vel baculus, quo viatores se fulciunt. Vita S. Deicoli cap. III. §. XIV: *Fulciatorio, quo utebatur, terram paullatim egerens, subitò fideli famulo suo largam fonticuli undam donavit.* Pro eo apud Vincentium Bellov. est *fulcitorio*: & magis ἀναλόγως nempe à *fulcitum*, pro quo μὴ συγκοπῶν *fultum*, unde *fulcrum*.

* *In vitis Sanctorum ad 15. Jan.*

Fulgetrido, pro fulgore, Vita * S. Boniti, episcopi Claromontani in Gallia, cap. IV. §. XVII.: *Apostolorum aula non minùs interea fulget, quasi nota trigona: Sanctorum altaria nitent: contra hinc indéque geminata connectant columnæ priscorum sculptæ fulgetridine emergunt.* Ubi, Bollando teste, in Sirmondi Mso est, *fulgretine*. Puto, pro *fulgredine*. Ut vulgò pro *nigror* dicitur *nigredo*: sic, quasi *fulgror*, pro *fulgor*, diceretur: fecere *fulgredo*. *Fulgetrido* autem fuerit pro *fulgetrudo*. R. in hisce insertum; quâ formâ à *fulgere* est *fulgetrum*.

Fulgitrua, pro *fulgetra*, est apud Hyginum fab. c LXXIII. Quamquam is liber non tam sit Hygini; quàm epitome ejus ab Anniano, sive Avieno: ut ex Mso observatum Barthio lib. VI. Adversar. cap. XII.

Fulina, in Glossis Isidori, exponitur culina: ut *fulinarius*, coquus, Nempe est à fuligine, quæ culinam obsidet. Vel ut *fuligo*, quasi fumiligo, quia est fumus condensatus; sic *fulina*, quasi fumilina: à *fulina* autem *fulinarius*.

Fundibula, σφενδόνη funda. Unde *fundibularii*, σφενδονῖται, sive σφιγδονῆται. *Fundibula* habes apud veterem interpretem I. Maccab. VI. 51: alterum autem II. sive IV. Reg. 25. Judith. VI. 8, & I Maccab. IX. II. Pro *fundibularius*, *fundibulator* est apud Vegetium lib. III. cap. XIV. sed non possis istic accipere pro funditore, quia sociantur *fundibulatores*, & *funditores*. Quare assentio Stevvehio, qui è Mso legendum censet *fustibalatores*: nempe ut sic dicantur à fustibala: & firmat hanc sententiam, quòd ibidem fustibalam describat Vegetius. Favet & Modestus. Fuerit ea vox à *fustis*, βάλλω. At Glossæ: *Fundibalus*, λιθοβόλος. Imò & apud Isidorum legas lib. XVIII. cap. X. *Balista, genus tormenti, ab emittendo jacula dicta. βάλλειν enim Græcè mittere dicitur. Torquetur enim verbere nervorum, & magnâ vi jacit, aut hastas,*

aut

aut saxa. Inde & fundibalus, quasi fundens, & emittens. Ita & editi, & Mssi nostri. Metuo autem, ne corruptâ lectione deceptus sit Isidorus; incideritque in codices Manuscriptos, ubi pro *fundibulo*, vitiosè *fundibalo* esset exaratum.

Fundalus barbaris vocatur piscis, qui Germanis **grundling**, Belgis **grundel**. Nempe quia adhæret fundo, qui nobis dicitur **grondt**. Ac similiter inde efficta vox *funduli*. Omnino autem rectiùs hunc piscem *gobium fluviatilem* dixeris cum Ausonio. Quod & Hadriani Junii judicium est.

Furabula, noctes illunes, furibus, ut lateant, peropportunæ. Glossæ Isidori:- *Furabula, tenebræ.*

Furfuraculum, Græcè τρύπανον hoc est, terebra; instrumentum nempe, quo ligna perforantur. Imò à perforando priùs fuit *perforaculum*; unde corruptâ voce, *furfuraculum*: de quo Salmasium adi ad Solinum.

Furfurio, avis genus furfure pasci solitum: ut ex Isidoro cognoscimus lib. XII. Orig, cap. VII. Similiterque dictionarium vetus.

Fusionaticum in Philoxeni glossis exponitur ὑλισμὸν Videlicet ut à *fœdere*, *fœderaticus*; à *pulvere pulveraticus*: sic *fusionaticum* à *fusione*. Glossæ eædem, *Fusio*, ὕλισμὸς. In Glossis Cyrillo tributis ὑλίζω exponitur *liquo*. Nimirum ὑλίζειν est colare, sive defecare, transfundendo per colum, quod Græcis ὑλισμὸς: Pro *fusionaticum* etiam legas *fusionalitium*; nempe quâ formâ dixerunt *fortalitium*.

Fustibala, & *fustibalator*, vide in *Fundibula*.

CAP. XIII.

Proximè proferetur à litera G. cœpta. Galerium, *galerus*. Gamba, *tibiæ commissura cum pede*; *unde* campagus, *calceamenti genus*: *ac utrumque esse Græcæ originis*. Gammadium, *vel* gammadia, *vestis insignis figuris literam gamma referentibus*. Gannatura, *nisi potiùs* gannitura; *quando quis alteri obgannit, eumque ludos facit*. Gastrum, *vas ventricosum*. Gaudebundus, *gaudio affectus*. Gaudialis, *pro lætus*. Gaudimonium, *gaudium*. Gaviserius, *lætus*. Gazetum, *vini optimi genus*, *è Gaza Palæstina*. Gemelliones, *urceoli formâ gemelli, ac simules*. Generalitas, *universitas*. Generamen, *germen*. Generatorium, *generandi facultas*. Graduale, *quod post lectam epistolam, canitur, dum diaconus se præparat ad legendum, seu canendum Evangelium*. Graduatus, *honoris gradum consecutus*. Græcosonus, *Græcè sciens*, Grana-

Granatarius, *frumenti præfectus.* Gressibile, *gradiens.* Grossitudo, *crassities, magnitudo: ut* grossus, *crassus, magnus; item nummus in pecuniariis minutus majusculus.* Guasta, *vastatio, depopulatio.* Gulositas, *gulæ intemperantia.* Gutteria, *pro guttæris vitio.* Gutturnosus, *qui hoc vitio laborat; unde vitium ipsum* gutturnositas. *Atque obiter dictum,* ponderositatem *esse genitalium vitium.* Guva, *cucurbita: de quo iste Isidori locus emendatus. Vbi & de* spathomele, similaria, anicstro.

VOcat nunc me sequens consonans.

Galerium, capitis tegumentum, corruptum ex Latino *galeri* vocabulo. Marchisinus de Bajadon, qui ante tria secula fuit, in Appendice S. Oderici de Peregrinatione suâ: *Depositoque galerio capitis sui* (Rex) *humiliter deosculabatur crucem.* Ac posteà; *Istud galerium, quod ob reverentiam deposuit, prout audivi à fratre Oderico, ex gemmis, & perlis pretiosis, factum est.*

Gamba Vegetio, in rei Veterinariæ opere, non quidem *crus* notat, uti Gallis; etsi id Casaubonus putârit: sed commissuram tibiæ cum pede, ἀπὸ τῆς κάμπης, quia illic flexus est. Atque inde *campagus,* calceus patricius, ac Senatorius. Nempe à κάμπη est ὁ κάμπαξ κάμπαγος; unde καμπάκιον. Usus *campagi* voce Julius Capitolinus in Maximinis, & Tribellius Pollio in Gallienis. Vide Meurlium in Glossario, voce Καμπαγία; quæque summi viri, Casaubonus, & Salmasius, annotarunt ad Historiæ Augustæ scriptores.

Gammadium, vel *gammadia,* è sticharionum genere; vestis nempe patriarchalis, & episcopalis. Nec solùm vestis sic dicta; sed etiam in eâ formæ triangularis, quibus insignerentur. Anastasius in Leone III: *Fecit vela serica de prasino quatuor, hacentia tabulas de chrysoclavo, cum effigie Christi, & in medio cruces, & gammadias de chrysoclavo cum orbiculis, in quibus sunt imagines Apostolorum.* Item: *Ante vestibulum altaris posuit arcum, & gammadias duas, pensantes simul libras centum, & semis.* Item: *Gammadia duo, & columnas argenteas octo.* Adhæc: *Tabulia chrysoclavas quatuor cum gemmis ornatas, atque gammadias in ipsa veste chrysoclavas quatuor. Gammadium* verò dicebatur à formis triangularibus auro in veste expressis, figuram literæ γάμμα referentibus. Sanè *gamma,* pro figura hac triquetra, sed in re agrariâ, etiam dixit Siculus Flaccus de Condit. Agror. *Aliquando etiam petras occurrentes in finibus notatas invenimus; quasdam, si perseveraret rigor, notas habentes; in versuris verò gammas, sed spectantes suos rigores.*

Gamma-

Gannatura legas apud Aldhelmum de laudibus Virginitatis : *Sed quid mirum, si Apostolorum oracula, & jurisperitorum scita, prafatas frivolorum nanias abominantur ; cùm etiam gentiles gentilibus, & paganis pagani, quasi ridiculosum subsannantis gannaturæ opprobium , legantur imperàsse hoc modo , cum infami proverbiorum elogio cachinnantes, ac cavillantes?* Ac ante eum sic Rabanus Maurus lib. I. de institutione Clericorum cap. III : ubi causas memorans, cur tonderentur Clerici, postremo hanc loco adfert : *Vt idem Apostolus, suique successores, & sesquipedes, ridiculosum gannaturæ ludibrium in populo Romano portarent.* Ludovicus de la Cerda, in Adversariis Sacris cap. CXXXIV. *gannatura* exponit *turpe lucrum* : sed perperam, ut puto. Omnino enim legendum *gannitura* ; quod sequioribus seculis à *gannitu* formarunt, ad modum, quo à *positu, positura* ; à *mensu, mensura*. De sannis enim, & improperiis, ac cachinnis, loqui liquet. Ut voce eâ sic utatur, quomodo Phormio apud Terentium de Nausistrata ait, ac Chremete :

Habet hæc eii, quod, dum vivat, usque ad aurem obganniat.

Gastrum, vas aneum cum fundo angusto : ut est in glossis Arabicolatinis. Est à Græco γαστὴρ, venter, quia vas ventricosum. Sanè γάστρα tum fundus vasis, tum cavitas ejus ; teste Eustathio.

Gaudebundus, pro gaudens ; qua formâ dicimus *ludibundus, populabundus*, & similia. Acta S. Martinæ † cap. IV. § XXXI : *Alexander verò subitò gaudebundus effectus*. Hoc est, eò perfusus gaudio, quòd B. Martina Diis sacrificaturam se diceret. Multò etiam antè usus Appuleius lib. VIII. Metam. *Futuræ soboli noverum maritorum gaudebundus.*

† *In vitis SS. ad 1. Jan.*

Gaudialis sæpius apud eundem Appuleium legas, pro re læta, vel potiùs, gaudium afferente. Quando etiam Cicero in Tusculanis, sed, Stoicorum more, subtiliùs inter gaudium ac lætitiam distinguit. Nempe lætitia etiam vultu, & gestibus, interius gaudium testatur foris.

Gaudimonium pro *gaudio*, apud veterem Bibliorum interpretem Baruchi IV. 34 : *Et amputabitur exultatio multitudinis ejus, & gaudimonium ejus in luctum*. Græcè est γαυρίωμα, quo significatur vana exsultatio, ac jactantia.

Gaviserius, pro lætus. Liber de Miraculis S. Adelardi, Corbejensis abbatis *, cap. VIII. §. XIX : *Resonat tota Ecclesia vocibus gaviseriis : nemo in ea cessat à laudibus, & hymnis.*

* *In vitis SS. apud Boll. ad 2. Jan.*

Gazetum & *Gazeticum*, nobile vini genus, à Gaza, Palæstinæ civitate, optimi vini ferace. Corippus in III :

- - - - Et dulcia Bacchi
Munera, quæ Sarepta ferox, quæ Gaza creârat.

Isidorus lib. XX. Originum cap. III : *Gazetum à regione, unde deferunt. Gaza enim oppidum est Palæstinæ.* Sanè parùm Latina formatio. Nam à *Gaza*, vel esset Gazæum, Γαζαῖον, ut à Ῥώμη, Ῥωμαῖος; vel Gazanum, ut à Roma Romanus, à Sparta Spartanus. Nullum verò gentile in *etus*, vel *etum*, desinit. Atque ideo *Gazetum*, unde *Gazeticum*, formatione barbarâ factum puto. Sidonius Apollinaris carm. XVII :

Vina mihi non sunt Gazetica, Chia, Falerna,
Quæque Sarepteno palmite missa bibas.

Cassiodorus lib. XII. Var. Epist. XII : *Namlicet* (Palmatianum) *inter vina Brutia videatur extremum : factum tamen est penè generali opinione præcipuum. Ibi enim reperitur & Gazeto par, & Sabino simile, & magnis odoribus singulare.* Gregorius Turonensis de Gloria Confess. cap. LXV : *Mulier per annum integrum ad hoc templum degens, assiduè orationi vacabat, celebrans quotidiè missarum sollemnia, & offerens oblationem pro memoria viri, non diffisa de Domini misericordia, quod haberet defunctus requiem, in die, qua Domino oblationem pro ejus anima delibâsset, semper sextarium gazeti vini præbuit in sacrificium Basilicæ sanctæ. Sed subdiaconus nequam, reservans gulæ gazetum, acetum vehementissimum offerebat in calice, muliere non semper ad communicandam gratiam accedente.*

Gemelliones vasa, &, ut puto, urceoli ejusdem generis, ac formâ similes, ut ferè solent gemini fratres. Anastasius in Leone tertio : *Obtulit gemelliones octo, pensantes singulos libras duas.*

Generalitas subjectorum vobis servorum Dei, est apud Cuthbertum epistolâ ad Lullum ; quæ septuagesima est in farragine epistolarum S. Bonifacii. *Generalitas servorum*, pro servi universi, vel servorum universitas. Sanè *universitas* est ipsius Tullii. Nec tamen *generalitas* absurdè formatum ; cùm ejusdem Ciceronis sint *generalis*, & *generaliter*.

Generâmen, à generando ; pro *germen*, quod à genendo, quasi *genimen* ; ut à canendo *canimen*, unde *carmen*. *Stirpis generamina* lædas apud Althelmum de Virginitate.

Generatorium, τὸ γενητικὸν, sive generandi facultas. Usus Ambrosius libro de Noë, & arca : *Non est dubium, quin rationabile animæ nostræ in quinque sensus dividatur, & vocem, & generatorium.*

Gradu-

Graduale à gradibus formatum. Nec in re nova novum aspernet vocabulum. Sic dixere, non quòd canatur in gradibus altaris ; ut Durandus tradit lib. IV. cap. XIX : sed quòd cantetur, dum diaconus gradus ambonis, sive pulpiti, adscendit, ut legat Evangelium : sicut est apud B. Rhenanum ad Tertullianum de Corona Mil. & Bellarminum lib. II. de Missa cap. XVI. Ac veteres si malis, sic Rabanus lib. I. de Institut. Clericorum cap. XXXIII. Quis graduale instituerit, ac de eo alia, vide apud Joan. Steph. Durantum de ritibus Eccl. lib. II. cap. XX.

Graduatus vulgare est, & quin barbarum sit, nemo dubitat. Pro eo autem dicendum, in gradu aliquo dignitatis constitutus : vel supremâ in juris, aliâve scientiâ, laurea ornatus.

Græcosonus pro Græcisonus, vel Græcè sonans, sive loquens (si recta est emendatio nostra) dixerit Luitprandus in Legatione sua ad Nicephorum. Verba ejus adduximus lib. II. cap. VIII. Vulgo legitur *Græcolonus* : quod Græcæ linguæ peritum exponit Ludovicus de la Cerda in Adverss. Sacr. cap. CXXI. Videtur putâsse, sic dici, quasi colonus è Græcia. Sed sic *Græcocolonus* diceretur. Mihi quin corruptè sic legatur, dubium non est. Error ex eo, quòd in Mso inferiori parte *s* exoleviset, ita ut *l* videretur.

Granatarius, pro *frumenti præfecto*, apud Petrum Mauritium Statutorum Cluniacensium can. LXIV. Videlicet ex eo, quòd *grana κατ' ἐξοχὴν* pro frugum granis usurparent.

Granica, horreum, à *granis* : unde & Gallis vocatur *grange*. Legg. Bojor. Tit. I. cap. XIV, §. V : *Fœnile, granicam, vel tunicum*. Formularum veterum codex, qui in Bignoniana editione postremus, cap. XIII : *Eo quod cellaria, vel camara, & granica, quicquid in eis habuit repositum, commendâsset*. Sanè & *Granata*, regia Bæticæ civitas, ex eo sic dicta, quasi *horrei domus*. De quo Ferdinandus Mendoza, Præfat. Comment. in Concilium Illiberritanum †. Nempe inde nomen, & *granica*, & in Hispania *Granatæ*, quòd *grana*, pro granis frumenti, dicerent : ut in *granatarius* proximè vidimus. † Pag. 1.

Grossibilis, pro gradiens, Latinum non est, etsi pervulgatum.

Grossitudo corruptum ex *crassitudo*, pro crassitie : ut *grossus* dixere, pro *crassus* : qua de re monitum lib. I. cap. XIII. Præterea verò, quia quæ crassescunt, & intumescunt, ea fiunt majora : (unde & Germanis **groß**, Belgis **groot**, pro magno) *grossitudo* quoque pro

magnitudo usurparunt. Lex Salica Tit. XLII. §. VIII: *Minimi digiti grossitudinem.* Cæsarius lib. I. Miracul. lib. I. cap. I: *De robore, aut grossitudine, non caussantur monachi.* Usus & Turocius Chronici Hungarici lib. I. At *grossus* sic, uti dixi, usurpat Turpinus de vita Karoli M. cap. XX: *Brachiis, & cruribus grossis.* Ivo in Chronicis: *Fere & cupro ea circumdans quinque pedes grosso.* Præterea Leo Marsicanus Chronici Casinensis lib. III. cap. XXXII, Petrus Blesensis serm. VIII. B. Bernardus epist. CCIX, item S. Hildegardis in vita S. Roberti seu Ruperti Confessoris. Et Arnaldus, Ordinis S. Francisci, in vita B. Angeli de Fulginio in prologo secundo; ubi nunc *grossi oculi*, nunc *grossi radii*, legas. Comes S. Pauli, epistolâ quadam apud Godefridum monachum S. Pantaleonis: *Exercitum nostrum conclusimus grossis palis.* Nec dubito, quin, uti monebamus, à *crassus* esse Germanicum **groos**/sive **groß**; ita ex **gros** sit **grof**. Nam *cruribus grossis*, valet **groot en grofvan beenen.** Cave autem putes, sic jam circa annum quadringentesimum locutos esse homines elegantiores. Scio, vulgò apud B. Augustinum legi in libris adversus Julianum Pelagianum demum ante annos XXV. editis, curâ Claudii Menardi. Nam priori libro reperias*: *Sed malui grossius, quàm scrupulosius, definire.* Posteriori libro cap. LVIII *: *O grosse Dialectice.* Verùm non dubito, quin Augustinus priori loco *crassius*; altero, *crasse*, scripserit. Nec enim aliter uspiam loquitur, vel alius ejus seculi, vel proximi etiam, quisquam. Sanè posteriorem etiam censeo Plinium Valerianum; qui nec refugit *grossior*, pro *densior.* Quemadmodum & *grossum linteum*, ac *cribellum*, idem dixit lib. I. cap. LV, & XXXVIII. Cæterùm à magnitudine etiam dimidiæ partis stuferi, comparando eam cum minutiis pecuniarum, dixere Germani **gros**; uti Itali *grossone*, Hispani *gruesso*, Belgæ **groote**/Anglis **grote.** Ac similiter Turocius Chronic. Hungar. lib. II. cap. XCVII: *Marsupia grossorum, & florenorum.* Sic *grossius Venetus* apud B. Odericum Peregrinationis suæ cap. I. §. IV, & cap. II, §. V.

Guasta, ex **woesting**, sive **verwoesting**: atque hoc ex Latino *vasta*, vel *vastatio.* Nam Germani pro V consono solent dicere GV. Petrus de Vineis lib. V. epist. CXII: *Accusando de incendiis, guastis, & damnis illatis & factis per eosdem eidem.*

Gulositas compluribus in usu. Malim ego cum veteribus ἀδηφαγίαν qui dicunt *vitium ventris, ac gulæ*: vel *intemperantiam cibi, ac potus.*

Gutteria est arthritis, sive dirus articulorum dolor; si quidem fides

Ludo-

* Pag. 37.
* Pag. 368.

Ludovico de la Cerda in Adversariis Sacris cap. xxv. §. xxii. Censet verò, esse ab Italico *gota*: quod hunc morbum notat; nempè à Latino *gutta*, hoc est, catarrho. Sed omnino falli puto. Nec enim dubitò, quin *gutteria*, vel potius *gutturia*, sit à *guttur*, ejusque vitium denotet. Hoc clarè indicat Rathasius Veronensis episcopus in vita S. Ursmari: *Orta est quadam in ejus collo sæva nimis infirmitas, quæ gutturia dicitur sermone Gallico.* Usurpat quoque Baldericus in Chronico Cameracensi lib. I. cap. XVI; ubi istiusmodi imprecationem Alleberti Episcopi refert adversus latronem, qui Guodilæ, jam triduo sepultæ, tumulum violârat: *Ut si vir esset, claudus, vel quolibet modo debilis fieret: si femina, vitio, quod vulgò dicimus gutteriam, semper non careret.* Hoc est, semper laboraret. Hubertus in vita S. Gudilæ cap. VI. §. XXIII: *Fœmineum* (genus) *gutteria obscenet.* Ratherius, Veronensis episcopus, in vita S. Ursmari *: *Orta est quadam in ejus collo sæva nimis infirmitas, quæ gutteria dicitur sermone Gallico.* De alumna S. Aldegundis, non de ipsa, sermo est. Pro eodem & *gutturnositas* dixere. Vide mox *Gutturosus*.

* Apud Surium in vitis SS. 18. Apr.

Gutturosus apud Surium habes in scriptore vitæ S. Gudilæ. Id nomen esse à vitio gutturis, satis est apertum. Non æquè, quòd pro eodem etiam *gutturnosus* dicitur. Ut apud Hincmarum in vita S. Remigii; ubi legitur hujusmodi imprecatio S. Remigii adversus eos, qui metas frumenti incenderant: *Omnes, qui hoc egerunt, & qui de eorum germine nati fuerint, viri ponderosi fiant, & femina gutturnosæ sint.* Atque addit; *quod ita completum est.* Ubi *ponderositas* vitium est genitalium: de quo Gregorius parte I. curæ Pastoralis cap. ult. Nam cùm dixisset, qui mysticè *ponderosi* vocentur, subjungit: *Vitium quippe est ponderis, cùm humor viscerum ad virilia labitur; qua profectò cum molestia dedecoris intumescunt.* *Gutturnosus* verò esse à *gutture*, indicat Hincmarus ibidem; quando ait, esse ab Adamo, qui in peccato omnes nos generavit, quòd in genitalibus viri fiant ponderosi: à prima verò matre, cujus per guttur illicitus gustus transivit, esse istoc, quòd feminæ fiant gutturnosæ. A *gutturnosus* est *gutturnositas*, idem ac *gutturia*; de qua proximè vidimus.

Guna aliud longè ac *guna*; de quo paullò antè dictum. Ex iis liquet, *gunam* esse vestem pelliceam. Nempe ejusdem est originis, ac *gufum* vel *gofum*, quod est villosum: ut monitum lib. II. cap. VIII. Ac credo, esse ab Hebræo חפה *hufa*, seu *chufa*; hoc est, velamen.

Nimirum quia villosa veste, qualis pellicea, primitus velarentur, ac vestirentur. At *guva* in Glossis Isidori exponitur *ventuosa*. Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. CXLI pro *ventuosa* conjectat legendum *ventricosa*. A quo dissentio: planéque legendum puto *ventosa*. Est enim *guva* idem ac cucùrbita, sive ventosa: ut est apud Papiam, & eximit in Catholico. Quibus præivit Isidorus lib. IV Originem cap. XI, quod est de instrumentis medicis. Sed corruptè in illa Breulii editione legas: *Similaria, angistrum, spatomeleguna, quæ à Latinis, à similitudine cucurbitæ, à suspirio ventosa vocatur*. Legendum verò, *Smilia, anciſtrum, spathomele, guva, quæ Latinis à similitudine, cucurbita; à suspirio, ventosa vocatur*. *Smilia* lego, quia Græcis σμίλη, & σμιλίον, scalprum, scalpellum. Nisi malis *smilaria*: quando & diminutiva sic exeunt, ut παιδάριον, ἀνθρωπάριον. *Anciſtrum*, ut Græcis ἄγκιστρον. *Spathomele*, uti Græcis σπαθομήλη, quod est latum specillum. *Guva* itidem à Græcis, quibus cucurbita solum educens spiritum sive ventum (unde & *ventosa* dicitur) vocatur σικύα κούφη, ut ex Cælio Aureliano lib. IV cap. VII, & VIII videre est. Nempe junioribus, præterito σικύας vocabulo, solùm κούφη retentum; imò id in *guva* commutatum, quia κ facile in G abit, & φ in F, vel V consonum. In uno etiam Mssorum nostrorum est *spatomeletuva*. Verùm alter melioris notæ *spatomele, guva*; ut nihil nisi spiritus in priori voce desideretur. Distinguit etiam vetus editio Veneta anni CIↃCCCCLXXXIII. pro *guva* habet *guvia*: pro quo & *gusia* reperias. Ex *gusa* vel *gusa*, est Germ. **kupf**; pro quo alii **cop**. Ea cucurbitulam notat; unde **coppen**. sanguinem cucurbitulâ educere. Nisi potiùs *guva* à Gothis putes esse; qui cucurbitulam **kupf** vocarunt. Sed priùs sit verisimilius, quia medicina est à Græcis: ac fortasse, quæ quorundam suspicio est, deceptus Isidorus; cùm, verbis Cælii Aureliani malè intellectis, cucurbitas omnes putavit dici *cuphas*; unde *gusa*, vel *guva* vox dimanavit. Aliud verò *gusa*, pro veste villosa: de quo actum libro II cap. VIII.

CAP. XIV.

Pergitur ad ea, quibus initium est ab H. Habentia, *pro iis, quæ quis habet, ac possidet*. Habilitatio, *quo quis ad aliquid habilis fit*. Hebdomadarius, *ad quem vices devenere totâ coquendi hebdomade in monasterio*. Heremia, *pro locis desertis*: heremitorium, *pro cella eremita*. Heptateucus, *pro libris V. Mosi, Judicum item, & Josua*. Herpeta, *pro herpes*.

herpes, Hiatio, *pro hiatus*. Hiſtoriographus, *pro hiſtoricus*. Holovitreum, *vas ex mero vitro*. Homagium, hominium, & hominatus, *pro clientelæ genere, quo quis alterius ſit homo, ſive vaſallus*. Homophagia, *eſus crudorum olerum; ut* xerophagia, *comeſtio aridorum*. Hortamentum, *adhortatio*. Hortulanus, *olitor*. Hoſtagium, & oſtagium, *quaſi obſidagium, pro obſidis conditione: unde* & obſidatum *dixere*. Humerale, *veſtis caput, humerosque tegens*. Hymniſtes, *mulier canens hymnum*. Hyopa, *vel* hyops, *pro hirto, vel capillos habente ſetis ſuillis ſimiles*, Hypociſma, *pro hypopyoſis*.

NUnc ordo nos ducit ad cœpta à ſpiritu.

Habentiam pro opibus, ac divitiis, apud B. Auguſtinum legas lib. xx contra Fauſtum Manichæum.

Habilitatio habes in Concilio Senonenſi. Ex eo eſt, quod hac aliquis habilis & idoneus reddatur.

Hebdomadarius, ad quem in monaſterio ordo coquendi pervênit: qui ordo hebdomade quaque variabat: unde in Regulis S. Benedicti, *egredi de ſeptimana*, idem eſt, ac deſinere officium coqui, & quaſi hanc lampada tradere ſucceſſori. Atque idem comprobat hoc Hildegardis in Explicatione Regulæ: *Egreſſus de ſeptimana, ſabbato munditias fecit*. Sed *ſeptimana* vox eâ ſignificatione parum eſt Latina; ut lib. I. dictum cap. XXXIII. Rectiùs *hebdomas*, & flexu Latino *hebdomada*. Ab his *hebdomadarius* apud Regionem lib. II Chronicorum: *Accidit autem, ut, juxta quod mos eſt, ad coquinæ officium hebdomadarius deputaretur*. Nempe ut ſacerdotibus Judaicis ſua erat ἐφημερία in ſacrificando, quod etiam ex primo capite B. Lucæ cognoſcimus: ita & in coquendo ἐφημερίαν monachi obſervabant.

Heremia, pro ἐρημία ſive ſolitudine, ac locis deſertis, apud Luciferum Carallitanum: *Laſſati ſumus in iniquitatis in via, & perditionis; & ambulavimus heremias difficiles: viam autem Domini ignoravimus*. Similiter poſteriores *heremitorium*, pro cella monachi eremitæ. Guilhelmus, eques auratus, in Hodœporico: *A dextris* (Acconis, & Gazæ) *eſt mons Carmeli non multùm altus, oblongus, deſuper planus, multùm ſpecioſus, & fertilis, habitatio ſancti Heliæ prophetæ; ubi & ordo Carmelitarum ſumſit exordium, plures devotas Eccleſias continens, & heremitoria generoſa*.

Heptateucus, pro *heptateucho*. Nam ut *pentateuchum* dixere pro v. libris Moſis: ſic quando cum pentateucho uno volumine compingeren-

gerentur Josuæ, & Judicum libri, *heptateuchum* vocarunt, vel etiam *heptaticum*: ut Arator lib. I. cap. XVII:

Comprobat heptaticus tædarum fœdere Mosen
Æthiopam sociâsse sibi.

In recentioribus libris est: *Comprobat Omnipotens.* Sed *heptaticum* edidit Aldus: atque is secutus Mfos; ut monuit Juretus ad illud Ivonis epist. LXXXIII: *Habetis in heptatico, quia in contentione duorum, qui ad alterius pudenda manum miserit, lapidibus obruatur.* Signat verò locum Deuter. cap. XXV: ubi tamen de uxore solùm est sermo. Similiter verò *heptatici* voce semel, iterumque, usum esse Hincmarum Rhemensem, ibidem monuit Juretus.

Herpeta legas apud ὑποκολιμαῖον Macrum libro de viribus Herbarum:

Hæc fugit appositâ sacer ignis, & herpeta morsu.

Atqui is morbus non ἐρπητὰ, sed ἕρπης, vel ἐρπιδών.

Hiatio pro *hiatu*, non ausim dicere.

Historiographus apud idoneos scriptores non reperio: sed semper *historicus*.

Holovitreum, quod totum vitreum, ex Græco ὅλος, *totus*, & Latino *vitrum*. Petrus Damiani in vita S. Odonis, abbatis Cluniacensis, cap. IX. §. XXI: *Aliquando Imperator Henricus dum appositâ mensâ discumberet, vas illi holovitreum valdè pretiosum, & Alexandrini operis arte compositum, cum tritis est pigmentis allatum.*

Homagii pro voce *clientelam* dicere jubet Andreas Schottus lib. III. Tullianarum quæst. † Et sanè hoc malim: etsi nec multùm abnuam, in novo clientelæ genere, vocem posse novam utcunque tolerari. Idem judicium esto de vocabulo *hominii*, eoque paullò concinniori; quippe magis ἀναλόγως formato: quod etiam judicium est Cujacii in principio libri de Feudis. Ambo ab ea *hominis* significatione veniunt, quâ quis dicitur alicujus *homo*, hoc est, vasallus. Quo de vocis ejusce usu dicam in vocabulis falsâ significatione acceptis. Quod ad *homagii*, & *hominii* nomina, priori utitur Petrus Blesensis epistolâ CCII. Helmoldus presbyter in Chronico Slavorum lib. II. cap. IX. Cæsarius lib. I. Miraculorum cap. XXXII. & lib. II cap. XII. item lib. V. cap. LVI. adhæc Guilhelmus de Nangiaco in Chronicis, Constitutiones Neapol. lib. I. Tit. XXXII. Leg. XXXVI. Leonardus Presbyter in Chronico Bavariæ, Carolus Quartus Bullæ Aureæ cap. XXIII. &c. At *hominium* pro eo dicunt Otto Frisingensis de Frede-

† Pag. 224.

Frederici I Gestis lib. II. cap. III. & XXVIII. & Radevicus lib. IV. cap. XXXIV. Ivo epist. CCVII, Paschalis ad Anselmum epist. XLV. ubi ait, *hominium facere abbati*, Paschalis ad Anselmum epist. XLV. Ingulfus Saxo Histor. Croiland. & Florent Wigorn. Contin. an. CIↃCXXXIX. Interim *hominium* viris quibusdam doctis Latinum; sed significatione aliâ, videtur. Nam, Miso veteri compulsi, censent Sallustium antiquarium *hominum* in plurativo pro *hominum* dixisse. Mihi eò id suspectius, quia de tam usitati vocabuli insolenti flexu in nobili adeò historico nihil prodiderit nobis veterum Grammaticorum industria. Cæterùm pro *homagium*, vel *hominium* (de quibus vocabulis operæ pretium sit adire Felicem & Osium in Historiam Mussati †.) etiam *hominatus* legas apud Ivonem Carnot. epist. LXXXVII: *Dicitur etiam, quòd milites illos, qui beneficia monasterii habent, tanquam eos tibi reservans, hominatum facere abbati non permittis.* Ac similiter loquitur Gregorius Papa. Imò & *hominiscum* pro eo reperias. De quo Juretus ad Ivonis epist. CC. Vide & de hujusmodi Spelmannum

† Pag. 118.

Homophagia passim invenias pro *omophagia*, ὠμοφαγία, qua cruda, non igni elixata, comeduntur. Ὠμὸς enim *crudus*, non ὠμός. Cassianus lib. IV. de Institutis renunciantium cap. XXII: *Non magno labore corporis fatigatur; quia nec tanta cura inter eos parandorum ciborum, vel coctionis impenditur: quippe qui maximè xerophagiis, vel omophagiis, ut untur.* Ξηροφαγία, aridus victus, sive sine uncto: nempe cibus siccus à carne, & jurulentia, & uvidioribus pomis, nequid vinosi, vel edatur, vel bibatur: ut exponit Tertullianus initio libri de Jejunio. Atque hanc xerophagiam Quadragesimali tempore etiam Concilium Laodicenum commendat can. L Sic Antonio Magno cibus panis, & sal; potus aqua: ut est apud Athanasium, & Sozomenum. Ωμοφαγία verò est, qua cruda & incocta olera comeduntur. Quo pertinet *lapsanum*, sic dictum ἀπὸ τῆς λαψάνης, quæ est olus agreste. Idem Cassianus, lib. IV. Instit. cap. XI: *Si herba sale condita, quam lapsanum vocant, aquâ diluta ad refectionem fratribus apponatur.*

Hortamentum pro *hortamen*, est apud Lupum abbatem epist. XXVIII: item in vita S. Leborii, Episcopi Cenomanensis, atque alibi. Sed de hoc non admodum contendero; cùm multa verbalia pariter in *men*, & *mentum* desinant: ut *fundamen*, & *fundamentum*; *tormen*, & *tormentum*; aliaque, de quibus dixi in secundo de Analogia cap. XXXII.

† *Horti cura,*

Hortulanus, ut Græcis κηπωρὸς, cui κήπου ὦρα †. Sed Tullio, & aliis, is est *olitor*. *Hortulanus* sequioris est seculi.

Hostagium, & *ostagium*, idem ac *obsidatus*, sive conditio ejus, qui est in vadimonio. Matthæus Parisius, ad an. CIↃCCXXII: *Dux Bavariæ, & alii divites, in hostagio remanserunt. Soldanus verò pro jam dicta pactione, ex parte sua, viginti in hostagio reddidit*. Sanè Galli & Angli, similiter *hostage*. *Hostagium* verò ab *ostagium*: hoc, non ab *obstando*, quia obstet hostilitatis opinioni; sed à Gallico *hostage*, vel *ostage*: *hostage* autem non ab *hostis*, qua hospitem notat, & obses hospitis instar apud nos agit; sed ἀπὸ σύγκοπὴν ex *obsidage*. Sanè opinionem hanc firmat, quòd postremorum seculorum scriptores *obsidis conditionem* vocent *obsidatum*. Uti Eutropius lib. II: *Sexcentis civibus Romanis in obsidatu receptis*. Ammianus lib. XVI: *Pater ejus obsidatûs pignore tentus*. Ac postea: *Obsidatûs specie viri celebres altrinsecus dantur*.

Humerale, vestis, quæ caput velat, humeróque injicitur à sacerdote. Usurpat Gemma animæ cap. CCI; uti & Rabanus Maurus. Græcè est ἐπωμὶς, quamquam hoc potiùs *superhumerale*. Origo eadem, quia ὦμος, humerus: imò *humerus* ab ὦμος, quod Dorum quorundam pro ὦμος. Sanè in Doribus Spartiatæ, qui Σ in P convertebant; uti dixi lib. IV. Orator. Instit. cap. II. sect. III.

Hymnista, de femina hymnum canente, dixit Prudentius περὶ στεφάνων.

* *Nihil mutandum. Sed quidem tertia requirebatur trochæus: sed ævo Prudentii jam Æ vulgò sonabat, ut brevis.*

*State nunc hymnista * matres pro receptis parvulis.*

Atqui *hymnista* tantùm generis est virilis. Imò nec de viro hymnos canente *hymnistes*, sed *hymnetes* dixero: cùm ab ὑμνέω sit ὑμνητὴς, unde femininum foret ὑμνήτρις, & ὑμνήτρια, ut à ποιητὴς, ποιήτρις, & ποιήτρια: de quo alibi vidimus. Fortasse rectiùs pro ὑμνητὴς, & ὑμνήτρια, novè quidem, ἀναλόγως tamen, *hymnicen*, & *hymnicina*, proferretur: nempe ut *fidicen*, & *fidicina*, dicimus.

† *Pag* 81. *edit. Ingolst. anno* 1600.

Hyopa, pro hirto. Luitprandus in Legatione; ubi Nicephorum Imperatorem sic, inter alia, describit †: *Barbâ curtâ, latâ, spissâ, & semicanâ fœdatum, cervice digitali turpatum, prolixitate, & densitate comarum satis hyopam, colore Æthiopem, cui per mediam nolis occurrere noctem*. Nisi fortasse *hyopam* corruptè pro *hirtum* legitur. Sed puto, magis contumelioſâ voce usum, quàm ut hirtum diceret: quod totus locus arguit. Nempe ut aliquem μύωπα vocamus; sic dicere voluit ὕωπα. Et fortasse posteriores Græci sic appellabant eum, cujus capilli potiùs referrent suis setas.

Hypo-

Hypociſma legas in LL. Wiſigothicis libro undecimo tit. III leg. v. *Siquis medicus hypociſma de oculis abſtulerit, & ad priſtinam ſanitatem perduxerit infirmum, V ſolidos pro ſuo beneficio conſequatur.* Sed in Mſo eſt *ypociſin*. Omnino autem id corruptum ex *hypopyoſin*. Ὑπόπυον Aëtio eſt πυόσεως ſpecies, quando ſub cornea oculi tunica pus copioſè colligitur. Cujus morbi ſymptomata ſunt, vehemens cum dolore pulſatio, oculi integri rubor, & dolor temporum.

CAP. XV.

Acceſſum ad ea, quæ ab I auſpicantur. Vi ſunt iſta: Jacentiva, *humi ſtrata.* Jactivus *vel* jectivus, *foro dejectus* : *unde* adjactivus, *vel* jectiſcere. Icona, *vel* iconia, *pro imagine.* Identitas, *vita genus ſui ſemper ſimile.* Idoneitas, *vel* aptitudo, *eſt in aliquo; pro, aliquis eſt idoneus, vel aptus.* Ignorus, *ignotus.* Illegitimum, *quod non eſt ſecundùm legem.* Illiberis, *ſine prole.* Illicentiatus, *cui quid illicitum, non datâ priùs licentiâ.* Illuſter, *illuſtris.* Imbonitas, *improbitas.* Imbulus, *porticus ad inambulandum : niſi potiùs provolans tabulatum.* Imitas, *ima pars.* Immaculatus, *incorruptus.* Immediatus, *proximus.* Immorigeri, *non obedientes.* Imperdibile, *quod amitti nequit.* Impetuoſitas, *impetus.* Imprecatio, *execratio.* Importantia, *momentum rei.* Impretiabile, *omne pretium excedens.* Improperium, *convitium, ſeu maledictum.* Impuber, *impubes, vel impubis.* Impudoratus, *impudens.* Imputribilis, *non obnoxius putredini.*

His conſequens eſt, ut jungam de inchoatis à vocali tertia. Ac capite hoc complectar, ubi eam aliqua excipiat litera, quæ, in vulgato alphabeti ordine, literam N antecedat.

Iacentiva de iis, quæ jacent humi. Lex Burgundica Tit. XXVIII. §. I. *Si quis Burgundio, aut Romanus, ſylvam non habeat incidendi ligna ad uſus ſuos de jacentivis.*

Iactivus, vel *jectivus*, à jaciendi verbo, quaſi dejectus foro, ut qui vadimonium deſeruerit. Ut in Formulis ſolemn. incerti ſcriptoris cap. IV: *De parte genetricis ſuæ redeberet, & negligens, & jectivus exinde adeſſet.* Et cap. XXII : *Placitum ſuum exinde neglexit, & jactivus inde remanſit.* Item formularum veterum ſecundùm legem Romanam cap. XXVI; cujus lemma, Cautio de infracturis : *Si inde negligens, vel jactivus apparuero*, Habes & in Caroli Calvi Edicto Piſtenſi cap. XXXII. Idem *abjectus* vocatur Marculfo monacho lib. I. Form. cap. XXXVII. Uti &

adjactivus pro eo est in formula veteri legis Salicæ, quæ exstat † hujus- † *Tit* 52 § 3.
cemodi: *Tu grafio, rogote, quia ille homo denominatus, qui mihi fidem fecit, quem legitimè habeo adjactivum, vel admallatum, secundùm legem Salicam; & ego super me, & super fortunam meam, pono; quod securus mitto in fortunam illius manum.* Hinc *jectiscere*, pro *jectivum facere*, semel iterumque est in Edicto Caroli Calvi antè memorato cap. XXXIII. Porrò ἀναλόγως magis diceretur *jactiscere*, à *jactivus*; *jactivus* in simplici meliùs, quàm *jectivus*: contrà in compositio rectiùs *adjectivus*, quàm *adjactivus*.

Icona, pro icon, sive imago, Græc. εἰκών Metellus in Quirinalibus:

His confinia juncta
Discernuntur iconâ,
Qua fert faxea succum
Distentum satis, aquè
Saxi pondere dudum.

Cæsarius lib. VIII. Miracul. cap. LXXVI: *Dicitur eadem fuisse icona, quam barbarus tulit.* Item in vita S. Kunegundis cap. IV. Ac *icona* quidem eo defendi possit, quod simile sit, ac *hebdomada*, pro *pro hebdomas*; nec non *lampada*, *Ancona*, *Narbona*: de quibus alibi. At Matthæus Parisius in an. MCCXIV etiam *iconia* dixit: *De iconia Dei genetricis.*

Identitas non tam huc refero ratione significationis, qua accipiunt Scholastici (nec enim video, quomodo in Metaphysicis carere hoc vocabulo possimus) sed eâ, quâ accepit Matthæus Parisius in vita Garini, XX abbatis S. Albini: *Ad Redburnam aliquos fratrum transmisit recreandos, ne identitas in claustro in eis, qui pusillanimes erant, acediam parturiret.* Sententia est, ne, si intra monasterium permaneret semper, subiret segnities animi; quia, ubi varietas est nulla, ibi animus, & corpus, torpescunt.

Idoneitas non dixero, ne *aptitudo* quidem. Priori usus Petrus de Vineis lib. I. cap. I: *Homo prælatus est homini, ut gratiorem prælaturam efficeret identitas speciei.* Nempe & qui præest, & qui subest, specie sunt idem, etsi non numero, sive individuo: Eodem usa Benedictina *, à Benedicto Papa XII. nomen sortita, cap. XXII, quod est de creatione monachorum: *Deinceps non recipiantur, aut induantur in monachos, nisi personæ idoneæ; vel de quarum idoneitate verisimiliter spes existat.* Latinè dixeris, quos idoneos evasuros non temerè speres.

* *Aimoine, & Chronico Casinensi Iacobus Bruhlius subjunxit in edit. Paris.*

Ignorus

Ignorus pro *ignotus*. Ivo epist. XLV: *Horum consanguinitas nec ignora est, nec remota.* Aliqui tamen libri pro eo, *ingnorata*.

Illegitimus non dixero, sed nullum habens jus. Had. Junius in Nomenclatore agnoscit *filius illegitimus*: vellem addidisset idoneum auctorem. Sanè veteres, si pater certus, *notbum*; si incertus, *spurium*, item *vulgo quæsitum*, aut *conceptum*, dixere.

Illiberis commodè exprimit Græcum ἄπαις: uti & *improlis*. Usus priori Tertullianus lib. IV. adversus Marcionem. Malim cum vetustioribus, *sine liberis*, vel, *absque prole*.

Illicentiatus, qui quid agit, vel acturus, sine licentia, sive non impetratâ priùs veniâ. Concil. Pisan. I. sess. IV: *Ambassiatores imperatoris secundâ die recesserant illicentiati, & hospite non salutato.*

Illuster, pro *illustris*. Fortunatus, Pictavorum episcopus, de vita S. Germani cap. XX: *Guaddo vir illuster, ac consilii Regis particeps.* Sic de seipso *Childebertus**, *Francorum Rex, vir illuster*. Habes & apud Walpurgim in Hodœporico, & sæpiùs apud Bekam in Chronicis.

* *Epist ad Monasterium Dionysii circa annum 705. Habes apud Myræum in fund. Eccles. Belg. pag. 17. & 19.*

Imbonitas, pro improbitas. Tertullianus Exhortatione ad Castit. *Alioquin res & viris, & feminis, eâdem imbonitate.* Idem ad Martyres cap. III: *Vbi omnis duritia, & imbonitas, & insuavitas constitit.*

Imbulus quid sit, docet Isidorus lib. XV. Orig. cap. II: *Imbuli, vel quia sub volumine sunt, vel quia sub his ambulant. Sunt enim porrici hinc inde platearum.* Ita est in membranaceis codd. nostris: nisi quòd in uno sit *volumina*. *Porrici*, pro *porticus* dixit, corrupto more seculi: nisi librarii sic depravarint. Idem in Glossis: *Imbulus, ab ambulando, ambulatorium.* Veteres glossæ nostræ membranaceæ: *Imbulus, porticus ad ambulandum; qui & ambulatorium dicitur.* Videri igitur possit *imbulus* dici, quasi *inambulus*. Sed vide, an non verisimilior sit emendatio Jacobi du Breul, sic reponentis priori loco Isidori: *Imboli, vel quia sub volamina sunt, vel quia sub his ambulant.* Nempe ut signet, quæ Asconius in Divinat. dixit *provolantia tabulata*. Ita sit ab ἐμβολή, quod injectionem notat. Unde *embolus*, omne id, quod alicui inseritur, & immittitur. Ut in Ctesibica machina apud Vitruvium lib. X. cap. XII.

Imitas, pro ima parte; ut *summitas*, pro summa. Remigius in Testamento apud Flodoardum: *Partem meam de prato, quod Lauduni juxta vos habeo, ad imitatem montium posito; & qua lovia sunt pratella, quatenus, ad te revocabis.* Ubi & ὑποκοριστικὸν *pratellum* à *prato*.

Immaculatus non dicam; sed inviolatus, incorruptus, integer. Catulli * etiam est, *Sic virgo dum intacta manet.*

* Carm. nuptiali.

Immediatus philosophis frequens. In alio argumento malim *proximus*, vel Græcum ἄμεσος.

Immoriger non reperio: sed nec *immorigerus* nunc occurrit. Dixero, male morigerum; vel, non obedientem.

Imperdibile, quod nequit amitti. Henricus de Hassia Speculo A. * *Pax imperturbabilis, lex imperdibilis.*

* Pag. 15.

Impetuositas, pro impetus, barbarum.

Importantia, pro pondere, aut momento. Ut *nullius importantiæ*, apud Turocium in Chronico Hungarico.

Imprecatio agnoscit Calepinus. Veteres pro eo *execratio.*

Impretiabile mundi pretium, de pretioso Christi sanguine pro nobis effuso, apud Petrum Blesensem epist. LXXXVI. Sæpius etiam hac voce utitur Matthæus Parisius: pro quo dixeris, nullo satis pretio possit æstimari; item quamcunque pretii magnitudinem excedens. Quandoque & omni auro magis aureum, omnibus orbis gemmis magis gemmeum.

Improperium in veteri dictionario exponitur *dedecus, convitium, injuria, derisio.* Imò & Gloss. *Improperium*, ὄνειδος, ὀνειδισμὸς, ὀνείδισις. Sæpius usurpat vetus Bibliorum interpres: & ejus exemplo, cùm alii, tum Sueno Aggonis fil. in Historia Danica, quam primus edidit V. Clarissimus Stephanus Stephanius: *Nam & tunc temporis ignominiosum extitit improperium, si solùm duo jugularent.* Ut à *vitupero, vituperium*; sic ab *impropero, improperium.* Vide in verbis, *Impropero.*

Impuber dicere præcipiunt, propter illud Ciceronis in Catone: *Filiumque ejus impuberem, ligatum à Prætore missum, in carcere necandum esse dixit.* Quo *impuber* etiam Nizolius adstruit. Sed potiùs à *pubes* est *puberis*; & ab *impubes*, vel *impubis*, est *impuberis.* Nempe ut à *Ceres, Cereris*, ab *as, aris*; vel ut à *pulvis, pulveris*; à *cinis cineris*; à *vomis, vomeris.* Sanè *impuber* non puto dici; uti neque *puber*, sed *pubes. Impubis* est Plinii lib. XXIII cap. VII: *impubes* Ovidii II Fast. Aliquid de isto etiam diximus lib. I de Analogia, qui tertius est Grammaticæ Artis.

Impudoratus, impudens. Lucifer Caralitanus adversus Constantium Imper. *De impudorato patre vestro diabolo.* Vulgò *impuderate*, quasi sit à *pudere*, uti *impudens.* Potiùs censeo esse à *pudore*: etsi & priori modo scribat Ludovicus de la Cerda in Adversariis sacris cap. XXXVII. §. VII. Sic *impudoratè*: de quo in Particulis.

Impu-

Imputribilis virtus, quia nunquam putrescit, Paullinus, episcopus Nolanus, dixit epist. 11.

CAP. XVI.

De cœptis ab IN; cujusmodi sunt: Inadibilis, *inaccessus*. Inadvertentia, *error ex eo, quòd quis parum attenderet, quid diceret, aut faceret*. Inanimata, *pro inanima, rectène dicatur, in dubium vocatum*. Inaudientia, *inobedientia*. Incautela, *negligentia in cavendo sibi*. Incendiosum, *κακοηθές*. Inclamatus, *edicto publico vocatus ad se judicio sistendum*. Inclaustrum, *monasterii ambitus*. Incorrigibilis, *cujus corrigendi spes nulla superest*. Incolatus, *habitatio in quapiam civitate*. Incomma, *militaris statura mensura*. Inconsideratio, *pro inconsideratia*, Incorporatus, *qui adsumsit corpus humanum*. Indetribile, *quod non deteritur*. Indevotio, *neglectus divini cultus*. Indigestio, *cruditas*. Indisciplinatus, *non componens mores secundum vivendi legem*. Indisciplinosus, *pro eodem*. Inditor, *à quo nomen inditur*. Indocibilis, *indocilis*. Indominicatum, *à domino praedii sibi reservatum*. Indubium, *non dubitandum*. Inductorium, *quod inducitur, vel illinitur*. Indusiatus, *indusii amictu muneri ecclesiastico initiatus*. Incloquens, *minimè facundus*. Inferendale, *tributum, quod infertur*. Infertor *qui epulas infert*. Infirmarius, *medicus*. Infirmarium, *vel* infirmaria, *is monasterii locus, ubi aegris medicina fit*. *Proque eo &* infirmatorium, *&* infirmitorium, *dixisse*. Inflativus, *inflationem habens*. Influxus, *vis de cœlo influens*. Infœderabile, *quod sine bona pace semper erit*. Infrangibile, *firmum, solidumque*. Infusidarium, *pro cibo liquido*. Ingenuile, *villa, quam Dominus, sibi censu retento, colono, ut ingenuo, eoque honestiori ratione, non, tanquam servo, concessit*. Ingrusia, *ficus veneno infecta*. Ingurgitatio, *pro haustu, non sensim, sed universè*. Injustitium, *quando jurisdictio viget*. Innobilitatus, *non nobilitatus*. Innodatus, *vinctus*. Innox, *innocens*, Inobedientia, *non obedientis culpa*. Inordinatio, *ordinis permutatio, ac permixtio*. Inopidatus, *nullum habens oppidum*. Insalutatus, *non salutatus*. Insensatus, *sensu destitutus*. Insensitivus, *sensu carens, vel destitutus*: *similéque* insensibilitas, *pro stupore*. Insignium, *pro insigni*. Intelligibile, *quod cadit sub intelligentiam*. Intercapedilitis, *vox nihili*.

Inter-

Interdius, *fur diurnus.* Interlocutorium, *pro interlocutione* Interludium, *ludus, jocusque intermistus.* Internicies, *pro internecio.* Internus *non dici, licet rectum sit externus.* Intersignium, *signum, quo quid internoscas.* Intertiata, *apud sequestrum interposita.* Interula, *prosubucula.* Intimior, *amicior, vel familiarior.* Intramuraneus, *positus intra muros.* Intransgressibile, *quod transgredi sit nefas.* Inventarius, *bonorum index.* Inverecundia, *pro impudentia.* Investitura, *confirmatio in feudis, vel episcopatibus.* Invinius, *abstemius.* Inviolandus, *sacrosanctus.* Invisibilis, *non adspectabilis.* Invitatorium, *certus monasterii locus.*

ADnectam nunc, quæ initium capiunt ab I N syllaba.

Inadibilis, inaccessus. Sidonius Apoll. lib. II. epist. III : *Is quidem sanè circa principia sui solo paludstri voraginosus, & vestigio inspectoris inadibilis est.*

Inadvertentia, inconsiderantia , cùm alibi legas crebrò, tum apud Carolum VII. Gall. Reg. edict. de Rescriptis * . Eo signatur, quod Græcis παράφραμμα : puta alucinatio ex eo, quod quis judicium ferat, re incuriosè ac negligenter adspectâ, vel consideratâ.

* Pag. 162.

Inanimatus sitne Latinum, atque adeò etiam Ciceronianum , non convenit inter Paullum Manutium, qui eo uti non dubitat ; & Dionysium Lambinum ; qui ait, usum Latinæ linguæ pervincere, dicendum esse *inanima*, non *inanimata*. Itaque lib. II. de Officiis, ubi sic legitur. *Quæ ergo ad vitam hominum tuendam pertinent, partim sunt inanimata, ut aurum, argentum : partim animata :* pro *inanimata*, legere jubet *inanima* : ac similiter in Topicis, ubi est, *Animata inanimatis anteponantur*, reposuit *inanimis*. Et sanè ab *animare* est participium *animata* : at non dicimus *inanimo*, unde foret *inanimata*. Utcunque est, tutiùs *inanima* dicimus ; de quo constat.

Inaudientia, inobedientia. Cyprianus epist. XXVIII : *Perniciem sibi, & mortem, per inaudientiam, & intemperantiam provocent.*

Incautela lego apud Salvianum lib. VI. de Gubernatione Dei : *Vivus incautior periit, ne multis per incautelam postea deperirent.* Qui purioribus vixere seculis, dixissent, *incauti*, vel *parum cavendo.*

Incendiosum, pro *causticо*, & *corrodente*, apud Cœlium Aurelianum, & Appulejum Medicum.

Incidenter, obiter, in transcursu, præter rem seu causam.

Incidentalis quæstio, accessoria.

Inclama-

Inclamatus, jussu judicis publico edicto citatus, sive in jus vocatus. Edicto Theoderici cap. CLV: *Edictis solenniter inclamatus, ad Judicem, cujus præceptione conventus est, venire neglexit.*

Inclaustrum est ambitus monasterii, sic dictus, quia intra eum continetur *claustrum*; quomodo monasterium vocari solet; uti *inclusi*, monachi ipsi. Ita *inclaustri* vocem usurpant Baldericus Noviomensis Chron. Camerac. lib. III. cap. LXXII. & scriptor vitæ S. Lietberti cap. XLIX.

Incolatus, pro habitatione in aliqua regione, aut civitate: uti *incola*, pro habitatore. Usurpat Lupus abbas epist. II. item Fulbertus serm. de ortu Mariæ: *Primos à suo incolatu exturbâsse colonos.* Beka in vita Bonifacii episc. II: *S. Clementem ab hujus incolatu seculi emigrâsse.* Nec tamen prorsus damnare ausim; quando legas in Digestis, ac Codice Theodosiano.

Incoma, vel potiùs *incomma*, mensura staturæ militaris. Isidorus in Glossis: *Incoma, mensura militum.* Vegetius lib. I. cap. V: *Procerstatem tyronum adincommam scio semper exactam.* Sic quidem bonæ notæ Mssi. Sanè quam varient libri, Stewechius ostendit. Videtur fuisse palus, qui notas haberet incisas, ut meliùs ad eum exigeretur statura eorum, qui nomen militiæ dare vellent. Ita *incoma*, vgl *incomma*, sit ab ἴγκομμα, hoc ἀπὸ τῦ ἰγκόπλειν. Vide, quæ de istoc eruditè, ut omnia, annotavit Salmasius ad Lampridii Alexandrum Severum; eumque secutus Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. CXXXIV. §. XII. *Incommam* dixit Vegetius muliebri genere, ut alii *sacomam*, *schemam*: de quibus egi fusè in Oratoriis Institut. lib. V. cap. I. & in Grammatica Arte lib. II. de Analog. cap XX.

Inconsideratio dicunt, quia Ciceronis ipsius sint *inconsideratus*, & *inconsideratè*. Equidem *inconsideratè* malim, quàm *inconsideranter*: quod est L. III. §. penult. D. De suspectis tutor. & curat. Sed pro *inconsideratio* præferam *inconsiderantia*; quo Cicero, Suetonius aliique utuntur.

Incorporatus, ut Græcè ἐνσωματωθείς. Concilium Pisan. lib. II †. Imò & antiquiores Theologi nonnulli. † Pag. 164.

Incorrigibilis vulgatum est: pro quo dixeris, *insanabilis*, vel de cujus emendatione desperetur.

Incurabilis quis propè non dicit? At idonei Latinitatis scriptores maluere, *insanabilis*, *desperatus*, *non recipiens curationem*.

Indetribilis soliditas Paullino, episcopo Nolano, epistolâ XVI. A *tero* sive *tritum*, *tribile*; à *detritum*, *detribile*: hinc *indetribile*, quod deteri nequit, sed semper persistit.

Indevotio non ausim dicere: etsi apud Imperatores *indevotionis notam* legere sit L. x. C. Th. de re milit & L. CXIX. C. Th. de decurionibus. Interea liquet, vocem esse antiquiorem Salviano: qui in III. de Gubernat. Dei ait: *Tantum apud nos honor, & reverentia Dei, proficit; ut quæ indevotione non facimus, etiam odio digna esse ducamus. Indevotus*, inter alios, est Petri Blesensis serm XXI: *Ad hunc collem per viam devotionis ascendendum est. Indevotus enim si postulat, judicium sibi postulat.*

Indicina, vide infrà in *Juridicina*.

Indigestio, pro *cruditas*, vulgare: sed aliter idonei Latinitatis scriptores.

Indisciplinatus, ἀπείθαρχος, vel etiam disciplinæ non morigerans. Post veterem Scripturæ interpretem, qui sæpius usurpat, etiam habes apud Ivonem Carnot. epist. XXVII. quæ ad Gualterium abbatem: *Propter indisciplinatam monasterii tibi commissi conversationem quodam tædio tabefactus.* Et epist. CCXIX. ad Pontificem Paschalem: *Indisciplinatis juvenibus vexandum me exposueritis.* Sic in vita S. Leodegarii priore*: *Qui justitiam cupiebant evertere, & indisciplinati juvenilia opera Regis faciebant exercere.* Hinc *indisciplinatè*, Speculi Saxonici parte I. Artic. LIII: *Judex sæpius mulctam in judiciis ab indisciplinatè agentibus consequitur.*

*Tom. I. script. Histor. Eccles. edit. Francof. ann. 1603.

Indisciplinosus apud vet. interpretem Siracidæ XXIII. 15.: *Indisciplinosa loquela non adsuescat os tuum.* Ubi in aliis *indisciplinata*. Græcè est, Ἀκολασίᾳ ἔθνη μὴ ἐθίσῃς τὸ στόμα σου.

Inditor ὀνοματοθέτης, qui nomen loco indit. Usurpat Flodoardus lib. I. Histor. Rem. cap. I: ubi ait, Remum, Romuli fratrem, credi Remensis urbis, ut conditorem, sic nominis inditorem: sed ipse censet, verisimiliùs putari, conditores urbis militum eos, qui Remo fuissent addictiores; Remoque interfecto, fugissent in Gallias; ac ut Romus à se Romæ nomen fecisset, ita ipsi urbi à se conditæ Remorum dedissent nomen. Sed istæc etiam opinio, etsi minùs absurda, quàm prior, nihil tamen nisi inane somnium est. Imò ne istoc quidem controversiâ caret, an Roma à Romulo condita sit: de quo quantopere olim fuerit variatum, vel unicus Festus fidem fecerit.

Indocibilis, in glossis vett. indocilis exponitur. Priori verò uti non ausim.

Inde-

Indominicatum id solum, vel prædium, dicitur, quod dominus sibi retinuit; non verò colonis, vel emphyteuticariis, concessit. Sic *terram indominicatam* legas in libro Censuali S. Remigii. Item *vineæ indominicatæ*, in Caroli Calvi privilegio, regni sui anno XXXII, S. Germano concesso. Et *mansum* † *indominicatum*; item *horreum indominicatum*, in appendice Flodoardi ad ann. DCL. Est apud Godefridum Magnum in donatione S. Dagoberti monasterio factâ: *Adjungimus decimas omnium nostrarum ipsius potestatis indominicaturarum* * *hoc est, in censibus terrarum*, &c. Et paullo pòst: *Juxta pratum nostrum indominicatum.* In donatione Comitis Ansfridi pro Ecclesia pagi Rhenensis †: *Ego Ansfrid Comes dono---- mansum indominicatum cum ædificiis.*

† *De manso dicam in significatione alienæ usurpatis.*

* *Ap. Miraum in Donat. Belg. pag. 47*

† *Ap. Miraum in Notit. Eccl. pag. 62*

Indubium, pro certum, non puto veteres usurpâsse.

Inductorium, pro eo, quod inducitur, vel illinitur, apud Nithardum legas. Rectum tamen, *inducere picturæ colorem*: quod apud Plinium est lib. XXXV. cap. X.

Indusiatus, sollemni indusii amictu in honorem abbatis evectus. S. Gerardus abbas Sylvæ Majoris in vita S. Adelardi, abbatis Corbeiensis cap. III. §. XIV *: *Pater quippe monasterii, corporis viribus se sentiens destitui, electum annuit cunctorum subrogavit Adelardum; cujus dignitatis honore indusiatus, & à principe regni legaliter inthronizatus.*

* *Apud Bol-land. ad 2. Jan.*

Ineloquens non dixero; sed *in dicendo infans*, aut *parum disertus*, vel simile.

Inferendale, quod infertur tributi nomine, vel simili. Aimoinus de gestis Francorum lib. IV. cap. XXVI: *Quingentas namq; vaccas inferendales à Clothario seniore regiæ mensæ inferre jussi fuerant. Quæ ideo inferendales dicebantur, eò quod singulis inferrentur annis.*

Infertor, qui epulas infert, atque apponit. Gloss. Philoxeni: *Infertor* παρεθέτης. Utitur vetus Juvenalis interpres sat. V. 110. Vulgo & *dapifer* vocant: de quo alibi dicimus. Si *infertor* universæ est mensæ minister, etiam *carptoris* nomine vocetur: de quo in Saturnalibus Lipsius.

Infirmarius, infirmorum curator. Adjectivum est substantivè positum: sicuti & *medicus*. Utrobique *vir*, vel *homo*, intelligitur. *Infirmarii* vocabulo sic usus Leo Ostiensis lib. III. cap. LVII: *Duas* (cortinas) *dedit infirmario; unam pro expensis; alteram pro exstruendo balneo.* Cæsarius lib. VII. cap. XXX: *Henricus Contractus, Clarævallis monachus, in eâdem domo quandoq; infirmarius fuit: hic cùm tempore quodam haberet magnum infirmum.* Similiter lib. IX. cap. II. Verba mox adferam.

Item lib. XI. cap. V: *Futurorum gaudiorum primitias jam corde præsentiens, lætus, & hilaris, redeunti infirmario rem pandit per ordinem.* Habes & apud Matthæum Parisium. At *infirmarium*, vel *infirmaria*, est locus, ubi infirmi, sive ægri curantur, ægrotorum receptaculum; unde vox Firmarey devenit. Idem Matthæus Parisius in ann. cIↃ ccxxxviii: *Exceptis debilibus, & infirmis, quibus debet in infirmario provideri.* Antiquitatum Fuldens. lib. III. Tradit. XXXV: *Caput optimum sive vestimentum, quod melius haberet, in usus fratrum, in infirmariam cederet.* Etiam *infirmatorium* vocarunt. Item Cæsarius libro I. Miraculorum cap. XXXV: *Tandem, infirmitate depressus, in infirmatorio positus est.* Ac similiter idem lib. IV. cap. XLI, lib. V. cap. VI, & lib. IX. cap. II: *Quod intelligens Vinandus, infirmarius noster, posito eo in infirmatorio, ait; Bone frater Godescalce, vidisti in Missa Salvatorem?* Utitur & Historia Albigensis cap. XLIV *. Existimet aliquis, pro *infirmatorium* semper *infirmarium* legi oportere; quia *infirmatorium* ἀναλόγως potiùs foret, ubi infirmantur, ac debiles fiunt; ut *adjutorium*, quo adjuvantur. Sed secus est. Nam etiam *infirmare* dictum pro *infirmum esse, ægrotare.* Sic usus idem Cæsarius lib. I. cap. XXVI: *Non credo, quempiam posse terminum sibi à Deo constitutum extendere; sed mortem quandoq; imminentem evadere. Quod si verum non esset; Ecclesia superflue pro infirmantibus oraret.* Præterea non necesse est, ut dicamus, esse verbale à supino factum. Nam possit esse denominativum. Nempe ut à *terra*, *territorium*; sic ab *infirmus* sit *infirmatorium.* Et pro hac sententia sit, quòd & *infirmitorium* per I legas. Uti apud Ingulphum Saxonem: *Fecit ipse de eodem* meremio †, *plurima pulcherrimaq; ædificia; scilicet infirmitorium monachorum, longitudine & latitudine decentissimum.* Similiter Matthæus Parisius in ann. cIↃ c xxxviii: *Porrò debiles & infirmi, qui munitione indigent, vel aliquâ medicinâ, non seorsum in cameris, sed omnes* in infirmitorio, *qua necessaria fuerint sibi, tam in carnibus, quàm in aliis, recipiant competenter.* Munus pro infirmorum cura *Infirmaria*, de quo Somnerus in Glossario sub v. *Infirmaria*, qui lit. C. in *Cella infirmorum* Vossii glossam marginalem, *heremio*, rejicit, rectèque *meremio* dictum esse docet.

* *Reg.* 114.

† *F. heremio*, vel *heremitorio*: de quo dixi cap. 14.

Inflativus vulgò cibus dicitur barbarè. At Ciceronis est lib. I. de Divinatione: *Ne fabâ vescerentur, quòd habet inflationem magnam in cibus.*

In-

Influxus ignotum classicis: qui malunt, *tactus lunæ*, vel *dimissa è cœlo vis*. Possis & dicere, vim è Sole, vel sideribus, influentem in corpora hæc inferiora.

Infœderabile bellum est apud Petrum Damiani lib. III. epist. VIII, quæ ad Archiepiscopum Bisuntinum. Dixeris cum classicis, *irreconciliabile, implacabile*; vel Græcè ἀσπονδον, quo Cicero in IX. ad Att. epist. XII. uti maluit.

Infrangibile, pro eo, quod frangi, vel rumpi nequeat. Concilium Pisanum II, non longè à fine: *Itaque fiat universalis unio, & infrangibilis, & firma Ecclesiarum*. Suffeciisset *firma*, vel *fida solidaque*.

Infusidarium ejusdem censeo originis, ac *infundibulum*, & *infusorium*; quod apud veterem Bibliorum interpretem. *Infusidarium* verò est apud Joannem Monachum, in Vita Petri Damiani: *Totidem aliquando diebus nullo refeciisse cibo, nisi parco leguminis infusidario*. Puto, signari omne liquidi cibi genus, ac cochlearibus adsumi solitum: quale lac cum pane coctum, vel jus cum leguminum modico.

Ingenuile mansum opponitur indominicato, & servili. Qua de re dicam in *Mansum*; ubi agam de vocabulis alienâ positis significatione. Nunc contentus ero Anonymi verbis è gestis Normannorum ante Rollonem Ducem †: *Anno* IↃCCCLXIX, *Carolus cum Nortmannis pacisscitur — de unoquoque manso ingenuili exiguntur* VI, *denarii, & de servili sex.*

† *In antiquis Normannica Historia scriptori, pag.* 1.

Ingrusia, pro ficu veneno infectâ, barbarum quidem, & tamen (quod quis primâ facie arbitretur?) ex Latio originem trahit. Ex parte hoc nos Suidas docet: Ἰνγρυσία παρὰ Ρωμαίοις τὸ τοῖς ἀδυνίοις διδόμενον σιτίον, ὃ ὅτι ζῶν, ὅτι θανατηφόρον ποιεῖ. *Ingrusia, cibus ita dictus Romanis; qui ubi datus infirmis, nec vivere, nec mori sciunt.* Ac similiter glossæ Basilicorum. Negat sibi de hoc liquere Suidæ interpres, Æmilius Portus. Atqui *grossi, ficus*. Pro *grossus* dixere vulgo *grosus*, vel *grusus*; ut sæpe *o*, & *u*, commutantur. Glossæ Græcolatinæ, ad Cyrilli calcem repertæ: Ὀλυνθος, *Bolunda, hoc grusum*. Ubi *bolunda*, puto, corruptum ex *boleta*, vel *boletus*. Id fungi genus, quo medicato Claudium sustulit Agrippina, ut filio Neroni pararet imperium. Similiter verò ex *grossum, grusum*; ficus genus, quo medicato itidem tolluntur homines. Lampridius in Commodo: *Motilenum, præfectum prætorio, per ficus veneno interemit*. Quomodo & Belgæ hoc dicunt, een vyge gheven, q. d. *ficum dare*, sive *ingrusiam*.

Ingurgitatio ἀναλόγως quidem dixeris ab *ingurgito*: sed, ut arbitror, aliter classici; qui maluere, *crapulam, ebrietatem:* vel quando hæc potiùs sequi solent, ubi quis se ingurgitârit; dixeris, *Threicia amystis*, vel pocula nimia non sensim educta, sed ἀπνευστί, hoc est, citra respirationem hausta, aut simile his aliud.

Injustitium in glossis habes. Sic vocant, cùm jurisdictio non est interdicta.

Innobilitatus, non factus nobilis. Lampridius in Heliogabalo: *Si unquam aliqua matrona consularis, conjugii ornamentis esset donata: quod veteres imperatores affinibus detulerunt, & his maximè, quæ nobilitatos maritos non habuerant, ne innobilitata remanerent.* Nec vox absurda: cùm *nobilitare* sit Terentii, & aliorum.

Innodati, δίσμιοι. Sic in vett. glossis rescribendum.

Innox, qui non nocet. Glossæ Philox. *Innox*, ἀβλαβής. Sed puto, *Innexius* legendum. Sanè proximè antecedit, *Innocentes*, ἀβλαβεῖς.

Inobedientia est pervulgatum, præsertim apud Theologos; qui dicunt, inobedientiâ primorum parentum venisse peccatum in mundum. Sed classici hoc nesciunt vocabuli: imò neque vocem *inobediens*. Cicero in libb. de LL. pro eo *non obediens* maluit. Videntur & *imparientia* dixisse veteres; ubi quandoque *impatientia* exaratum. Nempe ab *imparens*. Festus: *Imparentem, non parentem, hoc est, obedientem.*

Inoppidatus is locus, qui non inhabitatur; ubi puta nullum oppidum, portus nullus. Sanè Gloss. Mix: *Inoppidatus*, ἀοίκητος, ἀλίμενος. Est & in Glossis: *Inopidatus, inoppidatus.* Nempe unico P scripsere, quia & *opidum* ab *ope*.

Inordinatio barbarum; pro quo Cicero confusio, vel ordinis perturbatio. Græcis ἀταξία: pro quo etiam dicimus ordinis neglectum. Gallis similiter *desordre*. *Inordinate* tamen Latinum est, Ciceronis & Quintiliani; ἀτάκτως Græcè.

Insalutatus vulgare est; ut cùm ajunt, *insalutato hospite discedere*. Malim, *non salutato*, vel *ne salute quidem dictâ*. Cicero Græcum prætulit, quod ad verbum vocabulo *insalutatus* expresseris. Sic enim scribit in epistolis de Pompeio fugiente agens †: *Urbem, omnes nos*, ἀπροσφωνήτους, *expertes sui consilii relinquebat.*

† *Ad Att. lib. 8. epist. 8.*

Insensatus, pro Græco ἀναίσθητος, est apud N. T. interpretem. Ac sæpe sic scriptores Ecclesiastici: in his Ivo Carnotensis serm. de adulterino habitu. Sed de hoc alibi.

Insen-

Insensitivus barbarum: pro quo Latinum, *sensum non habens*: Græcè ἀναίσθητος. Horat. lib. I, Sat. III: *Communi sensu planè caret.* — Nec melius *insensibilitas*; etsi probè exprimat Græcum ἀναισθησία. Pro quo dixeris *stupiditas*, vel *stupor*.

Insignium, pro *signum*. Sueno in Compendio Historiæ Danicæ cap. III: *Quæ* (Christi crucem) *Matris tumulo, ob memoriale insignium, destinavit erigendam*, Credo, cum legerent *insignia*, uti apud Livium * est, *insignia imperii*, putarunt esse inflexionis secundæ: quomodo rectus singularis sit *insignium*. Sed Ciceronis † est *insigne regni*. Ab *insignium* est *intersignium*: de quo alibi. *Insignitio*, verbale, reperio in membranaceis nostris glossis Mssis.

* *Lib.* I.

† *Philipp.* 3.

Intelligibile non dixero cum vulgo, sed *quod sub intelligentiam cadit*: item, *quod intelligentiâ*, vel *ratione comprehenditur*.

Intercapedilius, τὸ διάστημα. Sic glossæ Mss. Sed legendum, *Intercapedo, dinis*, hoc est, intercapedinis Glossæ Philox. *Intercapedo*, διάστημα τοῦ χρόνου. Sic non Tranquillus solùm in Augusto usus; sed etiam Cicero filius epistolâ ad Tironem.

Interdius, Plauto* pro *interdiu*: junioribus particulatim is, qui de die furatur. Glossæ: *Interdius*, Ἡμεροκλέπτης. Nempe qui id de die facit, quod de nocte alii; qui Hesiodo ἡμεροκοῖται, q. d. *noctidormii*.

* *Aul.* I. I.

Interlocutoria vulgare est, ac legas quoque in Constitutionibus Neapolitanis sive Siculis Tit. XXXIV, & Tit. XLIV. Cumque *interloqui*, & *interlocutio*, planè Latina sint, (multi è classicis usi, ac in Digestis etiam habemus) neutiquam sanè *intorlocutorium* damnarem, si simplex *locutorium* invenirem.

Interludium non memini me legere apud idoneos Latinitatis auctores. Videtur tamen vox concinna. Quales *interloqui*, *interlocutio*, *interlunium*; item *intercolumnium*, quod in glossis exponitur μεσοστύλιον, & *interveniun*, quod ibidem redditur Græcè μεσοφλίσιον. Sed legendum μεσοφλίσιον. *Intermetium* in iisdem à metis, τὸ μεταξὺ τῶν καμπτήρων; *Interludii* voce usus Anastasius de vitis Pontificum cap. XXII. Item Matthæus Parisius in Historia de Offa I: *Cùm super hoc negotio sæpius Regem sollicitarent, & alloquerentur; ipse, multoties joculando, & talia verba asserendo, interludia fuisse vanitatis; procerum suorum constantiam, dissimulando, differendoque, delusit.*

Internus quis propè hodie non dicit? ad formam nempe, quâ optimi scriptores *externus* ajunt. Sic enim præter Livium Cicero *externos homines*,

mines, atque idem *externa bona*, quæ Aristoteli τὰ ἐντὸς ἀγαθά. Sed enim de priori idoneum desidero auctorem. Pro mari interno dixero mediterraneum; pro internis bonis, animi bona; in aliis aliud.

Internicies, pro *internecio*. Nam etsi à *perneco* sit *pernicies*; ab *interneco* tamen non *internicies* est, sed *internecio*. Legas prius in Gestis Normannicis ante Rollonem Ducem *: *Nortmanni trans Scaldim venientes — cuncta devastant: Ecclesias, civitates, vicos, habitatores, usque ad internicium deleverunt.* Sed fortasse scriptor *internecionem* exarârat.

* Pag. 5.

Intersignium, ut Joannes Januensis in Catholico ait, *quod est inter duo signa: vel signum, quod est inter aliquos; sicut aliquid solet mitti de uno loco ad alium caussa signi, & notitia.* Sueno in secundo cap. Compendii Historiæ Danicæ, quam primus publici juris fecit v. cl. Stephanus Stephanius: *Et mox intersignis per petrarum notas edoctus, gladium jussit effodi præstantissimum.* Idem cap. x: *Quod quidem in Regis navi, quæ rostris deauratis coruscabat, non procul ab Urbe, quam supra Haraldum profugum fundâsse memini, Cujus intersignium recolere operæ duxi pretium.*

Intertiata dicuntur deposita apud sequestrum; quia nempe hic tertius est inter duos litigantes: unde & in glossis Latino-Græcis *sequester* non solùm μεσίτης, & σωθηκοφύλαξ, sed etiam ἐντερίτης exponitur. Sic *res intertiata*, Leg. Salicâ Tit. XLIX, qui de Filtortis. Similiter Legg. Ripuariis. Item apud Benedictum Levitam, lib. VI. cap. CCIX: *Si res intertiata furto ablata fuerit, liceat ei, super quem intertiata fuerit, sacramento se excusare de furto.* Sed de hoc pluribus inferiùs in verbo *Intertiare*.

Interula est subucula linea, quæ sub tunica; uti tunica sub toga, vel pallio. Hanc solam sub pallio Cynici habebant; eoque incincti. Tertullianus de Pallio: *Siquid interula subter est, vacat zonæ tormentum.* Hoc est, carent cingulo, quo non sine molestia constringimur. At tunicæ, quia longiores, cinctu suspendebantur. Interulam, quæ brevior, nihil opus erat colligi, ac substringi: ut quæ foret brevior. In glossis *interula* exponitur χιτωνίσκος. At *tunica* χιτών. *Interula* ex eo dicta, quia intima, carnemque ipsam constringeret: uti & Græcis inde ἐσωτήριον, vel ἐσωφόριον, vocatur. Eadem *subucula* est dicta, quia tunicæ subesset Horatius lib. I. Epist. I:

——— *Subucula pexa*
Trita subest tunicæ.

Græcis ὑπενδύτης; ut tunica, quia injiceretur interulæ, ὑπενδύτης, Latinis etiã *superaria*, secundùm illud in Glossis: *Superaria*, ὑπενδύτης. Juniores Græci

Græci dixere ὑποκάμισον: uti & Anastasius in vita Joannis Eleemosynarii. Nempe respondebat ei, quod vulgo *camisiam* dicimus: qua de voce actum lib. II. cap. IV. Pluraque de toto hoc argumento Salmasius ad Tertullianum de Pallio. Puto, post Tertullianum nihil opus esse, ut eo longè recentiores advocem, qui voce *interula* utantur. Multi adeò sunt: in quibus & Petrus Damiani lib. I. epist. XIX.

Intimior, comparativus à superlativo *intimus*, ut *proximior* à *proximus*, *extremior* ab *extremus*: de quibus dixi in Arte Grammatica lib. II. de Analogia cap. XXVI. Usurpat Antoninus Florentinus Chron. Tit. XIX. cap. I. *Quem inter omnes familiares imperator Henricus habuerat intimiorem.* Hoc est, cui arcana præ aliis aperiret. Item Henricus de Hassia in Speculo Amoris cap. IX: *Sæpe per intimiorem allocutionem te vocavit.* Hoc est, secretiorem.

Intramuraneus, intra muros constitutus. Gregorius Turonensis lib. II. Hist. Franc. cap. XXXIV: *Subitò palatium intramuraneum divino igne succenditur.* Idem in vita S. Gregorii, Episcopi Lingonensis †, cap. III. §. IX: *Ibique parumper resumentes vires, & post paullum elevantes, ad intramuraneam eum castri Ecclesiam detulerunt.*

† *Apud Bollandum Tom. I. Vitar.*

Intransgressibilis, quem transgredi non liceat. Cæsarius lib. I. cap. XXVI: *Ecce in hoc* (Jobi*) *loco habes, homini terminum vivendi à Deo constitutum, & quod idem terminus intransgressibilis sit.*

* *Cap. 14.*

Inventarium in veteri glossario exponitur, *quidam libellus, in quo omnia bona, quæ apud aliquem inveniuntur, conscribuntur.* Sed Tulliano ævo, & toto pòst sæculo, non reperias. Malim igitur cum veteribus *recognitio bonorum*, vel *regestum*, *index*, aut simile. Interim non penitùs averser, quando jam in usu erat ætate. Ulpiani: ut cujus sit in Digestis tit. de Administr. Tut. *Tutor, qui repertorium non fecit, quod vulgò inventarium appellatur, dolo fecisse videtur.* Cum vulgò sic dicat vocari, liquet, neque tum vocabuli id receptum ab eruditis. Interea si eo jam tempore sic loquebantur: quid mirum si reperias in Benedictinâ cap. XIII. de Inventariis per novos antistites? uti & in Legg. Wisigothicis lib. IV, tit. I, l. IV, & tit. III. lib. III, & lib. V. tit. I, & II; item apud Petrum de Vineis lib. III. epist. LXVI, ac tot alios.

Invericundia non invenio apud classicos; sed *impudentia*. Probum tamen *inverecundum*: unde eâdem ἀναλογίᾳ alterum foret, qua à *verecundus verecundia* dicitur.

Investitura, confirmatio non in feudis modò, sed etiam episcopatibus.

bus. Usus Arnulphus Lexovienſis epiſt. ad Angl. Epiſc. † Ivo Carnotenſ. epiſcop. LX, XCV, CLXXXII, Petrus Cellenſis lib. I. epiſt. I, Paſchalis epiſtolâ quadam, quæ legitur inter illas Anſelmi: ut Henricum imperator. in Diplomate, S. Odonem, abbatem Cluniacenſem, atque innumeros alios, leges etiam Wiſigothicas, & Longobardicas, præteream. Hodieque Hiſpanis dicitur *inveſtitura*. Ea à rege fiebat per annulum, & baculum: & cùm aliunde liquet, tum oratione Gregorii VI. moribundi, apud Malmesburienſem de geſtis R R. lib. II: *Laudatus eſt olim prædicanda memoriæ prædeceſſor noſter Adrianus primus, quòd inveſtituras Eccleſiarum Carolo Magno conceſſerit; ita ut nullus Electus conſecraretur ab Epiſcopo, niſi priùs à Rege inſigniretur, & annulo, & baculo.* Atque annulus quidem in feudis, fidei; baculus verò ſymbolum erat ſubſidii, quod beneficiarius, ſive vaſallus, præſtiturum ſe domino ſuo polliceretur. Nec aliâ is mente uſurpatus in dignitatibus Eccleſiaſticis. Scriptores verò Eccleſiaſtici fuere hujus ritus commenti cauſas myſticas; ſed, ut puto, ingenioſas magis, quàm veras. Vide *Inveſtire* in Verbis, falsâ ſignificatione uſurpatis. Vid. Goldaſtus Not. ad Burckard. c. I. p. 213.

Invinius, abſtemius. Gloſſæ vett. Mſæ: *Invenius ἄοινος*. Appulejus libro Met. ult. *Neque ullum animal eſſem, & invinius eſſem.* Subdit toties recoctus, qui Paſſeratii dicitur, Calepinus: *Vox nova eſt, ut pleraque alia, aſino Appuleii aptiſſima, qui rudere interdum maluit, quàm loqui.* Aſſentitur Goclenius, iisdem verbis uſus, Sylloge de vocibus obſoletis p. 316. Dura oratio, quando vox nova quidem, ſed convenientiſſimè exprimens Græcum illud, quod diximus.

Inviolandus Latinum non eſt: pro quo veteres *inviolatus*, *ſacer*, *ſacroſanctus*.

Inviſibile dicunt, ut Græci ἀόρατον. Sed Cicero, ubi Plato ἀόρατον, vertit, ſenſum omnem effugiens oculorum, vel oculorum effugiens obtutum. Poſſis & dicere, aciem fugiens oculorum, vel non adſpectabile.

Invitatorium ſic appellatum, quia eo in monaſteriis invitentur ad Deum laudandum. Anonymus de veteribus Eccleſiæ ritibus: *Ipſi enim intrant de vigilia ſolito tempore noctis, & canunt invitatorium, & proſequuntur ordinem antiphonarii.*

CAP. XVII.

De cœptis ab I, excipiente O, vel aliquâ conſequentium literarum, Jocalia *monilia, aliaq; id genus preciosa, luxui inſervientia.* Jochus, & juchus, *juge-*

jugerum; *proque eodem, sed diversâ origine*, jornale, jornata, & jurnata. Jocista, & joculator, *cui studium alios jocis oblectare*. Irreconciliabilis, *inexpiabilis*. Irregularitas, *commissum contra regulam vivendi*. Irremissibilis, *cui nunquam condonabitur*. Irrisorium, *quod ad irridendum fit*. Itinerale, *itineri inserviens*. Judicator, *judex*. Juniouratus, *dignitas quædam Ecclesiastica*. Juridicina, *jurisdictio*; *obiterque de* cauſſidicina, & indicina. Juriſta, *jurisperitus*. Juſſorium, *jussum*. Juſtitiarius, *judex*; *unde* juſtitiariatus, & juſtitiaria, *pro munere judicis*.

CÆtera nunc ab I inchoata, quæ ſe mihi offerant, expediam. *Iocalia*, collapsâ Latinitate, vocarunt, monilia, gemmas, ac vaſa, quæ vel materiæ, vel formæ elegantiâ, vel utroque, commendarentur. Ingulfus, Croilandienſis abbas: *Et aliquod pretiosum, nobiléque jocale, offerret*. Similiter Matthæus Pariſius in Henrico III, & Geſta Epiſcop. Turonenſ, in XXVII. Abbate; ubi & thuribulum videas in jocalibus reponi. Item Antoninus Florent. Chronic. Tit. XIX. cap. I: *Ædificavit præterea à fundamentis illud nobile hoſpitale ſancti Spiritus in ſtrata publica juxta Tiberim: quod quantis donaverit jocalibus, quantis ditaverit poſſeſſionibus, quantis decoraverit ædificiis, per ſe ſatis apparet*. Pius IV. Papa in bulla † contra detinentes jocalia: *Cum itaque non ſine gravi animi noſtri moleſtiâ accepimus, tam tempore infirmitatis diverſorum Romanorum Pontificum, prædeceſſorum noſtrorum, ex qua, ſicut Domino placuit, ab humanis deceſſerunt; quàm exinde diverſarum ſedium vacantium, quamplura etiam pretioſa jocalia, ornamenta, & alias res, & bona, uſui præfato, ut præfertur, deputata — tam ex dicto palatio, quàm aliis quibuſvis locis, ablata & diſtracta fuerint*, &c. De jocalibus habet & Philippus à Leidis. Quòd verò iſtiusmodi *jocalia* vocarint, ex eo eſt, quòd *jocum*, vel *joculum*, nuncuparent, undecunque caperent voluptatem. Id Græcè ſit παίγνιον. Sic *joculum* uſurpat Vitruvius lib. IV, cap. I: cujus corruptum hac de re locum Salmaſius corrigit in Solinianis Exercitationibus *, ac fortaſſe etiam Ciceronis. A *jocale* eſt Arabum *johar*, & præmiſſo ex more articulo, *aljohar*; pro quavis gemma. Etiam *jocale* eſt Gallicum *joyauls*, & Belgicum **juweel**: unde gemmarii **juweliers**. Nempe gemmæ, & iſtiusmodi, ſolùm joco, hoc eſt, oblectamento, ac inani inſerviunt voluptati. Unde fortaſſis & Belgicum **klein-nood**; quæ vox ad verbum notat, *exiguæ neceſſitatis*, hoc eſt, parvi uſus.

† *Tom. 2. Bull. pag. 4.*

* *Pag. 1132.*

Iochus, & *juchus*, idem ac *jugerum*, in Chartis Alamannicis: quod pluribus locis Spelmanno comprobatum. Nempe ex *jugum*, & Germani joſ vel juſ, & Galli *joug*, dicunt. A *jugo* autem *jugerum*; nempe quantum terræ uno die boum jugo poſſit exarari. Unde &, in chartis iisdem, pro eo legas *jornale*, *jornata*, & *jurnale*; à Gallico *jour*, hoc eſt, dies. Ac in antiquitatibus etiam Fuldenſibus, lib. II. Tradit. XCI, ſimiliter, tum *jurnales mille*, tum *trecentos jurnales trecentos*, exaratum.

Iociſta pro eo, qui jocis ac fabulis alios oblectat: ut eſt apud Iſidorum in Gloſſis. Similiter veteres noſtræ Gloſſæ membranaceæ: *Iociſta, qui ſæpe jocis intendit.* Eædem poſtea: *Iociſta ille, qui ludit; qui ludius dicitur, & joculator, & ludicrus.* Iterum, *Iociſta, qui libenter ludit.*

† Pag. 61, verſ. 9.

Joculator pro eodem legas in Speculo Saxonico †.

Irreconciliabilis non uſurpem; ſed pro eo *inexpiabilis*.

Irregularitas, pro delicto adverſus canones, in Cõcilio Piſano I. ſeſſ. I.

Irremiſſibilis æquè diſplicet: pro quo itidem *inexpiabilis* dicendum.

Irriſoria veſtis S. Gallo dicitur, quâ indutus Chriſtus fuit, riſûs ac ludibrii cauſsâ.

Itineralia, pro aditer pertinentia, in vita S. Othonis lib. III. cap. XV.

Judicator, ut puto, barbarum, pro *judex*, *æſtimator*.

Junioratus apud Ivonem legas epiſt. CCLXXXVI: *Super hæc dedimus junioratum Eccleſiæ de Pontegodonis cum omnibus domibus noſtris.* Nempe eâdem formatum ἀναλογίᾳ, qua à *major*, *majoratus*: de quo cap. XX.

Juridicina, jurisdictio. Tertullianus de Pallio cap. III: *Idem Cato, juridicinæ ſuæ tempore, humerum exſertus, haut minùs palliato habitu Gracis favit.* Quod exponunt, locum, ubi jus dicitur, id hîc locum non habet. Similis eſt compoſitio in *cauſſidicina* Ammiano Marcellino lib. XXX item Symmacho lib. V. epiſt. XV, & LXIII; nec non lib. IX. epiſt. XXIX. Geminum quoque *indicina* apud Appulejum lib. VII: *Sed planè ſolutum, concitatum, ſolitarium, ob indicinæ præmium, concitâſſe.* In Gloſſis vett. *Indicina* exponitur μλώνιον quod à μλώω, *indico*.

Juriſta, barbarum, pro *juriſperitus*, *juriſconſultus*, *legulejus*.

* Apud H. Canifium, in ſcriptoribus, quos habet in Promtuario Eccleſiaſtico.

Juſſorium, pro *juſſum*. Vetus epiſtolâ ad Deſiderium *: *Juſſorium veſtrum accepimus unà cum exemplari de literis domni Sulpicii.*

Juſtitiarius, pro *judice*, eſt frequens poſterioribus. Ingulphus Saxo, qui circa annum CIↃLXX vixit: *Præfectos provinciarum, qui antea Vicedomini, in duo officia* (Alfredus) *diviſit: id eſt, in Judices, quos nunc juſtitiarios vocamus, & in Vicecomites, qui adhuc idem nomen retinent.*

Utitur.

Utitur & Matthæus Parisius; cujus verba mox adferam. Sunt verò *justitiarii*; qui hodieque, veteri Saxonum voce, *Aldermanni*. Justitiariorum autem vox à Normannis; nam Alfredi temporibus ignotam fuisse Anglis, superior Ingulphi locus ostendit. Habes eandem & Tom. II. Roberti de Houeden; qui paullo ante annum CIↃCC claruit. Ac ne Britannis insistam, in Constitutionibus legas Neapolitanis sive Siculis lib. I. tit. 1, & XXXVI. Indeque pro judicis munere ac dignitate *justitiariatus*, in iisdem lib. I. tit. XLV, & XLVI, & tit. XCII, leg. I. Item Petro de Vineis lib. III. epist. XVI. Proque eo & *justitiaria* est apud Matthæum Parisium, in ann. CIↃCLXXXVIII: *Episcopus Dunelmensis habuit justitiariam à magno flumine usq; ad Scotorum mare: Wilhelmus verò Eliensis obtinuit justitiariam à flumine prædicto ad plagam Australem. Quod Hugo Dunelmensis episcopus nimis molestè ferebat, tunc primò intelligens, quòd rex illum justitiarium fecerat, non zelo justitiæ, sed ut pecuniam ab eo extorqueret.* Conf. Wilh. Somneri Glossarium in v. *Justitiarius* & similibus.

CAP. XVIII.

His præteritis, quibus princeps litera K, (nisi quòd de kajis, *hoc est, cancellis, attingimus) acceditur ad illa, quibus initium est ab L: ab hoc quidem continentur capite, ubi eam A consequitur.* Labarum, *vel* laborum, *pro sacro vexillo militari.* Labilis *memoria, pro minimè tenaci.* Labina, *pro inferiori labro; quod proprie* labium *putavit Donatus.* Laboragium, *&* laboratio, *pro labore.* Labratum, *suavium, quod fit labra labris conferendo.* Lactena, *&* laja, *color albus, lucis sive splenderis expers.* Lacticinium, *opus lactarium: uti* dulcium, *è dulcibus coctum.* Lactineus, *lactei coloris.* Lactoro, *germinis genus lacteo abundans succo.* Læcator, *leno: ac quandoq; etiam gulosus.* Lætatio, *pro lætitia.* Laicale, *quod laici est.* Lampium, *pulpitum.* Langus, *scortator, vel cinædus.* Lanio, *pro lanius.* Larderarius, *penori præfectus.* Lascivitas, *lascivia.* Laturarius, *qui literas, vel aliud defert.* Lavandulæ *novum vocabulum unde sit.* Lavatorium, *pro lavatrina.* Laudamentum, *arbitrium, judicium.* Laudana, *ornamentum aureum, vel argenteum, in templo pendens ante altare.* Laudimium, *conventum promissumq;; ac particulatim, quod pro renovatione emphyteuticâ persolvitur.* Laudum, *sententia arbitri,* Lavina, *lapsus, vel quo quid in lapsum vergit.* Lauratum, *cerei vultus imperatoris laureati.* Lautor, lotor, lutor, *qui lavat.* Laxativum, *quod corporis meatus aperit.*

VOcalem tertiam consona K excipit: quam Romani nullâ recepere necessitate, cùm non magis his opus sit eâ literâ, quàm Græcis C. Figuræ est discrimen, non potestatis. Usi igitur ob luxum. Exemplum dabo ex Latinobarbaris; quando de his nunc solis agimus. *Kajs*, pro cancellis, est apud Isidorum in Glossis. Quod eo referimus inter ea, quæ originis sunt Latinæ; quia Fulgentio *cajare* est cohibere, coërcere, compescere. Indeque putat datum nutrici Æneæ nomen *Cajeta*; quia nempe coërcuisset teneram ejus ætatem: & *cajatio* sit, quando puer ob delictum verberibus excipitur. Belgis litus, Kaeije; quia impetum undarum coërceat. Alia etiam in linguâ se Belgicâ offerunt, ejusdem, ut videtur, originis. Sed nolo nimium conjecturis indulgere. Transeo igitur ad ea, quæ incipiunt à liquidarum principe.

Labarum, vel *laborum* (nam utroque modo scribitur) vexillum erat militare; idque sacrum; sanè pretiosius eo, quod præferretur Imperatori. Etsi verò non ignorem, quomodo Fullerus, in Miscellaneis sacris lib. II. cap. I, à Græco fonte deducat; alii item à Persico: maximè tamen placet, quod Nazianzenus scribit orat. I. adversus Julianum, καμάτων λυτήριον εἶναι, καὶ κῦ Ρωμαίους ὀνομάζεσθαι· *laborum esse levamen, ac sic vocari à Romanis.* Nempe hoc vult, id vexillum sic à labore nuncupari, quia laborum solatio foret: puta ut excitaret milites ad laborandum, quasi labore finem laboris consequerentur. Interim certius hoc ἔτυμον ducerem, nisi Romani mediam per A breve quandoque proferrent. Prudentius lib. I. contra Symmachum:

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum.

Sed nihil prohibet, quò minùs credamus, vocem in castris, ubi variarum gentium colluvies, fuisse corruptam. Primus, qui eâ usus credatur, Tertullianus est in Apologetico. Ubi tamen pro *laborum*, libri vett. *cantabrorum*. Sed non dubium saltem, quin usurpet is, quem dixi, Prudentius. Item Aldhelmus de laudibus Virginitatis. Nam corruptè ibi *taboro*, pro *laboro* legi, jamdiu monitum Joan. Meursio. Neque refugit Jonas, episcopus Aurelianensis, de cultu imaginum lib II. *Ac labarum, quem dicunt draconem, in speciem crucis Dominicæ exaptat.* Nempe labaro usi pro dracone; quod signum priùs ad prælium à draconariis deferebatur. Etiam in Ivonis Carnotensis Chronico, (quod Msum, longeque auctius, conspexi in bibliotheca Nobil. Noomsii, Arlanderveniæ Domini, τῦ μακαρίτου) legitur: *Transformat signum, quod dicitur*

dicitur labarum, in speciem Dominica Crucis. Figuram si voles nôsse, adi Eusebium in primo de vita Constantini.

Labilis pervulgatum: ut cùm dicunt, aliquem esse *labili memoriâ*, pro *debili, infirmâ, madidâ.*

Labina, prō labio inferiore: ut est apud Isidorum in Glossis. Et convenit hoc cum eo, quòd Donatus in Eunuchum *labrum*, & *labium*, sic distinguit, quòd *labrum* sit superius; *labium* inferius. Neque enim dubium, quin *labina* sit à *labium*. Sed discrimen istoc Donati non observatur.

Laboragium, à labore agendo; ut ab aquis agendis, sive ducendis, *aquagium*: nisi malis, prius esse derivatum simplex, & *agium* esse παρήλκον, sive productionem vocis. Karolus VIII. Gall. R. in Edicto de Excessu Off. & subd. *Omnia animalia ad laborandum, & cultivandum, seu colendum terram, ordinata, & deputata; nec non instrumenta, & ostilia, necessaria ad laboragium, deinceps obligari non poterunt.*

Laboratio, pro labore. Adamannus de rebus S. Columbæ lib. III: *Qui de propria manuum laboratione suarum pramia emax felix comparavit aterna.* Ubi & *ēmax* ponitur pro *emtore.*

Labratum à labris, ut *osculum* ab ore. Glossæ interpretantur φίλημα βασιλικὸν, ἀσπαστικὸν βασιλέως. Nempe osculum, quod datur manui regiæ, adorationis, & venerationis ergo. Vide Cujacium lib. XI. Observ. cap. XXVII.

Lacebra, à lacio; ut à composito *illicio, illecebra.* Althelmus de laude Virginitatis:

Qui modo disrumpunt connubia nexa thororum,
Et demunt proprias devotâ mente lacebras,
Mundana lucra spernentes gaudia pompa.

Quam lectionem amplectitur Ludovicus de la Cerda Adverss. Sacr. cap. CLXV. §. LXI. Nec dissentirem, si alibi legissem. Nunc mihi verisimilius fit, *latebras* per T. scripsisse Althelmum. Nempe de illecebris sermo, quæ animi latebris occuluntur.

Lactena tinctura, fortasse à lacteo colore. Ex *lactena* verò καὶ συγκοπῇ *laja* esse factum videtur: licet usus in iis aliquod statuerit discrimen. Sanè *lajam*, & *lactenam* tinctura, colori nigro, & lucido, item purpureo, opponit Cæsarius, Arelatensis episcopus, in Regula † monasterii, quam scripsit sorori suæ Cæsariæ, cœnobio Sanctimonialium præfectæ, §. XLIV; *Omnia verò indumenta simplici tantùm & honesto colore*

† *Primus edidit Bollandus in vitis SS. ad 12. Ian.*

colore habeant. Nunquam nigra, nunquam lucida; sed tantùm laja, vel lactena, in monasterio, per industriam Præpositæ, vel sollicitudinem lanipendia, fiant: & Mater monasterii, quomodo cuiq; rationabiliter necessaria fuerint, dispenset. Tinctura in monasterio nulla fiat, nisi, ut supradictum est, laja, & lactena; quia aliud humilitatis virginum non oportet. Et §. LV: *Moneo specialiùs, sicut jam diximus, vestimenta lucida, vel nigra, vel cum purpura, vel vibrina, nunquam in usu habeantur, nisi tantùm laja, & lactena.* Ubi & videmus, tincturam *vibrinam* rejici. Quæras, si *laja* sit color lacteus, quomodo lucido opponatur. Nempe lac album est; non tamen niveum, ut interdum poëtæ * vocant, hoc est lucidũ sive candidum, quod albori addit splendorem; ut in nive videmus: quæ iccirco candida dicitur, ut & lux Solaris. Vide inferiùs *lactineus.*

* Ovidius 13. Metam.

Lacticinia, ὠογάλα, ut exponitur in veteribus Glossis. De hoc jam vidimus lib. I. cap. XVI: ubi & monebamus, veteres pro eo dicere *opus lactarium.* Cornelius Celsus: *Lac, mel, adeoq; lactaria, atq; omne pistorium opus.* Idem: *Mel crudum, lac, lactaria omnia.* Atque inde *lactarii*, qui opus facerent lactarium. Lampridius in Heliogabalo: *Dulciarios, & lactarios, tales habuit, ut quacunq; coqui de diversis edulibus exhibuissent, vel structores, vel pomarii, illi modo de dulciis, modò de lactariis, exhiberent.* Ubi & *dulcium* videmus, pro *dulce.* Quamquam & in Regio Mso, pro *dulciis*, est *dulcibus.* Sed postea quoque *dulciis* legas, non in aliis modò, sed etiam Regio codice; ut Casaubono monitum.

Lactineus, pro lactei coloris. Vita S. Fulgentii cap. XVIII: *Intra monasterium interdum soleas accipiebat, frequenter nudis pedibus ambulabat. Casulam preciosam, vel superbi coloris, nec ipse habuit, nec monachos suos habere permisit. Subtus casulam nigello vel Lactineo pallio, circumdatus incessit.* Videmus, ut lactineum colorem opponat non solùm nigello, sed cuivis superbi coloris: qualis etiam candidus, ut in *Lactena* diximus.

Lactorones, germina herbæ cujusdam, quæ, à lactis abundantia, *lactoris* vocatur. Ita Ludovicus de la Cerda in Adversariis sacris cap. CXII. Movet eum hoc Plinii lib. XXIV. cap. XVIII: *Herba lanaria, ovibus jejunis data, lactis abundantiam facit. AEquè nota lactoris vulgo est, plena lactis, quod degustatum vomitiones concitat.* Atque addit, lactoronum meminisse etiam Rufinum lib. III. num. CC: *Et unus quidem deferebat nuces, alius lactorones.*

Lacator idem ac *leno, lenunculus*, vel *lenullus*, à Græco λαϊκὰν, sive λαϊκά-

λαμπάζειν, quo usus Aristophanes Equitibus, pro *scortari*. Sanè λαμπαδεύειν ab scholiaste exponitur πορνεύειν. Atque idem Acharn. λαμπαδίας posuit pro scortatore, sive qui corpore faciat quæstum. Uti Athenæus in XIII. λαμπάδευμα ait de scortis. Isidorus in Glossis: *Leno, lacator, mediator.* Item: *Lenocinium, lacacitas.* Adhæc: *Lenullus, parvus lacator.* Iniisdem legitur, *Lacator, gulosus*: quod proximè accedit ad Belgicum lecker: uti videri possit, esse à lecken / hoc est, lingere; quomodo ad verbum sonet *lguritorem*. De eo dictum lib. II, cap. XI.

Lætatio verbale à lætor, apud Adamannum in libris de rebus S. Columbæ Scoti.

Laja quid, & unde sit, dictum in *Lactena*.

Laicale, quod homini laico competit. Ivo epist. CCLXIII, & CCXC. Item in fragmento ejusdem, quod in calce apponitur ex Petavii schedis. Atque hinc *laicaliter*, in Concilii Pisani Promot.

Lampum, pro pulpito, apud Isidorum in glossis: credo à lampade illic relucente.

Langus, ut Salmasius ad Capitolinum * annotavit, signat scortatorem, vel cinædum. Hoc pacto utitur Aldhelmus penè initio Carminis de octo principalibus vitiis: * Pag. 103.

Loth quoq; qui langos sceleratos vixerat inter,
*Hospites * hospitibus præbens umbracula tecti.*

* Condonandâ in temporibus, quòd posteriorem in hospes producat.

Sic in Mso erat: pro quo *largus* perperàm reposuit Canisius. Id verò esse, quod dicebam, ostendunt ea, quæ subjicit Aldhelmus:

Cum scortatores, & molles fortè cinædos,
Qui Sodomæ facinus patrabant more nefando,
Cærula fulmineis torrerent fulmina flammis.

A Græcis, sed junioribus, vox ea fuerit, si sit à λαγγών. Gloss. *Trico.* ἀγγών, ἀλλοτρ. λαγγών. Aliæ: λαγγών, *reses, trico.* Puto, λαγγὸν à λάγνος, *libidinosus, iners.* Suspicatur Ludovicus de la Cerda in Adversariis sacris cap. XXXIX, è *languidus* & συγγενῶν factum esse *langus*. Nolim de eo, in re incerta, ducere contentionis funem. Sed de isto non adsenserim, quòd Longobardos arbitratur sic vocari, quasi Longobardos, quia langi essent, & effeminati. Omnino enim vox ea ex duabus est conflata. Prior est Germanicum lang; quod notat *longus*, & fortasse ex eo factum: posterior est Germanicum Bart / vel Bard: quo tum notatur barba; tum etiam bipennis, sive securis Romana, quæ & Amazonia dicta. Vel ex eo igitur vocabantur, quòd barbas alerent; vel potiùs, quòd pugnarent bipennibus longis.

Lanio apud juniorum aliquos legas; veterum, ut puto, neminem; etsi & Cælii Forum Romanum, & Calepinus, etiam ille toties recoctus, imò & Hadrianus Junius in Nomenclatore, id vocabuli agnoscant. Quos idoneo fulcire id auctore oportuisset. Fateor, dici *lanionius*; quod volunt esse à *lanio*, ut à *Juno*, *Junonius*. Sed est *Junonius* à *Junoni*, addito *us*, sicuti ab *Joni*, *Jonia* est, addito *a*. At venit *lanionius* à dativo *Lanio*, addito *nius*, veluti à *morbo* finxere *Morbonia*. Quæ disparem esse istorum rationem, non obscurè indicant. Quare *lanius* dicendum cum Comicis, & Cicerone ipso 1 Off.

Larderarius, penoris præfectus, quia in penu præcipuus est locus lardo, carnique suillæ, vel aprugnæ. Habes apud Florentium Wigornienſem ad ann. clɔcii.

Lascivitas, pro lascivia, apud Julium Firmicum Maternum lib. i. Mathes. cap. 1: *Nec Asiana lascivitas sobriâ Jovis moderatione corrigitur.*

Laturarius, bajulus, tabellarius. Augustin. serm. 1. De tempore: *Quid sunt pauperes, quibus damus, nisi laturarii nostri, per quos in cœlum deferamigramus? Da; laturario tuo das; ad cœlum portat, quod das.* Ut φορεὺς δοῦ φορᾶς, sic *laturarius* à *latura*: pro qua *lationem* philosophi amant dicere. Gloss. Philox. *Latura*, φόρτος.

Lavandula, vel *lavendula*, vocabulum est Plinio, & veterum aliis, ignotum. Nolim tamen culpare, qui utantur; quando dubium, num Virgilii *casia* sit, vel Plinii *saluuca*, aut *hirculus*, aut *nardus Celtica*. Utcunque illud, vocabulum est barbarum; sed origine Latinum. Nam ex eo dicitur, quia in lavacris, ac lotionibus, expetatur. Sunt qui putent, esse λαβανίδα, memoratam Athenæo lib. ii. Sed obstat, quòd hanc ait esse nomen λαχάνου sive oleris.

Lavatorium, locus ubi lavatur, vel labrum, in quo fit lotio. Glossæ Cyrillo tributæ: Πλύσιμον, *labatorium*. Ubi legendum puto πλυσμὸν, vel in recto πλυσμός. Hesychius: Πλυσμὸς, πλωνήτης, *Lavatorii domum*, legas apud Matthæum Parisium in vita abbatis Monstreoli. Nempe quomodo Belgæ locum, ubi lavantur linteæ, appellant Wasch-huys. Pro *lavatorio* autem malim dicere *lavatrina*: quando & veteres sic vocarunt, ubi vasa escaria eluuntur. Varro in iv. de L. L. *Trua, quæ à culina in lavatrinam aquam fundunt.* Imò latiùs ea vox patuit. Nam, ut idem in octavo ejusce operis refert, veteres, priusquam Græcam *balineæ* vocem recepissent, pro eo *lavatrinam* dixere. Quod & Nonius firmat, cùm *lavatrinam*, & *balneum*, idem esse statuit. Ac, secundùm

eun-

eundem Nonium, nec *latrina* est à latendo, quomodo Belgæ vocant heimelic Gemack; sed contractum est ex *lavatrina*.

Laudamentum, pro collaudatione, sive potiùs approbatione, lib. I. de Feudis tit. XVII, *per laudamentum sapientum*. Sententia est, de judicio ac sententia jurisperitorum; ut etiam exponit Cujacius. Similiter Radevicus Frisingensis de gestis Frederici I. lib. IV. cap. XI: *Accepto de hac petitione fideli laudamento*. Item lib. III. cap. X: *Laudamentum accepisse memoratur, ut scriptura, & pictura talis, de medio tolleretur*. Nempe omnis iste loquendi mos inde profluxit, quòd qui judicium alicujus probat, is ferè illud collaudat. Qua de re libro proximo aliquid dicam in *Laudare*.

Laudana, ornamentum ex auro, vel argento, quod ante altare suspenderetur; sic dictum, quia id fieret in laudem Domini; ut ait Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. XXXI. Utitur Anastasius Bibliothecarius in Adriano [illegible]: *Fecit laudanas duas de argento, pensantes libras octonas; quas posuit supra rugas de presbyterio, ubi arcus de argento existit*.

Laudimium, pro convento, promissoque, ab ea *laudandi* significatione, quâ inde etiam *laudamentum* dixere, ut vidimus. Particulatim verò in Legibus Longobardicis sumitur lib. IV. pro eo, quod emphyteutæ persolvendum est in emphyteuticâ renovatione, secundùm ea, in quibus utrimque consensum conventumque.

Laudum etiam Jurisconsultis, ab eadem origine pro arbitri sententia, partiumq; transactione. Quo pacto veteres pro eo dicere soleant, indicat Festus his verbis: *Arbitrium dicitur sententia, quæ ab arbitro statuitur. Arbitrarium autem, cùm adhuc res apud arbitrum agitur*. Quomodo nempe Plautus Amphitr. sc. I, *certum*, & *arbitrarium*, opponit. Turnebum sis vide lib. XIV. Adversar. cap. XII. Loccenium Explic. Voc. feud. p. 166.

Lavina, quod, ut labamur, facit; & ipse etiam lapsus; quasi *labina*, à *labe*, vel *labendo*. Isidorus Originum lib. XVI. cap. I: *Labina, eò quòd ambulantibus lapsum inferat, dicta per derivationem à labe*. Idem in Glossis: *Labina, lapsum inferens*. Usurpat B. Hieronymus epist. CXIII. *Cæterùm amat Deus hominem, ut artifex fabricam; sed odit mala opera, quibus fabrica vergit in lapsum, & cogitur in lavinam*. Et paullo pòst: *Sicuti aliquem, securis incessibus gradientem, repentino casu, aut marmoris levitas, aut lavina pavimenti, subversâ pedum tutelâ contorsit*. Ubi

Lavina pavimento tribuitur, quia, cùm sit læve ac glabrum, facilè in eo labamur. Paulus Warnefridi lib. III. de gestis Longobardorum cap. XXIII, ubi diluvii in finibus Venetiæ mala describit: *Facta sunt lavinæ possessionum, seu villarum, hominumq; pariter, & animantium magnus interitus.* Atque hinc glomeratæ nivis moles, de Alpibus summis decidentes, Rhætis vocantur Lowin/ hoc est, lavinæ; ut ex Stumphio, & Simlero, monitum Lindenbrogio †.

† Not in Paulum Diaconū.

Lauratum, tabula corata sacros Imperatoris laureati vultus repræsentans. Optatus Milevitanus: *Lauratis, & iconibus, quæ mittuntur ad civitates, vel regiones obvii adeunt populi cum cereis, & incensis, non cerâ perfusam tabulam, sed imperantem venerantes.* Sic legit quoque Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris, cap. CXXI. Sed quid si Optatus scripserit, *Laureatis iconibus?* Id cum subvererer, Optatum ipsum adire malui. Neutrum se obtulit. Quid mirum? quando verba illa, quæ velut Optati attulit de la Cerda, nusquam apud Optatum leguntur, sed editorem ejus Balduinum, idque ex Græci scriptoris interpretatione. Ubi *lauratis* retentum ex Græco λαυρατοις, cùm *labratis* fuerit reddendum. Λαυρατον enim Græci dixere pro λαβρατον: uti quandoque λαυρος pro λαβρος, sive *labrum*. Λαβρατον verò posterioribus Latinis *osculum* notabat, quod labris Imperatoris, vel etiam imaginis ejus, manu priùs ori admotâ, imprimebatur. De hoc adorationis ritu agit Justus Lipsius in Electis. Cui adde, quæ de eodem ritu, ac præcipuè de labrato, maximus Salmasius ad Probum Vopiscianno tavit.

Lautor, lotor, lutor, πλύτης. Ita Glossæ. Nempe ut *lautum*, sic *lautor*: unde & *lautula*, aquæ calidæ ad Janum Geminum, & extra urbem: quòd ibi lavarentur, teste Varrone, & Festo. Gloss. *Lautulæ*, Θερμαί. *Thermas* signat, quæ & Homero Θερμὰ λόετρα. *Lutor*, pro *lautor*, ut *lura* pro *laura*, à *fraudo*, *defrudo*. Etiam in Glossis est Mssis: *Lutor*, ἁλιαστής.

Laxativum, medicamentum laxans, vel laxandi vi præditum. Fulbertus epist. XLVI: *Vulgaginem etiam petitam vobis misimus; quamvis ætatem vestram tali vomitu fatigari non suademus; sed eo potius, si opus sit, allevari, qui frequenter & sine periculo fieri possit, ex oxymello, & raphanis Valeriana; quod seniori magis conducibile est, morantem alvum laxativis pilulis incitari.* Opponuntur iis *adstringentia*.

CAP.

CAP. XIX.

De iis, quæ ab L incipiant, sequente E. Lectionarium, *liber, qui legitur in Liturgia.* Lectorium, *& legium, quod & analogium, pluteus, è quo legitur.* Lectualia, *ad cubile pertinentia.* Legalitas, *legum observantia.* Legatia, *legatio, vel solum, ubi ea obitur.* Letania, *vel potiùs litania, preces Ecclesiæ supplices.* Levativum, *quod levamentum præstat.* Leuca, *spatium nunc bis mille stadiorum; olim tantùm duo: ac super eo Isidori locus emendatus.* Levidensa, *pro* levidense; *cui opponitur* pavidense; *& utriusque vocabuli origo.* Levigabilitas, *morbi levamentum.* Levitonarium, *colobium sine manicis; quali in Ægypto utebantur monachi. Glossa correcta. Suidæ lapsus.* Leviton *quid, & unde dicatur.*

PErgamus porrò ad ea, ubi liquidarum primam secunda vocalium consequitur.

Lectionarium dicitur liber, quo continentur, quæ in Ecclesia totius anni curriculo ex Prophetis, Apostolis, & Evangelistis, legi solent. Habes in Capitularibus Karoli, & Ludovici, lib. I. cap. CIX, & apud Flodoardum Histor. Remensis lib. III, cap. V, & IX, ubi verba: *Lectionarium ad Missas librum pari decore venustatum contulit, Missale* vocant.

Lectorium, & legium, dicitur pluteus Ecclesiæ, unde Lector populo Legit; vel locus, in quo pluteus consistit, è quo S. Scriptura ad populum legitur. *Lectorium* semel, iterumque, vocat Anastasius bibliothecarius in Leone III: *Legium* Leo Marsicanus lib. III. Historiæ Casinensis cap. XXXII. Glossæ Isidori: *Lectrum, analogium, super quo legitur.* Ubi *lectorium* malim. *Analogium* appellat Stephanus de Sacramento altaris cap. IV. Suidas Ἀναλογεῖον, ἐφ᾽ ᾧ τιθέντα τὰ βιβλία *; Vide & Walafridum Strabonem de rebus Ecclesiast. cap. VI.

* *Analogium, in quo reponuntur libri.*

Lectualia, culcita, lodices, & alia, quorum usus in lecto. Chronicon Cisterciense †: *Lectualia, vel lectisternia, moderatâ dispensatione magistri, unusquisque habeat.*

† Pag. 77.

Legalitas, à *legalis,* apud Philippum VI. Gall. Reg. in Edicto de Offic. malè requ *

* Pag. 1811.

Legatia, terra omnis, ubi legatus munus suum exercet. Matthæus Parisius in ann. CIↃCCXXVII: *Omnes Prælati sua legatia.* Item pro *legatio.* Rogerus de Houed. Annal. Tom. II: *Præterea dominus Papa concessit Rogero, Eboracensi Archiepiscopo, legatiam in Scotia, & præcepit ei sententiam excommunicationis unà cum Hugone Dunelmensi Episcopo.*

Letania, ex Gallico *letanies*, pro *litanies*: à *litania*, uti hoc ex Græco λιτανεία: quod Ecclesiastici novè formarunt à Græco λιτανεύειν *supplicare*, *supplices preces fundere*. Episcopi Remenses, & Rotomagenses, ad Ludovicum Regem †: *Jejuniis, & orationibus, ac litaniis Dominum summum — deprecari studebimus*. At *letania* pro eo est apud Bedam Histor. Eccles. lib. I. cap. xxv, Paulum Diaconum de gestis Longobard. lib. III. cap. xxv, Abbonem Floriacens. de vitis Pontificum *. Apud Benedictum Levitam capitularis lib. v. cap. Lxxxv: *Placuit nobis, ut letania major observanda sit à cunctis Christianis diebus tribus*. De majore hac letania, seu litania, vide quæ Pithœus in glossario ad Capitularia Karoli M. & Ludovici P. ac aliorum, annotavit. At universè de Litaniis libellis duobus egit Nicol. Serrarius.

† *In capitulis Karoli Calvi cap. 23. pag. 206.*

* *In vita Sergii Syri. Papæ, pag. 156.*

Levativus barbarum puto, pro eo, *quod dolorem allevat*, sive *quod levamini est*, vel *levamentum præstat*.

Leuca, viarum spatium, apud Gallos. Usurpant Hieronymus *a*, Isidorus *b*, Flodoardus *c*, Ingulphus Saxo *d*, & Brocardus monachus *e*. *Lenga* pro eo dicit Ammianus Marcellinus *f*, Jornandes *g*, & scriptor martyrii B. Genovefæ *h*. *Leuva* autem Nithardus *i*. *Lega* Lelandus, uti hodie Itali: sicut Hispani *legua*. Vox est ortu barbara. Nec enim à λευκὸς venit, hoc est, albus; quia albis, ut volunt, lapidibus signarentur milliaria; etsi id Ingulpho fuerit visum: sed à Saxonico, & Anglis usitato vocabulo *leach*, quod lapidem signat; ut Romani ad decimum, vel vigesimum lapidem, dicunt. Quingentos passus sonat, si credimus vulgatis codd. Isidori lib. xv. Origin. cap. xvi. Sic sanè optima Breulii editio †; quâ cum alios, tum clarissimum Matthiam Martinium in Etymologico video deceptum. Sed scripsit Isidorus, *mille quingentos*. Ita enim invenio in veteri editione Veneta *. Imò & in Mssis nostris membranaceis duobus bonæ notæ. Ac firmat Ammianus Marcellinus lib. xvi: ubi de Juliano Cæsare in Galliis militante scribit hunc in modum: *A loco, unde Romana promota sunt signa, adusque vallum barbaricum, quarta leuca signabatur & decima, id est, unum & xx. millia passuum*. Et apertiùs Jornandes de rebus Gothicis cap. xvi: *Lenga Gallica mille, & quingentorum passuum metitur*. Hodiè verò *leuca* est bis mille passuum: neque ea mensurandi ratio χθὲς καὶ πρώην cœpit, quando Ingulphus Saxo †, & Nicolaus Lyranus *, clarè duorum fuisse milliarium tradiderunt. Ac favet ei sententiæ Hunterus Cosmographiæ lib. I:

a In Ioel cap. 3.
b Lib. 15. cap. 16.
c Histor. Rhem. d Pag. 910.
e De terra Sancta cap. 10.
f Lib. 16.
g In Historia Gotica.
h In vita Sanctorum.
i Histor. de divisione liberorum Ludovici Pii lib. 2, 3, 4.
† *Parisinam, 1601.*
* *Anni 1483.*

† *Pag. 910.*
* *In Dan. cap. 4. vers. 27.*

Sed

—— *Sed miliare*
Octo dabunt ſtadia, & duplatum dat tibi leucam.

Levidenſa dicunt nonnulli pro panno vili, raro & tenui textu: ut etiam in Nomenclatore ſuo interpretatur Hadrianus Junius. Nempe apud Ciceronem legunt lib. IX. epiſt. XII, ad Dolabellam, de oratiuncula pro Dejotaro: *Sed ego hoſpiti veteri, & amico, munuſculum mittere volui levidenſe, craſſo filo; cujusmodi ipſius ſolent eſſe munera.* Quomodo edidit Robertus Stephanus anno ɔIɔIɔXLIII. Sed in Mſſis omnibus vel eſt *levidenſe*, vel *levi denſe*, vel *lenidenſe*; ſine diphthongo. Fulvius Urſinus legebat, *leve, craſſo filo.* Commodiùs Octavius Pantagathus, quia in quibusdam libris diviſim legitur *levi denſe*, eò corrigit, *leni dente*; ut ſermo ſit de dentibus pectinis textorii. Sed Ciceronem ſcripſiſſe *levidenſe*, apertum eſt ex Iſidori lib. XXVI. cap. XXII: *Levidenſis, quod raro filo ſit, leviterque denſata: pavidenſis; quòd graviter preſſa atque calcata ſit.* Sic habent Mſſi noſtri, & editt. veteres; in his Veneta anni Iɔcccc LXXXIII. *Levidenſis* igitur veſtis, ἀραιόσημος: *pavidenſis*, ἡ πυκνόσημος vel πολυπαράθηλος. Quæ *pavidenſis* dicta, quia denſiùs pavita. Nam *pavire*, eſt *percutere*, κρούειν παραθῆν. A qua *paviendi* voce eſt *pavimentum* dictum. *Pavire* autem ex παίειν, more Æolum inſerto digamma.

Levigabilitas, levamentum morbi. Incertus in Miraculis S. Majoli lib. II. cap. III: *Super infirmitatis ſuæ gravitudinem invenire promernit aliquantulam levigabilitatem.*

Levitonarium, Ægyptiorum monachorum colobium ſine manicis; ſic dictum, quia Levitæ eo uti ſoleant. Habes in gloſſis Arabicolatinis, atque aliis. *Libitonarium* pro eo eſt apud Iſidorum lib. XIX. cap. XXII. Sed ſcripſit *lebitonarium*, uti Suidæ eſt λεβιτωνάριον. Quomodo B. Hieronymus præfatione in Regulam S. Pachomii: *Nihil habent in cellulis præter pſiathium, & duo lebitonaria: quod Ægyptiis monachis genus veſtimenti eſt ſine manicis.* In Gloſſis Arabicolatinis, quas dixi, exponitur *colobium ſine tunicis.* Sed ex Hieronymo, Iſidoro, atque aliis, liquet, *ſine manicis* legi oportere. Quod Suidas ait eſſe id vocabulum à Pruſienſibus: ſatis oſtendit, neſciſſe originem, quam adduximus. Λεβιτῶν dicitur Palladio in vita abbatis Pachomii. Quod ipſum quoque à Levitis. Nam poſterioribus ſeculis, ut B pro V conſono, ſic βήτα pro I, pronunciabant. Habes *levitonis* vocem in vitis Patrum: ut iſta Pachomii cap. XIV: *Leviton autem linea veſtis erat, inſtar colobii.* Et in iisdem, ex interpretatione Dionyſii Exiguì: *Induantur autem noctibus levitiones lineos præcincti lumbos.*

CAP.

CAP. XX.

Accedituꝛ ad illa, ubi poſt L ſequitur I. Libatorium, *locus, ubi libatur; vel vas, quo fit libatio.* Libellaris, *ſacculus libellos continens.* Libellarius, *libellus continens actionem in reum.* Libellaticus, *libello dato Chriſtum abnegans, vel, eo accepto, veniam nactus non ſacrificandi Diis.* Libellenſis, *libellis ſcribendis præfectus.* Libertaticum, *vel* libertinium, *quicquid libertus patrono tenetur dare, vel ejus gratiâ agere.* Liciatorium, *pro textorum jugo.* Liga, *conſpiratio plurium adverſus quempiam:* ligii, *domino ſic obligati, ut eum obſtricti ſint tueri adverſus quemlibet:* ligia *fidelitas, quam vaſallus jurat domino: ac primum nec Regem, vel Cæſarem, fuiſſe exceptum: id à Barbaroſſa eſſe poſtea mutatum.* Ligantia, *obligatio:* ligiantia *principis cum ligiis colligatio. Item* ligatura, *pro obligatione.* Lignamen, *lignorum ſtrues.* Linguagium, *lingua ab aliorum populorum linguis diverſa.* Linguatus, *facundus.* Liquiditas, *liquor.* Liſta, *margo.* Livoroſum, *quod ex plagis, vel alimde, livorem contraxit.* Lixio, *qui aquam in exercitu partitur.*

DEdi de iis, ubi L literam prima ſecundáve conſequitur vocalis. Nunc proferam illa, ubi eam excipit vocalis tertia.

Libatorium, in ſuperiorum ſeculorum, ut vocant, vocabulariis dicitur locus eſſe, ubi offertur; item vas, quo fit oblatio. A *libando* igitur fuerit, hoc eſt, ſacrificando.

Libellaris, ſacculus, vel ſimile, è panno, aut lino, quo libelli recondérentur. Gregorius Turonenſis lib. IV. Hiſtor. cap. XLI: *Interim, ut erat acrisingenii, filiam ejus deſponſare deſiderans.*

Libellarius, libellus, quo perſcripta in reum actio. Anaſtaſius, in exilio S. Marcelli Papæ: *Similiter & hi, qui conſequentes erant ei, ſtupentes, accepto libellario, ſeriatim cuncta, dicta à beato viro, conſcribentes receſſerunt.* Sed non is uſus perpetuus: ut videre eſt è Legibus Longobardicis lib. I. tit. IX, legg. XXII, & lib. II. tit. XLV, leg. XI, nec non tit. XLIV, leg. XI, item lib. III. tit. V. leg. II. Eſt in Chronico Caſinenſi lib. I. cap. XLVII: *Sive ipſi tenebant, ſive libellario nomine adcenſum plerisque conceſſerant.* Vide omnino Lindenbrogii Gloſſarium.

Libellatici videntur fuiſſe duplices: quorum alii Chriſtum negarent; ec, libello dato, ſe non eſſe Chriſtianos, affirmarent: alii autem Chriſtum faterentur; pecuniâ verò redimerent, ne cogerentur Diis ſacrificare;

care; quales, libello à præsidibus accepto, periculum effugiebant. Minus verò est peccatum polluere conscientiam libello, quàm sacrificio: ut ex Cypriano constat lib. IV. epist. II.

Libellenses sacri scrinii memorantur L. ult. C. ubi senat. vel clar. Legas & vocem eam Constit. Neapolit. lib. I. tit. XXXVIII. leg. II. Ubi *libellenses*, qui conscriberent libellos.

Libertaticum, libertinæ conditionis obsequium, sive quicquid donare, vel præstare libertus patrono debet. Form. sollemn. XCIX: *Nec mihi, nec hæredibus meis, ullum impendas servitium, nec litimonium, nec libertaticum, nec alium* * *obsequium, nec libertatis gratias.* Calpurnius Flaccus pro eo *libertinium* videtur dixisse: *Ego postulo tenue libernium, quod vix sufficit ejus funeri.* Sic est in editione Pythœanâ, quam Commelinus dedit. Sed omnino rescribi debet *libertinium*; prout in Glossario legum Antiquarum legit Lindenbrogius.

* Pro aliud. *Sic vulgo tum loquebantur.*

Liciatorium dicitur B. Hieronymo, quod *jugum* Ovidio. Gloss. Mss: *Liceatorum, μεσάντιον.* Ubi optimè Guilhelmius Noomsius, Arlanderveniæ Dominus, *luciatorium* corrigit. Videlicet à *licium* est; uti hoc dicitur, quasi *ligium*; quia utrimque eo ligantur stamina.

Liga, vinculum, fœderatio; nempe à *ligando* venit. Albertus Argentinensis, an. CIↃCCCXXXVII: *Inter principem* (Ludovicum Cæsarem) *& Francum, interpositis juramentis, & confectis literis, liga perpetua est firmata.* Sic ibidem, *ligam contrahere.* Item crebro, *liga pacis.* Idem an. CIↃCCCXLVI, hac mente dixit, *ligare fœdus cum antiquo hoste*: item, *principem, & Anglum, colligare quærentes.* Etiam *inligare*, pro *fœdus inire*; apud Gregorium Turonensem lib. IX. Hist. Franc. cap. XX: *Inter præfatos reges pura, & simplex, est in Dei nomine concordia inligata.* Statuta Regni Mediol. Rubr. de pœn. §. *Non fiant liga.* Vita Carolo IV. Imper. ab ipso scripta † *Super Ioannem Regem Bohemiæ, & Carolum Marchionem Moraviæ, ligam construxerunt; qui omnes dictum Ioannem, & Carolum, in una septimana, suis literis diffiderunt.* Concilium Pisanum II: *Item quod nulli Regi, Principi, aut Domino, aut communitati non subdito, movebit guerras, aut cum eis ligam faciet sine consensu expresso.* A *liga* etiam *ligii* homines, quasi ligati, hoc est, obstricti ad standum semper à partibus domini adversus cunctos mortales. *Ligia* item ejusmodi obligatio. Chronicon Cameracense lib. III. cap. LXVI: *Balduinum, cujus ligius miles erat, dereliquit.* Petrus Blesensis epist. CLIII: *Quòd, in coronæ suæ dispendium, Comitem S. Ægidii in ligium hominem recepistis.* Bernardus

† *In scriptoribus rerum Bohemicarum à Marquardo Freherо editis, pag. 105.*

epist. cccxx: *Nam illâ die filii Petri Leonis omnes simul humiliaverunt se ad pedes domini Papæ, & facti sunt homines ejus ligii, jurarunt ei ligiam fidelitatem.* Antoninus Florentinus Chronic. tit. xix, cap. 1. §. 11: *Ligiam sibi fidelitatem præstaret.* Similiter Historia Albig. cap. LXXX*, & LXXXIV †. Gregorius IX, apud Matth. Parisium in an. CIↃCCXXXIX: *Pro quo juramento fidelitatis Apostolicæ sedi tenetur, & ipsius ligius vasallus existit.* Matthæus Parisius in vita Offæ primi: *Offano, filio suo unigenito, ligiam fecerunt fidelitatem, & homagium, in patris præsentia.* Henricus I, Brabantiæ Dux, in pactione quadam *: *Si Dux memoratum — Comitem ad suum aliquando invitaverit servitium, & Comes ei non obtemperaverit, vel fideliter, sicut homo suus ligius, non servierit,* &c. Nicetas de iis †: Λιζίους οἱ Λατῖνοι ὀνομάζουσι. Pluraque de eo Meursius in Glossario. Porrò qui ligiam fidelitatem præstabat, is primitus sic dominum defensitare se velle contra quosvis ajebat, ut nec ipsum exciperet regem. Primus enim excepit eum Fredericus Barbarossa an. CIↃCLII; uti monitum Alberto Argentinensi, & aliis. Addam & illud, vassallum, & ligium, eundem credi ab Hottomanno. Sed Vultejus censet, in ligio requiri, ut hic sit obligatus adversus omnes: non item vasallus, quandoquidem & feuda sint non ligia. Id tamen discrimen non videtur attendisse Albertus Krantzius lib. IV. rerum Normannicarum: *Guiscardus*, inquit, *sese constituens Romanæ Ecclesiæ vasallum, vel, quod ejus regionis* (Italiæ puta) *verbum est, ligium, Romano pontifici, quacunque peterentur, præsidia mittere, & quando opus videretur, cum omnibus copiis adferre præsidium, respondit.* Conf. Limnæus Observ. ad Aur. Bull. c. 15. §. 2. p. 48.

* *Pag.* 285.
† *Pag.* 314.

* *Apud Miræum in Notit. Eccles. pag.* 507.
† *Col.* 101.

Ligantia, à ligando. Est enim obligationis genus. Petrus Blesensis epist. CII: *Detestabile quippe est in monacho, ut sub quocunque coloris habitu, honore, aut titulo potestatis, habeat feuda, servos, & ancillas, homagia, & fidelitates, atque ligantiam, ut hominibus angarias, & parangarias, cæteraque onera publicæ functionis, imponat.* Matthæus Parisius in Stephano Rege: *Comites, & barones, Angliæ fecerunt ligantiam, & fidelitatem, Eustachio, filio regis Stephani.* Rogerus de Houeden Tom. II. in vita Henrici II: *Similiter hæredes Regis Scotiæ, & baronum, & hominum suorum, homagium, & ligantiam facient hæredibus Domini Regis contra omnem hominem.* Aliter *ligiam* dixere; ut in *Liga* vidimus. A *ligia* verò etiam *ligiantiam*, colligationem principis cum ligiis suis. Guilielmus Neubrig. Histor. lib. II. cap. XXXVII: *Regi Anglorum* (Henrico II.) *tanquam principali domino, hominium cum ligiantia, id est, solenni cautione, standi*

cum

cum eo, & pro eo, contra omnes homines, Rege proprio præcipiente fecerunt. Ligantiæ verbo usus est Sigebertus in Chronico, de Rege Scotiæ loquens, Anno 1176. *Fecit*, inquit, *homagium ac ligantiam de terra sua.* Argentin. in consuetud. Britann. artic. 311. gl. 2. n. 2.

Ligatura, pro obligatione, vel ligamine. Carolus Magnus, vel potiùs Alcuinus de ritibus Ecclesiæ *: *Diaconus, quia dissimilis est episcopo in suo officio, non est necesse, ut habeat dissimilia, & ipse ligaturam habet, quia suum est ire ad comitatum.* Item Chronicon Casinense lib. II. cap. VIII: *Pro censu anno* XIV. *ligaturas sepiarum*, XIV. *bonas sepias quibusque ligaturis habentibus.*

* Pag. 77. in prima Latii edit.

Lignamen, lignum, vel lignorum strues. Priori modo usus Matthæus Parisius in an. CIↃCCXXXIV: *Qui Saracenis arma, ferrum, & lignamina deferunt galeis arum.* Hoc est, materiem ad fabricandum naves longas. Posteriori usurpant leges Longobardicæ lib. I. tit. XXV. leg. XXVIII: *Si quis de lignamine adunato in curte, aut in platea, ad casam faciendam, lignum furatus fuerit.*

Linguagium, lingua, sive sermo hujus, vel illius linguæ; ab Italico *linguagio*, à quo non multum abit Gallicum *langage*. In Aurea bulla, prope finem: *Ut relinquatur optioni parentum in filios, siquos habuerint; seu proximos, quos in principatibus sibi credunt verisimiliter successuros; ad loca dirigant, in quibus de hujusmodi possint linguagiis edoceri; vel in propriis domibus pædagogos instructores, & pueros consocios, in his peritos, eis adjungant; quorum conversatione pariter, & doctrinâ, in linguis ipsis valeant erudiri.* Habes & in Chronicis Aulæ Regiæ, cœnobii eo nomine in Bohemia, de Joanne Rege Bohemiæ cap. XXIII: *Variis quoque linguagiis inconsuetis nostri jam loquuntur.* Petitiones Bohemorum in synodo Basileensi propositæ † *In nostro linguagio Slavico, ex indulto Ecclesiæ, olim ab antiquo in vulgari suo exercetur, etiam in nostro regno.*

† Apud Æneam Sylvium in Historia Bohemica.

Linguatus, non refugit Tertullianus lib. de Anima: *Athenis expertus* (Apostolus Paulus) *linguatam civitatem; cùm omnes illic sapientiæ, atque facundiæ, caupones degustâsset.* Puto, non tam signare loquacem, ut video exponi; quàm disertam, eloquentem: ut ei non tam opponatur clinguis, quàm in dicendo infans. *Linguax* Gellio lib. I. c. 15. dicitur.

Liquiditas, pro liquor, nullâ nititur bonorum scriptorum auctoritate.

Lista, ora, extremitas, margo; Germanis & Belgis lyste; Anglis liste; sed & Italis *lista*. Anastasius bibliothecarius in Leone IV: *Fecit super*

super altare majus vestem de fundato cum cruce in medio, & gammadiis, & in gyris listam de fundato unam. Ubi *fundatum* notat auro intertextum, vel acu pictum. Habes & *lista* in Glossis Philoxeni: ubi exponitur, ἀ ἐπὶ τοῖς ἀχιόμοις καμπὴ γραμμή. Pro ἀεί μοις, lubens legerim ἀχθοί μοις, vel ἀχότοις. Si *lista* etiam γραμμὴ linea; ut hoc ait glossarium; ac ea jam antiquissimis temporibus obtinuit significatio: *subtesta* dicetur pictura, quæ Græcis ὑπόλιαν &c. hoc est, μονόγραμμα &c. Sed de hoc loquar in Originum libris.

Livorosum vestigium, pro livoris plenum, est apud Adamannum lib. III. de rebus Sancti Columbæ. Malim lividum, vel si sub oculis is livor sit, *sugillatum*; quod in Philoxeni glossis exponitur, ὑπωπιασθέν.

Lixiones, Isidori in glossis, aquarum *portitores*; vel verius *partitores*. Nam *portitores* potius lixæ: quæ vox ab obsoleto *lix*, pro aqua, cujus patrius casus *liquis*. Ab obliquo hoc est, *liqueo*, unde *liquesco*, & *liquidus*: à recto autem, *lixa*, *lixivus* cinis, *lixivium*, *elixus*, & *luxabundus*, de eo, qui, lixarum more, liberè vagatur; ut cognoscere est ex Festo, & Isidori glossis.

CAP. XXI.

De initium capientibus ab L sequente O, vel V. Qualia, Locatitius, *alteri locatus à domino.* Loculatus, *loculo reconditus.* Locutorium, *locus, quò se recipiunt convivæ, ut inter se colloquantur.* Lombarda, *eadem ac* bombarda *& unde* arcuibusio, *nomen, ac Belgico* schut-roer. Longiturnus, *longo durans tempore.* Lucernatus, *lucernam habens.* Lucernaris, *vel* lucernarii *hora, qua vesperi accenduntur lucernæ.* Ludor *fortasse is, qui in ludo diu multumque egit.* Lugubrium, *res lugubris.* Lumbare, *cingulum.* Lupax, *raptor.* Luricula, *quod lorica instar tutatur.* Luricarius, *qui loricas parat.*

EX cœptis ab L. litera supersunt illa, ubi post eam consequitur quarta quinctave vocalis.

Locatitius ager, qui alteri ad colendum datur, pactâ mercede. Gloss. *Locatitius*, μισθώσιμος. Alia: *Locatorius*, μισθώμιος. Sed agrum ejusmodi potius dixero *conductitium*: etsi idem etiam sit *locatitius*, ratione conducentis. Sed prius nititur bonis scriptoribus. Porcius apud Donatum, vel potius Suetonium Tranquillum, in vita Terentii:

Eorum ille operâ ne domum quidem habuit conductitiam.

Loca-

Loculatus, in loculum, sive capitulum repositus. Usus S. Zeno Veronensis, sermone de Lazaro. *Loculus*, capsa cadaveris; pro quo & *locellus* dictum à Paulo Diacono; quemadmodum alibi ostendimus.

Locutorium, pro loco, in quem convivæ à prandio ad confabulandum recedunt, apud Matthæum Parisium, & ei supparem Thomam Cantipratanum, Alberti M. discipulum.

Lombarda, pro *bombarda*, in superiorum temporum annalibus legi, observat Justus Lipsius in epistola, quâ Poliorcetica sua Ernesto Principi dedicavit. Græci etiam similiter dicunt λομβάρδα, vel λομπάρδα: quod Meursio in Glossario ostensum. Nec tamen à Longobardis eam esse appellationem putandum, cum Germanicorum sit inventum. Sed cum affinia essent *lombarda*, & *bombarda*; ac Lombardi forent notissimi, altera vox nova; factum, ut *lombarda*, pro *bombarda*, à multis diceretur. *Bombardam* verò esse à *bombo*, & *ardore*, alibi * dictum. Polydorus Virgilius lib. II. de Rerum Invent. cap. XI. ait, aliter vocari *arcum*, *busium*; nempe ex Italico *arquebuse*. Id signet arcum perforatum, quia *buco* Italis foramen. Nempe vox ex eo, quòd per fistulam glans transmitteretur. Arcûs verò nomen retentum, quia in arcûs locum successit, atque idem quod arcus antea, ac meliùs, præstaret. Arcus ejusmodi Belgis Zinc-roer/vel potiùs Seng-roer; à Roer/fistulam signante, & sengen/ustulare; quod affine Græco ζιννύειν: id notat *ferre efacere*, à ζέω. Levinus Lemnius lib. III. de occultis Naturæ miraculis cap. IV. ait Sine-roer vocari, *quòd manu capulo ejus, tanquam clavo, admotâ, excussisq; è silice scintillis, in obvios detorqueatur*. Eò autem respicit, quòd clavus Belgis Roer. Sed confundit diversas unius vocis significationes. Nam Roer sæpe quidem clavum notat, ac tum est ex Roeder/ quod à roeren/ movere; quia clavo movetur, ac dirigitur navis: sed veteri linguâ Saxonicâ Roer etiam arundo, canna, fistula. Eaque sola significatio hîc locum habet. Fortasse autem & arundini nomen ab eodem verbo, quod est roeren; quando penè in perpetuo est motu.

* *Lib. 4. Orat. Inst. c. 13. sect. 7*

Longiturnus, & *longiturnitas*, reperias apud vulgatum Scripturæ interpretem, Baruch. cap. IV. 35: *In longiturnis diebus*. Et cap. III. 14: *Ubi sit longiturnitas vitæ*. Ut à *diu diuturnus*, ita à *longè* formarunt *longiturnus*, de eo quod longo durat tempore. Legas quoque in vita S. Ottonis lib. II. cap. XLIII, & lib. IV. cap. II.

Lucernatus, lucernis instructus. Sic *januam lucernatam* dixit Tertulliа-

tullianus lib. VII. ad Uxorem cap. VI: *Procedit de janua laureata, & lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum.*

Lucernaris, ad lucernam pertinens. *Hora lucernaris*, quâ lucernæ accenduntur. Cassianus lib. III. Institut. cap. III: *Ad extremum undecimum, in quo lucernaris hora signatur. Lucernarium*, tempus vespertinum, quo lumen in Ecclesiâ accenditur. *Horam lucernaris* appellat B. Augustinus Reg. II, de tempore edendi: *Et postquam refecerint, sive in horto, sive ubicunq; fuerint, faciant opus, usq; ad horam lucernarii.* Similiter Græci recentiores pro eo λυχνικὸν dicunt; ut Palladius in Lausiacis cap. XXXVIII, & Balsamo in Consil. VI. Can. XCI. Hujus verba sunt: Καὶ καταλήγειν μέχρι δ' συμπληρώσεως τοῦ λυχνικοῦ, ἤτοι τοῦ ἑσπερινοῦ δ' Κυριακῆς· *& desinere, quando completur lucernarium, sive vespertinum officium Dominicæ.* Id notet in λυχνικὸν Meursii Glossarium.

Ludor videtur vocatus, qui diu in ludo versatus gladiatorio. Saltem hoc nomen propterea inditum Sergiolo gladiatori; ut est apud veterem Juvenalis interpretem sat. VI. ℣. CV. A *ludus*, *ludor*; ut ab *albus*, *albor*; ab *amarus*, *amaror*.

Lugubrium, pro re lugubri, & mœsta. Petrus de Vineis lib. IV. epist. III: *Sed animum redolens viri fortis, adsumas omnem caussam lugubrii, doloris q; reliquias abjicias.* Ut à *ludo*, *ludibrium*; sic à *lugeo lugubrium* formavere.

Lumbar, vel *lumbare*, zona, sive quo lumbos præcingimus. Gloss. Mss: *Lombare*, περίζωμα. Utitur vetus Scripturæ interpres Jerem. cap. XIII; ejusque exemplo, præter alios, Petrus Damiani lib. II. epist. X.

Lupax, lupi instar rapax. Anastasius in exilio S. Martini: *Contemplatus S. Papa Martinus, introëuntes testificari, subridens dixit: Isti sunt testes? sic habet ordo? Erant enim primi ingredientes, nomine quidem milites; lupaces autem & bestiales sententiâ.*

Luricula, pro loricula, sive exigua lorica; & κατ' μετάφορὰν, pro omni eo, quod est quasi pro lorica. Beda in libros Regum quæst. XIII: *Tabulatis, vel muris, vel cancellis, cùm ad tutelam via ponuntur, vulgus Luricularum nomen indidit.* Sanè posterioribus seculis pro *lorica luricam* usurpâsse, etiam ex Græcis colligitur, qui λώρικον & λωρίκιον dixere: item Glossis vett. ubi *Lucarius* (leg. *Luricarius*) θωρακοποιὸς exponitur. Vide Gloss. Meursii.

Lutor, vide *lautor*.

CAP.

CAP. XXII.

De inchoatis ab M, & A vocali, sequente hasce binas, C, D, F, G, I, L.

Macaria *perperam putari genus tympani, cùm, corruptis codicibus,* anacaria *legere oporteat.* Machærarius, *lanius.* Macor, *macies.* Macrena, *porticus oblonga.* Madius, *Majus.* Maforium, mafortium, mavortium, mafortis, mavortis, maforte, mavorte, *tegumentum muliebre, ac monachale, de capite in humeros dependens.* Magisteria, *magistri apud Constantinopolitanos dignitas.* Magisterianus, *vel* magistrianus, *qui eam sustinet dignitatem.* Magnitas, *magnitudo.* Magnalia, *magna, ac miranda.* Majoratus, *dignitas Majoris, præcipuè in regno Francia.* Majorissa, *cœnobii præfecta.* Majuma, *festum Kalendarum Maji.* Malandria, *morbus tussientis jumenti: quod inde dicitur* malandriosum. Malefactor, *pro malè de quopiam merente.* Maliloquus, *maledicus.* Malitas, *pravitas.*

NUnc proferam barbara, à Latinis, vel Græcis, profecta, quæ à liquidarum secundâ initium capiunt.

Macaria putare aliquis possit esse instrumentum tympano non absimile: nempe propter illud Sugerii in vita Ludovici Grossi: *Tympanis, & macariis, & aliis similibus instrumentis, horribiliter resonabant.* Sed rectè ὁ μακαείτης Meursius noster perspexit, pro *macariis*, legi *anacariis* oportere. Eorum meminit Codinus de Officiis Constantinopolitanis cap. v: Ἑτοιμασθέντος δὲ τοῦ, καὶ καβαλλικευσαμένου τοῦ βασιλέως, οἱ ἀναχαρισταὶ κρούουσι τὰ ἀνάκαρα. *Parato jam, & equitante imperatore, tympanistæ pulsant anacara.* *Anacara* fuêre tympani genus, inferiori parte rotundum; ut puto, ab ἀνάκαρας; quod Hippocrati *in superiorem partem*, ex ἀνὰ, pro ἄνω, *sursum*, & κάρα, *caput.* Sanè tympana ista, ad modum ventris, erant convexa. Unde & Germanis videntur vocari Heerbauken: hoc est, Dominici ventres, quia principes ejusmodi tympanis delectantur. Et fortasse hinc Arabes accepere suum נאקיר *naquir*, quod tympanistam notat. Nisi potiùs Græci illud hausere ab Arabibus: ut clarissimus socer meus Franc. Junius in Notis suis ad Codinum conjectabat. Hinc de eo doctissimus Gretzerus *, Junium Arabica pulsare tympana, ut speciem sui edat Arabismi. Quorsum hæc tam falsa, & alia, subinde etiam insulsa? Num mortuus esset, siquam negligeret occasionem maledicendi mortuo; eique & longè doctissimo, & à maledicentia, omni vitâ, alieno?

* Commentario in Codinū.

Ma-

Macharárii quin ita à macharis vocentur, dubium non est. Videntur autem non tam milites, quàm lanii, sic dici. Rex Guilhelmus in decreto de usurariis : *Cùm autem dictum est, absq; plegiis vivum animal emeret : clamaverunt macharárii de civitatibus, quòd unaquâq; die oportet eos viva animalia emere, vendere, & occidere.*

Macor, pro macies, veteribus nescitur.

Macrena, est apud Anastasium bibliothecarium : *Macrenam Lateranensis Palatii, quæ extenditur à campo ultro imagines Apostolorum.* Idem : *Camera ipsius macrena.* Cæsar Bulengerus censet, esse porticum, vel solarium oblongum. Nempe ut sit à μακρὸς, longus.

Maculatura, improbum pro litura, vel charta, sive schediasmate lituris obsito.

Madius, pro Majus, seculi, & gentis suæ more, usurpat Adefonsus, sive Alfonsus, Hispan. R. in epist. *Inter cæteras maximè disposuimus, ut mense Madio nostræ naves, cum pueris Palatii nostri, usq; Burdelensem civitatem remigent.* Idem : *Vt sit ibidem in mense definito, mediante Madio.*

Maforium est muliebre tegumentum capitis, colli, ac humerorum. Velum putà de capite in humeros defluens. Accepta vox à Græcis junioribus; qui itidem dicunt μαφόριον : ut Palladius Lausiacis, Cantacuzenus, Achmes, Suidas, alii. Ac à plurali μαφόρια, vel per enallagen generis, Latini *mafora*, pro *maforia*, dixere : ut Hubertus in vita S. Gudilæ, cap. VI. Est verò μαφόριον corruptum ex ὠμοφόριον, q.d. superhumerale, vel humerorum gestamen, ab ὦμος, *humerus*, & φέρειν, *ferre*. Sed Latini pro *maforium* corruptiùs extulere *mafortium*, vel *mavortium*. Item *mafortis*, vel *mavortis*; & *maforte*, vel *mavorte*. Quæ res occasionem præbuit Isidoro conjectandi esse à *Mavors*, hoc est, Mars. Aliquid diceret, si tegumentum hoc foret Martiale, id est, militare. Nunc non militum est; sed mulierum, ac monachorum. De mulieribus clarè docet Nonius Marcellus : *Ricinium, quod nunc mafurtium dicitur, femineum palliolum breve.* Sanè ricinium fuisse feminarum, liquidò comprobant duo Varronis loca, quæ subjungit. Est & Isidori in Glossis : *Mafortes, operimentum capitum mulierum.* Et lib. XIX. Originum cap. XXV, cùm dixisset, stolam esse matronale operimentum, Latinoque nomine *ricinium* appellari, addit : *vulgò mavortem dicunt.* Atque id è Servio expressit in I. Æn. Clarè autem de muliebri maforte in Bedæ Martyrologio XX. Sept. *Jussit Faustum nudam* *, *& sine maforte, flagellatam, incarceratam, caput terebrari.* De monachorum verò ma-

fortibus

* *Sic more seculi loquitur, pro* Faustæ *nudè, flagellatæ, incarceratæ : nisi placet Græcâ locutione dici,* caput terebrari, *intelligo κεφ· de quo agi in arte Grammaticâ.*

fortibus adstruimus illo in Glossis Arabicolatinis: *Mafortis, fascialis, id est, angustum* (leg. angustum) *pallium, quo utuntur monachi, collum pariter, atq; humeros tegens.* Ubi Meursius pro *fascialis* legit *facialis*: uti Græci dicunt φακιόλιον. Id Ludovicus de la Cerda in Adversariis sacris probat cap. XXII; improbat verò cap. CXLI; sed immeritò. De eodem maforte ita Cassianus lib. I. de Habitu Monachi cap. VII: *Post hæc angusto pallio, tam amictus humilitatem, quàm utilitatem pretii, compendiumq; sectantes, colla pariter, atq; humeros tegunt: quod maforten tam ipsorum, quàm nostro nuncupatur eloquio.* Sed Isidorus, ut originem vocabuli inveniret, fingit idem esse *Mavortem*, ac *maritum*; *maforte*, ac *maritale*. Sic enim ille in Originum loco antè memorato: *Vocatum autem* (ricinium) *dicunt mavortem, quasi Martem. Signum enim maritalis dignitatis, & potestatis in eo est. Caput enim mulieris vir est: inde & super caput mulieris est.* Quantopere de etymo fallatur, ostendunt ea, quæ diximus. Usus hac voce etiam Linus, vel alius potiùs de passione Apostoli: *Et interrogarunt eum cum irrisione, cur caput suum non operiret de maforte, quam præstiterat Paulo.* Præcesserat autem: *Plautilla, commoda mihi pannum, quo caput tegis.* Habes & in actis Proconsularibus sub Munatio Felice, apud Baronium ad annum CCCIII †: *Tunicæ muliebres* LXXXII, *maforteæ* XXXVIII, *tunicæ viriles* XVI, &c. Fortunatus de vita S. Radegundis reginæ: *Maforten novum linteum, auro, vel gemmis ornatum.*

† *Tom. 2. pag. 303. ed. Merc.*

Magisteriam dixere dignitatem magistri, quæ ingens apud Constantinopolit. olim fuit. Cassiodorus lib. I. epist. XII: *Sume igitur magisteria insulas dignitatis, usurus omnibus privilegiis, quæ tuos habere constiterit decessores.* Etiam Græci similiter μαγιστερίαν vocant: ut Theophylactus Simocatta, & alii: de quo conjunctissimum olim collegam nostrum Meursium adi. Cur enim non ad eum potiùs remittam, quàm clarissimum Ludovicum de la Cerda, vel alios, qui eum exscribunt, tacito nomine? A *magisteria, magistrianum* dixere: de quo proximè.

Magistranus legas apud Victorem Turonensem in Chronico: *Literas satis idoneas Justiniano principi per Olympianum Magistranum mittunt.* Sed rectè monet Meursius, corrigi oportere, *Magistrianum*: quomodo is μαγιστριανὸς Evagrio, Malcho, & veteri scriptori apud Suidam. Gloss. Philoxeni *: *Agens in rebus*, μαγιστριανός. Quamquam & μαγιστερικὸς pro eo legas. Vide *Magisteria*.

* *Col. 9.*

Magnitas, pro magnitudo, est apud Faustum lib. II. cap. VIII. Nempe *parvitas* dixere Cicero, Valerius Maximus, Agellius.

Magnalia, res magnæ atque illustres. Arnulphus Lexovienſis epiſt. Mſ. *Non tanta poſtmodum proſperitatis ejus inſignia claruerunt, quanta præcedentis adverſitatis magnalia celebrantur.* Utitur quoque Henricus de Haſſia in Speculo Animæ. Sed quid hos advoco, cum legas apud multò antiquiores; vicies apud veterem Scripturæ interpretem?

Magulus, pro cinædo, require libro proximo.

Majoratus, *& Seneſcallia Franciæ*, legas in Commentario Hugonis de Cleriis ad Ludovicum Regem. Habes eum in Notis Sirmondi ad librum v. Goffridi Abbatis Vindocinenſis. Inſcribitur is liber, De Majoratu & Seneſcalcia Franciæ, Andegavorum olim Comitibus hæreditariâ. Ratio nominis dilucet ex illis commentarioli ejus verbis: *De cætero Comes appellatur Major in Francia propter tutelam, quam fas it in exercitu Regis.*

Majoriſſa, cœnobii præfecta. Eugenius Papa in diplomate ad Heloiſſam: *Septem, & dividuum* (leg. dimidium) *à Teſcia Majoriſſa.* Ut de virili dignitate *Majorem* eſſe; ita *Majoriſſam* in femina dixere.

Majuma, feſtum Kalendis Majis ſolitum celebrari in honorem Majæ, Mercurii matris. Etiam ſub Chriſtianis Imperatoribus aliquamdiu fuit. Sanè etiam conceſſere primitus Arcadius & Honorius Auguſti, imperii ſui initio. Habes legem in Codice Theodoſiano lib. XV. tit. VI. & Juſtinianeo lib. XI. tit. XLV: *Clementiæ noſtræ placuit, ut majuma provincialibus lætitia reddatur, & verecundia caſtis moribus perſeveret.* Sed quadriennio pòſt, cùm non ſervaretur honeſtas, iidem Auguſti abrogarunt. Legis verba habes memorato Codicis Theodoſiani titulo: *Ludicras artes concedimus agitari, ne ex nimia harum reſtrictione triſtitia agitetur. Illud verò, quod ſibi nomen procax licentia vindicavit, majumam fædum atq; indecorum ſpectaculum denegamus.*

Malandria, morbus jumenti, quo tuſſit. Unde *malandrioſus*. Utroque uſus Marcellus Empiricus. Græcis recentioribus μαλὴ, quod apud Heſychium, vel μάλις, ut Apſyrto in Hippiatricis lib. I. cap. II; item Hierocli, & Theomneſto. Videtur nomen eſſe ex eo, quòd jumenti vires velut malleo proſternat. Sanè *malleum* nuncupat Vegetius in Mulomedicina lib. I. cap. II.

Malefactor ejusdem eſt monetæ, ac *benefactor*; de quo dicebam cap. II. Malim igitur *maleficus*, vel *malè meritus*. Etſi proba ſint *benefacta*, & *malefacta*: ut in illo Ennii apud Ciceronem *:

* Lib. 2. de Offic.

Benefacta malè locata malefacta arbitror.

Mali-

Maliloquus est apud Maximum Taurinensem homil. 1. de Jejunio Quadragesimæ. Nempe ad exemplum, quo *maledicus* dicitur.

Malitas, pro malitia. Gloss. Ms. *Malitas*, κακία. Videlicet ut *bonitas*. Ac superiùs vidimus, ut *parvitas*, sic & *magnitas* dixisse. Similiaque *dulcitas*, *longitas*. Imò nec *malitas* penitùs rejecero, si, ut apud virum summum lego, usus eo est Labeo, qui vixit sub Augusto.

CAP. XXIII.

De incipientibus ab M, sequente A, & N. Mana, *mater*. Manciparii, *venalitii*. Manclavium, *fustis, quo, qui deliquissent, caderentur: & quantopere ab eo differant* aclides. Mancossis, mancossus, mancusus, mancusa, *nummus, qui aliter* marca. Mandalus, *pessulus*. Mandatarius, *qui mandata defert curiæ*. Mandatela, *mundatum*. Mandrogerontes, *senes stabulorum ministerium subeuntes*. Maneria, *vel* manerium, *habitatio in villa cum addito agri modo*. Maneries, *modus, sive via ac ratio aliquid agendi*. Manga, *machina*, Manganum, *vel* mangana, *machina bellica genus simile catapultæ*. *Pro quo &* manginella, mangonellum, *&* mangotellum. Maniaticus, *insanus, furiosus*. Mansellum, *proprius cujusquam, ubi considerat, in sacello locus*. Mansionarius, *villicus; quique gubernat possessiones alienas: tum autem, cujus est in templo lampades accendere, & exstinguere*. Mansionaticum, *impensa in excipiendo cliente regio*. Mansionile, *habitatio*. Mansuarius, *cui datus ager colendus, addito tugurio ad inhabitandum*. Mantea, *mantelum*. Mantus, *vel* mantum, *vel* mandus, *vestis virginalis: unde* immantare. Manutus, *magnas habens manus*.

PErgam ad alia ab M inchoata: ac proximè complectar, ubi hanc literam A, & N, sive eâdem, sive diversis excipiant syllabis.

Mana legas apud Luitprandum in Legatione: *In stuporem mentis mulieres versæ, Mana, Mana, clamabant*. Græcobarbaris μάνα, mater, pro μάμα, μ in ν converso. Vide de eo Meursii glossarium. Sed hoc, licet apud Latinum scriptorem legas; tamen potiùs Græcobarbarum est, cùm de Græcis hominibus sermo sit.

Manciparii sunt venalitii, sive venditores. Ita utitur vetus Juvenalis interpres in sat. XI. vers. CXLVII.

Manclavium sive *maniclavium*, quasi *manualis clava*. Erat fustis,

quo cædebantur fustuario digni. Hinc Græci posterioribus seculis μαγκλάβιον fecere: ut Codinus de off. Const. Nicetas in Manuël. Comn. lib. IV. atque alii; sicuti Meursio ostensum in Gloss. Sed in eo decceptus, quòd idem putaret sonare *aclides*. Siquidem hoc teli genus erat, clavis munitum ferreis, loroque religatum, quod magnâ vi jaceretur in hostem, loroque dein retraheretur. Qua de re Servii locum emendat Salmasius ad Trebell. Pollionem †.

† Pag. 335.

Mancossis, vel *mancossius*, vide in *Mancusa*: de quo proximè.

Mancusa est idem ac *marca*, de quo dictum superioris libri cap. XX. Ut *mansuetus*, quasi *manusuetus*: sic *mancusa*, quasi *manu-cusa*. Kenulphus Rex Merciorum, epist. ad Leonem Papam, apud Wilhelmum Malmesbur. de gestis Angl. lib. I: *Quod est* CXX. *mancusas, cum literis; precans te, ut benignè suscipias, & benedictionem tuam donare digneris.* Pro *mancusa* etiam *mancusius* dixere, ut intelligatur *nummus*. Corruptiùs verò *mancossius*, vel etiam *mancossis*. Anastasius bibliothecarius in Leone IV: *Obtulit crucem de auro unam habentem in medio monacossim.* Et Adriano: *Et in auro solidos mancossos numero ducentos.* Ait de la Cerda *, malle se hic legere *manocosim*, & *mancosum*, unico S. Sed solet ætas ea in multis S temere geminare; ut alibi ostendimus.

* In adversar. sacr. c. 95. §. 14

Mandalus in variis glossariis exponitur κάδηχος, vel καδηκιὺς, quo *pessulus* signatur. Conjectat Martinius, ex eo esse, quòd is manu tractetur, obdatur, removeatur. Ipsum in Etymologico vide.

Mandatarius, à mandatis judicum deferendis; & à Dd. vulgò pro procuratore: Quod ut minùs Latinum taxat, inspice C. A. Mandati th. 4. Pius IV. in bulla de reformatione Tribunalium †: *Mandatarii quarumcumq; curiarum non exigant ultra bolendinum unum pro citatione; nisi sit citatio facienda in longinquis locis ab eorum curiis; quo casu exigant duos, & non ultrà.* Veteres, puto, *accensus*, vel *apparitor*, dixissent.

† Bullar. Tom. 2. pag. 63.

Mandatela, acutela, custodela, ad instar *cautela, clientela, tutela*, agnoscit Priscianus lib. IV. Vellem idoneos eorum laudâsset auctores.

Mandrogerontes, μανδρογέροντες, senes viles, obeuntes ministerium in stabuli rebus. Luitprandus in Legat. * *Hautquaquam singularis, inquam, hac vestis fieri potest; cum penes nos obolariæ mulieres, & mandrogerontes, his utantur.* Μάνδρα interdum monasterium; unde ἀρχιμανδρῖται. Sed hîc potiùs stabulum, caula, septum, quo boves ac pecudes concluduntur. Sic sumi solere, cognoscimus ex Hesychio, & aliunde.

* Pag. 115.

Ma-

Maneria, vel *manerium*, habitatio cum certa agri portione. Robertus Ceſtrenſis lib. VI. cap. XXIII, ubi de Emma Regina, S. Eduardi Confeſſoris, Angliæ Regis, matre, narrat, quomodo ordalio, ſive purgatione ferri candentis, ſeſe injuſtè accuſatam comprobârit; idque S. Suiberti precibus tribuit, ad cujus ſepulchrum præcedenti nocte fuerat advoluta. Subjungit deinde: *Regina vero dedit S. Suithino novem maneria, & Epiſcopus* (Wintonienſis, nomine Alwinus, ſive Alfwinus) *alia novem maneria, præter illos novem vomeres, quos Emma pertranſit.* Uſurpat quoque Innocentius lib. III. epiſt. V: *Civitates, villas, caſtra, & maneria, quæ ad dotalicium præfatæ reginæ ſpectare noſcuntur.* Quem ad locum in Lucubrationibus ſuis Paulus du Maiſ obſervat, non accipi hic pro parte domus, quæ habitatur ab ipſo patre familias; ſed pro univerſa ædificiorum mole. Similiter Rogerius de Houeden Annal. Tom. I, in vita Guilhelmi Senioris: *Et per eaſdem diviſas, quibus ipſe, ſive ante eum Toſtius, vel Sivvardus, ipſum manerium tenuerunt.* Item Matthæus Pariſius in an. CIↃCCLXI: *Qui priùs fuerat ſancitus de civitate, vel caſtello, vel burgo, vel dominico manerio Regis.* Eſt & in charta Regis Joannis an. CIↃCCXV: *Exceptis dominicis maneriis noſtris.* Hiſce duobus Anglicanis ſcriptoribus addam tertium, Thomam Walſingum in Eduardo III: *Admoniti† de tanta commonitione, relicto prandio, fugerunt ad manerium; ubi tunc filius principis caſualiter morabatur.* Etiam habes apud Petrum de Vineis lib. III. epiſt. LXIV, & alios complures. Eſt etiam in cap. 50. extra de Appellat. Multis Guil. Somnerus in Gloſſario ſub hac voce.

† Pag. 192.

Mancries locutionis eſt apud B. Bernardum epiſt. XXXIX, pro *modo loquendi.* Etiam interpres Haly retinuit: atque hic quidem ex Hiſpanico *manero:* uti Bernardus ex Gallico *maniere*, pro quo Itali *maniero.* Imò & Saxones, ac Belgæ **manier.** Si à Teutonibus Itali, Galli, Hiſpani acceperint; pertineat *maneries* ab ortu barbara. Sed originis ſit Latinæ, ἐμίσως quidem, ſi ut à *luxu* eſt *luxuries*, ſic à *manu* fit *maneries:* ἐμμίσως verò, ſi *maneries* acceptum à Teutonibus; at Teutonicum illud ſit à *manu*: quomodo ad verbum ſonet, quod Germanis, Belgisque, aliter dicitur **handeling**: quod itidem ab **hand**/hoc eſt, manus.

Magna inter ea, quæ originis barbaræ ſunt, repoſuimus lib. ſuperiori cap. XII; ubi & dictum, pro eo legi quoque *mango*, & *mangonella*, & *mangotella.* Uſque adeò gentes, in efferenda hac voce, variarunt. Cæterùm poſſint hæc omnia, & alia id genus, videri originis Latinæ, vel Græcæ. Sanè conſtat à Dorico μαχανὰ, eſſe Latinum *machina.* Ex hoc cor-

ſtremò in templo permanere, oleumque lampadibus infundere, ac lampadas exſtinguere. B. Gregorius lib. I. Dialogorum cap. V: *In qua* (Eccleſia) *vir vitæ venerabilis, Conſtantius nomine, manſionarii functus officio deſerviebat. — Quadam verò die, dum in eâdem Eccleſia oleum deeſſet; & prædictus Dei famulus, unde lampades accenderet, omnino non haberet; omnes lampades Eccleſiæ implevit aquâ, atque ex more in medio papyrum poſuit: quam allato igne ſuccendit: ſicque aqua arſit in lampadibus, ac ſi oleum fuiſſet.* Etiam lib. III. Dialog. cap. XXV, idem Abundius nunc *manſionarius*, nunc *cuſtos*, appellatur. Joannes Diaconus de vita S. Gregorii lib. III. cap. LVIII: *Completis matutinalibus hymnis manſionarius candelam exſtrinxit.* Ubi & Græca tralatio μανσιωρίου vocem retinuit. Chronicon Caſinenſe lib. II. cap. XXXIV: *Ad mandatum fratrum à manſionariis eam deferri.*

Manſionaticus, vel *manſionaticum*, dicebatur à *manſione*; quomodo vocarunt diverſoria, in quæ viatores, noctis interventu, ſe recipiebant. Sic *manſionis* vocabulo utuntur de hoſpitio & habitaculo Suetonius in Tito cap. X, Appulejus lib. IV, Lampridius in Alexandro Severo, Antoninus, vel alius, in Itinerario; ut B. Hieronymum, Sidonium Apollinarem, Gregorium Turonenſem, & alios, prætream. Nempe ſicuti à *balnea, balneaticum*: ſic à *manſio, manſionatum, manſionaticum*; utrumque à *manſionare*, habitationem concedere, manſionem dare; unde *bene manſionatum hoſpitaliter tractari* apud Ekkehardum cap. ult. cui præparatum egregium cænaculum, ubi liberaliter haberetur. *Manſio*, cænaculum, conclave οἴκημα, ubi quis manet. *Manſionatici* voce notatur, quod κατὰ περίφρασιν *expenſas ad hoſpitum ſuſceptiones* dicunt aliqui: in his Aimoinus lib. V. cap. X; nempe in excipiendis Miſſis, vel hominibus Regiis, duo concurrebant. Prius eſt tecti præſtatio, ſub quo manerent; unde *manſio* vocabatur; uti ab ea, ſicut dixi, *manſionaticum*. Alterum eſt alimentum, ac viaticum, quæ præparari erat opus; unde & præmoneri ſolent, apud quos aliquis deberet divertere Hæc cauſſa, cur iſtoc *parata* vocaretur. Ac ſic propriè *manſionaticus*, ſive *manſionaticum*, & *parata*, diſtinguuntuv; crebrò autem junguntur, quia utrumque præſtabatur. Imò & capſe de cauſſa ſæpe uno expreſſo alterum intelligitur. De *parata* videbimus pluribus lib. III, in vocabulis novâ à junioribus ſignificatione donatis. *Manſionatici* voce uſus eſt Carolus M. ad Pipinum Fil. Italiæ Regem: *Cæteri per ſingula territoria habitantes, ac diſcurrentes, manſionaticos, & paravaredos accipiunt.* Similiter apud Anſegiſum Capitularia

pitularis lib. II. cap. XVII: *In illis locis, ubi modò via, & mansionatici à genitore nostro, & à nobis, per capitulare ordinati sunt.* Carolus Calvus tit. XLIII. apud Carisiacum cap. XX: *Nemo in villis nostris, vel in villis uxoris nostræ, mansionaticum accipiat.* Hincmarus Rhemensis ad Laudunenses: *Ne mansionaticos suis amicis, aut suis hominibus, à presbyteris parari faciat.* Est & Aimoini lib. V. cap. XXXI: *Indeque per Attiniacum, & consuetos mansionaticos, Compendium adiit.*

Mansionile, habitatio villici, quasi mansio ejus. Flodoardus lib. III. Histor. Rem. cap. XXVI: *Mansionile conabantur auferre.* Vita S. Rigoberti, Rhemensis Archiepiscopi, cap. II: *Morabatur quoque ipse Pipinus in pago Laudunensi, & loco, qui dicitur Gerniaca-curtis, & non illic, ut hodie, villa, sed exiguus mansionilis fuerat.* Etiam *mansus* dicebatur, unde *mansionaticus*; de quo antea vidimus: & *mansuarius*, de quo mox dicam.

Mansuarius est, cui ad incolendum datus est mansus, hoc est, certus agri modus, cui fere tugurium sic structura aliqua addita ad mansionem, sive inhabitationem: unde & *manso* nomen. Constitut. Karoli Calvi tit. XXIII, sive epistolâ Episcoporum ad Ludovicum Regem, tit. XIV: *Quatenus non sit vobis necesse — pauperes Ecclesiasticos, & fidelium vestrorum mansuarios, in carricaturis, & paravaredis, contra debitum exigendis gravare.* Ac similiter alibi in iisdem: *A mansuariis, vel iis, qui censum debent.* Vide, quæ in *Mansus* dicam lib. IV. Iidem videntur *massarii*, de quo loquar ecpse libro in *Massa*.

Mantea quidem ex Gallico *mante*, vel *manteau*, seu Germanico, Belgis etiam, & Anglis usitato, **mantel**: sed hac ipsa tamen, ob similitudinem, sunt à *mantela*; pro quo & *mantelum* & *mantile* dixerunt. *Mantela* verò ex *manutela*; ut *mansuetus* ex *manusuetus*; *masturbare*, sive potiùs *mansturbare*, quasi manum stuprare. *Mantela* igitur, cùm propriè sit manualis tela, primò conveniet linteo, quod Belgis similiter **handdweel**: ubi posterior pars vocabuli itidem esse ex *tela* videtur: nisi potiùs **dweel** ex *togilla*. Catholicon: *Togilla, parva toga. Togilla, mantile.* Sed longiùs abeo. *Mantea* voce pro pallio, vel simili veste, utitur Rogerus de Houeden Annal. Tom. II: *Deinde indutus est manteâ: deinde ductus est ad altare, & ibi præditus Archiepiscopus prohibuit ei ex parte omnipotentis Dei, &c.* Item Matthæus Parisius, ubi describit coronationem Richardi I: *Quo facto duo comites calceaverunt ei calcaria; indutusque manteâ, conjuratus est ab Archiepiscopo ex parte Dei.*

super altare majus vestem de fundato cum cruce in medio, & gammadiis, & angyris listam de fundato unam. Ubi *fundatum* notat auro intertextum, vel acu pictum. Habes & *lista* in Glossis Philoxeni: ubi exponitur, ἡ ὅπη τοῖς ἀριθμοῖς καμπὴ γραμμή. Pro ἀείμοις, lubens legerim ἀρσίμοις, vel ἀρότοις. Si *lista* etiam γραμμὴ linea; ut hoc ait glossarium; ac ea jam antiquissimis temporibus obtinuit significatio: *sublesta* dicetur pictura, quæ Græcis ὑπόλιαν Φ, hoc est, μονόγραμμον Φ. Sed de hoc loquar in Originum libris.

Livorosum vestigium, pro livoris plenum, est apud Adamannum lib. III. de rebus Sancti Columbæ. Malim lividum, vel si sub oculis is livor sit, *sugillatum*; quod in Philoxeni glossis exponitur, ὑπωπιασθέν.

Lixiones, Isidori in glossis, aquarum *portitores*; vel verius *partitores*. Nam *portitores* potius lixæ: quæ vox ab obsoleto *lix*, pro aqua, cujus patrius casus *liquis*. Ab obliquo hoc est, *liqueo*, unde *liquesco*, & *liquidus*: à recto autem, *lixa*, *lixivius* cinis, *lixivium*, *elixus*, & *luxabundus*, de eo, qui, lixarum more, liberè vagatur; ut cognoscere est ex Festo, & Isidori glossis.

CAP. XXI.

De initium capientibus ab L sequente O, vel V. Qualia, Locatitius, *alteri locatus à domino*. Loculatus, *loculo reconditus*. Locutorium, *locus, quò se recipiunt conviva, ut inter se colloquantur*. Lombarda, *eadem ac* bombarda *& unde* arcuibusio, *nomen, ac Belgico* seng-roer. Longiturnus, *longo durans tempore*. Lucernatus, *lucernam habens*. Lucernaris, *vel* lucernarii *hora, qua vesperi accenduntur lucernæ*. Ludor *fortasse is, qui in ludo diu multumque egit*. Lugubrium, *res lugubris*. Lumbare, *cingulum*. Lupax, *raptor*. Luricula, *quod loricæ instar tutatur*. Luricarius, *qui loricas parat*.

EX cœptis ab L litera supersunt illa, ubi post eam consequitur quarta quinctave vocalis.

Locatitius ager, qui alteri ad colendum datur, pactâ mercede. Gloss. *Locatitius*, μισθώσιμον Φ. Aliæ: *Locatorius*, μισθώμενον Φ. Sed agrum ejusmodi potius dixero *conductitium*: etsi idem etiam sit *locatitius*, ratione conducentis. Sed prius nititur bonis scriptoribus. Porcius apud Donatum, vel potius Suetonium Tranquillum, in vita Terentii:

Eorum ille operâ ne domum quidem habuit conductitiam.

Locu-

Loculatus, in loculum, sive capitulum repositus. Usus S. Zeno Veronensis, sermone de Lazaro. *Loculus*, capsa cadaveris; pro quo & *locellus* dictum à Paulo Diacono; quemadmodum alibi ostendimus.

Locutorium, pro loco, in quem convivæ à prandio ad confabulandum recedunt, apud Matthæum Parisium, & ei supparem Thomam Cantipratanum, Alberti M. discipulum.

Lombarda, pro *bombarda*, in superiorum temporum annalibus legi, observat Justus Lipsius in epistola, quâ Poliorcetica sua Ernesto Principi dedicavit. Græci etiam similiter dicunt λομβάρδα, vel λομπάρδα: quod Meursio in Glossario ostensum. Nec tamen à Longobardis eam esse appellationem putandum, cum Germanicorum sit inventum. Sed cum affinia essent *lombarda*, & *bombarda*; ac Lombardi forent notissimi, altera vox nova; factum, ut *lombarda*, pro *bombarda*, à multis diceretur. *Bombardam* verò esse à *bombo*, & *ardore*, alibi * dictum. Polydorus Virgilius lib. II. de Rerum Invent. cap. XI. ait, aliter vocari *arcum*, *busitum*; nempe ex Italico *arquebuse*. Id signet arcum perforatum, quia *buco* Italis foramen. Nempe vox ex eo, quòd per fistulam glans transmitteretur. Arcûs verò nomen retentum, quia in arcûs locum successit, atque idem quod arcus antea, ac meliùs, præstaret. Arcus ejusmodi Belgis **Zincroer**/vel potiùs **Seng-roer**; à **Roer**/fistulam signante, & **sengen**/ustulare; quod affine Græco ζεσσειν: id notat *ferè efacere*, à ζέω. Levinus Lemnius lib. III. de occultis Naturæ miraculis cap. IV. ait **Sine-roer** vocari, *quòd manu capulo ejus, tanquam clave, admotâ, excussisq; è silice scintillis, in obvios detorqueatur.* Eò autem respicit, quòd clavus Belgis **Roer**. Sed confundit diversas unius vocis significationes. Nam **Roer** sæpe quidem clavum notat, ac tum est ex **Roeder**/ quod à **roeren**/ movere; quia clavo movetur, ac dirigitur navis: sed veteri linguâ Saxonicâ **Roer** etiam arundo, canna, fistula. Eaque sola significatio hìc locum habet. Fortasse autem & arundini nomen ab eodem verbo, quod est **roeren**; quando penè in perpetuo est motu.

* Lib. 4. Orat. Inst. c. 13. sect. 7

Longiturnus, & *longiturnitas*, reperias apud vulgatum Scripturæ interpretem, Baruch. cap. IV. 35: *In longiturnis diebus.* Et cap. III. 14: *Ubi sit longiturnitas vitæ.* Ut à *diu diuturnus*, ita à *longè* formarunt *longiturnus*, de eo quod longo durat tempore. Legas quoque in vita S. Ottonis lib. II. cap. XLIII, & lib. IV. cap. II.

Lucernatus, lucernis instructus. Sic *januam lucernatam* dixit Tertullia-

tullianus lib. VII. ad Uxorem cap. VI: *Procedit de janua laureata, & lucernata, ut de novo consistorio libidinum publicarum.*

Lucernaris, ad lucernam pertinens. *Hora lucernaris*, quâ lucernæ accenduntur. Cassianus lib. III. Institut. cap. III: *Ad extremum undecimum, in quo lucernaris hora signatur. Lucernarium*, tempus vespertinum, quo lumen in Ecclesiâ accenditur. *Horam lucernarii* appellat B. Augustinus Reg. II, de tempore edendi: *Et postquam refecerint, sive in horto, sive ubicunq; fuerint, faciant opus, usq; ad horam lucernarii.* Similiter Græci recentiores pro eo λυχνικὸν dicunt: ut Palladius in Lausiacis cap. XXXVIII, & Balsamo in Consil. VI. Can. XCI. Hujus verba sunt: Καὶ καταλήγειν μέχρι δ συμπληρώσεως τῦ λυχνικῦ, ἤτοι τῦ ἑσπερινῦ δ Κυριακῆς· *& desinere, quando completur lucernarium, sive vespertinum officium Dominicæ.* Id notet in λυχνικὸν Meursii Glossarium.

Ludor videtur vocatus, qui diu in ludo versatus gladiatorio. Saltem hoc nomen propterea inditum Sergiolo gladiatori: ut est apud veterem Juvenalis interpretem sat. VI. ψ. CV. A *ludus*, *ludor*; ut ab *albus*, *albor*; ab *amarus*, *amaror*.

Lugubrium, pro re lugubri, & mœsta. Petrus de Vineis lib. IV. epist. III: *Sed animum redolens viri fortis, adsumas omnem caussam lugubrii, doloriscq; reliquias abjicias.* Ut à *ludo*, *ludibrium*; sic à *lugeo lugubrium* formavere.

Lumbar, vel *lumbare*, zona, sive quo lumbos præcingimus. Gloss. Mss: *Lombare*, περίζωμα. Utitur vetus Scripturæ interpres Jerem. cap. XIII; ejusque exemplo, præter alios, Petrus Damiani lib. II. epist. X.

Lupax, lupi instar rapax. Anastasius in exilio S. Martini: *Contemplatus S. Papa Martinus, introeuntes testificari, subridens dixit: Isti sunt testes? sic habet ordo? Erant enim primi ingredientes, nomine quidem milites; lupaces autem & bestiales sententiâ.*

Luricula, pro loricula, sive exigua lorica; & κατ' μετάφορὰν, pro omni eo, quod est quasi pro lorica. Beda in libros Regum quæst. XIII: *Tabulatis, vel muris, vel cancellis, cùm ad tutelam viæ ponuntur, vulgus Luricularum nomen indidit.* Sanè posterioribus seculis pro *lorica luricam* usurpâsse, etiam ex Græcis colligitur, qui λύριον & λυρίνον dixere: item Glossis vett. ubi *Lucarius* (leg. *Luricarius*) θωρακοποιὸς exponitur. Vide Gloss. Meursii.

Lutor, vide *lautor*.

CAP.

CAP. XXII.

De inchoatis ab M, & A vocali, sequente hasce binas, C, D, F, G, I, L.

Macaria *perperam putari genus tympani, cùm, corruptis codicibus,* anacaria *legere oporteat.* Machærarius, *lanius.* Macor, *macies.* Macrena, *porticus oblonga.* Madius, *Majus.* Maforium, mafortium, mavortium, mafortis, mavortis, maforte, mavorte, *tegumentum muliebre, ac monachale, de capite in humeros dependens.* Magisteria, *magistri apud Constantinopolitanos dignitas.* Magisterianus, *vel* magistrianus, *qui eam sustinet dignitatem.* Magnitas, *magnitudo.* Magnalia, *magna, ac miranda.* Majoratus, *dignitas Majoris, præcipuè in regno Francia.* Majorissa, *cœnobii præfecta.* Majuma, *festum Kalendarum Maji.* Malandria, *morbus tussientis jumenti: quod inde dicitur* malandriosum. Malefactor, *pro malè de quopiam merente.* Maliloquus, *maledicus.* Malitas, *pravitas.*

NUnc proferam barbara, à Latinis, vel Græcis, profecta, quæ à liquidarum secundâ initium capiunt.

Macaria putare aliquis possit esse instrumentum tympano non absimile: nempe propter illud Sugerii in vita Ludovici Grossi: *Tympanis, & macariis, & aliis similibus instrumentis, horribiliter resonabant.* Sed rectè ὁ μαχαιρίτης Meursius noster perspexit, pro *macariis*, legi *anacariis* oportere. Eorum meminit Codinus de Officiis Constantinopolitanis cap. v: Ἑτοίμασον ἤδη, καὶ καβαλλικεύσας τὸ βασιλέως, οἱ ἀναχαρισταὶ κρούσι τὰ ἀνάχαρα. *Parato jam, & equitante imperatore, tympanistæ pulsant anacara.* *Anacara* fuêre tympani genus, inferiori parte rotundum; ut puto, ab ἀνάχαρ; quod Hippocrati *in superiorem partem*, ex ἀνὰ, pro ἄνω, *sursum*, & κάρα, *caput*. Sanè tympana ista, ad modum ventris, erant convexa. Unde & Germanis videntur vocari Heerbauken: hoc est, Dominici ventres, quia principes ejusmodi tympanis delectantur. Et fortasse hinc Arabes accepere suum נאקיר *naquir*, quod tympanistam notat. Nisi potiùs Græci illud hausere ab Arabibus: ut clarissimus socer meus Franc. Junius in Notis suis ad Codinum conjectabat. Hinc de eo doctissimus Gretzerus*, Junium Arabica pulsare tympana, ut speciem sui edat Arabismi. Quorsum hæc tam falsa, & alia, subinde etiam insulsa? Num mortuus esset, siquam negligeret occasionem maledicendi mortuo; eique & longè doctissimo, & à maledicentia, omni vitâ, alieno?

* *Commentario in Codinū.*

Ma-

Macharárii quin ita à macharis vocentur, dubium non est. Videntur autem non tam milites, quàm lanii, sic dici. Rex Guilhelmus in decreto de usurariis : *Cùm autem dictum est, absq; plegiis vivum animal emeret : clamaverunt macharárii de civitatibus, quòd unaquâq; die oportet eos viva animalia emere, vendere, & occidere.*

Macor, pro macies, veteribus nescitur.

Macrena, est apud Anastasium bibliothecarium : *Macrenam Lateranensis Palatii, quæ extenditur à campo ultrò imagines Apostolorum.* Idem : *Camera ipsius macrenæ.* Cæsar Bulengerus censet, esse porticum, vel solarium oblongum. Nempe ut sit à μακρὸς, longus.

Maculatura, improbum pro litura, vel charta, sive schediasmate lituris obsito.

Madius, pro Majus, seculi, & gentis suæ more, usurpat Adefonsus, sive Alfonsus, Hispan. R. in epist. *Inter cæteras maximè dispposuimus, ut mense Madio nostræ naves, cum pueris Palatii nostri, usq; Burdelensem civitatem remigent.* Idem : *Vt sit ibidem in mense definito, mediante Madio.*

Maforium est muliebre tegumentum capitis, colli, ac humerorum. Velum putà de capite in humeros defluens. Accepta vox à Græcis junioribus; qui itidem dicunt μαφόριον : ut Palladius Lausiacis, Cantacuzenus, Achmes, Suidas, alii. Ac à plurali μαφόρια, vel per enallagen generis, Latini *mafora*, pro *maforia*, dixere : ut Hubertus in vita S. Gudilæ, cap. VI. Est verò μαφόριον corruptum ex ὠμοφόριον, q.d. superhumerale, vel humerorum gestamen, ab ὦμος, *humerus*, & φέρειν, *ferre*. Sed Latini pro *maforium* corruptiùs extulere *mafortium*, vel *mavortium*. Item *mafortis*, vel *mavortis*; & *maforte*, vel *mavorte*. Quæ res occasionem præbuit Isidoro conjectandi esse à *Mavors*, hoc est, Mars. Aliquid diceret, si tegumentum hoc foret Martiale, id est, militare. Nunc non militum est; sed mulierum, ac monachorum. De mulieribus clarè docet Nonius Marcellus : *Ricinium, quod nunc mafurtium dicitur, femineum palliolum breve.* Sanè ricinium fuisse feminarum, liquidò comprobant duo Varronis loca, quæ subjungit. Est & Isidori in Glossis : *Mafortes, operimentum capitum mulierum.* Et lib. XIX. Originum cap. XXV, cùm dixisset, stolam esse matronale operimentum, Latinoque nomine *ricinium* appellari, addit : *vulgò mavortem dicunt.* Atque id è Servio expressit in I. Æn. Clarè autem de muliebri maforte in Bedæ Martyrologio XX. Sept. *Jussit Faustum nudam* *, *& sine maforte, flagellatam, incarceratam, caput terebrari.* De monachorum verò maforibus

* *Sic more seculi loquitur, pro* Faustæ nudæ, flagellatæ, incarceratæ : *nisi placet Græcâ locutione dici* caput terebrari, *intellectio* κῦρ : *de quo agi in arte Grammaticâ.*

fortibus adſtruimus illo in Gloſſis Arabicolatinis : *Mafortis, faſcialis, id eſt, auguſtum* (leg. anguſtum) *pallium, quo utuntur monachi, collum pariter, atq; humeros tegens.* Ubi Meurſius pro *faſcialis* legit *facialis*: uti Græci dicunt φακιάλιον. Id Ludovicus de la Cerda in Adverſariis ſacris probat cap. XXII; improbat verò cap. CXLI; ſed immeritò. De eodem maforte ita Caſſianus lib. I. de Habitu Monachi cap. VII: *Poſt hæc anguſto pallio, tam amictus humilitatem, quàm utilitatem pretii, compendiumq; ſectantes, colla pariter, atq; humeros tegunt: quod maforten tam ipſorum, quàm noſtro nuncupatur eloquio.* Sed Iſidorus, ut originem vocabuli inveniret, fingit idem eſſe *Mavortem*, ac *maritum*; *maforte*, ac *maritale*. Sic enim ille in Originum loco antè memorato: *Vocatum autem* (ricinium) *dicunt mavortem, quaſi Martem. Signum enim maritalis dignitatis, & poteſtatis in eo eſt. Caput enim mulieris vir eſt: inde & ſuper caput mulieris eſt.* Quantopere de etymo fallatur, oſtendunt ea, quæ diximus. Uſus hac voce etiam Linus, vel alius potiùs de paſſione Apoſtoli : *Et interrogarunt eum cum irriſione, cur caput ſuum non operiret de maforte, quam præſtiterat Paulo.* Præceſſerat autem : *Plautilla, commoda mihi pannum, quo caput tegis.* Habes & in actis Proconſularibus ſub Munatio Felice, apud Baronium ad annum CCCIII †: *Tunica muliebres* LXXXII, *maforlea* XXXVIII, *tunica viriles* XVI, &c. Fortunatus de vita S. Radegundis reginæ : *Maforlem novum linteum, auro, vel gemmis ornatum.*

† Tom. 2. pag. 303. ed. Mern.

Magiſteriam dixere dignitatem magiſtri, quæ ingens apud Conſtantinopolit. olim fuit. Caſſiodorus lib. I. epiſt. XII : *Sume igitur magiſteria inſulas dignitatis, uſurus omnibus privilegiis, qua tuos habere conſueverit deceſſores.* Etiam Græci ſimiliter μαγιστρείαν vocant : ut Theophylactus Simocatta, & alii : de quo conjunctiſſimum olim collegam noſtrum Meurſium adi. Cur enim non ad eum potiùs remittam, quàm clariſſimum Ludovicum de la Cerda, vel alios, qui eum exſcribunt, tacito nomine? A *magiſteria, magiſtrianum* dixere: de quo proximè.

Magiſtranus legas apud Victorem Turonenſem in Chtonico : *Literas ſatis idoneas Juſtiniano principi per Olympianum Magiſtranum miſerunt.* Sed rectè monet Meurſius, corrigi oportere, *Magiſtrianum*: quomodo is μαγιστριανὸς Evagrio, Malcho, & veteri ſcriptori apud Suidam. Gloſſ. Philoxeni *: *Agens in rebus*, μαγιστριανός. Quamquam & μαγιστριακὸς pro eo legas. Vide *Magiſteria*.

* Col. 9.

Magnitas, pro magnitudo, eſt apud Fauſtum lib. II. cap. VIII. Nempe ut *parvitas* dixere Cicero, Valerius Maximus, Agellius.

Magnalia, res magnæ atque illustres. Arnulphus Lexoviensis epist. MS. *Non tanta postmodum prosperitatis ejus insignia claruerunt, quanta præcedentis adversitatis magnalia celebrantur.* Utitur quoque Henricus de Hassia in Speculo Animæ. Sed quid hos advoco, cum legas apud multò antiquiores; vicies apud veterem Scripturæ interpretem?

Magulus, pro cinædo, require libro proximo.

Majoratus, & Senescallia Francia, legas in Commentario Hugonis de Cleriis ad Ludovicum Regem. Habes eum in Notis Sirmondi ad librum v. Goffridi Abbatis Vindocinensis. Inscribitur is liber, De Majoratu & Senescalcia Franciæ, Andegavorum olim Comitibus hæreditariâ. Ratio nominis dilucet ex illis commentarioli ejus verbis: *De cætero Comes appellatur Major in Francia propter tutelam, quam fas it in exercitu Regis.*

Majorissa, cœnobii præfecta. Eugenius Papa in diplomate ad Heloissam: *Septem, & dividuum* (leg. dimidium) *à Tescia Majorissa.* Ut de virili dignitate *Majorem* esse; ita *Majorissam* in femina dixere.

Majuma, festum Kalendis Majis solitum celebrari in honorem Majæ, Mercurii matris. Etiam sub Christianis Imperatoribus aliquamdiu fuit. Sanè etiam concessere primitus Arcadius & Honorius Augusti, imperii sui initio. Habes legem in Codice Theodosiano lib. XV. tit. VI. & Justinianeo lib. XI. tit. XLV: *Clementiæ nostræ placuit, ut majuma provincialibus lætitia reddatur, & verecundia castis moribus perseveret.* Sed quadriennio pòst, cùm non servaretur honestas, iidem Augusti abrogarunt. Legis verba habes memorato Codicis Theodosiani titulo: *Ludicras artes concedimus agitari, ne ex nimia harum restrictione tristitia agitetur. Illud verò, quod sibi nomen procax licentia vindicavit, majumam fædum atq; indecorum spectaculum denegamus.*

Malandria, morbus jumenti, quo tussit. Unde *malandriosus.* Utroque usus Marcellus Empiricus. Græcis recentioribus μαλὶν, quod apud Hesychium, vel μάλις, ut Apsyrto in Hippiatricis lib. I. cap. II; item Hierocli, & Theomnesto. Videtur nomen esse ex eo, quòd jumenti vires velut malleo prosternat. Sanè *malleum* nuncupat Vegetius in Mulomedicina lib. I. cap. II.

Malefactor ejusdem est monetæ, ac *benefactor*; de quo dicebam cap. II. Malim igitur *maleficus*, vel *malè meritus.* Etsi proba sint *benefacta*, & *malefacta*: ut in illo Ennii apud Ciceronem *: *Benefacta male locata malefacta arbitror.*

* Lib. 2. de Offic.

Mali-

Maliloquus est apud Maximum Taurinensem homil. 1. de Jejunio Quadragesimæ. Nempe ad exemplum, quo *maledicus* dicitur.

Malitas, pro malitia. Gloss. Ms. *Malitas*, κακία. Videlicet ut *bonitas*. Ac superiùs vidimus, ut *parvitas*, sic & *magnitas* dixisse. Similiaque *dulcitas*, *longitas*. Imò nec *malitas* penitùs rejecero, si, ut apud virum summum lego, usus eo est Labeo, qui vixit sub Augusto.

CAP. XXIII.

De incipientibus ab M, sequente A, & N. Mana, *mater*. Manciparii, *venalitii*. Manclavium, *fustis, quo, qui deliquissent, caderentur: & quantopere ab eo differant* aclides. Mancossis, mancossus, mancusus, mancusa, *nummus, qui alter* marca. Mandalus, *pessulus*. Mandatarius, *qui mandata defert curiæ*. Mandatela, *mundatum*. Mandrogerontes, *senes stabulorum ministerium subeuntes*. Maneria, *vel* manerium, *habitatio in villa cum addito agri modo*. Maneries, *modus, sive via ac ratio aliquid agendi*. Manga, *machina*, Manganum, *vel* mangana, *machina bellica genus simile catapultæ*. *Pro quo &* manginella, mangonellum, *&* mangotellum. Maniaticus, *insanus, furiosus*. Mansellum, *proprius cujusquam, ubi consideat, in sacello locus*. Mansionarius, *villicus; quiq; gubernat possessiones alienas: tum autem, cujus est in templo lampades accendere, & exstinguere*. Mansionaticum, *impensa in excipiendo cliente regio*. Mansionile, *habitatio*. Mansuarius, *cui datus ager colendus, addito tugurio ad inhabitandum*. Mantea, *mantelum*. Mantus, *vel* mantum, *vel* mandus, *vestis virginalis: unde* immantare. Manutus, *magnas habens manus*.

PErgam ad alia ab M inchoata: ac proximè complectar, ubi hanc literam A, & N, sive eâdem, sive diversis excipiant syllabis.

Mana legas apud Luitprandum in Legatione: *In stuporem mentis mulieres versæ, Mana, Mana, clamabant*. Græcobarbaris μάνα, mater, pro μάμα, μ in ν converso. Vide de eo Meursii glossarium. Sed hoc, licet apud Latinum scriptorem legas; tamen potiùs Græcobarbarum est, cùm de Græcis hominibus sermo sit.

Manciparii sunt venalitii, sive venditores. Ita utitur vetus Juvenalis interpres in sat. XI. vers. CXLVII.

Manclavium sive *maniclavium*, quasi *manualis clava*. Erat fustis,

quo cædebantur fustuario digni. Hinc Græci posterioribus seculis μαγχλάβιον fecere: ut Codinus de off. Const. Nicetas in Manuël. Comn. lib. IV. atque alii; sicuti Meursio ostensum in Gloss. Sed in eo dececeptus, quòd idem putaret sonare *aclides*. Siquidem hoc teli genus erat, clavis munitum ferreis, loroque religatum, quod magnâ vi jaceretur in hostem, loroque dein retraheretur. Qua de re Servii locum emendat Salmasius ad Trebell. Pollionem †.

† Pag. 335.

Mancossis, vel *mancossius*, vide in *Mancusa*: de quo proximè.

Mancusa est idem ac *marca*, de quo dictum superioris libri cap. XX. Ut *mansuetus*, quasi *manusuetus*: sic *mancusa*, quasi *manu-cusa*. Kenulphus Rex Merciorum, epist. ad Leonem Papam, apud Wilhelmum Malmesbur. de gestis Angl. lib. I: *Quod est* CXX. *mancusas, cum literis; precans te, ut benignè suscipias, & benedictionem tuam donare digneris.* Pro *mancusa* etiam *mancusius* dixere, ut intelligatur *nummus*. Corruptiùs verò *mancossius*, vel etiam *mancossis*. Anastasius bibliothecarius in Leone IV: *Obtulit crucem de auro unam habentem in medio monacossim.* Et Adriano: *Et in auro solidos mancossos numero ducentos.* Ait de la Cerda *, malle se hic legere *manocosim*, & *mancosum*, unico S. Sed solet ætas ea in multis S temere geminare; ut alibi ostendimus.

* In adversar. sacr. c. 95. §. 14

Mandalus in variis glossariis exponitur κάδηχος, vel καδηκὺς, quo pessulus signatur. Conjectat Martinius, ex eo esse, quòd is manu tractetur, obdatur, removeatur. Ipsum in Etymologico vide.

Mandatarius, à mandatis judicum deferendis; & à Dd. vulgò pro procuratore: Quod ut minùs Latinum taxat, inspice C. A. Mandati th. 4. Pius IV. in bulla de reformatione Tribunalium †: *Mandatarii quarumcumq; curiarum non exigant ultra bolendinum unum pro citatione; nisi sit citatio facienda in longinquis locis ab eorum curiis; quo casu exigant duos, & non ultrà.* Veteres, puto, *accensus*, vel *apparitor*, dixissent.

† Bullar. Tom. 2. pag. 63.

Mandatela, acutela, custodela, ad instar *cautela, clientela, tutela*, agnoscit Priscianus lib. IV. Vellem idoneos eorum laudâsset auctores.

Mandrogerontes, μανδρογέροντες, senes viles, obeuntes ministerium in stabuli rebus. Luitprandus in Legat. * *Hautquaquam singularis, inquam, hac vestis fieri potest; cùm penes nos obolaria mulieres, & mandrogerontes, his utantur.* Μάνδρα interdum monasterium; unde ἀρχιμανδρῖται. Sed hîc potiùs stabulum, caula, septum, quo boves ac pecudes concluduntur. Sic sumi solere, cognoscimus ex Hesychio, & aliunde.

* Pag. 115.

Ma-

Maneria, vel *manerium*, habitatio cum certa agri portione. Robertus Ceſtrenſis lib. VI. cap. XXIII, ubi de Emma Regina, S. Eduardi Confeſſoris, Angliæ Regis, matre, narrat, quomodo ordalio, ſive purgatione ferri candentis, ſeſe injuſtè accuſatam comprobârit; idque S. Suiberti precibus tribuit, ad cujus ſepulchrum præcedenti nocte fuerat advoluta. Subjungit deinde: *Regina vero dedit S. Suithino novem maneria, & Epiſcopus* (Wintonienſis, nomine Alwinus, ſive Alfwinus) *alia novem maneria, præter illos novem vomeres, quos Emma pertranſit.* Uſurpat quoque Innocentius lib. III. epiſt. V: *Civitates, villas, caſtra, & maneria, quæ ad dotalicium præfatæ reginæ ſpectare noſcuntur.* Quem ad locum in Lucubrationibus ſuis Paulus du Maiſ obſervat, non accipi hic pro parte domus, quæ habitatur ab ipſo patre familias; ſed pro univerſa ædificiorum mole. Similiter Rogerius de Houeden Annal. Tom. I, in vita Guilhelmi Senioris: *Et per eaſdem diviſas, quibus ipſe, ſive ante eum Toſtius, vel Sivvardus, ipſum manerium tenuerunt.* Item Matthæus Pariſius in an. CIↃCCLXI: *Qui priùs fuerat ſancitus de civitate, vel caſtello, vel burgo, vel dominico manerio Regis.* Eſt & in charta Regis Joannis an. CIↃCCXV: *Exceptis dominicis maneriis noſtris.* Hiſce duobus Anglicanis ſcriptoribus addam tertium, Thomam Walſingum in Eduardo III: *Admoniti† de tanta commonitione, relicto prandio, fugerunt ad manerium; ubi tunc filius principis caſualiter morabatur.* Etiam habes apud Petrum de Vineis lib. III. epiſt. LXIV, & alios complures. Eſt etiam in cap. 50. extra de Appellat. Multis Guil. Somnerus in Gloſſario ſub hac voce.

† Pag. 194.

Manceries locutionis eſt apud B. Bernardum epiſt. XXXIX, pro *modo loquendi.* Etiam interpres Haly retinuit: atque hic quidem ex Hiſpanico *manero*: uti Bernardus ex Gallico *maniere*, pro quo Itali *maniero.* Imò & Saxones, ac Belgæ **manier.** Si à Teutonibus Itali, Galli, Hiſpani acceperint; pertineat *maneries* ab ortu barbara. Sed originis ſit Latinæ, ἐμίσως quidem, ſi ut à *luxu* eſt *luxuries*, ſic à *manu* fit *maneries*: ἐμμίσως verò, ſi *maneries* acceptum à Teutonibus; at Teutonicum illud ſit à *manu*: quomodo ad verbum ſonet, quod Germanis, Belgisque, aliter dicitur **handeling**: quod itidem ab **hand**/hoc eſt, manus.

Magna inter ea, quæ originis barbaræ ſunt, repoſuimus lib. ſuperiori cap. XII; ubi & dictum, pro eo legi quoque *mango*, & *mangonella*, & *mangotella.* Uſque adeò gentes, in efferenda hac voce, variarunt. Cæterùm poſſint hæc omnia, & alia id genus, videri originis Latinæ, vel Græcæ. Sanè conſtat à Dorico μαχανὰ, eſſe Latinum *machina.* Ex hoc cor-

ruptè dixerint *mangana*, & mutato genere *manganum*. Quo de etymo mox in *Manganum* pluribus. A *mangana* autem καὶ συγκοπῇ sit *magna*. Signabam superiùs, qui utatur. Radevicum Frisingensem lib. secundo, sive totius de Frederico Cæsare operis, quarto, cap. LI *: *Obsides eorum machinis alligatos, ad eorum tormenta, quæ vulgo mangas vocant, & intra civitatem novem habebantur, decrevit objiciendos.* Ὁ μαχαιρᾶτης Meursius * jubet, apud Radevicum *manganas* rescribere. Sed, ut superiori libro vidimus, etiam *mandas* est apud Othonem Frisingensem. Atque ita utrobique editum à Cuspiniano in editione principe †: item ab Christiano Urstisio in scriptoribus rerum Germanicarum.

* *Edit.* 1. *sed secutus, cap.* 47

* *In Glossario voce* Μάγγανον.

† *Argentorati Ann.* 1515.

Manganum, machina bellica sive catapulta, qua jaciuntur pila, & saxa grandia. Eum usum ostendit his verbis Abbo lib. I. de Obsidione Lutetiæ:

Conficiunt longis æquè lignis geminatis
Mangana, quæ proprio vulgi libitu vocitantur,
Saxa quibus jaciunt ingentia, seu jaculando
Alludunt humiles scenas.

Item eo antiquior Pseudo-Hegesippus lib. IV. cap. XX. de Nerone: *Manganum sibi quoddam de ligno paravit, quo se necaret.* Usi & Græcobarbari. Hesychius: Μάγγανα, μηχαναὶ μάχης. Gloss. Græcolatinum: Μάγγανον, *manganum*. Habes & apud Joannem Curopalatem, Suidam in Φασκάσιον, & Etymologum Magnum in Ἑλιπόλεις, quod ait μάγγανον πολεμικόν. Sed Meursius rectè restituit πολεμικήν. Cæterùm apud Latinos, non solùm *manganum*; sed & *manganam*, legas. Crebrò sic Beka in Chronicis: ut in Conrado Episc. *Hollandini per crebros ictus manganarum propugnacula castri conquassarunt.* Et in Hereberto: *Manganas ad Urbis interitum terribiliter adaptavit.* Et in Joanne II: *Multis manganis cum diversis tormentorum generibus.* At aliter, ut dixi, Radevicus de rebus gestis Friderici I: qui *mandas* vocat. Interim idem significant: sed *mangana* propiùs ad originem accedit. Omnino enim, *mangana* ex Dorico μαχανὰ pro μηχανὴ factum, inserto N; ut fit in *thensaurus, quotiens*: item à ῥωϊκάνη, *runcina*; à δασὺς *densus*: à κίκιννος *cincinnus*: & in verbis à πτίσσω, *pinso*; à πήγω seu *pago, pango*; ab ὀμιχέω, obsoletum *mingo*. Apud Turocium lib. II. Chronic. Hungar. cap. XXXVI. (dubium, à *manganum*, an *mangana*) legas: *Quosdam lapidibus obruentes, alios autem in manganis ferreis vastantes occiderunt.* A *mangana*, vel *mangina*, esset *manganula*, vel *manginula*; inde *manginella*. Beka in Joanne II: *Applicãdo*

mu-

manginellas ad quassandum turres. Sed & pro eo *mangonellum* posuere: quod usurpat Historia Albigensis cap. xxxvi, & xli. Ac vidimus de eo quoque superiori libro in *Manga.* Item ex eo factum *mangatella:* quod ibidem dicebamus esse apud Turpinum. Locus est cap. ix: *Aptatis juxta murum petrariis mangatellis.*

Maniaticus, furiosus, insanus, pro *maniacus,* ἀπὸ τῆς μανίας. Flodoardus lib. iii. Histor. Remens. cap. xiii: *Eum viderunt usque ad ostium Synhodi venientem, & inde, ut maniaticum, redeuntem.*

Manopera, & *manoperarii,* quid signent, & unde dicantur; exposui superiùs in *Carropera.*

Mansellum, sacelli locus, ubi religiosi remanerent. Est enim diminutivum à *mansum.* Hincmarus Rhem. epist. i. ad Hincmarum Laudun. *Exceptâ sellulâ manselli ipsius capellæ.* Habes & in Formulis solemn.* * *Form. 61. in editione Lundenbrogii: item lib. 2. form. 36. in edit Bignoniana.*

Mansionarius & *mansuarius,* multùm distant. Nam *mansuarius* est villicus, qui colendum suscepit mansum, hoc est, certum agri modum. De hoc dicemus paullo pòst, & lib. seq. in *Mansum.* At *mansionarius* est, qui præstat mansionem, hoc est, qui missum; vel hominem regium, tecto excipit; eique ex Regio præscripto, pro dignitate, alimentum & viaticum præbet. Usus Hincmarus epist. iii: *Inter quos etiam & mansionarius intererat; super cujus ministerium incumbebat (sicut & nomen ejus indicat) ut in hoc maximè sollicitudo ejus intenta esset, ut tam supradicti actores, quamque & susceptores, quo tempore ad eos ille, vel ille in loco, Rex venturus esset, propter mansionum præparationem, opportuno tempore præscire potuissent.* Lucis hæc amplius capient ex iis, quæ mox in *Mansionaticum* adferam. Veteribus Latinis, qui postea *mansionarius,* potiùs fuisset *metator;* Græcis junioribus, teste Suida, (si certissimam Meursii emendationem sequimur) ὁδηγοῦμενος dicebatur, quia ejus esset ὁδηγεῖν, hoc est, ὁδοὺς εὑρεῖν τὰς μονὰς, *dirigere, ac procurare mansiones.* Videtur autem sic *mansionarii* voce etiam usus Regino Chronicorum lib. ii, an. Dcccxcv, ubi sic scribit: *Cùm in regnum* (Otto Rex) *reverteretur, Folconem episcopum, & Adalongum, comitem sui mansionarii, ad Arnolphum xenium à Carolo missis, venientes in media offenderunt: super quos cum clamore impetum faciunt, Episcopus fugâ dilabitur, Adalongus mortali vulnere sauciatur.* Paullò aliter sumere videtur Dionysius Exiguus, quando Concilii Chalcedonensis canone ii, ubi Græcè est πρωτομονάριος, vertit *mansionarius.* Hic enim accipi videtur pro eo, qui villas, aliasque possessiones, gubernat. Imò & *mansionarius* dicebatur is, cujus erat po-

stremò

ſtremò in templo permanere, oleumque lampadibus infundere, ac lampadas exſtinguere. B. Gregorius lib. I. Dialogorum cap. V: *In qua* (Eccleſia) *vir vitæ venerabilis, Conſtantius nomine, manſionarii functus officio deſerviebat. — Quadam verò die, dum in eâdem Eccleſia oleum deeſſet; & prædictus Dei famulus, unde lampades accenderet, omnino non haberet; omnes lampades Eccleſiæ implevit aquâ, atque ex more in medio papyrum poſuit: quam allato igne ſuccendit: ſicque aqua arſit in lampadibus, ac ſi oleum fuiſſet.* Etiam lib. III. Dialog. cap. XXV, idem Abundius nunc *manſionarius*, nunc *cuſtos*, appellatur. Joannes Diaconus de vita S. Gregorii lib. III. cap. LVIII: *Completis matutinalibus hymnis manſionarius candelam exſtrinxit.* Ubi & Græca tralatio μανσιωνάριος vocem retinuit. Chronicon Caſinenſe lib. II. cap. XXXIV: *Ad mandatum fratrum à manſionariis eam deferri.*

Manſionaticus, vel *manſionaticum*, dicebatur à *manſione*; quomodo vocarunt diverſoria, in quæ viatores, noctis interventu, ſe recipiebant. Sic *manſionis* vocabulo utuntur de hoſpitio & habitaculo Suetonius in Tito cap. X, Appulejus lib. IV, Lampridius in Alexandro Severo, Antoninus, vel alius, in Itinerario; ut B. Hieronymum, Sidonium Apollinarem, Gregorium Turonenſem, & alios, prætream. Nempe ſicuti à *balnea*, *balneaticum*: ſic à *manſio*, *manſionatum*, *manſionaticum*; utrumque à *manſionare*, habitationem concedere, manſionem dare; unde *bene manſionatum hoſpitaliter tractari* apud Ekkehardum cap. ult. cui præparatum egregium cænaculum, ubi liberaliter haberetur. *Manſio*, cænaculum, conclave ἐυσύκιον, ubi quis manet. *Manſionatici* voce notatur, quod κατὰ περίφρασιν *expenſus ad hoſpitum ſuſceptiones* dicunt aliqui: in his Aimoinus lib. V. cap. X; nempe in excipiendis Miſſis, vel hominibus Regiis, duo concurrebant. Prius eſt tecti præſtatio, ſub quo manerent; unde *manſio* vocabatur; uti ab ea, ſicut dixi, *manſionaticum*. Alterum eſt alimentum, ac viaticum, quæ præparari erat opus; unde & præmoneri ſolent, apud quos aliquis deberet divertere Hæc cauſſa, cur iſtoc *parata* vocaretur. Ac ſic propriè *manſionaticus*, ſive *manſionaticum*, & *parata*, diſtinguuntuv; crebrò autem junguntur, quia utrumque præſtabatur. Imò & capſe de cauſſa ſæpe uno expreſſo alterum intelligitur. De *parata* videbimus pluribus lib. III, in vocabulis novâ à junioribus ſignificatione donatis. *Manſionatici* voce uſus eſt Carolus M. ad Pipinum Fil. Italiæ Regem: *Cæteri per ſingula territoria habitantes, ac diſcurrentes, manſionaticos, & paravaredos accipiunt.* Similiter apud Anſegiſum Capitularis

pitularis lib. II. cap. XVII: *In illis locis, ubi modo via, & mansionatici à genitore nostro, & à nobis, per capitulare ordinati sunt.* Carolus Calvus tit. XLIII. apud Carisiacum cap. XX: *Nemo in villis nostris, vel in villis uxoris nostræ, mansionaticum accipiat.* Hincmarus Rhemensis ad Laudunenses: *Ne mansionaticos suis amicis, aut suis hominibus, à presbyteris parari faciat.* Est & Aimoini lib. V. cap. XXXI: *Indeque per Attiniacum, & consuetos mansionaticos, Compendium adit.*

Mansionile, habitatio villici, quasi mansio ejus. Flodoardus lib. III. Histor. Rem. cap. XXVI: *Mansionile conabantur auferre.* Vita S. Rigoberti, Rhemensis Archiepiscopi, cap. II: *Morabatur quoque ipse Pipinus in pago Laudunensi, & loco, qui dicitur Gerviaca-curtis, & non illic, ut hodie, villa, sed exiguus mansionilis fuerat.* Etiam *mansus* dicebatur, unde *mansionaticus*; de quo antea vidimus; & *mansuarius*, de quo mox dicam.

Mansuarius est, cui ad incolendum datus est mansus, hoc est, certus agri modus, cui fere tugurium sic structura aliqua addita ad mansionem, sive inhabitationem: unde & *manso* nomen. Constitut. Karoli Calvi tit. XXIII, sive epistolâ Episcoporum ad Ludovicum Regem, tit. XIV: *Quatenus non sit vobis necesse — pauperes Ecclesiasticos, & fidelium vestrorum mansuarios, in carricaturis, & paravaredis, contra debitum exigendis gravare.* Ac similiter alibi in iisdem: *A mansuariis, vel iis, qui censum debent.* Vide, quæ in *Mansus* dicam lib. IV. Iidem videntur *massuarii*, de quo loquar eopse libro in *Massa*.

Mantea quidem ex Gallico *manto*, vel *manteau*, seu Germanico, Belgis etiam, & Anglis usitato, mantel: sed hac ipsa tamen, ob similitudinem, sunt à *mantela*; pro quo & *mantelum* & *mantile* dixerunt. *Mantela* verò ex *manutela*; ut *mansuetus* ex *manusuetus*; *masturbare*, sive potiùs *manusturbare*, quasi manum stuprare. *Mantela* igitur, cùm propriè sit manualis tela, primò convenit linteo, quod Belgis similiter handdweel: ubi posterior pars vocabuli itidem esse ex *tela* videtur: nisi potiùs dweel ex *togilla*. Catholicon: *Togilla, parva toga. Togilla, mantile.* Sed longiùs abeo. *Mantea* voce pro pallio, vel simili veste, utitur Rogerus de Houeden Annal. Tom. II: *Deinde indutus est manteâ: deinde ductus est ad altare, & ibi prædictus Archiepiscopus prohibuit ei ex parte omnipotentis Dei*, &c. Item Matthæus Parisius, ubi describit coronationem Richardi I: *Quo facto duo comites calceaverunt ei calcaria; indutusque manteâ, conjuratus est ab Archiepiscopo ex parte Dei.*

Mantus, vel *mantus*, *mantum*, vel *mandum*, ejusdem originis, ac *mansela* videtur: ut dicam libro seq.† Vel fuerit utrumque. A μαντύας, μανδύας, μανδύη, quod à Persis acceptum. Ac diversum quidem μανδύας à χλαμὺς; interim vicinum, quia chlamys fieret ad modũ manti; unde est quod *mantus*, & *chlamys*, confundi soleant. Isidorus lib. XIX. Orig. cap. XXIV: *Mantum Hispani vocant, quod manus tegat tantùm. Est enim breve amictum.* Ac similiter in Glossis Arabicolatinis. Videmus Isidorum originem arcessere à Latino *manûs* vocabulo; non à Persis, unde μανδύας. Et potuere Hispani formare à Latino vocabulo. Sanè videmus & Isidorum dicere, uti câ voce Hispanos, de quibus optimè, Hispanus ipse, potuit judicare. Imò quingentis ante seculis usus eo videtur Martialis †, itidem Hispanus:

In Pompejano tecum spectabo theatro.*
Mantatus † populo vela negare solet.

Sanè in codice Palatino optimæ notæ *mandatus* (ubi vulgo, *Namque notus*) reperit necessarius, ac propinquus meus, V. Cl. Janus Gruterus. Ac maximus Salmasius planè putat, *mantatus*, vel *mandatus*, legi oportere, Id est, tectus *mando*, vel *manto*. Utroque enim modo dixere, ut vidimus. Et de *mandus* firmant Isidori Glossæ; ubi est, *Mandus, vestis virginalis*: non *circularis*, ut aliqui legunt. A *manto* est *immanto*: de quo in Verbis.

Manutus, in veteri est vocabulario; *manutius*, in Isidori glossis; exponiturque, magnas manus habens.

† *Cap. in Immanare.*

† *Lib. 14. ep. 27. al. 29. vel 31.*
* *Al* tectus.
† *Vulg. codd.* Nam ventus.

CAP. XXIV.

De incipientibus ab M, sequente AR, AS, AT, vel AX. Margellus, *vel* margellium, *limbus vestis purpureus.* Marinarii, *qui fune vinctis immerguntur mari, sed mox extrahuntur.* Marinelli *socii nautici.* Maritagium, *matrimonium.* Marritio, *dolor, ac querela de damno accepto.* Martiaticum, *stipendium militare.* Mastica, *quod ere mandimus.* Martiobarbulus, *tela genus, putà plumbata.* Martyriale, *quicquid ad martyrem pertinet.* Matricarii, & matricularii, *quorum nomina matriculæ inscripta: actumque de variis matriculæ generibus.* Matrina, *proneverca, vel ea, quæ in sacro aliquem baptismate suscepit.* Matronæum, *gynæceum.* Matum, *vel* madum, *pro madidum, sive humidum.* Maximitas, *magnitudo.*

EXequar nunc ab M cœpta, sequente vocali principe, ac eam excipiente R, S, T, vel X.

Mar-

Margellus è *margulus*, hoc à *margo*, vel *margus*, dixisse inferiorem Latinitatem; argumento erit, quòd inde Græci juniores pro vestis limbo sive margine dixerint μαγίλλιον; ut Balsamo ad Concilium VI. Can. XXVII, nec non Moschopulus. Aliter accipit ὁ μαχαίτης Meursius in Lexico Græcobarbaro. Sed magis placent, quæ de eo Salmasius ad Vopisci Aurelianum †, & Bonosum *. De hujusmodi margellis capiendum est istoc Sidonii lib. IV. epist. XX: *Viridantia sagæ limbis marginata purpureis.*

† Pag. 406.
* Pag. 478.

Marinarius, cui mitior pœna hæc infligitur, ut fune vinctus in mare dimittatur; sed, ne vitæ periculum adeat, post moram pusillam eodem fune extrahatur. Usurpat Rogerius de Houeden Annal. Tom. II: *Marinarii verò, si luserint tribus diebus à summo mane, in mare demergentur, more marinariorum, quotidie semel; nisi se voluerint arbitrio prædictorum redimere.*

Marinellus est diminutum ex *marinus*; ac notat classiarium, sive marinum militem, vel socium nauticum. Matthæus Parisius in brevi Joannis Regis ann. CIↃCCXIII: *Habeant naves adornatas bonis & probis marinellis, & bene armatis.* Similiter idem alibi. Ac Watsius adducit ex Rotulo patente IX. Joannis R. *Omnibus sturemannis, marinellis, & mercatoribus Angliæ.* Ubi videmus, *sturemannos*, hoc est, navium gubernatores, poni extra numerum marinellorum, id est, sociorum, qui gubernatori subsunt.

Maritagium, pro matrimonium, à *mariti*, vel *maritandi* voce, item pro dote, quæ ex uxoris Patre Marito confertur. Sæpius apud Matthæum Parisium occurrit: item in chartis Ducum Normanniæ, & regum Franciæ. Ubi inter alia †: *Si nos mori contigerit absque hærede de uxore nostra desponsata, cum feodis dedimus iisdem in maritagium feudum Hugonis.* Item in iisdem *: *Non debet Archiepiscopus tenere, nisi tantùm tria placita; scilicet de maritagio, de legato mortui, & de catallo clerici.* Similiterque Petrus de Vineis lib. III. epist. V: *In manibus ejus omnem dedem, & jus, de quibus tenebatur eis pro maritagio, — remisisse.* Habes & in Legg. Scoticis è Skenæo editis lib. II. cap. XLVIII: *Præterea potestas hæredum in matrimonio collocandorum est penes Regem, cùm ad nubilem ætatem pervenerint: adeò ut dos ad eum jure pertineat. Vulgò maritagium Regis dicunt.* Et ejusdem libri cap. LIX *Cùm aliquis terram de maritagio uxoris suæ petit.* De contractu matrimonii sumi docet Mastrill. Decis. 153. n. 1. Conf. Somneri Glossarium.

† Pag. 1056. edit. Paris. an. 1619.
* Pag. 1060.

Marritio, dubium, sitne ἀμέσως corruptum ex *murmuratio*: an veniat à Germanico, ac Belgico, morren: quod ipsum ex *murmurare* contractum possint videri. Sed de eo non contenderim, quia tam Germani, quàm Latini, possint ex sono suam quique vocem finxisse. Multa adeò sunt, ubi linguæ diversæ parùm à se invicem abeant in iis, quæ ὁμοστοιχίας vocantur. Utcunque verò de prima est origine; *marritio* propriè est obmurmuratio, tacitaque stomachatio: ac fere sumitur, pro molestia, dolore, vel querela ex damno accepto. Ut in chartis Monasterii S. Gall: quarum in sexagesima prima, Rege Karolomanno scriptâ, legas: *Sin autem, ipsæres sine ulla marritione ad ipsum monasterium revertantur.* Proximoque anno, secundo regis Karoli, habes: *Et post nostrum, ipsæres, pro animabus nostris, ad ipsum Monasterium sine ulla marritione revertantur.* Constitutiones Karoli Calvi tit. XVI, ad Francos, & Aquitanos, cap. XIII: *Pacifico animo donat illi commeatum. Tantum ut ipsi, & in suo regno, vel suis fidelibus, aliquod damnum, aut aliquam marritionem, non faciat.* Ludovicus de la Cerda in Adversariis cap. CLXXXVI. §. CIX. censet, *marritio* idem esse, ac detrimentum, jactura. Sed videmus, in loco adlato à *damno* distingui; & ἕτερον aliud, ut puto, indicat.

Martiaticum, pro militum stipendio, à *Marte* sic dictum; teste Prisciano ad XII. Æn. Nempe ut à *cathedra* est *cathedraticum*.

Mastica Plinio Valeriano, pro eo, quod masticatur, hoc est manducatur. Quæ masticandi vox à μασάσθαι, hoc est, μασᾶσθαι, manducare. Sic interpretatur Hesychius, & Nicandri Theriacorum scholiastes. Atque inde μάσταξ, *mandibula*.

Martiobarbulus teli est genus, quod aliter *plumbata*; ut liquet ex Vegetio lib. I. cap. XVII, & Modesto de vocab. rei militaris. Leoni in Tacticis vocatur μαρτζοβάρβυλον: nisi, ut puto, potiùs rescribendum μαρτζοβλάβυλον: sicut est apud Mauricium Strateg. lib. II, cap. XXII. Turnebus lib. XXIV. Adversar. cap. XII. conjectabat, sic dici, quasi Martias sive Martiales, hoc est, militarium virorum barbulos, sive barbos pisces. Quod etymon mihi longè admodum peti, nec quicquam verisimile habere, videtur. Meursius in Glossario censet, posteriorem vocabuli partem esse *barbulus*; eâque voce teli genus signari comprobat ex Godefrido monacho S. Pantaleonis. Sed jam ostensum nobis, apud hunc pro *barbolis*, legendum esse *barbotis*, quod est, navigii genus. Quid si igitur telum istiusmodi dixerint *barbulum*, à

barbæ

barbæ similitudine; quemadmodum in cometis, sic laxè vocatis, etiam sunt πωγωνίαι? Sanè & in telis fuit Germanis **Bard**; credo, quia iisdem barba **Bard**; & ferrum ejus teli barbam referebat. A quo etiam **Hellebaert** deductum: imò fortasse nec sic dicti *Longobardi* à longis barbis; sed quia bardis, hoc est, telis, vel securibus, uterentur. Aç de isto etiam antea diximus.

Martyriale, quicquid tangit eum, qui vitam profundit pro veritate religionis Christianæ. Vita S. Fulgentii cap. IX: *Ut martyrialis agonis participes effecti, illata discerent supplicia tolerare.*

Massalis quid sit, liquebit ex iis, quæ afferam in Particulis, cùm agam de voce *Massaliter*.

Matricarii à *matrice*, ubi nómina inscriberentur; ut à *matricula* iidem *matricularii*. De posteriori proximè agam. Priori usus Julianus Antecessor Constitut. XXIII: *Interesse prætores oportet, vicenos secum habere milites, & tricenos matricarios.* Ac similiter Græcè ματρικάριοι Novell. XIX. At Cedreno ματρικάριοι, qui usitatiùs ξυλουργοὶ, *materiarios* dixeris potiùs, quàm *lignarios*: si observare visum discrimen inter *materiem*, quæ ἰργάσιμος †, & *lignum*, quod κώδιμον *. Quod discrimen non uno in Digestorum loco reperias. Si tamen *fabros lignarios* nuncupes, abunde ambiguitati vocabuli occurritur.

† *Apta ad aliquid inde efficiendum.*

* *Vsile.*

Matricularii vocabantur, quorum nomina matriculæ inscripta. *Matricula* verò est nominum indiculus, sive catalogus, vel regestum, pro quo vulgò *registrum* dicunt. Legas in Vita S. Leodegarii, Episcopi Augustodunensis *, & alibi crebrò. Estque diminutivum à *matrix*; quo ipso sic κατὰ μεταφορὰν usi videntur. Gloss. Philoxeni; *Matrix*, σημεῖον ὀνομάτων. Porrò *matricula* vox ad varia catalogorum genera extenditur. In Academiis *matriculam* appellant codicem, in quem referuntur nomina omnium Academicâ fruentium libertate. Cui cùm inscribuntur, studiorum gratiâ, in Academiam missi, dicuntur *immatriculari*. Est quoque matricula eorum, qui aliquid penderent Cæsari, aut qui militiæ nomen dedissent. Quod ex veteribus Jurisconsultis liquet. Unde in Glossis Basilic. Ματρίκιον, ἡ ἀναγραφὴ τῶν στρατιωτῶν. *Matricula, descriptio, sive index militum.* Vide de militaribus hisce matriculis Vegetium lib. I. cap. XVI, & lib. II. cap. VI. Imò & Ecclesiæ matriculæ variabant. Erant matriculæ baptizatorum. Idem fidelium, sive qui Dominicâ communione digni haberentur. Unde delebantur, quibus imposita esset pœnitentia publica. Erat quoque matricula egenorum,

* *Tom. I Script. Francica Hist. pag. 601, edit. And. Chesnei.*

qui sumtibus alerentur Ecclesiæ. Item quæstorum, annotantium, qui quid Ecclesiæ quotannis penderent. In tam diverso matricularum usu attendere oportet, de quo genere loquantur scriptores. Ac par ratio, cùm à tam variis significationibus *matriculariі* dicuntur. Quâ voce utuntur Gregorius Turonensis lib. VII. Histor. Franc. cap. XXXIII; Aimoinus lib. IV. cap. XXXIII, Hincmarus epist. VII. cap. XXXV. Flodoardus lib. I. Histor. Rhem. cap. XX. & alibi apud eundem non semel, Baldericus Chronici Cameracensis lib. I. cap. XXXIII, Adamus Bremensis Histor. Eccles. cap. V. Incertus in vita S. Rigoberti, Rhemensis Archiepiscopi, cap. I †. Legas & in Formulis sollennibus, à Lindenbrogio editis; uti eâ, quæ numero CXXXVIII; & illis, quas Marculfo subtexuit Bignonius, cap. XI. formularum secundùm legem Romanam. De iis, qui baptizatorum nomina annotarent, sic scribit Sebastianus Rouillard Partheniæ Carnotensis part. II, ubi Officiarios ejus Ecclesiæ describit: *Sequuntur duodecim ministri dicti MARGVILLIERS, Latinè matriculariі, à matricula, seu regiſtro, in quo olim scribebant nomina eorum, qui ad baptismum deferebantur in Ecclesiis cathedralibus.* Quod verò dixi, etiam matriculas, & matricularios, eorum fuisse, qui Ecclesiæ eleemosynis viverent; liquidò comprobatur isto Gregorii Turonensis Miraculorum S. Martini lib. II. cap. XXII: *Cùm matriculam, quæ ibidem congregata est, pasceret.* Ubi *matricula*, pro egenis, matriculæ inscriptis. Flodoardus Historiæ Rhemensis lib. I. cap. IX: *Sanctimonialibus, & viduis in matricula positis, solidos tres.* Item ejusce libri cap. XVIII. in Testamento Remigii: *Pauperibus duodecim in matricula positis.* Hinc *matriculariі*, egeni; non quivis, sed matriculæ inscripti. Gregorius Turonensis lib. VII. cap. XXIX: *Nonnulli etiam matriculariorum, & reliquorum pauperum, pro scelere commisso, tectum cellulæ conantur evertere.* Hincmarus in vita Rhemigii, & ex eo Flodoardus lib. I. cap. XX: *Hæc omnia vehiculo, quod vulgò benna dicitur, imposuit, & junctis bobus ad basilicam S. Remigii, candelam manu ferens, properavit; quò perveniens, cibariis, quæ detulit, pavit matricularios.* Nec alios puto intelligi apud Flodordum lib. III. cap. XXVI: *Dictum est mihi, quod matricularios, à ministro meo constitutos, de illa matricula —— ejeciſti.* Item apud Albonem, monachum Floriacensem, de passione Eadmundi, Anglorum Regis: *Interea quidam matriculariorum, qui intra basilicam jacebat, somno excitus.* Hinc Isidorus in Glossis: *Matricularius, pauper, inops.* Nempe *matricularius*, nunc vocatur, qui matri-

† *Apud Bollandum in vitis SS. 4. Ian.*

triculæ inscriberet, nunc qui inscriptus foret; ut à Flodoardo, & Isidoro, sumi vidimus. Quod verò superiùs dixi de matricula fidelium, cognoscimus ex Collectione Benedicti Levitæ lib. VII. cap. CLXVII adversus clericos contumaces: *Si Ecclesiam frequentare, vel officium suum implere, neglexerint; peregrina eis communio tribuatur; ita ut cùm eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula, gradum suum dignitatemq; recipiant.* Sunt verò ea ex cap. XIII. Concilii Agathensis. Etiam Ecclesiæ matricularios signat Hincmarus, Remorum Archiepiscopus, diplomate quodam †: *Quapropter Dominus Rex de eadem Abbatia quasdam res, villas, prædia, mancipia, imperiali præcepto suo confirmavit. Has villas cum mancipiis, & omnibus ad se pertinentibus, in usus luminariorum, matriculariorum, deputavit,* &c.

† *Ap. Miræum in diplom. Belg. pag. 23.*

Matrina, pro *noverca*, in Legibus est Longob. lib. II. Tit. VIII. L. I, & lib. III. Tit. XIV. L. XII. At pro ea, quæ de sacro suscepit fonte, legas in Capit. Karolinis lib. V. Tit. VII, Aimoino Histor. lib. V. cap. LVII, Walafr. Strabone cap. XVI, & sæpe apud alios, qui de ritibus Ecclesiæ scripsere. Vide *Patrinus*. Utramque significationem agnoscit & vetus Vocabularium: *Matrina, quæ aliquem de sacro fonte levat, vel in Ecclesiam introducit: item matrina, noverca.* Nempe noverca civiliter est pro matre; susceptrix, spiritualiter.

Matronæum, locus matronis destinatus. Anastasius in Symmacho: *Cameram fecit, & matronæum, super confessionem imaginem argenteam cum Salvatore, & duodecim Apostolos posuit, qui pensent. libr. CXX.*

Maturitas, diei aurora. Ekkehard. jun. cap. 3: *Quâdam nocte in Ecclesiâ proveniens in maturitate.* Iterum: *Ipse proveniret in maturitate.* Goldast. in Notis p. 179.

Matum, vel *madum*, videri possint juniores contraxisse ex *madidum*. Isidorus in Glossis: *Matum est humectum, emollitum, infectum.* In Mssis etiam Ciceronis codd. est lib. XVI ad Att. epist. XIII: *Longulum sanè iter, & via mata.* In vulgatis est *inepta*. Sed longiùs hoc abit à Mssis. Aliqui igitur corrigunt *madida*, alii *molesta*, alii *mala*, Lambinus *madidata*. In Mssis Palatinis, & quibusdam aliis, est *amata*. Unde aliqui *hamata*: Bosius ἀμάρα, quo, ut Pollux, & Hesychius, testantur, significatur sulcus, sive incile, quo aqua in hortos derivatur. Quomodo sententia fuerit, sic aquam stagnâsse, ut via sit instar ἀμάρας. Tantùm verò abest, ut Ciceronem scripsisse *mata* credam, ut potiùs Isidorum putem corruptum, atque apud eum *mandidatum* legi oportere.

Ma-

Maximitas, magnitudo maxima. Arnobius lib. VI: *In vastis porrigere se longius, atq; in maximitate producere.* Simile est ac à *proximus*, *proximitas.*

CAP. XXV.

De iis, ubi liquidarum secundam secunda excipit vocalis. Medallia, *pro numismatis, vetustatis gratiâ adservatis.* Megadomesticus, *fungens magni domestici dignitate.* Melo, *pro* meles; *& unde sit, quòd* melotæ *non ovillæ modo, sed caprinæ etiam pelles dicantur.* Melodima, *canticum.* Menantes, *qui famosos spargunt libellos.* Mensale, *mensa.* Mensuratum, *quod quis dimensus.* Mensurinus, *mensruus.* Mercada, *vel* mercata, *mercatus.* Merceria, *mercimonium.* Merchatus, *mercatus.* Merciamentum, *vel* amerciamentum, *levior multa pecuniaria, qua & misericordia.* Merciatoria *navis, qua mercantium defert merces.* Meretricatio, *scortatio.* Mergula, *mergus.* Mersor, *urinator.* Mesopicatum, *mediâ sui parte oblitum pice.* Messivus, *messorius.* Mesuagium, *&* messuagium, *domicilium, habitatio.* Metacismus, *crebra steratio litera M. eodem in versu, vel periodo.* Metseptimus, *pro septimus ipse.*

HIs consequens est, ut loquar de cœptis ab M, sequente alterâ vocali.

Medallia vulgò nomismata vetera, quæ non amplius in usu, sed solùm antiquitatis caussâ asservantur, ex Latino *metalla*, quia ex auro, argento, ære. De qualibus Pomponius J. C. † *Nomismatum aureorum, vel argenteorum veterum, quibus progenimis uti solent, usus-fructus legari potest.*

† *Lib. 28. de Usufructu.*

Magedomesticus, vox hybrida, quasi magnum præsidem dicas: ut explicabitur cum de *domestici* dicam vocabulo in iis, quæ usurparunt significatione veteribus ignotâ.

Melo Isidoro †, qui Varroni de R.R. * *meles*, vel *melis*; etiam Martiali lib. x. epigr. XXXVII:

† *Lib. 12. Orig extremo cap. 1.*

Venator captâ male superbus adest.

* *Lib. 3. de R. R. cap. 12. uti & Plinio lib. 8. cap. 38.*

Sic legi oportere, ex codice Mso observavit Salmasius †. Vulgò legitur *marte.* In veteribus libris est *male*, pro *male.* Flavius Caper de verbis Dubiis: *Meles, bestia quædam, non melones.* Unde videmus, non Isidori demum, sed jam Capri ætate, *melo* dictum, pro *meles*; licet per-

† *Ad Solinum pag. 1003.*

peram,

peram, unde à Capro improbatur. Sunt qui exteriorem monachi tunicam pelliceam à *melone melotam* esse vocatam arbitrentur: sed falluntur, cùm non è melonis pelle fuerit, sed ovilla: ut quod sit à μηλωτὴ: quod legas in divina ad Hebræos epistolâ cap. XI. 37. περιῆλθον ἐν μηλωταῖς, ἐν αἰγείοις δέρμασιν. Quod vetus interpres reddidit: *Circumierunt in melotis, in pellibus caprinis.* Videmus hic opponi μηλωτὰς, & αἰγεῖα δέρματα. Sed sæpe *melota* etiam de caprinis pellibus legas. Quid mirum? quando & μῆλον, longè quidem crebriùs de ovibus; quandóque interim de capris, usurpatur: ut videmus apud Homerum Odyss. Ξ. Hæc ut manifestiora sint, adferam aliqua loca, ubi nunc generatim sumatur pro pellicea tunica; nunc particulatim vel pro ovilla, vel caprina. B. Hieronymus Eliæ pallium *meloten* appellat epist. XXVIII ad Lucinium: in quo secutus LXX interpretes lib. III Reg. XIX. 19, & IV. Reg. II. 8. Ejusdem Hieronymi est epist. LXV: *Tanta erat deformitas in melotis.* Similiter regula Pachomii, in vita ejus: *Habeant singuli meloten, id est, pellem caprinam confectam albam; sine qua neque comedant, neque dormiant.* Est & Cassiani lib. I. de Institutis Renunciantium cap. VIII: *Ultimus est habitus eorum pellis caprina, qua melotes, vel pera, appellatur.* Ubi *pera* dicitur more seculi, pro *penula.* Usurpat quoque S. Faustus Casinensis monachus; (de cujus ætate diximus in Historicorum Latinorum historia) in vita S. Mauri cap. II. §. XII: *Ergo, cùm ex aqua traherer, super caput meum Abbatis melotem videbam, atque ipsum me ex aquis reducere * considerabam.* * Al. educere Quæ etiam legas apud Gregorium lib. II dial. cap. VII. Usus & Ivo epist. XCXII: *Verùm cùm quidam, ex hac professione, in melotis suis vicos, castella, civitates, gyrando perlustrent; humilitate vestium, vilitate ciborum, merita sua populis ostentant.*

Melodima, pro cantico, vel modulatione. Glaber Radulphus in vita S. Guilielmi, abbatis Divionensis * cap. XIII: *Psalmorum nihilominus concentum dulcissimo ultra omnes distinguens decoravit melodimate.* A μελῳδεῖν, unde μελῳδητὸς, & alia, foret μελῴδημα, pro quo, juxta corruptam pronunciationem, dixere *melodima*: ut ex ἐλέησον fecere *eleïson*, & corruptiùs τρισυλλάβως *eleison.* * In Vitis à Bollando editis ad 1. Januar.

Menantes, qui libellis famosis alienam proscindunt ac lacerant famam. Inscriptio Bullæ Papæ * Gregorii XIII: *Contra famigeratores nuncupatos menantes, eorumque scripta recipientes, & famosos libellos scribentes, & mittentes.* Puto, corruptum esse ex Latino *minantes.* Nam famosis libellis minæ solent intentari. * Bull. tom. 2. pag. 274.

Mensale, pro *mensa*. Beka lib. Chronicorum in vita Willebordi: *Mensale diversis cibariis impletum invenit.*

Mensuratus, pro *mensus*, vel *dimensus*. Turpinus de vita Karoli M. cap. XVII: *Nasus unius palmi mensurati.*

Mensurinus, pro *menstruus*, Glossæ: *Mensurinus*, μηνιῶ. Ubi legendum μηναῖο. Quid si *mensurnus* potiùs dixerint, ut *diurnus, nocturnus*?

Mercada, pro *mercatus*, à Germanico **merket**, vel **merkt**: quod ipsum κατ' ἀφαίρεσιν, è *mercatus*, hoc est, forum. Incertus veterum Formularum scriptor in editione Bignonianâ, formula XLV †: *In quoscunque portus civitatis, seu mercada, nullo contradicente, suus venditor, vel commercius, potestatem habeat vendendi.* Item in editione Lindenbrogiana cum Legg. antiquis, formula XII *: *In quibuscunque portubus civitatis, seu mercada,* ---- *nullo contradicente i potestatem habeat vendendi.* At form. CLXI * habes pro eo *in mercado*. Pro eo & In recto *mercatum* per T legas in Legg. Longob. lib. II Tit. XXVIII. §. II: *Caballum in mercato comparare.* Et lib. III Tit: XVIII: *Ut mercatum nullo loco habeatur, nisi ubi antiquitus fuerit, & legitimè debet esse.* Guilielmus episc. Paris. in Addit. *Prohibetur sacerdotibus, ne mercata frequentent.* Agobardus De Insol. Jud. *Ne sabbatismus eorum impediretur, mercata, quæ in sabbatis solebant fieri, transmutari præceperint.* Similiter Philippus IV. Gall. R. in Edicto de Offic.* Pro *mercatus* etiam *merchatus* dixere: de quo mox loquar.

† *Pag. 271. edit. Paris. an. 1613.*

* *Edit. Francfurt. anno, 1613.*

* *Pagin. 1289.*

* *Pagin. 170.*

Merceria, merx, mercimonium; uti Galli dicunt *mercerie*. Childebertus II. Rex Franc. in fundat. Monast. S. Dionysii *: *Villam nostram cum omni mercato, & quidquid fiscus noster tam de garantia, quàm de merceria, ibidem tenuit.*

* *Apud Miræum in Donationibus Belg. pag. 17.*

Merchatus, pro mercatus sive nundinæ: quomodo *merchatum statuere, concedere, visitare*, ac similia, habes in literis Ottonis Imper. II, apud Baldericum in Chronico Cameracensi lib. I. cap. CXII. Quomodo & *mercat* pro *mercatu* dixerint, paullò ante vidimus.

Merciamentum, vel *amerciamentum*, est levior mulcta pecuniaria, quæ per misericordiam imponitur: unde & Latinè *misericordiam* vocant. Gallicè dicitur *mercy*, à quo *merciamenti*, & *amerciamenti* nomina: sed Gallicum illud sine dubio à *mercedis* vocabulo. Matthæus Parisius in Additamentis *: *Tàm isti, quàm illi, compelluntur solvere merciamenta, per possessiones laicales, si quas habent.* Item *: *Amerciamenta, quæ Episcopi, & Religiosi terræ, per chartas regias debent habere.*

* *Pag. 201.*

* *Pag. 203.*

Merciatoria navis, pro ea, quæ portandis mercibus, inservit mercatori

catoribus. Rogerus de Houeden Tom. 1. in vita Guilhelmi Senioris.

Meretricatio, scortatio, meretricia vita. Petrus Chrysologus serm. XIX : *Reperit in ea totius meretricationis illuviem.* Nec tamen multùm averser, quando *meretricari* ipsius est Columellæ.

Mergula, mergus. Althelmus libro de Virginitate cap. V : *Non enim furva voracis mergulæ factura confunditur, & atra corporis creatura contemnitur ; licet versicolor pavonis gloria tereti circulorum rotunditate præcellat.*

Mersor pro urinatore. Matthæus Parisius in an. CIↃCXCI : *Navis adversatrix, ventorum destituta solatio, immobilis permanebat. Tandem à quibusdam Regis Richardi mersoribus, ipsam subtus aquam invadentibus, locis quàm plurimis terebratur.*

Merulentus non dixero, etsi Fulgentius Planciades, libello de verbis antiquis, ex Raberii Satyra citet:

Abstemium merulenta fugit Metenia nomen.

Nam quis præterea usurpat? Imò fortasse nec usus eo Rabirius. Sæpè enim Fulgentius ille advocavit auctores, qui non exstarent. Et quàm putidus sit Grammaticus, ostendit, quòd in adlato verbo *Abstemium* exponat *observans:* quo quid ineptius?

Mesopicatum, posteriorum seculorum vox, ex Græco μέσος, & Latino *picatum* ; ut signet, quod in medio, vel mediâ sui parte, est oblitum pice. Glossæ Isidori : *Mesopicatum, medium piccatum.* Nisi rectius, *in medio piccatum.*

Messivus; pro *mossorius:* ut messoria corbis, aut falx. Fulbertus epist. XXXIX : *Quos, ubi redierunt, commonui, ut sese ad audientiam præsentarent contra Dominum Tedsridum: ipsi verò responderunt, se, messivo tempore occupatos, lites ad præsens agitare non posse.* Pro quo malim multò, *messis tempore.* Similiter idem epist. XVIII dixerat, *messivas ferias.*

Mesuagium, domus, villæ, horti, stabula, columbaria, ac similia; quæ à domino elocantur alii. Dixere, ut suspicor, *mesuagium*, & *messuagium*, quasi *mansiagium*, hoc est, mansum ubi agerent. *Mansum* quid sit, alibi dicimus. Fuerit igitur idem ac *maneria*; quod itidem à *manendo*, ut antea monitum. Charta libertatum regis Joannis apud Matthæum Parisium : *Et maneat in capitali mesuagio mariti sui per quadraginta dies post obitum mariti, intra quos adsignetur ei dos sua.* Matthæus Parisius in Henrico III *, in anno CIↃCCLIX: *Prior, & Conventus, in bonis suis, & juribus, angustiantur: quia redditus, quos à messuagiis fratribus collatis receperant, sibi nunc pereunt.* Ubi è *messuagiis* valet, è domibus alteri locatis.

* Pag. 986. edit. Londin.

Metacismus vulgò dicitur, quando litera M nimis condensatur. Sed dicendum *mytacismus*, vel *motacismus*; quia litera Mũ aliter dicta μῦ, teste Eustathio. *Metacismus* etiam legas apud Gregorium M. in Prologo Moralium. Plura de hoc vitio dixi lib. I. Artis Grammaticæ cap. XXXII, & lib. IV Institut. Orat. cap. II.

Met septimus, pro *septimusmet*; quomodo dicimus *ipsemet*. Usum Speculum Saxonicum lib. I. artic. VIII. §. II, ac pag. CXXXVII, & XLVI. Similiter *mettertius*, quasi *tertiusmet*, hoc est, etiam tertius. Speculum Saxonicum lib. I. artic. XV. §. I, & pag. CXXXV, & CXLVI.

CAP. XXVI.

De cœptis ab M, tertiâ vocali sequente. Michalatus, *nummus, in quo effigies angeli Michaëlis.* Militones, *milites.* Milleforme, *quod millenûm est genus, seu formarum.* Millerensis, *pars duodecima solidi aurei, vel paullò minus.* Ministerialis, *minister, vel ministratrix.* Miraculosus, *portentosus.* Mirificentia, *admiratio.* Missarium, *quod mittitur victori scenico.* Missaticum, *tractus omnis subditus eò à superiori potestate misso: item ipsa missio sive legatio.* Missorium, *quod à principe aliis dono mittitur.* Mititas, *lenitas, vel lenitudo.* Mitratus, *sacerdotali ornatus infulâ.* Mitrella, *mitella.*

PRoximum nunc, ut proferam illa, ubi post M consequitur vocalis tertia.

Michalatus, nummi genus, credo quia casus in eo angelus Michaël. Chronicon Casinense lib. III cap. LVII: *Centum michalatos pro pictura capituli.* Petrus diaconus lib. IV. cap. XVII: *Octo michalatorum libras.* Vulgo ab angeli effigie, vocantur *Angelotti.*

Milito, miles. Aldhelmus de Virgin. cap. VII: *Quot tyrannici milionum commanipulares humanæ naturæ nocituri subsequantur.*

Milleformia monstra, apud S. Gallum Confessorem legas.

Milliarensis, nummus argenteus, λεπτὸν ἀργύριον, millesima pars aureæ libræ: Græcis itidem μιλιαρήσιον. Scaligerum adi libro de re Numaria; quæque Petavius ad Epiphanii librum de Mensuris ac Ponderibus annotavit.

Ministerialis junioribus, qui Ciceroni, & Suetonio, *minister* vel in muliebri genere *ministratrix*. Veteres pro eo *anculus*, & *ancula*; unde ὑποκοριστικὸν *ancilla*. *Anculus* autem ab ἄγγελος, quod est nuncius; uti hodie-

hodieque *ancilla*, dienſt-bode. Quaſi dicas *miniſteriales nuncia*. Iſidorus in Gloſſis : *Anculus, miniſterialis domus Regia*. *Miniſterialis* eſt frequens in Legg. Burgundicis, & Longobardicis. Uſus & Carolus M. in diplomate : *Militares, vel alio nomine miniſteriales*. Vaſallos ſignat. Hincmarus in vita S. Remigii, & inde Flodoardus lib. 1 Hiſt. Rem. cap. xx : *Noſtrâ ætate colonus quidam villæ Remenſis Epiſcopii, quæ Plumbea Fontana dicitur, manebat juxta fiſcum Regium, qui Roſetus vocatur ; & nec peculium, nec meſſem, vel pratum, propter fiſcalinorum infeſtationem, quietè habere valebat ; unde ſæpe juſtitiam apud Regios miniſteriales petiit, quam obtinere non potuit.* Utitur quoque idem Hincmarus epiſt. III, quæ eſt ad epiſcopos Franciæ, cap. XXXII*. Itidem pro *miniſtrantibus* uſurpat Petrus de Vineis lib. III epiſt. V : *Metu inſuper incuſſo miniſterialibus ſuis, quòd nullus evaderet, niſi, quicquid petierat, compleretur ; ut ſibi, & aliis ſuis intimis, perſecutor, & tyrannus omnibus, in communi operum judicio, cenſeretur.* Pro *miniſtra* uſus Joan. Beka in vita Andreæ Epiſcopi XXV : *Miniſteriales verò jam dictæ juvenculæ, Florentii probitatem intuentes, decreverunt omnes eidem homagium exhibere, ac ipſam puellam ſuo matrimonio copulare.* Alios etiam nobis indictos abit Lindenbrogici Gloſſarium : uti Aimoinum, Steronem, Chronicon Laurishamenſe, Speculum Saxonicum, & alios. Nec de hominibus ſolùm dicitur ; ſed etiam rebus. Sic *miniſterialis calix* vocatus, quo in ſacro Euchariſtiæ ſacramento utebatur S. Remigius : cui inſcripti erant verſiculi iſti :

Hauriat hinc populus vitam de ſanguine ſacro
Injecto, æternus quem fudit vulnere Chriſtus.
Remigius reddit Domino ſua vota ſacerdos.

Abbas Joachim prolegom. in Apocalypſim : *Denique & Rebecca, mater Iacob, cui in typo ſanctæ hujus Eccleſiæ miniſterialia munuſcula data ſunt, & utique à ſervo Habræ**. Vid. Goldaſtus Not. in Burchard. c. 8. p. 217. Wendelinus Gloſſar. Salico Voc. Aduat. p. 169.

* Pag. 37 edit. Mogunt. ann. 1602.

* Abræ ſeu Abrahæ.

Miraculoſius vetuſtis ignotum : qui maluere mirabilis, admiratione dignus, portentoſus.

Mirificentia, pro admiratione, vel maximè admirando. Nempe quâ formâ *magnificentiam* dicimus. Petrus Chryſologus ſerm. LXIII : *Reſurrectionis tantùm contemplemur effectum ; quia hoc ſignum videmus eſſe ſignorum, virtutum cernimus eſſe virtutem, mirabilium eſſe mirificentiam pervidemus.*

Missarium, quod præmii loco mittitur poëtæ, qui præconis voce victor pronunciatus in scena. Est igitur à mittendo, câ formâ, quâ *emissarius* dicimus. Juvenalis sat. VIII ℣. CCXXVII :

Majorum effigies habeant insignia vocis.

Ubi interpres vetus, *voci missaria*. Τὸ κήρυκαρον intelligi, manu suâ adscripserat Josephus Scaliger. Sententia poëtæ est : Alii ante majorum effigies collocent hostium spolia : tu, Nero, ante eas colloca coronam ex apio, ac similia ornamenta, quæ missa tibi, cum vicisses citharæ cantu. Sed quid si is scholiastes non *missaria* scripserit, verùm *missoria* ? de quo mox dicam.

Missaticum, regio tractusque, cui præerat missus à principe : eratque is tractus, nunc plurimum, nunc pauciorum pagorum. Constit. Caroli Calvi tit. XII apud Silvacum cap. XII : *Ut unusquisque missus in suo missatico provisionem habeat ; ut si aliquis de nostris fidelibus per missaticum suum transierit, aut ibi consistens, aut commanens, rapinas fecerit.* Similiter cap. seq. *Ut missi in illorum missaticis curam habeant, ne homines nostri ----vicinos majores, vel minores, deprædentur.* *Missatici* verò, quos misisset Princeps. Ut in lemmate, tit. eoddm : *Pagi per missaticos, qualiter fuerunt tunc ordinati.* Vide sis Sirmondum ad Caroli Calvi Constit. †. Imò & *missaticus*, ipsa legatio, sive mandata missi. Ut apud Bonifacium Martyrem epist. CXV : *Postea verò contigit, ut Dominus Imperator patruelem meum Richolf miserit in missaticum, super Elbam, cum his inferiùs scriptis.* Item in Constitutionibus Karoli Calvi tit. XVIII, in lemmate, *Istum missaticum transmisit domnus rex gloriosus Karolus per Adalardum Abbatem.* Ubi itidem adi Sirmondum.

† Notarum pag. 28. sive ad pag. 113.

Missorium ex eo vocatum, quia dono mitti soleat à principibus, & summatibus viris : reponebatur verò in thesauris : quippe metallo, & arte preciosum. Gregorius Turonensis Hist. Franc. lib. VII. cap. IV : *Reliquos verò thesauros, qui apud villam Calem remanserant, in quibus erat missorium illud aureum, quod nuper fecerat, thesaurarii levaverunt.* Fredegarii, Aimoini, & Flodoardi loca similia adducerem, nisi ea jam in Glossario suo apposuisset Clarissimus Meursius : ubi etiam docet, Græcos pro eo corruptè dixisse μισσάριον, vel μισσώριον. Pro istis verò apponam alia ex scriptoribus aliis. Regino abbas Chronicorum lib. I : *Missorium aureum* (ita legendum, pro *aurum*) *regi promittit, pensans auri pondera L.* Et mox : *Missorium Gothis contradicentibus non transmisit.* Ubi ἄτυμον respicit, quod est à *mittendo*. Cùm verò *missorium* naturâ

naturâ sit adjectivum, intelligitur *vas*: quod expressit Fortunatus, Pictavorum episcopus, de vita S. Germani cap. XIV: *Incidens aurata missoria, ac argentea vasa comminuens.* Porrò & argentea fuisse missoria, clarè indicant hæc verba in fine Testamenti S. Remigii: *Ut basilicæ dominorum martyrum, Timothei, & Apollinaris, missorium argenteum VI librarum ibi deputem; ut ex eo sedes futura meorum ossium componatur.*

Mititas, pro virtute animi, à qua mites dicimur, usurpat Nicolaus Lyra in Glossa ad Genes. XV. ubi ait, à Christo nobis proponi *mititatem columbæ*. Et seculo superiori, quod mirum, nec refugit vir eruditus Godefridus Tilmannus in tralatione Antiochi, homil. CVI. ubi Græcè ἡπιότης. Maluissem pro eo *lenitas*, vel *lenitudo*: quæ ipsius sunt Ciceronis. Nam ἥπιος quidem *mitis, lenis*. Sed à *lenis, lenitas*, ac *lenitudo*, dicitur; non item à *mitas, mititas*. Vide, quæ attuli, Oratoriarum Institut. lib. II cap. III. sect. I.

Mitratus, à mitra; qua voce etiam Christiani sunt usi pro infula sacerdotali. Thom. Walsingamus Histor. Angl. in Richardo II *: *Episcopi quoque, & Abbates mitrati, non obstante, quod Abbates tenerentur solvere, pro singulis capitibus monachorum suorum, XL denar.* &c. Intelligo autem, cùm alibi, tum in Italia, ac Polonia, hujusce modi abbates potiùs dici infulatos: quorum & major sit dignitas, cùm, ut cætera mittam, episcopali habitu missam dicant. * Pag. 221.

Mitrella, ut Græcis μιτράριον, est ὑποκορισικὸν à *mitra*. Reperias apud Optatum Milevitanum lib. VI, semel, iterumque. Malim autem *mitella*; ut legitur apud B. Hieronymum epist. XXIII ad Marcellam, ubi de Blasilla. Imò apud ipsum Maronem in Catalectis:

Copa Syrisca & aput Grajâ redimita mitellâ.

Sic à *scalprum*, non *scalprellum*; sed *scalpellum*. Scio, Ludovicum de la Cerda in Adversi. Sacris cap. CLI putare, aliud esse *mitrellas*, aliud *mitellas*. Mihi non dubium, quin utrâque significatione *mitella* ab eruditioribus dici soleat.

Mortualia, mortuorum vigiliæ, cantiones funebres.

CAP. XXVII.

Afferuntur, quibus initium est à MO. Modela, *modus*. Modernus, *nostri temporis*. Mœnium, *pro mœnia*. Moginellus, *mangana minoris molis*. Molendinum, *domus, ubi molitur*. *Obiterque de* moletrina, fœtutina, furatrina. Molendinarium, *pro molendium, ac quicquid eò pertinet: uti &*

uti & molendinarius, *pro molitore.* Molinus, *mola.* Momentaneus, *momento temporis durans.* Monachilis, *monachicus.* Monetarius, *monetalis.* Monetatio, *cusio monetalis.* Moneti, *vel fortasse* monetati, *nummi signati.* Monocosinum, *vehiculum, sive ab uno tractum jumento, sive unum vehens hominem.* Monoculus, *luscus.* Monogramma, *vocabulum plurium literarum, continuato linea unius ductu exaratum.* Monstruosus, *monstrosus.* Moralitas, *morum compositio.* Morantia, *mora.* Morbificatus, *agrotus,* Morosus, *benè moratus.* Morsellus, *buccella.* Morticinium, *mortale corpus.* Mosillus, *mos minutus.* Movita, *motus, seu spontaneus, seu ab alterius impulsu.*

PErgamus porrò ad ea, ubi post M. se offert quarta vocalis. *Modela,* pro modus. Fulbertus Carnotensis **:*

* *Fol.* 113. *edit. Paris.* 1608.

Est tamen observanda diuturna modela diæta.

Ubi aliquis, metri caussa trajectis vocibus, rescribendum existimet:

Observanda tamen diuturna medela diæta est.

Sed longè malim, duobus solùm literulis ejectis:

Est tamen observanda diurnâ modela diæta.

Modum diætæ mox subjunxit:

Libra cibi solidi, simplex hemina Falerni.

Imò quid si pro *modela* reponi debeat *medela*? quod probum, ac vetus.

Modernus, pro eo, quod nostri est temporis. Vox hæc jam quingentesimo Christi anno obtinuit: ut ostendi lib. I. cap. XXVIII. Quid igitur mirum, si utantur post alteros quingentos annos consecuti? In his Petrus Damiani lib. II epist. III: *Cùm de modernis episcopis mihi perplura displiceant.* Arnulphus Lexoviensis Carm. ad Henricum Wintonienſem episcopum †:

† *Pag.* 101.

Contulit illa simul, quicquid virtutis habere
Humanum corpus, mensq; moderna potest.

Ivo Carnot. in Chronico Franç. *Nulli moderni temporis in regendo comparabilis.* Similiter Petrus de Vineis lib. III epist. XVIII. Vellem non uterentur hoc vocabulo, qui rem tractant Grammaticam; ut in profano suo Grammatico Sandæus commentatione x *.

* *Pag.* 382.

Mœnium elegantissimum, pro *mœnia elegantissima,* vel antiquo more, *mœne elegantissimum.* Festus: *Mœne singulariter dixit Ennius: Apud emporium in campo hostium per mœne.* Sive, *pro mœne:* ut est in schedis Pomponii Læti: At *mœnium,* pro *mœne,* est Suenonis, qui Saxonis Grammatici

matici æqualis fuit, ac primus Daniæ historicus. Is in Compendio Historicæ Danicæ ait cap. III: *Mœnium itaque Thyra prima construxit elegantissimum; quod postmodum Danis, velut indagine inclusis, à Teutonica rabie tutissimum semper munimen exstitit.*

Moginellus, machina bellica; ut liquet ex hisce Comitis S. Pauli, epistolâ ad Ducem Lovaniensem, apud Guillielmum monachum S. Pantaleonis *: *Super quemlibet pontem poterant ire quatuor milites de fronte. Præterea quilibet usurius mogonellum suum habebat erectum.* Nisi malis *mogonellus*, vel *manginella*; de quibus egi antea in *Manganum*. Si utrumque dixere, *moginellus* ex *manginellus* sit: hoc ex *manganus*, vel *manganum*, pro *mangana*; quod ex *machina*.

* *In script. rerum Germ. edente ab Freh. pag.* 270.

Molendinum, domus ea, ubi molitur. Aliud igitur *mola*, aliud *molendinum*: quia *mola* est instrumentum, cujus motu frumenta comminuuntur: *molendinum*, præter instrumentum hoc, continet loca alia, in quibus molitor degat cum familia. Imò nec à quavis mola nomen molendino; sed ea, quæ equis, aut vento; non item quæ aquâ circumagitur. *Molendini* voce, *quam veteres nesciunt*, utitur Aimoinus lib. III cap. XL I, Flodoardus Historiæ Remensis lib. I cap. XIV, atque alibi eodem opere, Petrus Damiani lib. I epist. IX, Ivo Carnotensis epist. LXXVII, & CCLIX. Ubi & *molendum* pro eo legas. Verba sunt: *Vt quod ab omnibus molendinis Belvacensis Levæ committitur, totum in molendum beati Quintini reflectatur.* Nisi posteriori etiam loco *molendinum* debet reponi. Quomodo & vocat Baldericus in Chronico Cameracensi lib. I cap. XXV, Radevicus Frisingensis lib. IV de gestis Friderici I cap. V, Guntherus lib. VIII Ligurini sui:

Cumque molendinis telonea †, *flumina, pontes.*

† *Producit primam, quia ætate eâ* tollonea *pronunciabant: vel etiam* tholonea, *de quo inferiùs loquar in* Toloneum.

Specul. Saxon. Artic. LIX: *Qui prius annonam molendino præsentaverit, prius molere debet.* Habes & in donatione Henrici I. Imperatoris anno CIↃCCXIV. factâ Ecclesiæ Novariensi: eam lege sis apud Baronium Tom. XI. Annal. Eccles. ad eumpse annum. Adhæc apud Eugenium Papam III. epistolâ ad Godescalcum Atrebatensem: *Molendinum aliud cum duobus furnis, & camba.* Item apud Cæsarium, ac Bekam. Imò & in Inscriptionibus reperias, quas Gruterus collegit. Omnino autem pro hoc, cum Budæo, *moletrinâ* malim. Nam hoc pro *pistrino*, ubi molebatur, sic, Nonio teste, usurpat Cato: cujus illud in Thermum: *Nervo, carcere, moletrinâ.* Atque addit Nonius, similia esse *feratrina*, & *fœtutina*. Posteriori horum usus Agellius lib. XIII. cap. XIX,

& Appulejus in Apologia. At pro *feratrina* (quomodo etiam est in membranis nostris) vel *ferratrina* legendum ; quod Josiæ Mercero visum ; vel, quod malim, *furatrina* ; sicuti Colvio placuit ad illud Appulei lib. VI Met. *Observatis omnibus, furatrinâ facili, flaventis auri mollitie congestum gremium Veneri reportat.* Ac vocem eamdem monet Colvius legi in Inscriptionibus, quas continet Aldi Orthographia.

Molendinarium, pro molendinum. Philippus Elsatius Flandriæ Comes, in epist. *Furnos, & cambas facere, & etiam molendinaria caballaria.* Imò & *molendinarium* vocatur, quicquid ad molendinum pertinet. Onomasticon : *Molendinarius*, μυλικός. Sed & molitor ipse sic dictus. Gloss. Αλετρὶς, *Molendinarius, molator.* Ubi pro *molator* lubens reposuerim *molitor.* Sed obstare videtur, quod ibidem est, Ἄλεσμα, *molatio.* Et eo decipi potuit glossographus, quod *immolare*, & *immolatio*, dicatur.

Molinus, pro mola, Leg. Sal. Tit. XXV. *Aquamolina*, ὑδρομύλη. Gloss. Mss.

Momentaneus legas apud B. Ambrosium, de Suris ab Elisæo in Urbem inductis, &, ut Scripturæ docent, momentaneâ cæcitate percussis, Hodiéque sic loqui solent. Sed malim *momentarius* : quomodo ab *argentum, argentarius* ; à *frumentum, frumentarius* ; similiaque *ordinarius, primarius, ostiarius*, aliaque. Aliquid tamen est, quòd à foro *circumforaneus* dicimus. Augusti ævo nec *momentaneus*, nec *momentarius*, in usu fuisse arbitror. Sed est Appuleii lib. II Metam. *Quid oro, me post Lethaea pocula, jam Stygis paludibus innatantem, ad momentaria vitae reducitis officia?* Et penè initio libri IX : *Momentariam salutem reperisse videbatur.* Item lib. X, *momentarium venenum*, quod momento hominem tolleret. Ac alibi quoque idem usurpat. Imò similiter L. Pecunia, §. VIII. §. de aliment. & cib. leg.

Monachilis, pro quo usitatiùs *monachalis* ; meliùs verò *monachicus.* Legas in Vit S. Adalberti, Episcopi Pragensis, & Martyris *. Item in Vita S. Majoli : *Religiosissimi Patris Hildebranni, Cluniacensis Monasterii Prioris, monachilis districtionis nobile monasterium expetivit.*

* *Apud Canisium.*

Monetarius, qui monetam cudit. Habes in God. Theodos. non semel : item Vopiscum in Aureliano, Julium Firmicum lib. VIII cap. XVII, Eutropium lib. VII, Cassiodorum lib. V Variarum epist. XXXIX. Ut mittam his multò juniores ; quales Anastasius Papa in diplomate ad Heloissam, & Eugenius Papa in diplomate ad eandem : item Matthæus Parisius in an. CIↃCXXIV. Suidas : Μονιτάριοι, οἱ περὶ τὸ νόμισμα τεχνῖται. Puto, veteres potiùs *monetales* vocassent ; quomodo dixere *triumviros monetales.*

Mone-

Monetatio, Matthæo Pariſio in an. cIↃccXLVIII. Malim *monetalis cuſio*; quod eſt L. XVIII de Extraord. ſive ſord. muner. in Cod. Theod.

Moneti, adjectivè pro ſignati, aut percuſſi, habes, ſi ſana eſt vulgaris lectio, in Conſtitutione Karoli Magni *, quæ eſt de monetis falſis: *Illi tamen denarii, qui modò moneti ſunt, ſi penſantes, & meri ſunt, habeantur.* Suſpicor, ſcribendum *monetati*; ut ſit à *monetare*, quod Belgis munten, hoc eſt, pecuniam cudere. Sanè ab origine eâdem eſt *monetatio*: de quo proximè dictum.

* Pag. 304. edit. Moguntin. ann. 1602.

Monialis, virgo Chriſto dicata. Uſurpat Cæſarius lib. I Miracul. cap. XLI, & XLII, Petrus de Vineis lib. IV epiſt. CXVI, Heloiſſa epiſt. IV ad Abælardum, Statuta monachorum de Sempringham *, Beka in vita Godebaldi epiſc. XXIV, Speculum Saxonicum *, Gaſpar Bruſch in Chronic. *Monialium verò tres abbatiæ.* Imò & ſeculo proximo uſi non pauci; in quibus Thomas Morus lib. I Utopiæ ſuæ: *Mendicos omnes latâ lege diſtribui jubeo in Benedictinorum cœnobia, & fieri laicos, ut vocant, monachos: mulieres, moniales eſſe impero.* Item Caſaubonus ad Apparatum Annal. Baron. Num. XLIX, ſive ſect. XXII. ubi ait; *Parum eſt Baronio, moniales Judaicas auctoritatibus ſtabiliſſe.* Idemque in argumento ſect. XXI, *Rejicitur fabula de Virginibus monialibus in templo degentibus.* Eſt verò κατ' ἀφαίρεσιν factum ex *caſtimonialis*, vel potiùs *ſanctimonialis*: quâ de voce inferiùs agemus. Utrâque uſus B. Auguſtinus. Nec abſurdè tamen deducas *monialis* à Græco μονίας: quomodo ὁ ἐξημάζων Euſtathio vocatur in Odyſſ. T *.

* Apud VVilhelmum VVatt, S. T. D. in Adverſariis ad Matth. Pariſ. pag. 9.

* Pag. 131.

Monocoſmum ab Iſidoro in Gloſſis exponitur, *quod ab uno jumento ducitur, vehiculi genus.* Nec dubium, quin in Gloſſis Arabico-Latinis cum Meurſio legere oporteat: *Monocoſmum, vehiculi genus, quod ab uno jumento ducatur.* Ubi vulgò *monacus*. Idem Meurſius cenſet, eſſe ex μόνος, *ſolus*, & κόσμον, *jumentum*: quod ſatis conveniat cum interpretatione utrâque antea allatâ, ſi κόσμον *jumentum* ſignet junioribus Græcorum. Sed iis *jumentum* non κόσμον, verùm ζωτίμιον. At, inquit idem clariſſimus, & optimus vir, ab eâ ſignificatione, in diplomate Andronici Palæologi junioris apud Phranzem l. III cap. XXIV, κοσμιατικὸν legas pro pretio, quod ſolveretur vel veredario pro jumenti tractura, vel curſûs publici præfecto. Verùm metuo, ne & κοσμιατικὸν Phrâzi aliud longè ſit; & *monocoſmum* potiùs fuerit vehiculum hominum delicatorum ornatè comtéq; procedentium; ac tale, ut unum tantùm hominem, vel ſummum & alterum caperet; eoque appellatio ſit à κόσμος ſignificante ornatum.

* Edit. Romana pag. 1872. verſ. 16.

Ei verò, quod dicebamus, non ab uno modò jumento trahi solere, sed ferè unum solùm eo hominem tractum; favet vetus Vocabularium: ubi legas: *Monocosmus, id est genus vehiculi, quod ab uno jumento trahitur. Et hoc monocosmum, id est, currus, unum tantum portans, & dicitur à monos, & cosmus.*

Monoculus damnabam lib. I cap. XIX: dicendum ajebam *unoculus, luscus, cocles.* Barbarum verò illud usurpat S. Ealredus in vita S. Eduardi Confessoris, Regis Angliæ cap. VII: *Aliâ autem vice duo cæci cum uno monoculo, aquâ lotionis manuum Sancti* (Eduardi) *perfusi, visum percipere meruerunt.* Similiter Cæsarius lib. IV Memorab. cap. L XII.

Monogramma ne quidem Græcum puto; etsi μονόγραμμος non Græcum sit modò, sed ipsum apud Ciceronem legas; qui ait, Epicuro Deos esse monogrammos. Beatus verò Ambrosius, vel quisquis ille auctor, in translatione S. Sebastiani cap. XIX, *monogramma* posuit pro signo nominis, continuato literarum ductu. Verba sunt: *Qui cum ad Evangelium est, calicem aureum cum patinâ, patris sui Magni Caroli moregrammate insignitâ, manibus propriis, inter legendum ponderis ingentis tenuit, & cum oblatione sacrandâ eidem dicavit.* Usus & Odo in vita Burchardi.

Monstruosus, pro monstrosus, Prudentii est. Sed de hujus generis vocabulis dictum lib. I. cap. XIII. Scrupulum interea injicit, quòd *monstruosas raritates* editum video apud Agellium lib. III. cap. XV.

Moralitas, morum conditio, mores bene maléve compositi. Fulbertus Carnot. Epist. XII. *Cui enim, etiam gravioribus delictis obnoxio, apud tam bonæ moralitatis virum non desperanda sit venia?*

Morantia pro mora, à morando. Legas in vita Hugonis Lincolniensis cap. IV.

Morbificatus, pro *ægrotus*. Petrus de Vineis lib. III epist. VIII: *Casualiter, & forsitan morbificatus itinerans.*

Morosus barbaris, pro *moribus bonis præditus*, juxta superiorum seculorum versiculum: *Mos me morosum, mora me facit esse morosum.*

Morsellus pro eo, quod morsu unico comedimus. Latini *buccam*, vel *buccellam* vocant. Usi sic *morselli* voce suppares scriptores, Matthæus Parisius, & Thomas Cantipratanus: item paullò his antiquior Cæsarius lib. IV Miracul. cap. LXXXIX, & lib. X cap. VIII. Pro exiguo morsu Plautus dicit *morsiunculam.*

Morticinium, pro corpore mortali. Fulbertus Carnotensis episc. epist. I: *Inde est, quòd damnationis nostræ proscriptionem, quam primi parentis*

trans-

transgressio miserabiliter in posteros transfuderat, evacuare disponens, cartis nostra morticinium suscepit: per quam immortalis moriendo captivitatis nostra caussam solvisset. *Morticinium* verò formatum à *morticinus*; quomodo *morticina* ovis Varroni, non occisa; sed per se mortua: ac similiter animalis ejusmodi caro Plinio *morticina* vocatur. At ἡ μεταφορὰ pro cadavereoso sumitur apud Plautum Persa, vel etiam non majoris faciendo, quàm cadaver; prout ex *Charonia* Galli, *charongne*, de homine fœdissimo, nec ultrà nomine hominis dignando. Significatione peculiari *Morticinium* vel *Morticinum*, pecunia sepulturæ, emolumentum ex morte hominis defuncti, tributum pro animâ demortui, salutis ergo Ecclesiæ erogatum. Quo sensu in Diplomate Friderici I. apud Hundium: *Stabilimus ei* (Monasterio S. Emmerani Ratisbon.) *ut* morticina, *quæ vindicantur de hominibus Monasterii, ubicunque defuncti fuerint, Monasterio salva sint & custodita.* Videatur Somnerus Glossario Voc. Pecunia Sepulturæ.

Mosillus, parvus mos; ut est in glossis Isidori. *Mosculus* aliqui corrigunt: & sanè sic dicatur magis ἀναλόγως; quomodo à *flos* est *flosculus*.

Movita, motus: *movita sua*, factum spontaneum: *movita aliena*, alterius impulsus, Ita in formulis solemnibus legas num. CXIX *: *Eo quòd insidiatus fuisset, & in sua movita, vel in sua culpa, ibidem interfectus fuisset.* Ac similiter formulâ seq. Putant inde esse Gallicum *mauvaştie*. Sed hoc malignitatem sive malitiam notat: & est à *mauvais*, malus, nocens.

* Edit. Lindenbr. pag. 1274.

CAP. XVIII.

Proferuntur ea, quibus initium ab M, sequente V. Muccatus, *nares*. Muccinium, *linteolum, quo muccum narium rapimus*: *aliud verò esse & strophiolum, & sudarium*. Mulcebris, *mulcens, sive abblandiens*. Mulossus, *canis pecuarius, aut villaticus*. Multicolorius, *multicolor*. Multiforatilis, *multiforis*. Multissimus, *plurimus*. Mundialis, *mundanus*. Munibilis, *vel* monobelis, *machina bellica*. Muræmula, *torquis aurea*. Muragium, *pecunia ad muros urbis instaurandos*. Murator, *murorum structor*; *indeque* ars muratoria. Muriones *apud Turonensem corruptè scriptum videri, pro* moriones, *vel potiùs* miriones. Murilegus, *pro fele*. Murmurosus, *murmillare solitus*. Muscidus, *mucidus*. Musculæ, *concha margaritifera*. Musilæum, *mausolæum*. Mussula, *muscus*. Myxum, *ellychnium, sive quod emungitur de lucerna*.

IN cœptis ab M. quid nunc superest, nisi ut adnectam, ubi postrema sequitur vocalis?

Muccatus, nares, quia iis mucus educitur. Lex Ripuaria tit. LXVIII. §. VI : *Siquis absque effusione sanguinis alium brachio, pede, oculo, auditu, muccatu, digito, vel quocunque libet membro, mancaverit.*

Muccinium, linteolum quo muccus excipitur. Primus, apud quem meminerim legisse, est Arnobius lib. II : *Indicet, in quos habitus vestis stragula sacla sit, mitra, strophium, fascia, pulvinus, muccinium, leno, calantica, mantiruca, soccus, solea, calceus ?* Nec video, quomodo aptiùs vocare possis. Nam *strophiolum*, prout Erasmus appellat, aliud sonat: ut, præter Arnobii verba, ostendit illud Helvii Cinnæ *: —— *Strophio lactantes cincta capillos.* Nempe fascia erat †, qua feminæ coërcerent papillarum tumorem. Nec *sudarii* vocabulum satis idoneum ; licèt muccinio, dum mundum adhuc, sudorem etiam abstergeamus.

* *Apud Isidorum lib. 19. Orig. cap. 33. Sed apud Catullum legas Carm. de Nuptiis Pelei, & Thetidos : nisi quod illic* vincta *pro* cincta.

† *Non Marcel.*

Mulcebris, blandiens, delectans, cui, ut Agelliană utar voce, mulcedo quædam inest. Joannes Saresberiensis in Policratico lib. I. cap. ult. *Duæ sunt, ut opinor, virtutes ignis : altera edax, & peremtoria ; altera mulcebris, & innoxio lumine.* At Vulcano non à mulcendo *Mulciberis* nomen ; sed à mulcando, hoc est, molliendo, ferro. De quo pluribus dixi in Originum libris.

Mulossus in Glossis veteribus exponitur *caniculus rusticus.* An legendum *Molossus?* Solùm obstat, quòd Molossi Lucretio, Maroni, Horatio, sint canes ingentes, quales Epirotici. Sed potuere eo abuti posteriores. Vel fortasse pro *aniculus* rescribendum *canis.* Ut signet canem pecuarium, sive pastoralem, sicut Columella appellat. Tales enim proceri ac validi ; quia pro pecore iis depugnandum adversus lupos. Vel etiam canem villaticum ; qui & ipse sæpius ingens, ut viribus arceat fures.

Multicolorius pro eo, quod Plinio *multicolor*. Petrus Cellensis epist. XI : *Quasi pannum pretiosum, & multicolorium, de divinis theatris adsumens.*

Multiforatilis, pro eo, quod Ovidio *multiforis* ; Plinio, *multiforis*. At *multiforatilis* est Appulei lib. X Milesi. item in Floridis ; & Sidonii lib. VIII epist. IX : *Qui tubi solent per musicum palati concavum, voce variatâ tinnientes, quasi tibiis multiforatilibus effundi.*

Multissimus, pro *plurimus*, usurpat Bembus. Nempe eum decepit corruptus Ciceronis locus in editione Ascensii. Dixi de hoc lib. II de Analog. cap. XXIV.

Mundialis, κοσμικὸς, à *mundus* ; ut à *Mercurius* est *Mercurialis*. Gildas epist. de Excidio Britann. cap. VII : *Itaut agmine denso certatim, velocius*

lictis post tergum mundialibus tenebris, ad amœna calorum regna, quasi ad propriam sedem, tota festinaret Ecclesia. Paschasius Radbertus in vita S. Adelhardi *Abbatis* : *Timor mundialis eum nusquam potuit subrigendo transverberare.* Galdfridus Monemuthensis lib. XII cap. XVIII : *Cadualladrus, abjectis mundialibus, propter Deum, regnumque perpetuum, venit Romam.* Vita S. Lutgeri, prout ex quatuor veteribus à Joan. Cincinnio concinnata *, cap. XXI : *Quantos insuper superbiæ hydrope inflatos, item mundialium rerum ambitione gibbosos, ----virtutum antidoto sanavit!* Utitur & Rogerus de Houeden Annalium Tom. I in vita Guilielmi Senioris. Cicero pro eo in V. Tuscul. Qu. *mundanus* dixit : sed usurpat non ut possessivum, verùm gentile. *Unde*, inquit, *interrogatus philosophus Socrates, cujas esset, mundanum se esse respondit.*

* Edita Coloniæ à Quentelio.

Munibile, non tam, quod potest muniri, ut natura vocis exigere videatur, quàm illud, quo quid munitur. Sidonius lib. II epist. II : *Porticus columnis invidiosa munilibus.* In glossis vett. est, *Munilibus, machinis bellicis.* Puto leg. *Munilibus.* Nempe *munibilis* videtur tum machina bellica, tum locus machinâ ejusmodi munitus. Ludovicus de la Cerda * refert huc etiam illud in Itinerario à Burdegala ad Hierusalem usque, quod primus juris publici fecit Pithœus † : *Inde non longè, quasi ad lapidas missum, sunt monumenta duo, monubiles mira pulchritudinis facta.* Suspicio nostra est, scripsisse auctorem, *munibiles duæ* ; adscripsisse aliquem hoc glossema, *munimenta* ; id postea irrepsisse in contextum, corruptumque in *monumenta* ; ac *duæ* in *duo* commutatum. Nisi pro *monubiles* legendum *monobeles*, à lapidis unius jactu : ut sit à μόνος & βέλος. Continuò enim de hisce duabus machinis bellicis sequitur : *In unum* (munibilem, sive monobelem) *positus est Isaias Propheta ; qui est vere monolitus :* (malim *monolithus*, μονόλιθος) *& in alium Ezechias, rex Judæorum.*

* In *Adversariis sacris cap.* 142. §. 501.

† Subjicitur *Antonini Itinerario cum Surita commentariis excuso Coloniæ Agrippinæ an.* 1600.

Muranula, torquis aurea, quia murænam refert. De hoc ita Cælius Rhodiginus lib. IV Antiq. Lect. cap. II : *Murænulam colli aurum nuncupat vulgus, Hieronymo tradente : quod scilicet, metallo in virgulas lentescente, quædam ordinis flexuosi catena contexitur, ex piscis utique imagine vocabulo conformato.* Sic usurpat Gregorius Turonensis de gloria Confessorum cap XXXIII : *Annulos, murenulasque aureas.* Lex Anglorum Tit. VI, §. VI : Id est, *muranas, nuscas, monilia, inaures.* Est & apud Petr. Damiani lib. IV. epist. III. Sed his fortasse potiùs locus sit in vocabulis falsâ significatione usurpatis.

Muragi-

Muragium, pecunia à rege imperata ad reficiendos urbis muros. Usus Matthæus Parisius in Additamentis: *Si rex concesserit alicui civitati, vel burgo, quòd possit accipere muragium.*

Murator, τειχοδόμος, λιθοποιός, murorum structor, Belgis **metselaer**: indeque ars *muratoria*, τειχοποιητική. Utroque utitur Pius IV. in Bulla † confirmationis & extentionis Jurisdictionis S. R. E. Camerarii, &c. *Et cause, super arte muratoria pro tempore nascentes, sagaciùs, & maturiùs, veluti per expertos, & pro minori partium dispendio, decidantur omnes; & quacumque causæ, lites, quæstiones, controversiæ, & differentiæ, tam inter quoscumque muratores, & fornaciarios, quam eos, & quosvis alios artifices, aut alias, tam Ecclesiasticas, quàm seculares personas, super dicta arte muratoria, & rebus ad illam quomodolibet pertinentibus.*

† *Bull. T. 2. pag. 122.*

Muriones qui sint, quæritur. Meminit Gregorius Turonensis lib. IX, cap. XLI: *Sed cum illa obstinatiùs reluctarentur; & hic cum reliquis, juxta epistolam superiùs nominatam, eis communicationem indiceret: exsurgens turba murionum præfatorum tantâ eos, in ipsa sancti Hilarii basilica, cæde mactavit, ut, corruentibus in pavimento Episcopis, vix consurgere possent.* Num pro *murionibus* legendum *morionibus?* Sed non videtur agere de μωροῖς, sive stultis: verùm hominibus improbis, & Christianæ religionis inimicis, sanguinem etiam Christianum sitientibus: quales histriones, ac scenici, adversus quos invehi solent doctores Christiani. Quid si igitur legamus *miriones?* Est ea vox apud Tertullianum de Præscr. adversus Hermogenem. Nec novè, ut multa. Nam vetus esse vocabulum, ostendit illud Attii apud Varronem in VI de L. L: *Personas distortas, oribus deformes, miriones.* Nisi, ut puto, *miriones* solùm Attii est: priora ex glossemate, sed bono. Docet ibidem Varro, antiquos pro eo *miraculas* dixisse à *mirois*, id est, monstris. Vide, quæ ibi Scaliger annotavit. Isidorus in Glossis: *Miriones, mirateres.* Item: *Miriones, fantasiarum insanium numeratores.* Ubi pro *numeratores*, legi *miratores* debet: ut prior indicat locus, & Bonav. Vulcanio, aliisque, observatum. Nempe *miriones* sunt personæ deformitate suæ facientes, ut non sine admiratione in eas oculos conjiciamus. Fortasse igitur *miriones.* κῦ συνεκδοχλῶ, posuerit Turonensis, pro turba mimorum, ac similium.

Murilegus, feles, à legendis, sive capiendis muribus. B. Odoricus Peregrinat. suæ cap. II: *Imò canes illic capiunt mures, quia murilegi, seu cati, nihil ad hoc valent.* Idem cap. IV: *Viri sunt corpore satis pulcri, sed pallidi; habentes barbam ita raram & longam, sicut murilegi, id est, cati.*

Murmu-

Murmurosus, murmur edere solitus. Petrus Blesensis epist. XIV: *Quid est inanis gloria, quam venantur, nisi musca vilissima, murmurosa, sordida, pungitiva?* Quia de insecto sermo, dixero *murmurillans*: quod Plautinum, si Nonium audimus. Nempe ut *murmuro* à *murmur*; sic *murmurillo* à *murmurillum*: quod Nonius eidem Plauto tribuit Rudente sc. ult. Et sanè ita editt. priores, & quidam Mssi: etiam Palatini, sed hi divisim, *murmur illum*.

Muscidus, pro *mucidus*. Thom. Walsing. in Richardo II*: *Vendat cervisiam, quam pandoxavit ---- & panes, ne indurescant, ac muscidi fiant*, &c. * Pag. 273.

Muscula, conchæ, margaritiferæ. Henricus Huntingdon Histor. lib. I: *Inter quæsunt & muscula; quibus sæpe inclusam margaritam, omnis quidem coloris optimam inveniunt; rubicundam scilicet, & hyacinthinam, purpuream, & prasinam; sed maximè candidam.*

Musilæum corruptum ex *Mausolæum*; AV in V abeunte; ut à *claudo, excludo*; à *caupa* non *copa* modò, sed etiam *cupa*. Anastasius in Leone III: *Pharos Cantharos in Musilæo beatæ Petronillæ*. Nimirum *Mausolæa* κ) σωροθήκας speciei dixere quævis sepulcra pretiosa.

Mussula legas apud Gregorium Turonensem lib. de Gloria Confess. cap. XLIV: *In hoc loco & Tranquillus, beatus Confessor, requiescit, super terram sepulcrum habens; de quo magnum beneficium præstatur petentibus. Nam de mussulis supernatis medicamina populi promerentur: unde ego valde experimentum tuli. Namque cum manus meæ minutis efferbuissent pustulis, & dolores pessimos ob hoc graviter sustinerem; de hac mussula tactas, quiescente humore, protinus retuli sanas.* Ubi *mussula* quid sit, quæritur. Cùm Gregorius dicat, natam esse super sepulchro; satis indicat, plantam fuisse, quæ ibi excreverit. Facile igitur assentio Ludovico de la Cerda*; qui censet, signari lanuginem illam locis humidis succrescentem, quam Latini *muscum* dicunt. Ac duo movent: unum est, quòd herba ea vim habeat humorem exsiccandi: ut naturâ etiam suâ profuerit exsiccandæ pustularum pituitæ, de qua loquitur Turonensis. Alterum est, quòd pro *muscus* Galli dicant *mousse*: unde efformârint *mussula*. Proximè igitur sit à Gallis: sed hi acceperint vocem à Romanis. * Adversariis Sacris cap. 165

Myxum est ellychnium lucernæ: ut ait Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. XCV. §. IV. Atque addit, sic uti Anastasium in vita S. Sylvestri: ubi tamen *nixum* editum. Verba addant: *Nixum verò* (Constantinus Augustus fecit) *ex stippa* (stuppa) *amianti*. Ac multò

pòst: *Lucernam ex auro purissimo nixorum duodecim super fontem.* Ac post pauca: *Lucernam ex auro purissimo nixorum x; pensantem libras xxx.* Quibus locis, quin *myxorum* legi debeat, non est dubitandum. Sed an rectius *myxon*, ut ait de la Cerda? Quid si *myxos*? Quod eo facilius seculo credi potuit, quia diceretur *lucerna bimyxos*. Unde ibidem Anastasius: *Lucernam bimyxon obtulit.* Utcunque hoc, Græcè non μύξ@, vel μύξον, sed μύξα: quod propriè quidem *muscus*; sed κ) μέλαφορὰν ellychnium, quodque emungitur de lucernâ. Unde λύχν@ δίμυξ@, vel πολύμυξ@.

CAP. XXIX.

De incipientibus ab N litera. Nachus, *pannus, cui in equitando insidet Pontifex Max.* Nadera, *natrix.* Nario, *subsannator, item fatuus.* Naufragosus, *naufragus.* Naviarchus, *gubernator.* Nebulator, *nebulo.* Necessuosus, *egenus.* Nemus, *nemo.* Nepta, *neptis.* Netorium, *fusus.* Neutralitas, *quâ animus à partium est studio alienus.* Nibita *sive* nivita, *pro nivita, sive aquâ ex nive liquefactâ.* Nihileitas, *quâ quid nihili res habetur.* Nimietas, *excessus.* Nivarus, *nivis instar candens.* Nixa, *prunus Damascena.* Non nocticula, *sed* noctiluca, *signare Hecaten, quæ eadem ac Luna; nec repugnare, quòd ab aliis Venus dicatur.* Noluntas, *actus voluntatis, quâ quid nolumus, & aversamur.* Norax *vel potiùs* noxax, *obnoxius crimini.* Notoreitas, *notitia evidens; ab eo quod* notorium *dixerint pro manifesto.* Novecuplum *non dici* ἀναλόγως, *sed* novuplum.

SUbjungam nunc, quibus initium est à liquidarum tertiâ.

Nachus, pannus ruber, quo insternitur sella equitantis Pontificis: quod monitum Onuphrio Panuino, & Ludovico de la Cerda*. Nempe à νάκ@, significante vellus vel lanam.

* *Advers. sacr. cap. 94. §. 3.*

Nadera Vincentio Bellovacensi, & aliis quibusdam, qui de rerum natura scripserunt, est hydrus, sive chersydrus, qui & natrix; unde Germanicum **nater**, Anglicum **nader**; uti hinc barbarum *nadera*. De aquatici hujus serpentis nominibus, ac pariter naturâ, diximus Theologiæ Gentilis, & Physiologiæ Christianæ, lib. IV cap. LIV, & LVII.

Nario, à naribus, homo nasutus, vel totus denique nasus, ut est apud Martialem: sive qui alium naso suspendit adunco. Isidori Glossæ: *Nario, subsannans.* Aliæ: *Narso, subsannator.* Etiam *narso*, fatuus; ut Germanis **narr**: sive à *narrando*, quia multa temerè effutiunt; sive potiùs

à *μω-*

ἀ μαρὸς, quando M interdum transit in N; ut ἀ μὴ, *ne*; ab ἀμφὶ, *am*, *an*, *annus*, *anus*: ac fortasse à μείδιω *rideo*, unde *rendere* Horatio.

Naufrogosus, pro naufragus. Ivo epist. XVII: *Quid est sublimitas, nisi naufragosa tempestas? Naufragam tempestatem* dixit Valerius Flaccus primo Argonauticôn.

Naviarchus, pro navarchus, vel gubernator, ineptum est.

Navicellâ vectus, est apud Adamannum de rebus S. Columbani. Sed præter exemplum veterum. Etsi ἀναλογία non repugnet. Nam ut dicitur, *cista*, *cistula*, *cistella*; sic dicere potuimus, *navis*, *navicula*, *navicella*.

Nebulator à nebula; ut ejusdem sit originis, ac *nebulo*. Nempe sic dicuntur, quos nebulæ cyatho non emas. Petrus Blesensis epist. XIV: *Nebulatores, mimi, barbaratores.* Ubi ex Horatio * malim *balathrones.*

* Lib. I. sat. 2. vers. 2.

Necestuosus, pro paupere, quia desint res necessariæ. Ita accipit Hincmarus epist. VII cap. XXXV, & Flodoardus lib. III Hist. Rhem. cap. XXVI, *Quia Missus Imperatoris erat, & capitula ipsius pro necestuosis habebat.* Puto, à *necessum* sit potiùs *necessuosus*; ut ab *incestus incestuosus.*

Nemus pro *nemo*. Ivo Carnotensis epist. CCXIII: *Quia nemus rectiùs custos præponitur vitæ alienæ, quam qui priùs custos est factus vitæ suæ.*

Nepta corruptè dixerunt pro *neptis*. Ut in Traditione LXX S. Galli. Vetba ejus adferam in Verbis falsa significatione positis, voce *Placisare.*

Netorium, fusus, quia ejus usus in nendo: unde, Polluce teste, ἠτήριον Græcis νέτρον dicitur. Isidorus in Gloss. *Netorium, fusum, fusile.* Planè enim adsentio sic corrigentibus; ubi vulgò *Netorsum.*

Neutralitas, qua quis neutrius est partis præ altera studiosus. Concilium Pisan. I sess. XXI. *Adhærentia utriusque partis, seu via neutralitatis.* Sic neque *neutralis* dixero; sed *neutrius partis studiosus.* Opponitur ei *partium studiosus.*

Nibita, aqua ex nubibus facta. Ita vulgò legitur in Gloss. Isidori. Sed non dubium, quin pro *nubibus* legi debeat *nivibus*. Pro *nibita* item rectè conjectant *nivita* legi debere. Pro quo *nivata* Petronius: *Pueris nivatam infundentibus.* Nisi in Isidoro malis *nivica*: quod à nive eâ formâ, quâ *cælicus*, *astricus*, *civicus*, *hosticus*, dicimus.

Nihileitas, quia quid nihili censetur. Henricus de Hassia in Speculo Anim. *

* Pag. 7.

Nimietas, excessus. Gloss. Mss: *Nimietas*, ὑπερβολή. Habet non solùm vetus Scripturæ interpres Sapient. cap. IV: sed & Arnobius lib. IV ac VII,

Servius in VIII Æn. Hieronymus epist. XXXVII in Epitaphio Paulæ; item Theodosius, Arcad. & Honor. AAA. leg. IX tit. de Judæis, Cælicolis, & Samarit. lib. XVI Cod. Theodos. Unde *in barbaris* non habet Goclenius Sylloge Vocum Obsol. p. 337, etsi Cicero non utatur.

Nivarus, splendidus, secundùm Isidori Glossas. Legamne *nivatus*, ut *albatus*? an *nivarus*, quasi à *niveo*; ut ab *aveo avarus*?

Nixa, Hispanis est prunus Damascena, ita dicta à fecunditate in enitendis fructibus. Isidorus lib. XVII cap. VII: *Coquimella*, (corruptum hoc ex Græco κοκκύμηλα) *quam Latini ob colorem prunum vocant; alii, à multitudine enixi fructus, nixam appellant. Cujus generis Damascena melior, à Damasco oppido, unde prius asportata est, dicta. Cujus solius pomum stomacho mederi probatur: nam cætera noxia perhibentur. Hac sola arbor gummi glutinosum, & compacticum. distillat, quo & medici, & scriptores* *, *utuntur.* Etiam fructum sic dixere. Pelagius lib. V. de Vitis Patrum, libello IV, num. LXV: *Et attulit quidem frater nixas siccas, & fecit pulter.* Vide, quæ pluribus Rosweidus annotavit in Onomastico suo, quod Vitis Patrum subjunxit.

* *Plin.* pictores.

Noctícula si veteres dixere, simile fuerit, ac *diecula*. Sed posterioribus *noctícula* est spiritus noctu comparens cœtui hominum sibi devotorum. Aliter etiam vocarunt *Hecaten*, quæ eadem ac Diana: item Herodiadem, quasi ea ipsa sit, quæ saltando caput Joannis Baptistæ meruit. Illustris de hoc locus est apud Joannem Sarisberiensem lib. II cap. XVII: *Quale est, quòd noctículam quandam, vel Herodiadem, vel præsidem noctis dominam, consilia, & conventus, de nocte asserunt convocare; varia celebrari convivia, ministeriorum species diversis occupationibus exerceri, & nunc istos ad pœnam trahi pro meritis, nunc illos ad gloriam sublimari. Præterea infantes exponi lamiis, & nunc frustratim discerptos edacis ingluvie in ventrem trajectos congeri; nunc præsidentis miseratione rejectos in cunas reponi. Quis vel cæcus hoc ludificantium dæmonum non videt esse nequitiam?* In glossis etiam Philoxeni legas: Noctícula, Ἑκάτη νυκτοφαίνουσα. Fortasse igitur *Noctícula* corruptum ex *Noctiluca*, quæ eadem ac Hecate. Notum illud Maronis IV Æn.

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Diana.

Nempe in cœlis est Luna, vel Noctícula; in terris, ac imprimis sylvis, Diana; apud inferos, sive Antipodas, Hecate. Sanè Lunam clarè Noctículam vocat Horatius lib. IV od. VI. Id verbum verbo sonet νυκτιλαμπής. Necaliter in Onomastico legendum: ubi vulgo, *Noctíluca*,

νυκτι-

πυκτιλαμπίς. Neque obstat iis, quòd Venerem hoc elogio insignit Levinus, poëta vetus, his verbis : *Venerem igitur almam adorans, sive femina, sive mas est, ita ut alma noctiluca est.* Nam, secundùm antiquissimam Orientis Theologiam, non Hesperus, sive Lucifer ; sed Luna per Venerem intelligitur. Qua de re abunde dictum nobis lib. II operis de Gentilium Theologia.

Noluntas à *nolo*, ut *voluntas* à *volo*. Optimus doctissimusque Merula usum censet Eunium : cujus versus adducit ex Calpurnii Pisonis opere de Continentia veterum Poëtarum ad Trajanum Principem. Ac censet idem Merula, bis usum B. Augustinum lib. XIV de Civit. Dei cap. VI. Ac video, eadem postea scripsisse Ludovicum de la Cerda in Adversariis Sacris cap. CLXXXV, §. XLVII. Sed vellem, nominâsset Merulam, quando ejus est illa de B. Augustino conjectura, ac illud de Ennianis versibus apud Pisonem nititur fide ejusdem Merulæ, qui triduo eo scriptore Parisiis usus in Bibliotheca S. Victoris. Mihi suspecta vox *noluntatis* erit, donec de Pisone illo magis liquebit. Sed neque de Augustino gravem satis caussam video, cur sic eum scripsisse credam.

Norax in Glossis Isidori exponitur peccator, criminosus. Sed lubens Martinio * accessero, qui *noxax* legit, ut sit à *noxa*. Sanè ibidem est. *Noxilis, nocens.* Pro quo *noxialis*, Seneca. Etiam apud J. C. *noxalis actio.* Gloss. Basil. Νοξαλία, βλαστική. Νοξαλία, ἀγωγὴ ἐπὶ δοῦλον ζητοῦσα ἢ ὑφορώμενον. Adi Institut. lib. IV. tit. VIII, & in Dig. lib. IX tit. IV. Et sanè Lucilius dixit *noxit*. Unde io Gloss. Isidori : *Noxit, noceat.* Puto, *noxit* esse à *nocco*, ut *faxit* à *facio*,

* *In Etymologico.*

Notorietas, indicia rei notoriæ sive manifestæ. Concil. Pisan. I. sess. XII : *Sancta Synodus, attentâ eorum, de quibus agitur, notorietate, denique per evidentiam depositionum testium. Notorius*, pro manifesto, non quidem Ciceronis, vel Augusti ævo, obtinuisse puto : sed usurpavit Paulus L. VI Dig. ad S. C. Turpilianum : *Nunciatores, qui per notoria indicia produnt, notoriis suis adsistere jubentur.* At junioribus nihil vulgatius. Sic *notoriam veritatem* legas apud Arnulphum, episcopum Lexoviensem. epist. ad Gillebertum, Londoniensem episcopum. Est & Cæsarii lib. X Miracul. cap. XXXV : *Et quia ejus peccatum erat nimis notorium.* Et alia apud alios.

Novecuplum est in Legg. Wisigoth. lib. VII tit. I leg. I, & tit. II leg. X. Nempe ut à *decem* est *decuplum* ; sic à *novem* putarunt esse *novemcuplum*, vel *novecuplum*. Verùm si ἀναλογίαν attendas ; ut à *decem* est

decuplum, sic à *novem* foret *novuplum*. Sanè nec à *septem* dicimus *septecuplum*, verùm *septuplum*.

Noxax, quid sit, jam vidimus in *Norax*.

CAP. XXX.

De cœptis ab O. Obauditio, *pro obœdientia.* Objectivum, *quod contra adversarii sententiam dicitur.* Obnoxiatio, *scriptum, quo quis se alteri obstringit, præcipuè pater liberis, promittendo se non abalienaturum agros, quibus utitur-fruitur.* Obviatio, *occursus.* Occasionale, *datâ occasione susceptum.* Octenus. *pro octonus.* Octimber, *October.* Odibilis, *odio dignus.* Odoramentarius, *unguentarius,* Offertio, *oblatio.* Offertorium, *quando in Missa fit oblatio Dominici corporis.* Officialis, *de officiis hominis tractans: item minister magistratûs.* Oleatum, *oleo lutum.* Olentia, *odor.* Olica, *olivetum.* Onustatus, *oneratus.* Oramen, *oratio.* Orarium, *pro linteolo ad os detergendum, vel pro stolâ Episcopali, atque aliter.* Oratorium, *locus orationis.* Orcistra, *vel* hormisda, *corruptè pro* orchestra. Ordinale, *codex, in quo ordo Missæ.* Ossamenta, *ossa.* Otiositas, *otium.*

HInc jam proficiscamur ad barbara Latinæ originis, quibus princeps litera est quarta vocalis.

Obauditio, pro obœdientia, legas apud æqualem S. Augustini, Bachiarium; ut in melioribus libris vocatur; qui perperam Bacciarius, vel, ut apud Honorium est, libro de Luminaribus Ecclesiæ, Bachianus.

Obœdientarii, qui vocentur in monasteriis, dicam in vocibus alienâ positis significatione, vocabulo, *Obœdientia.*

Objectivum, quod contra alterius sententiam adfertur. Apolog. Concilii Pisan. † *Tertiam objectivam portionem, contra Pisanam indictionem, attingere res admonet.*

† Pag. 34. edit. Parisiensis anno 1612.

Obnoxiatio est apud Marculfum lib. II cap. IX: *Charta obnoxiationis à patre in filiis facta.* Ubi Bignonius optime docet, libellum intelligi, quo pater, qui usum-fructum bonorum defunctæ uxoris accepit à liberis, remunerandi ergo, iis agros quosdam donat; sed retento sibi usu-fructu, quo se obnoxium reddit liberis, eò quòd agros istos alienare non possit.

Obstagium legas in Speculo Saxonico *. Quid verò sit, diximus hujusce libri cap. XIV, in *Hostagium.*

* Pag. 141.

Obvia-

Obviatio dis licet, pro *ἀπαντήσει*, sive actu, quo obviam itur. *Occursus* dixero cum Ovidio, Senecâ Plinio.

Occasionale, quod occasione oblatâ facimus, alioqui non acturi. Usus Hincmarus; cujus verba adduximus in *Circada*.

Octenus sæpius apud Althelmum legas de laude Virginum. Sed Horatius, Ovidius, Plinius, ac veteres omnes, *octonus*. A *septem* quidem *septenus*; à *novem*, *novenus*, sed ab *octo*, *octonus*.

Octimber, pro *october*, dixere seculis posterioribus. Sic sanè scriptum fuit in Mss codicibus Flodoardi lib. III Histor. Rhem. cap. IV. Item in metrico Martyrologio Wandelberti Prumiensis: quod monitum & Ludovico de la Cerda in Adversariis Sacris, multijugæ lectionis opere, cap. XCVIII. §. III. Puto autem proveniſſe errorem ex eo, quòd dicamus, *september*, *october*, *november*, *december*: tum item quòd Grammaticorum vulgus crederet, menſes quatuor poſtremos ſic vocari, quaſi *ſeptimus*, *octavus*, *nonus*, *decimus*, *imber*: quod valde ineptum. Nec enim ſunt voces compoſitæ; ſed ſimplices, quia *ber* ſolum eſt *παρέλκον*, ſive productio: ut in *faber*, quaſi *faciber*, à *facio*; *tuber*, quaſi *tumber*, à *tumeo*; *Mulciber*, à *mulco*, hoc eſt, mollio.

Octodecim an dixerint claſſici, non ita apertum eſt. Malim igitur *duodeviginti*; de quo conſtat.

Odibilis, quem jure oderis. Usus, poſt Gregorium Turonenſem Petrus Bleſenſis epiſt. LXXXIV ad Alexandrum Papam: *Detractores, Deo odibiles*. Sed & epiſt. XVIII, atque alibi, uſurpat. Sic & *placibile* ait Anaſtaſius Bibliothecarius: imò *pudibilia membra*, pro verendis, nec Lampridius refûgit.

Odoramentarius, pro unguentario, barbaris relinquendum.

Offertio, oblatio. Diploma Dominæ Comitis Mathildis, quo, ſub Papa Gregorio VII, omnia ſua donavit Eccleſiæ Romanæ *: *Eidem Eccleſiæ dono, & offero, & per præſentem chartulam offertionis itidem habenda confirmo*. Antiquitus tamen pro *latum* dixere *fertum*; unde *fertilis*, & alia; in his nomen illud, de quo proximè dicam.

Offertorium legas in Epiſtolâ Caroli Magni ad Albinum, ſecundùm editionem Wolfgangi Lazii †: ſed potiùs in parte altera * Albini de divinis officiis. Verba ponam: *Poſt Evangelium non cantatur offertorium, & cantores tempore ſacrificii ſilent. Ac* copſe opere *: *Verba hiſtorici continentur in offertorio*. Eſt verò *Offertorium* miſſæ ea pars, quæ tempore dicitur oblationis. Quandoq; & ſindon, in qua populi oblationes reponuntur.

* *Apud Baronium Annalium tom. 12. ad ann. 1102. pag. 26. edit. Moreti.*

† *Bellovacensis editionis, quæ Antverpiæ anno prodiit 1560. pag. 47.*

* *Sequitur hæc illa, quæ ibidem habes pag. 189.*

* *Pag. 80. ejuſdem edit.*

nuntur. Nempe ut antiqui in supino pro *latum* dixere *fertum*, unde *fertis* & *fertoribus* nomen: ita juniores ab eadem origine *offertorium* fecere. Adi Isidorum lib. VI Orig. cap. XIX.

Officialis vox, licet ignota classicis, non tamen adeò recens, quàm videri possit. Nam & pro eo, quod de officio tractat, Lactantius usurpat, qui lib. VI Tullium laudat *in suis Officialibus*: & pro ministro magistratûs longè ante usus Appulejus I Met. *Iubet Officialem suum pisces pedibus obterere.* Etiam *Officiales sacrarum vestium* legas L. VII cap. de Palat. sacr. larg. Junioribus verò nihil eâ voce est usurpatius. Nam ut Capitular. Kar. M. & Constitutiones Siculas, mittam; ita Cæsarius lib. IV Mirac. cap. LIX: *Necessarium prælatis, ut frequenter Officiales suos moneat, ne aliquem fraudem inferant.* Et cap. LXIIX: *Pietatis Officialibus amotis, & eis, quos tenaciores noverat, institutis.* Antonius III. Episcop. XXXVI: *Delegavit in Germaniam, monens, ut Officiales iteratò iterarent electionem regiam.* Salsè verò Petrus Blesensis epist. XXV: *Credo hujusmodi Officiales non ab OFFICIO, nomine; sed ab OFFICIO, verbo, mutuâsse vocabulum:*

Nam genus hoc hominum, quod dicunt officiperdi,

tota Officialis intentio est; ut, ad opus Episcopi sui jurisdictionis, commissas miserrimas oves, quasi vice illius, tondeat, emungat, excoriet.

Oleatum, oleo illitum. Petrus Cellensis lib. VIII epist. VII: *Vestrum est, panis oleati buccellas cum Petro Apostolo, cum convenitis ad cœnam agni, sumere,*

Olentia, pro odore, est apud Plinium Valerianum.

Olica, ab olea, pro oliveto, est in Collectione Formularum Sollemnium, à Lindenbrogio editarum, form. LXII, & LXIX.

Olitanus, antiquus, inolitus. Utitur Adrianus I. Epistola ad Carolum M. de Cleri & plebis in Constitutione Episcopi necessitate scribens: *Apostolicâ providimus authoritate, ut Canones in decretis eorum consistant, & quando* (Episcopi) *à nobis ordinantur*, olitanâ consuetudine *proclametur.* Olitana hic consuetudo, est consuetudo antiqua; & *olitani Canones*, antiqui Canones. Ita *olitana tempora* dixit Anastasius Biblioth. in Paschali primo. Item Carolus Calvus in libello proclamatorio adversus Wenilonem dicit *olitanâ consuetudine* in Francorum Regno Reges ex genere prodire apud Baronium Tomo X, Anno. 859, Vox ab adverbio *olim* deducta.

Omni-

Omnimodus non dixero: etsi *omnimodis* apud Lucretium sit. Pro *omnimodus* verò *cujusque modi* malim.

Onustatus, onustus, onere gravatus. Petrus Venerabilis lib. I epist. XXIV: *Gravi humanorum studiorum onere onustato.*

Oramen, pro oratione, sæpius est apud Althelmum de Laude Virginum.

Orarium legas apud Vopiscum in Aureliano: *Sciendum tamen, congiaria illum ter dedisse; donâsse etiam populo Rom. tunicas albas manicatas ex diversis provinciis, & lineas Afras, atque Ægyptias puras; ipsumque primum donâsse oraria populo Rom. quibus uteretur populus ad favorem.* Orario os tergeri solet. Itaque etsi, antequam in usu forent linteola tenuia, quibus id facere solent, orâ vestis fieri consuevit: non tamen ab orâ, quàm ore, id nominis esse verisimile est. Et opinionem eam firmat hoc Prudentii περὶ στεφάνων hymno primo:

Hic sui dat pignus oris, ut ferunt, orarium.

Erat id magis longam, quàm latum; unde fasciæ etiam loco inserviebat. Hoc Casaubono ostensum istoc B. Ambrosii, oratione funebri de obitu, non Symmachi, ut μνημονικῷ ἁμαρτήματι summus ille vir scribit, sed Satyri fratris: *Divinum illud fidelium sacramentum ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare.* Ac similiter B. Augustinus lib. XXII de Civit. Dei cap. VIII: *Tunc sicut potuit, oculum lapsum, atque pendentem, loco suo revocavit, ligavit orario.* Nec aliter hac voce usum existimem Paullinum in vita Ambrosii: *Iactabat etiam turba virorum, ac mulierum, oraria, vel semicinctia sua; ut corpus sancti aliquatenus ab ipsis contingeretur.* Atalia forma, nempe non tam fasciæ, quàm pallii, erat, cùm per orarium intelligitur stola Pontificalis, sive linea episcopi vestis, quæ vulgo *rocquetta*. Papias: *Orarium, stola sacerdotalis, operculum capitis.* Et, ne vetustiores adducam, sic Petrus Blesensis serm. XLI: *Orarium, quod & stola dicitur.* Ac postea: *Orarium autem dicitur, quia propter offensas populi tui cum humili genuflexione Domino debes supplicare, tuis precibus indignationem placare.* Idemque ὠμοφόριον ante eum adduxit Karolus Mag. ut editio Wolfangi Lazii vocat, sive potiùs Alcuinus de ritibus vet. Eccles. *Orarium est, vel dicitur, stola, eo quòd oratoribus, id est, prædicatoribus, concedatur.* Episcopi fuisse, indicat & Vita S. Fulgentii, Ruspensis Episcopi, à discipulo conscripta, cap. XVIII: *Orario quidem, sicut omnes episcopi, nullatenus utebatur.* Item Anastasius bibliothecarius in vita Agathonis Papæ, §. X:

Eâ horâ sancta Synodus, unà cum Principe ejus (Constantino Augusto) *orarium auferri jusserunt à collo ejus,* (Macarii, Antiocheni episcopi, seu Patriarchæ.) *Et exiliens Basilius, Episcopus Cretensis Ecclesiæ, ejus orarium abstulit.* Nec tamen solos gestâsse Episcopos, clarè liquet ex Concilio Toletano IV cap. XXV : *Episcopus orarium, annulum, & baculum, coram altari de manu Episcoporum accipiat ; presbyter orarium, & planetam ; diaconus orarium, & albam ; subdiaconus, patinam, & calicem.* Sedulò igitur in scriptoribus attendere oportet, quo pacto *orarii* vocem accipere opoteat. Sanè sacerdotalem vestem intelligere non possimus in istoc Gregorii M. lib. VI epist. CXCI : *Duas autem camisias, & quatuor oraria, vobis transmisit.* Laici enim erant, quibus vellet offerri. Longum sit, si velim laudare auctores, qui orarii meminere, non dico omnes; sed vel solos, qui occurrunt. In quibus Fortunatus Pictavienſis in vita S. Marcelli, episcopi Pictavienſis. Item Concilium Braccarense III can. III. Est & Matthæi Parisiensis in vita Gaufridi, XVI abbatis S. Albani: *Orarium cum fanone, auro, & gemmis adornatum.* Imò & à Latinis mutuati hanc vocem Græci, Ut Synodi VIII Act. X : Ωμοφόρια, & ὠράρια, & πλανόλπια. Alia etiam adderem de re ipsa. Sed video pleraque ea vel apud Casaubonum, ac Salmasium, legi, Notis ad Vopiscum ; vel Lindenbrogium, ac Watsium, in Gloss. vel Martinium in Etymologico ; ut alios prætermittam.

Oratorium, locus sacer ad orandum ; præsertim ubi adservarentur sancti alicujus reliquiæ. Sic sæpius utitur Gregorius Turonensis lib. II Hist. Franc. cap. VI. Legas quoque id vocabuli in Capitul. Karoli lib. V cap. CCXXX, ac Cæsarium lib. I Mirac. cap. IV, & XXII.

Orcistra corruptum ex *orchestra.* Prius, inter alios, est apud Joannem Turocium Histor. Hungar. lib. II cap. XLVI. Etiam *Orchestræ* vox in *Hormisda* corrumpitur ; ut factum in *Orosii Orchestra.* Nam hæc genuina ἐμισπαφὴ, ut alibi dicimus.

Ordinale, codex continens ordinem, & rubricas Missalis. Matthæus Parisius in vita Pauli, XIV abbatis S. Albani, ubi abbatis ejus dona enarrat : *Sine ordinalibus, consuetudinariis, missalibus, troparis, collectariis.*

Ossamenta, ossa, cadaver : Belgis similiter 't gebeente. Matthæus Parisius in anno MCCLVII : *Eodemque anno inventa sunt ossamenta regis Scotorum Malcolmi.*

Ostagium quid sit, vide cap. XIV in *Hostagium.*

Otiosi-

Otiositas, pro otium. Sidonium lib. II epist. X: *Quos in hanc paginam admitti, nostra quàm maximè verecundia vetat ; quam, suas otiositates trepidanter edentem, meliorum carminum comparatio premit.*

CAP. XXXI.

Accessum ad ea, quibus P littera est initialis. Ac hoc quidem capite de iis actum, ubi A excipit, inde verò sequitur G, vel aliqua primarum trium liquidarum. Papania, *ritus paganici.* Paganicius, *occultæ, hoc est, paganicæ, sive gentili religioni addictus.* Pagenses, *quicunque ejusdem sunt diœcesios, sive territorii.* Palergia, *proparerga.* Palfredus, palefredus, palefridus, paravedus & parafredus, *equi genus.* Palicium, *vallum è palis.* Palliditas, *pallor.* Pamæum, *pœmenaum.* Panifex, *vel* panificus, *pistor.*

HAbemus de exorsis à vocalium quartâ. Proximus est locus à sequenti litera inci; ientibus.

Paagium quid sit, ex iis erit cognoscere, quæ in *Passagium* dicemus.

Pagania, pro paganorum ritibus, in epistola Zachariæ Papæ ad Francos, & Gallos *: *Ut populus Dei paganias non faciat.* Postea † se interpretatur: *Qui paganas observationes in aliqua re fecerit.*

* *Lib. 5. Capitularium Karoli M fol 90. a.*

† *Pag. 91. 4.*

Paganicius, ut occultus. Ita est in glossis veteribus. Emendat, *vir occultus.* Neque displicet. Suspicor enim, signari paganicæ religioni addictum; quales occulti. Nec enim Isidori ætate, sub Christianis Imperatoribus, aut Regibus, impiam gentium religionem profiteri quisquam audebat; partim, quoniam legibus hoc interdictum; partim quia, ob cultûs ejusce stultitiam, Christianis contemtui, ac ludibrio, forent.

Pagenses à pago dixere posteriores: at priores *paganus.* Verùm *pagus* non semper est vicus, sed etiam provincia tota, vel ejus pars; uti oppidum cum territorio. Notum, quomodo septem Helvetiorum pagos dicat Julius Cæsar. Itaque nihil mirum, si *pagenses* dicti, qui amplo Comitis, sive Judicis, territorio subessent. Gregorius Turonensis lib. VIII cap. XVIII: *Wintrio dux, à pagensibus suis depulsus, ducatu caruit.* Præceptum Dagoberti de mercato S. Dionysii: *Saxones, & Ungari, & Rhotomenses, & cæteri pagenses de aliis civitatibus.* Similiter Marculfus monachus lib. I Form. cap. XXVIII. Et apud Ansegisum Capitularis lib. III cap. LXXIII: *Cum Comite, cujus pagenses sunt, ire permittas.* Ac ipse libro cap. XLIII, & lib. IV cap. XIX. Nec *pagenses*

solùm, qui ejusdem sunt provinciæ ac diœceseos: sed etiam, qui ejusdem parochiæ, sive potiùs paroeciæ. Gregorius Toronensis lib. x. cap. IX: *Episcopus cum clericis, & pagensibus suis.* Odo, abbas Collationum: *Cum ante hos annos sancti Andreæ solemnitas in prima Dominica Dominici adventus concurrisset: quidam sacerdos, sicut Turonica Ecclesia præceptor asserit, pagensibus suis utrasque missas audire præcepit.*

Palergia Anastasio bibliothecario corruptum ex παράγγ: observat Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. XCV.

Palfredus, palefredus, palefridus, corrupta sunt ex *paraveredus*, pro quo etiam dicitur *paravredus*, & *parafredus*. *Paraveredi* vocem habemus Cod. lib. XII. tit. LI. leg. II: *Præsidibus, & rationalibus --- usurpandi paraveredi licentia derogetur.* Est verò *paraveredus* vox hybrida, conflata ex Græco ἵππος, & Latino *veredus*; quomodo latinidixere equum, quòd *veheret rhedam*, teste Festo. *Veredum, & paraveredum*, jungit Marculphus lib. I. Form. XI. Faciléque mihi persuadeo, ex horum altero contractum esse Germanicum **pferd** / pro quo Belgæ **peerd**. Nec dubium, quin à *paraveredi* voce sint Gallicum *palefrenier*, ac Germanicum **palfernier**: hoc est, hippocomus, sive equiso. Qui *parafredi, palfredi*, & alii antè memoratis, utantur, varios laudat auctores Lindenbrogius*: quibus, si voles, hos adde. Radericus Frisingensis de gestis Friderici I. lib. III. cap. XXVI: *Si extraneus miles pacificè ad castra accesserit, sedens in palefrido sine scuto, & armis; si quis eum læserit, pacis violator judicabitur. Si autem sedens in dextrario, & habens scutum in collo, lanceam in manu, ad castra accesserit; si quis eum læserit, pacem non violavit.* Usurpat quoque S. Bernardus Claravallensis in vita S. Malachiæ cap. XX. Item Villariensis monachus in vita Caroli, qui anno CIↃCXCVII. octavus Villariensis in Brabantia electus abbas fuit, cap. III*. *Domine, inquit, pedes iitis, nec decet honestatem vestram: accipite palefridum, quem hic habemus: gramina abundant, & de levi serrâ teneri poterit.* Cæsarius lib. XII. Miraculorum cap. XII: *Hic cum die quadam suum, qui optimus erat, perdidisset palefredum; servum suum ad diversa loca misit ad investigandum illum.* Matthæus Parisius in anno CIↃCXC: *Cepit de singulis civitatibus Angliæ duos palefridos, & totidem summarios.* Idem in anno CIↃCCLI: *Palefridum regis Scotiæ.* Et in vita Leofstani, XII. abbatis S. Albani: *Clam quinque* (dedit) *uncias auri, & unum palefridum pulcherrimum.* Adhæc Beka in vita Andreæ Episcopi XXV: *Eodem quidem anno Fulcoldus miser,*

* *In Glossario Legum antiquarum.*

* *In Sanctorum vitis ab Ioan. Bollando editis ad 29 Ian.*

miser, complex, ut dicitur, in necem Florenti juvenis, effugiens unâ dierũ insidias Theodorici Comitis, transnatavit cum palafredo suo torrentem Mosæ flumminis. Vide &, quæ Jacobus du Bruel, monachus S. Germani de Prato, hac de voce fusè annotavit ad Edictum Ludovici, & Lotharii imperatorum; quod est Aimoini lib. v. de gestis Franc. cap. x.

Palicium, vallum è sudibus, ex Gallico *palissade*; quod ipsum à *palis*: vel potiùs à palis *palicium*, ex palicio fit *palissade*. Guilielmus Brito Philippeidos lib. VII:

Palicumque triplex, quod orat gaillardica subtus
Mœnia, quadratis palis, & robore duro,
Usque sub extremas protensum fluminis oras.

Palliditas, pro *pallor*, quid attinet dicere, cum id vocabuli veteres nesciant?

Palpo, pro palpator, sive eo qui palpum obtrudit. Joannes Saresberiensis Policratici lib. III. cap. IV. *Cæterum palpo, qui tamen assentatoris, vel adulatoris censetur nomine, hominum mentes explorat.*

Pamum, in Glossis Isidori exponitur *vestis pastoralis*. Sed sine dubio rescribendum *pœmeneum*, quasi ποιμενεῖον ἀποιμὴν, pastor.

Panifex, & *panificus*, agnoscit & Calepinus, qiu Passeratii dicitur, & Cælii Curionis Forum Romanum: ac usurpat Joan. Saresberiensis Policratici lib. III, cap. XIV: *Sed Augustus, fortunæ favor, & Romani decus imperii, avunculo suo Julio longè patientior exstitit. Cùm enim Antonius, maternam ejus originem despiciens, eum Afrum genere, & naturâ panificum diceret, hoc ridens pertulit, & eundem, sorore tradità, in affinitatis gratiam admisit.* Malim *pistor* dicere: pro quo & *panarius* in Glossis legas: ubi exponitur ἀρτοπώλης.

Pantana quæro quid sit in Chronici Casinensis lib. I. cap. LVII. *Curtem de pantana prope Beneventum.* Verùm fortasse non commune est nomen; sed loci proprium.

CAP. XXXII.

De cœptis à P, sequente A. & R. Paracharactæ, *qui nummos falsos cudunt.* Paracharagmus, *falsa nummi imago.* Paracellarius, *qui reliquitas Pontificalis mensæ largitur pauperibus.* Parada, *navis tegumentum ad arcendum æstum, ac frigus.* Paragium, *paritatis observatio in bonorum successione.* Paramentum, *hospitium.* Parastitia, *postica fores.* Parapallii

Muragium, pecunia à rege imperata ad reficiendos urbis muros. Usus Matthæus Parisius in Additamentis: *Si rex concesserit alicui civitati, vel burgo, quòd possit accipere muragium.*

Murator, τειχοδόμος, λιθοποιός, murorum structor, Belgis **metselaer**: indeque ars *muratoria*, τειχοποιητική. Utroque utitur Pius IV. in Bulla † confirmationis & extentionis Jurisdictionis S. R. E. Camerarii, &c. *Et causæ, super arte muratoria pro tempore nascentes, sagaciùs, & maturiùs, veluti per expertos, & pro minori partium dispendio, decidantur omnes; & quæcumque causæ, lites, quæstiones, controversiæ, & differentiæ, tam inter quoscumque muratores, & fornaciarios, quam eos, & quosvis alios artifices, aut alias, tam Ecclesiasticas, quàm seculares personas, super dicta arte muratoria, & rebus ad illam quomodolibet pertinentibus.*

† Bull. T. 2. pag. 122.

Muriones qui sint, quæritur. Meminit Gregorius Turonensis lib. IX. cap. XLI: *Sed cum illa obstinatiùs reluctarentur; & hic cum reliquis, juxta epistolam superiùs nominatam, eis communicationem indiceret: exsurgens turba murionum prædictorum tantâ eos, in ipsa sancti Hilarii basilica, cæde maculavit, ut, corruentibus in pavimento Episcopis, vix consurgere possent.* Num pro *murionibus* legendum *morionibus?* Sed non videtur agere de μωροῖς, sive stultis: verùm hominibus improbis, & Christianæ religionis inimicis, sanguinem etiam Christianum sitientibus: quales histriones, ac scenici, adversus quos invehi solent doctores Christiani. Quid si igitur legamus *miriones?* Est ea vox apud Tertullianum de Præscr. adversus Hermogenem. Nec novè, ut multa. Nam vetus esse vocabulum, ostendit illud Attii apud Varronem in VI de L. L: *Personas distortas, oribus deformes, miriones.* Nisi, ut puto, *miriones* solùm Attii est: prior a ex glossemate, sed bono. Docet ibidem Varro, antiquos pro eo *miraculas* dixisse à *miris*, id est, monstris. Vide, quæ ibi Scaliger annotavit. Isidorus in Glossis: *Miriones, mirateres.* Item: *Miriones, fantasiarum inanium numeratores.* Ubi pro *numeratores*, legi *miratores* debet: ut prior indicat locus, & Bonav. Vulcanio, aliisque, observatum. Nempe *miriones* sunt personæ deformitate suæ facientes, ut non sine admiratione in eas oculos conjiciamus. Fortasse igitur *miriones.* τῷ σωικοχλεῖ, posuerit Turonensis, pro turba mimorum, ac similium.

Murilegus, feles, à legendis, sive capiendis muribus. B. Odoricus Peregrinat. suæ cap. II: *Imò canes illic capiunt mures, quia murilegi, seu cati, nihil ad hoc valent.* Idem cap. IV: *Viri sunt corpore satis pulcri, sed pallidi; habentes barbam itararam & longam, sicut murilegi, id est, cati,*

Murmu-

Murmuroſus, murmur edere ſolitus. Petrus Bleſenſis epiſt. XIV: *Quid eſt inanis gloria, quam venantur, niſi muſca viliſſima, murmuroſa, ſordida, pungitiva?* Quia de inſecto ſermo, dixero *murmurillans*: quod Plautinum, ſi Nonium audimus. Nempe ut *murmuro* à *murmur*; ſic *murmurillo* à *murmurillum*: quod Nonius eidem Plauto tribuit Rudente ſc. ult. Et ſanè ita editt. priores, & quidam Mſſi: etiam Palatini, ſed hi diviſim, *murmur illum*.

Muſcidus, pro *mucidus*. Thom. Walſing, in Richardo II *: *Vendat cerviſiam, quam pandoxavit ---- & panes, ne indureſcant, ac muſcidi fiant*, &c. * Pag. 273.

Muſcule, conchæ, margaritiferæ. Henricus Huntingdon Hiſtor. lib. I: *Inter quæ ſunt & muſculæ; quibus ſæpe incluſam margaritam, omnis quidem coloris optimam inveniunt; rubicundam ſcilicet, & hyacinthinam, purpuream, & praſinam; ſed maximè candidam.*

Muſilæum corruptum ex *Mauſolæum*; AV in V abeunte; ut à *claudo*, *excludo*; à *caupa* non *copa* modò, ſed etiam *cupa*. Anaſtaſius in Leone III: *Pharos Cantharos in Muſilæo beatæ Petronillæ*. Nimirum *Mauſolæa* κ) σωρεδοχλι speciei dixere quævis ſepulcra pretioſa.

Muſſulæ legas apud Gregorium Turonenſem lib. de Gloria Confeſſ. cap. XLIV: *In hoc loco & Tranquillus, beatus Confeſſor, requieſcit, ſuper terram ſepulcrum habens; de quo magnum beneficium præſtatur petentibus. Nam de muſſulis ſupernatis medicamina populi promerentur: unde ego valde experimentum tuli. Namque cummanus meæ minutis efferbuiſſent puſulis, & dolores peſſimos ob hoc graviter ſuſtinerem; de hac muſſula tactâ, quieſcente humore, protinus retuli ſanas.* Ubi *muſſula* quid ſit, quæritur. Cùm Gregorius dicat, natam eſſe ſuper ſepulchro; ſatis indicat, plantam fuiſſe, quæ ibi excreverit. Facile igitur aſſentio Ludovico de la Cerda *; qui cenſet, ſignari lanuginem illam locis humidis ſuccreſcentem, quam Latini *muſcum* dicunt. Ac duo movent: unum eſt, quòd herba ea vim habeat humorem exſiccandi: ut naturâ etiam ſuâ profuerit exſiccandæ puſtularum pituitæ, de qua loquitur Turonenſis. Alterum eſt, quòd pro *muſcus* Galli dicant *mouſſe*: unde efformârint *muſſula*. Proximè igitur ſit à Gallis: ſed hi acceperint vocem à Romanis. * Adverſariis Sacris cap. 165

Myxum eſt ellychnium lucernæ: ut ait Ludovicus de la Cerda in Adverſariis Sacris cap. XCV. §. IV. Atque addit, ſic uti Anaſtaſium in vita S. Sylveſtri: ubi tamen *nixum* editum. Verba addant: *Nixum verò* (Conſtantinus Auguſtus fecit) *ex ſtippa* (ſtuppa) *amianti*. Ac multò

pòst: *Lucernam ex auro purissimo nixorum duodecim super fontem.* Ac post pauca : *Lucernam ex auro purissimo nixorum x; pensantem libras xxx.* Quibus locis , quin *myxorum* legi debeat , non est dubitandum. Sed an rectius *myxon*, ut ait de la Cerda ? Quid si *myxoi*? Quod eo facilius seculo credi potuit , quia diceretur *lucerna bimyxos*, Unde ibidem Anastasius : *Lucernam bimyxon obtulit.* Utcunque hoc, Græcè non μύξ, vel μύξον, sed μύξα : quod propriè quidem *mucus*; sed κ' μάλα φορὰν ellychnium, quodque emungitur de lucernâ. Unde λύχνος δίμυξος, vel πολύμυξος.

CAP. XXIX.

De incipientibus ab N litera. Nachus, *pannus, cui in equitando insidet Pontifex Max.* Nadera, *natrix.* Nario, *subsannator, item fatuus.* Naufragosus, *naufragus.* Naviarchus, *gubernator.* Nebulator, *nebulo.* Necessuosus, *egenus,* Nemus, *nemo.* Nepta, *neptis.* Netorium, *fusus.* Neutralitas, *quâ animus à partium est studio alienus.* Nibita *sive* nivita, *pro nivita, sive aquâ ex nive liquefactâ.* Nihileitas, *quâ quid nihil ut res habetur.* Nimietas, *excessus.* Nivarus, *nivis instar candens.* Nixa, *prunus Damascena.* Non noctícula, *sed* noctiluca, *signare Hecaten, quæ eadem ac Luna ; nec repugnare, quòd ab aliis Venus dicatur.* Noluntas, *actus voluntatis, quâ quid nolumus, & aversamur.* Norax *vel potiùs* noxax, *obnoxius crimini.* Notoreitas, *notitia evidens ; ab eo quòd* notorium *dixerint pro manifesto.* Novecuplum *non dicis ἀναλόγως, sed* novuplum.

SUbjungam nunc, quibus initium est à liquidarum tertiâ.

Nachus, pannus ruber, quo insternitur sella equitantis Pontificis : quod monitum Onuphrio Panuino, & Ludovico de la Cerda*. Nempe à νάκος, significante vellus vel lanam.

* *Advers. sacr. cap. 94. §. 3.*

Nadera Vincentio Bellovacensi, & aliis quibusdam, qui de rerum natura scripserunt, est hydrus, sive chersydrus, qui & natrix; unde Germanicum **nater**, Anglicum **nader**; uti hinc barbarum *nadera*. De aquatici hujus serpentis nominibus, ac pariter naturâ, diximus Theologiæ Gentilis, & Physiologiæ Christianæ, lib. IV cap. LIV, & LVII.

Nario, à naribus, homo nasutus, vel totus denique nasus, ut est apud Martialem: sive qui alium naso suspendit adunco. Isidori Glossæ : *Nario, subsannans.* Aliæ : *Nario, subsannator.* Etiam *nario,* fatuus; ut Germanis **narr**: sive à *narrando,* quia multa temerè effutiunt ; sive potiùs

à μω-

à μωρὸς, quando M interdum transit in N; ut à μὴ, *ne*; ab ἀμφὶ, *am, an, annus, anus*: ac fortasse à μείδω *nideo*, unde *renidere* Horatio.

Naufrogosus, pro naufragus. Ivo epist. XVII: *Quid est sublimitas, nisi naufragosa tempestas? Naufragam tempestatem* dixit Valerius Flaccus primo Argonauticôn.

Naviarchus, pro navarchus, vel gubernator, ineptum est.

Navicellâ vectus, est apud Adamannum de rebus S. Columbani. Sed præter exemplum veterum. Etsi ἀναλογία non repugnet. Nam ut dicitur, *cista, cistula, cistella*; sic dicere potuimus, *navis, navicula, navicella*.

Nebulator à nebula; ut ejusdem sit originis, ac *nebulo*. Nempe sic dicuntur, quos nebulæ cyatho non emas. Petrus Blesensis epist. XIV: *Nebulatores, mimi, barbaratores*. Ubi ex Horatio *malim *balathrones*. * Lib. 1. ser. 2. vers. 2.

Necestuosus, pro paupere, quia desint res necessariæ. Ita accipit Hincmarus epist. VII cap. XXXV, & Flodoardus lib. III Hist. Rhem. cap. XXVI, *Quia Missus Imperatoris erat, & capitula ipsius pro necestuosis habebat*. Puto, à *necessum* sit potiùs *necessuosus*; ut ab *incestus incestuosus*.

Nemus pro *nemo*. Ivo Carnotensis epist. CCXIII: *Quia nemus rectiùs custos præponitur vitæ alienæ, quam qui priùs custos est factus vitæ suæ*.

Nepta corruptè dixerunt pro *neptis*. Ut in Traditione LXX S. Galli. Verba ejus adferam in Verbis falsa significatione positis, voce *Placitare*.

Netorium, fusus, quia ejus usus in nendo: unde, Polluce teste, ἠτήριον Græcis vocatur. Isidorus in Gloss. *Netorium, fusum, fusile*. Planè enim adsentio sic corrigentibus; ubi vulgò *Netorsum*.

Neutralitas, qua quis neutrius est partis præ altera studiosus. Concilium Pisan. I sess. XXI. *Adhærentia utriusque partis, seu via neutralitatis*. Sic neque *neutralis* dixero; sed *neutrius partis studiosus*. Opponitur ei *partium studiosus*.

Nibita, aqua ex nubibus facta. Ita vulgò legitur in Gloss. Isidori. Sed non dubium, quin pro *nubibus* legi debeat *nivibus*. Pro *nibita* item rectè conjectant *nivita* legi debere. Pro quo *nivata* Petronius: *Pueris nivatam infundentibus*. Nisi in Isidoro malis *nivica*: quod à nive eâ formâ, quâ *calicus, astricus, civicus, hosticus*, dicimus.

Nihileitas, quia quid nihili censetur. Henricus de Hassia in Speculo Anim. * * Pag. 7.

Nimietas, excessus. Gloss. Mss: *Nimietas*, ὑπερβολή. Habet non solùm vetus Scripturæ interpres Sapient. cap. IV: sed & Arnobius lib. IV ac VII,

Servius in VIII Æn. Hieronymus epist. XXXVII in Epitaphio Paulæ; item Theodosius, Arcad. & Honor. AAA. leg. IX tit. de Judæis, Cælicolis, & Samarit. lib. XVI Cod. Theodos. Unde *in barbaris* non habet Goclenius Sylloge Vocum Obsol. p. 337, etsi Cicero non utatur.

Nivarus, splendidus, secundùm Isidori Glossas. Legamne *nivatus*, ut *albatus*? an *nivarus*, quasi à *niveo*; ut ab *aveo avarus*?

Nixa, Hispanis est prunus Damascena, ita dicta à fecunditate in enitendis fructibus. Isidorus lib. XVII cap. VII: *Coquimella*, (corruptum hoc ex Græco κοκκύμηλα) *quam Latini ob colorem prunum vocant*; *alii, à multitudine enixi fructus, nixam appellant. Cujus generis Damascena melior, à Damasco oppido, unde priùs asportata est, dicta. Cujus solius pomum stomacho mederi probatur: nam cætera noxia perhibentur. Hæc sola arbor gummi glutinosum, & compacticum, distillat, quo & medici, & scriptores *, utuntur.* Etiam fructum sic dixere. Pelagius lib. V. de Vitis Patrum, libello IV, num. LXV: *Et attulit quidem frater nixas siccas, & fecit pulter.* Vide, quæ pluribus Rosweidus annotavit in Onomastico suo, quod Vitis Patrum subjunxit.

* *Plin.* pictores.

Noctícula si veteres dixere, simile fuerit, ac *diecula*. Sed posterioribus *noctícula* est spiritus noctu comparens cœtui hominum sibi devotorum. Aliter etiam vocarunt *Hecaten*, quæ eadem ac Diana: item Herodiadem, quasi ea ipsa sit, quæ saltando caput Joannis Baptistæ meruit. Illustris de hoc locus est apud Joannem Sarisberiensem lib. II cap. XVII: *Quale est, quòd noctículam quandam, vel Herodiadem, vel præsidem noctis dominam, consilia, & conventus, de nocte asserunt convocare; varia celebrari convivia, ministeriorum species diversis occupationibus exerceri, & nunc istos ad pœnam trahi promeritis, nunc illos ad gloriam sublimari. Præterea infantes exponi lamiis, & nunc frustratim discerptos edaci ingluvie in ventrem trajectos congeri; nunc præsidentis miseratione rejectos in cunas reponi. Quis vel cæcus hoc ludificantium dæmonum non videt esse nequitiam?* In glossis etiam Philoxeni legas: *Noctícula*, Ἑκάτη νυκτοφαίνουσα. Fortasse igitur *Noctícula* corruptum ex *Noctiluca*, quæ eadem ac Hecate. Notum illud Maronis IV Æn.

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Nempe in cœlis est Luna, vel Noctícula; in terris, ac imprimis sylvis, Diana; apud inferos, sive Antipodas, Hecate. Sanè Lunam clarè Noctículam vocat Horatius lib. IV od. VI. Id verbum verbo sonet νυκτιλαμπής. Nec aliter in Onomastico legendum: ubi vulgo, *Noctíluca*, νυκτι-

νυκτιλαμπίς. Neque obstat iis, quòd Venerem hoc elogio insignit Levinus, poëta vetus, his verbis : *Venerem igitur almam adorans, sive femina, sive mas est, ita ut alma noctiluca est.* Nam, secundùm antiquissimam Orientis Theologiam, non Hesperus, sive Lucifer ; sed Luna per Venerem intelligitur. Qua de re abunde dictum nobis lib. II operis de Gentilium Theologia.

Noluntas à *nolo*, ut *voluntas* à *volo*. Optimus doctissimusque Merula usum censet Eunium : cujus versus adducit ex Calpurnii Pisonis opere de Continentia veterum Poëtarum ad Trajanum Principem. Ac censet idem Merula, bis usum B. Augustinum lib. XIV de Civit. Dei cap. VI. Ac video, eadem postea scripsisse Ludovicum de la Cerda in Adversariis Sacris cap. CLXXXV, §. XLVII. Sed vellem, nominâsset Merulam, quando ejus est illa de B. Augustino conjectura, ac illud de Ennianis versibus apud Pisonem nititur fide ejusdem Merulæ, qui triduo eo scriptore Parisiis usus in Bibliotheca S. Victoris. Mihi suspecta vox *noluntatis* erit, donec de Pisone illo magis liquebit. Sed neque de Augustino gravem satis caussam video, cur sic eum scripsisse credam.

Norax in Glossis Isidori exponitur peccator, criminosus. Sed lubens Martinio * accessero, qui *noxax* legit, ut sit à *noxa*. Sanè ibidem est. *Noxilis, nocens.* Pro quo *noxialis*, Seneca. Etiam apud J. C. *noxalis actio*. Gloss. Basil. Νοξαλία, βλαστική. Νοξαλία, ἀγωγὴ ἡ ἐκδοσιν ζητοῦσα τ̃ ὑφεωρ̃μένου. Adi Institut. lib. IV. tit. VIII, & in Dig. lib. IX tit. IV. Et sanè Lucilius dixit *noxit*. Unde io Gloss. Isidori : *Noxit, noceat.* Puto, *noxit* esse à *nocco*, ut *faxit* à *facio*,

* *In Etymologico.*

Notorietas, indicia rei notoriæ sive manifestæ. Concil. Pisan. I. sess. XII : *Sancta Synodus, attentà eorum, de quibus agitur, notorietate, denique per evidentiam depositionum testium. Notorius*, pro manifesto, non quidem Ciceronis, vel Augusti ævo, obtinuisse puto : sed usurpavit Paulus L. VI Dig. ad S. C. Turpilianum : *Nunciatores, qui per notoria indicia produnt, notoriis suis adsistere jubentur.* At junioribus nihil vulgatius. Sic *notoriam veritatem* legas apud Arnulphum, episcopum Lexoviensem. epist. ad Gillebertum, Londoniensem episcopum. Est & Cæsarii lib. X Miracul. cap. XXXV : *Et quia ejus peccatum erat nimis notorium.* Et alia apud alios.

Novecuplum est in Legg. Wisigoth. lib. VII tit. I leg. I, & tit. II leg. X. Nempe ut à *decem* est *decuplum* ; sic à *novem* putarunt esse *novemcuplum*, vel *novecuplum*. Verùm si ἀναλογίαν attendas ; ut à *decem* est

decuplum, sic à *novem* foret *novuplum*. Sanè nec à *septem* dicimus *septecuplum*, verùm *septuplum*.

Noxax, quid sit, jam vidimus in *Norax*.

CAP. XXX.

De cœptis ab O. Obauditio, *pro obœdientia.* Objectivum, *quod contra adversarii sententiam dicitur.* Obnoxiatio, *scriptum, quo quis se alteri obstringit, præcipuè pater liberis, promittendo se non abalienaturum agros, quibus utitur-fruitur.* Obviatio, *occursus.* Occasionale, *datâ occasione susceptum.* Octenus. *pro octonus.* Octimber, *October.* Odibilis, *odio dignus.* Odoramentarius, *unguentarius,* Offertio, *oblatio.* Offertorium, *quando in Missa fit oblatio Dominici corporis.* Officialis, *de officiis hominis tractans: item minister magistratûs.* Oleatum, *oleo lutum.* Olentia, *odor.* Olica, *olivetum.* Onustatus, *oneratus.* Oramen, *oratio.* Orarium, *pro linteolo ad os detergendum, vel pro stolâ Episcopali, atque aliter.* Oratorium, *locus orationis.* Orcistra, *vel* hormisda, *corruptè pro* orchestra. Ordinale, *codex, in quo ordo Missæ.* Ossamenta, *ossa.* Otiositas, *otium.*

HInc jam proficiscamur ad barbara Latinæ originis, quibus princeps litera est quarta vocalis.

Obauditio, pro obœdientia, legas apud æqualem S. Augustini, Bachiarium; ut in melioribus libris vocatur; qui perperam Bacciarius, vel, ut apud Honorium est, libro de Luminaribus Ecclesiæ, Bachianus.

Obœdientarii, qui vocentur in monasteriis, dicam in vocibus alienâ positis significatione, vocabulo, *Obœdientia.*

Objectivum, quod contra alterius sententiam adfertur. Apolog. Concilii Pisan. † *Tertiam objectivam portionem, contra Pisanam indictionem, attingere res admonet.*

† Pag. 34. edit. Parisiensis anno 1612.

Obnoxiatio est apud Marculfum lib. II cap. IX: *Charta obnoxiationis à patrem filiis facta.* Ubi Bignonius optimè docet, libellum intelligi, quo pater, qui usum-fructum bonorum defunctæ uxoris accepit à liberis, remunerandi ergo, iis agros quosdam donat; sed retento sibi usu-fructu, quo se obnoxium reddit liberis, eò quòd agros istos alienare non possit.

Obstagium legas in Speculo Saxonico *. Quid verò sit, diximus hujusce libri cap. XIV, in *Hostaginm.*

* Pag. 141.

Obvia-

Obviatio dicitur, pro ἀπαντήσει, sive actu, quo obviam itur. *Occursus* dixero cum Ovidio, Senecâ Plinio.

Occasionale, quod occasione oblatâ facimus, alioqui non acturi. Usus Hincmarus; cujus verba adduximus in *Circada*.

Octenus sæpius apud Althelmum legas de laude Virginum. Sed Horatius, Ovidius, Plinius, ac veteres omnes, *octonus*. A *septem* quidem *septenus*; à *novem*, *novenus*, sed ab *octo*, *octonus*.

Octimber, pro *october*, dixere seculis posterioribus. Sic sanè scriptum fuit in Mss codicibus Flodoardi lib. III Histor. Rhem. cap. IV. Item in metrico Martyrologio Wandelberti Prumiensis: quod monitum & Ludovico de la Cerda in Adversariis Sacris, multijugæ lectionis opere, cap. XCVIII. §. III. Puto autem provenisse errorem ex eo, quòd dicamus, *september*, *october*, *november*, *december*: tum item quòd Grammaticorum vulgus crederet, menses quatuor postremos sic vocari, quasi *septimus*, *octavus*, *nonus*, *decimus*, *imber*: quod valde ineptum. Nec enim sunt voces compositæ; sed simplices, quia *ber* solum est παράλογον, sive productio: ut in *faber*, quasi *faciber*, à *facio*; *tuber*, quasi *tumiber*, à *tumeo*; *Mulciber*, à *mulco*, hoc est, mollio.

Octodecim an dixerint classici, non ita apertum est. Malim igitur *duodeviginti*; de quo constat.

Odibilis, quem jure oderis. Usus, post Gregorium Turonensem Petrus Blesensis epist. LXXXIV ad Alexandrum Papam: *Detractores, Deo odibiles*. Sed & epist. XVIII, atque alibi, usurpat. Sic & *placibile* ait Anastasius Bibliothecarius: imò *pudibilia membra*, pro verendis, nec Lampridius refugit.

Odoramentarius, pro unguentario, barbaris relinquendum.

Offertio, oblatio. Diploma Dominæ Comitis Mathildis, quo, sub Papa Gregorio VII, omnia sua donavit Ecclesiæ Romanæ *: *Eidem Ecclesiæ dono, & offero, & per præsentem chartulam offertionis itidem habenda confirmo*. Antiquitus tamen pro *latum* dixere *fertum*; unde *fertilis*, & alia; in his nomen illud, de quo proximè dicam.

Offertorium legas in Epistolâ Caroli Magni ad Albinum, secundùm editionem Wolfgangi Lazii †: sed potiùs in parte altera * Albini de divinis officiis. Verba ponam: *Post Evangelium non cantatur offertorium, & cantores tempore sacrificii silent*. Ac copse opere *: *Verba historici continentur in offertorio*. Est verò *Offertorium* missæ ea pars, quæ tempore dicitur oblationis. Quandoq; & sindon, in qua populi oblationes reponuntur.

* *Apud Baronium Annalium tom. 12. ad ann. 1102. pag. 26. edit. Moreti.*

† *Bellovacensis editionis, quæ Antverpiæ anno prodiit 1560. pag. 47.*

* *Sequitur hæc illa, quæ ibidem habes pag. 189.*

* *Pag. 80. ejusdem edit.*

nuntur. Nempe ut antiqui in supino pro *latum* dixere *fertum*, unde *fertis* & *fertoribus* nomen: ita juniores ab eadem origine *offertorium* fecere. Adi Isidorum lib. VI Orig. cap. XIX.

Officialis vox, licet ignota classicis, non tamen adeò recens, quàm videri possit. Nam & pro eo. quod de officio tractat, Lactantius usurpat, qui lib. VI Tullium laudat *in suis Officialibus*: & pro ministro magistratûs longè ante usus Appulejus I Met. *Iubet Officialem suum pisces pedibus obterere.* Etiam *Officiales sacrarum vestium* legas L. VII cap. de Palat. sacr. larg. Junioribus verò nihil eâ voce est usurpatius. Nam ut Capitular. Kar. M. & Constitutiones Siculas, mittam; ita Cæsarius lib. IV Mirac. cap. LIX: *Necessarium prælatis, ut frequenter Officiales suos moneat, ne alicui fraudem inferant.* Et cap. LXIIX: *Pietatis Officialibus amotis, & eis, quos tenaciores noverat, institutis.* Antonius III. Episcop. XXXVI: *Delegavit in Germaniam, monens, ut Officiales iterato iterarent electionem regiam.* Salsè verò Petrus Blesensis epist. XXV: *Credo hujusmodi Officiales non ab OFFICIO, nomine; sed ab OFFICIO, verbo, mutuâsse vocabulum:*

Nam genus hoc hominum, quod dicunt officiperdi,

tota Officialis intentio est; ut, ad opus Episcopi sui jurisdictionis, commissas miserrimas oves, quasi vice illius, tondeat, emungat, excoriet.

Oleatum, oleo illitum. Petrus Cellensis lib. VIII epist. VII: *Vestrum est, panis oleati buccellas cum Petro Apostolo, cum convenitis ad cœnam agni, sumere,*

Olentia, pro odore, est apud Plinium Valerianum,

Olica, ab olea, pro oliveto, est in Collectione Formularum Sollemnium, à Lindenbrogio editarum, form. LXII, & LXIX.

Olitanus, antiquus, inolitus. Utitur Adrianus I. Epistola ad Carolum M. de Cleri & plebis in Constitutione Episcopi necessitate scribens: *Apostolicâ prævidimus authoritate, ut Canones in decretis eorum consistant, & quando* (Episcopi) *à nobis ordinantur*, olitanâ consuetudine *proclametur.* Olitana hic consuetudo, est consuetudo antiqua; & *olitani Canones*, antiqui Canones. Ita *olitana tempora* dixit Anastasius Biblioth. in Paschali primo. Item Carolus Calvus in libello proclamatorio adversus Wenilonem dicit *olitanâ consuetudine* in Francorum Regno Reges ex genere prodire apud Baronium Tomo X, Anno. 859. Vox ab adverbio *olim* deducta.

Omni-

Omnimodus non dixero : etsi *omnimodis* apud Lucretium sit. Pro *omnimodus* verò *cujusque modi* malim.

Onustatus, onustus, onere gravatus. Petrus Venerabilis lib. I epist. XXIV : *Gravi humanorum studiorum onere onustato.*

Oramen, pro oratione, sæpius est apud Althelmum de Laude Virginum.

Orarium legas apud Vopiscum in Aureliano : *Sciendum tamen, congiaria illum ter dedisse ; donâsse etiam populo Rom. tunicas albas manicatas ex diversis provinciis, & lineas Afras, atque Ægyptias puras ; ipsumque primum donâsse oraria populo Rom. quibus uteretur populus ad favorem.* Orario os tergeri solet. Itaque etsi, antequam in usu forent linteola tenuia, quibus id facere solent, orâ vestis fieri consuevit : non tamen ab orâ, quàm ore, id nominis esse verisimile est. Et opinionem eam firmat hoc Prudentii περὶ στεφάνων hymno primo :

Hic sui dat pignus oris, ut ferunt, orarium,

Erat id magis longam, quàm latum ; unde fasciæ etiam loco inserviebat. Hoc Casaubono ostensum istoc B. Ambrosii, oratione funebri de obitu, non Symmachi, ut μνημονικῷ ἁμαρτήματι summus ille vir scribit, sed Satyri fratris : *Divinum illud fidelium sacramentum ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare.* Ac similiter B. Augustinus lib. XXII de Civit. Dei cap. VIII : *Tunc sicut potuit, oculum lapsum, atque pendentem, loco suo revocavit, ligavit orario.* Nec aliter hac voce usum existimem Paullinum in vita Ambrosii : *Iactabat etiam turba virorum, ac mulierum, oraria, vel semicinctia sua ; ut corpus sancti aliquatenus ab ipsis contingeretur.* Atalia forma, nempe non tam fasciæ, quàm pallii, erat, cùm per orarium intelligitur stola Pontificalis, sive linea episcopi vestis, quæ vulgo *rocquetta*. Papias : *Orarium, stola sacerdotalis, operculum capitis.* Et, ne vetustiores adducam, sic Petrus Blesensis serm. XLI : *Orarium, quod & stola dicitur.* Ac postea : *Orarium autem dicitur, quia propter offensas populi tui cum humili genuflexione Domino debes supplicare, tuis precibus indignationem placare.* Idemque ὠμοφόριον ante eum adduxit Karolus Mag. ut editio Wolfangi Lazii vocat, sive potiùs Alcuinus de ritibus vet. Eccles. *Orarium est, vel dicitur, stola, eo quòd oratoribus, id est, prædicatoribus, concedatur.* Episcopi fuisse, indicat & Vita S. Fulgentii, Ruspensis Episcopi, à discipulo conscripta, cap. XVIII : *Orario quidem, sicut omnes episcopi, nullatenus utebatur.* Item Anastasius bibliothecarius in vita Agathonis Papæ, §. X :

Eâ horâ sancta Synodus, unà cum Principe ejus (Constantino Augusto) *orarium auferri jusserunt à collo ejus,* (Macarii, Antiocheni episcopi, seu Patriarchæ.) *Et exiliens Basilius, Episcopus Cretensis Ecclesiæ, ejus orarium abstulit.* Nec tamen solos gestâsse Episcopos, clarè liquet ex Concilio Toletano IV cap. XXV: *Episcopus orarium, annulum, & baculum, coram altari de manu Episcoporum accipiat; presbyter orarium, & planetam; diaconus orarium, & albam; subdiaconus, patinam, & calicem.* Sedulò igitur in scriptoribus attendere oportet, quo pacto *orarii* vocem accipere opoteat. Sanè sacerdotalem vestem intelligere non possimus in istoc Gregorii M. lib. VI epist. CXCI: *Duas autem camisias, & quatuor oraria, vobis transmisi.* Laici enim erant, quibus vellet offerri. Longum sit, si velim laudare auctores, qui orarii meminere, non dico omnes; sed vel solos, qui occurrunt. In quibus Fortunatus Pictaviensis in vita S. Marcelli, episcopi Pictavensis. Item Concilium Braccarense III can. III. Est & Matthæi Parisiensis in vita Gaufridi, XVI abbatis S. Albani: *Orarium cum fanone, auro, & gemmis adornatum.* Imò & à Latinis mutuati hanc vocem Græci. Ut Synodi VIII Act. X: Ωμοφόρια, & ὡράρια, & πηλόπια. Alia etiam adderem de re ipsa. Sed video pleraque ea vel apud Casaubonum, ac Salmasium, legi, Notis ad Vopiscum; vel Lindenbrogium, ac Watium, in Gloss. vel Martinium in Etymologico; ut alios prætermittam.

Oratorium, locus sacer ad orandum; præsertim ubi adservarentur sancti alicujus reliquiæ. Sic sæpius utitur Gregorius Turonensis lib. II Hist. Franc. cap. VI. Legas quoque id vocabuli in Capitul. Karoli lib. V cap. CCXXX, ac Cæsarium lib. I Mirac. cap. IV, & XXII.

Orcistra corruptum ex *orchestra*. Prius, inter alios, est apud Joannem Turocium Histor. Hungar. lib. II cap. XLVI. Etiam *Orchestræ* vox in *Hormisda* corrumpitur: ut factum in *Orosii Orchestra*. Nam hæc genuina ἰμισπαφὴ, ut alibi dicimus.

Ordinale, codex continens ordinem, & rubricas Missalis. Matthæus Pariſius in vita Pauli, XIV abbatis S. Albani, ubi abbatis ejus dona enarrat: *Sine ordinalibus, consuetudinariis, missalibus, troparis, collectariis.*

Ossamenta, ossa, cadaver: Belgis similiter 't gebeente. Matthæus Parisius in anno CIↃCCLVII: *Eodemque anno inventa sunt ossamenta regis Scotorum Malcolmi.*

Ostagium quid sit, vide cap. XIV in *Hostagium*.

Otiosi-

Otiositas, pro otium. Sidonium lib. II epist. X: *Quos in hanc paginam admitti, nostra quàm maximè verecundia vetat ; quam, suas otiositates trepidanter edentem, meliorum carminum comparatio premit.*

CAP. XXXI.

Accessum ad ea, quibus P litera est initialis. Ac hoc quidem capite de iis actum, ubi A excipit, inde verò sequitur G, vel aliqua primarum trium liquidarum. Papania, *ritus pagamici.* Paganicius, *occulta, hoc est, paganica, sive gentili religioni addictus.* Pagenses, *quicunque ejusdem sunt diœcesios, sive territorii.* Palergia, *proparerga.* Palfredus, palefredus. palefridus, paravedus & parafredus, *equi genus.* Palicium, *vallum è palis.* Palliditas, *pallor.* Pamæum, *pœmenaum.* Panifex, *vel* panificus, *pistor.*

HAbemus de exorsis à vocalium quartâ. Proximus est locus à sequenti litera incipientibus.

Paagium quid sit, ex iis erit cognoscere, quæ in *Passagium* dicemus.

Pagania, pro paganorum ritibus, in epistola Zachariæ Papæ ad Francos, & Gallos *: *Ut populus Dei paganias non faciat.* Postea † sic interpretatur: *Qui paganas observationes in aliquare fecerit.*

Paganicius, ut occultus. Ita est in glossis veteribus. Emendat, *vir occultus.* Neque displicet. Suspicor enim, signari paganicæ religioni addictum; quales occulti. Nec enim Isidori ætate, sub Christianis Imperatoribus, aut Regibus, impiam gentium religionem profiteri quisquam audebat; partim, quoniam legibus hoc interdictum; partim quia, ob cultûs ejusce stultitiam, Christianis contemtui, ac ludibrio, forent.

Pagensis à pago dixere posteriores: at priores *paganus.* Verùm *pagus* non semper est vicus, sed etiam provincia tota, vel ejus pars; uti oppidum cum territorio. Notum, quomodo septem Helvetiorum pagos dicat Julius Cæsar. Itaque nihil mirum, si *pagenses* dicti, qui amplo Comitis, sive Judicis, territorio subessent. Gregorius Turonensis lib. VIII cap. XVIII: *Wintrio dux, à pagensibus suis depulsus, ducatu caruit.* Præceptum Dagoberti de mercato S. Dionysii: *Saxones, & Ungari, & Rhotomenses, & cæteri pagenses de aliis civitatibus.* Similiter Marculfus monachus lib. I Form. cap. XXVIII. Et apud Ansegisum Capitularis lib. III cap. LXXIII: *Cum Comite, cujus pagenses sunt, ire permittat.* Ac eopse libro cap. XLIII, & lib. IV cap. XIX. Nec *pagenses*

* *Lib. 5. Capitularium Karoli M fol 90. a.*

† *Pag. 91. 4.*

miſer, complex, ut dicitur, in necem Florentii juvenis, effugiens unâ dierũ inſidias Theodorici Comitis, tranſnatavit cum palafredo ſuo torrentem Moſæ flumminis. Vide &, quæ Jacobus du Bruel, monachus S. Germani de Prato, hac de voce fuſe annotavit ad Edictum Ludovici, & Lotharii imperatorum; quod eſt Aimoini lib. v. de geſtis Franc. cap. x.

Palicium, vallum è ſudibus, ex Gallico *paliſſade*; quod ipſum à *palis*: vel potiùs à palis *palicium*, ex palicio fit *paliſſade*. Guilielmus Brito Philippeidos lib. VII:

Paliciumque triplex, quod orat gaillardica ſubtus
Mœnia, quadratis palis, & robore duro,
Uſque ſub extremas protenſum fluminis oras.

Palliditas, pro *pallor*, quid attinet dicere, cum id vocabuli veteres neſciant?

Palpo, pro palpator, ſive eo qui palpum obtrudit. Joannes Saresberienſis Policratici lib. III. cap. IV. *Cæterum palpo, qui tamen aſſentatoris, vel adulatoris cenſetur nomine, hominum mentes explorat.*

Pamaum, in Gloſſis Iſidori exponitur *veſtis paſtoralis*. Sed ſine dubio reſcribendum *pœmeneum*, quaſi ποιμενεῖον à ποιμὴν, paſtor.

Panifex, & *panificus*, agnoſcit & Calepinus, qiu Paſſeratii dicitur, & Cælii Curionis Forum Romanum: ac uſurpat Joan. Saresberienſis Policratici lib. III, cap. XIV: *Sed Auguſtus, fortunæ favor, & Romani decus imperii, avunculo ſuo Julio longè patientior exiſtit. Cùm enim Antonius, maternam ejus originem deſpiciens, eum Afrum genere, & naturâ panificum diceret, hoc ridens pertulit, & eundem, ſorore traditâ, in affinitatis gratiam admiſit.* Malim *piſtor* dicere: pro quo & *panarius* in Gloſſis legas: ubi exponitur ἀρτοπώλης.

Pantana quæro quid ſit in Chronici Caſinenſis lib. I. cap. LVII. *Curtem de pantana prope Beneventum.* Verùm fortaſſe non commune eſt nomen; ſed loci proprium.

CAP. XXXII.

De cœptis à P, ſequente A. & R. Paracharactæ, *qui nummos falſos cudunt.* Paracharagmus, *falſa nummi imago.* Paracellarius, *qui reliquitas Pontificalis menſæ largitur pauperibus.* Parada, *navis tegumentum ad arcendum æſtum, ac frigus.* Paragium, *paritatis obſervatio in bonorum ſucceſſione.* Paramentum, *hoſpitium.* Paraſtitia, *poſticæ fores.* Parapallii

usus in theatro. Paratura, *additamenta, quibus vestis fit ornatior.* Parentela, *cognatio.* Parentivum, *quod tangit parentes, eorumve liberos.* Paribile, *cui paretur, sive obtemperatur.* Paricula, *epistola par, sive ejusdem exempli.* Parochia, & parochium, *pro parœcia: atque inde* parochianus. Particularis, *singularis.* Parvaredus, *idem ac* palfredus, *de quo dictum.* Parvisium, *parvulorum gymnasium.*

COmplectar nunc ea, ubi P literam excipit prima vocalis, cum liquidarum postrema.

Paracharacta, qui nummos adulterant, ἀπὸ τῦ παχαράττειν. Legas in Codice Theodosiano lib. IX. tit. de falsa moneta: *Falsa moneta rei, quos vulgò paracharactas vocant.* Vides referri, ut verbum non tam elegantioribus, quàm vulgò usurpatum. Sic *paracharagmum* dixere pro παχάραγμα. Usus Cassianus Collat. I. cap. XX, & Collat. II. cap. IX. Vulgò utrobique *paracharaximum* editur. Sed sic, uti diximus, rectè legendum vidit Ciacconius. Observavi verò & similem locum Petri Damiani epist. lib. II. epist I: *Quod si ipsius moneta obliterata, vel detrita sit regula; postquam metallis imprimitur, non nummus, sed paracaraximus, invenitur.* Vel enim *paracharagmum* legi debet, vel jam Damiani seculo sic loquebantur: eaque res fortasse fecerit, ut librarii & in Cassiano, multò licet antiquiori, id vocabuli corruperint.

Paracellarius idem, qui *subpulmentarius*: puta qui è cella Pontificis pauperibus erogaret, quod mensæ superfuisset. Vox est è Græco παστάς, & Latino *cella*: ut simile sit, ac *paraveredus*. Vide Onuphrii Panuini interpretationem vocum Ecclesiasticarum*.

* Lovanii excusa est ann. 1572.

Parada interdum producit mediam, interdum corripit. Cùm ea porrecta, idem est ac hospitium sive diversorium, quod principis jussu pararetur, sive præpararetur; unde & nomen. In diplomate Stephani Papæ: *Mansiones, aut silvas, vel paradas faciendas.* Hac de re accuratiùs dictum cap. XXIII. in *Mansionaticum*, ac pluribus loquar lib. sequenti in *Parata*, unde *Parada* corruptum. At quando media est correpta, notat fornicem sive tectum navigii voluptarii; in quo molliter toris incubabant, tecto tuti ab æstu, frigore, vento, pluviâque. Sic usurpat Ausonius epist. V, quæ ad Theonem:

Expositum subter paradas, lectoque jacentem,
Corporis ut tanti non moveatur onus.

Et Sidonius lib. VIII. epist. XII: *Hic superflexâ crate paradarum fere-*

mbru-

ni brumalis infida vitabis. Scaliger in Ausonianis Lectionibus censebat, *parada* nomine ipsam navem intelligi: sed tectum ejus signare, ex allatis Ausonii, ac Sidonii verbis, cognoscimus. Propiùs interim à vero abest, quàm Turnebus in Adversariis: qui multùm fluctuat. Unde verò câ significatione sit, non æquè apertum. Martinus putabat, esse ab Arabico פרד *parde*, hoc est, fiscella, qualus. Vel (quando navis erat voluptaria, & mollibus lectulis instructa) esse à Celtico sive Belgico bereeden, hoc est, parare, instruere, ornare. Pro quo est, quod & Ausonius, & Symmachus, qui eo usi, fuerint Galli. Sed quid si, ab eadem caussa, sit à *paro*, correptâ mediâ; ut ab *amo amita*?

Paragium est in Constitutionibus Neapolitanis lib. III, tit. XXIII. Docuit & Cujacius, notare adæquationem, quâ jure pari paterna, vel avita, teneatur hæreditas, dum sextus à stirpe gradus non excedatur. Aloys. Riccius part. I. decis XIII. p. VI.

Paramentum, hospitium, parata mansio, quæ & simpliciter *parata*. Hincmarus ad Karolum Regem: *Et antequam de paramento vestro ad mansiones redeant.* Ac post aliqua: *Hanc admonitionem eis quotidie, quando ad paramentum vestrum venerint, relegat.*

Parastitia, postica, à παρὰ, & *statio*: quâ formâ dicimus *interstitium*. Adamannus de rebus S. Albani: *Ecce enim Angelus Domini, ad repetendum aliquod Deo charum missus depositum, nos desuper intra Ecclesiam adspiciens, & benedicens, rursus per parastitiam Ecclesiæ reversus, nulla talia vestigia exitus reliquit.* Clementi Alexandrino * παράθυρον vocatur.

* *Lib. 7. Strom p. 549. edit. Bat. ann. 1516.*

Parapallium in theatro ponit vetus Juvenalis interpres ad sat. VI. ℣. IDCXLIX.

Paraturæ, limbi, ac similes ornatus vestium. Crebrum apud Anastasium bibliothecarium. Est & Matthæi Parisii in vita Richardi, decimiquinti abbatis S. Albani: *Dedit etiam albas binas paraturis brudatis* *. Etiam *paraturam*, pro paratu, legas apud Tertullianum de Pallio.

* *Hoc est, acupictis: ut dictum lib. 2. cap. 3. voce* Brudatus.

Parentela à *parens*, ut *clientela* à *cliens*, idem est ac cognatio, sive genus, ac familia ab eodem parente. Sic usus Capitolinus in Gordianis: adhæc leges Salicæ, Burgundicæ, Longobardicæ. Item Petrus Blesensis epist. CII, & alibi. Etiam in vita est Philiberti: *Mater prudentissima, nobili parentelâ.* Item S. Majoli: *Gallicanâ generositate conspicuus, patre Pulcherio procreatus, nobilis parentelæ germen eluxit nobilius.*

Paren-

Parentivum propriè, quod ad parentes pertinet: uti *paricida*, quasi *parenticida*, qui alterum occidit parentem. Sed ut *paricidæ* vox extenditur ad eos, qui fratrem, vel cognatum, interfecerint; quemadmodum fusè in Oratoriis dixi *: ita & *parentivum* videtur extendi ad fratres, aliosque arcto junctos sanguine. Valerianus, Cimelensis episcopus, homil. xx: *Quisquae hominum parentiva mortis exspectatione animam pascit, parricidali crimine in hæreditate succedit.* Ubi *mors parentiva* non ad parentem modò, sed & fratrem, referenda; cùm, ut Ludovico de la Cerda * observatum, præcedant hæc verba: *Modò de patris morte cogitat, modò de fratris vita suspirat. Non est hoc sine grandi scelere impietatis.*

* *Lib. 4. Orat. Instit. cap. 12. sect. 3.*

* *In Adversariis Sacris cap. 184.*

Paribiles leges, quibus simplices parérent, etsi nec rerum naturâ, nec rei veritate, niterentur: ut in judicio per ferrum candens, aut aquam frigidam. Quales rejicit Fredericus imperator lib. 11 Constitut. tit. xxxi. Vult enim non per hæc incerta judicari, sed per constitutiones à se, vel ab antiquis latas.

Paricula diminutivum à *par*, ut paricula epistola, quæ alteri planè esset par, sive exempli similis. Neutrâ enim litigantium parte convictâ, utrique dabatur libellus ejus judicii testis, quo uterque poterat probare causam suam non esse damnatam. *Charta paricla* inscribitur Marculfi lib. 1 Form. cap. xxxviii. Est & Variar. Form. cap. xiv: *Unde duas epistolas pariculas, uno tenore conscriptas, manu eorum, vel bonorum hominum, firmatas, inter se fieri, & firmare, rogaverunt.*

Parlamentum cur minùs dicturus sim, quàm *curiam supremam*, ostendi lib. 1. cap. vii. Ubi & de origine dixi ejus vocabuli, ut sit à παρὰ, λαλεῖν, h. e. alloqui. Atque hoc etiam placuit Budæo; qui prioribus in Digesta Annotationibus censet, hoc nomen esse ab advocatorum altercationibus. Longè sanè id verisimilius, quàm ut sit à παρειὰν ἰλαύειν, *genam agitare*: quod placuit viro erudito. Quia verò *parlamentum* propriè sonat colloquium, eò & sic dixere colloquia monachorum in suo, ut vocant, locutorio. Matthæus Parisius in Additamentis *: *Cum quidam post prandium proniores sint ad loquendum, quod non prodest: —statutum est, quòd parliamentum, quod post prandium in quibusdam claustris fieri consuevit, penitùs interdicatur; & loco ipsius vacetur uberius meditationibus, & lectionibus repetendis.* Imò & Germani **parlamentiren** dicunt de colloquiis ad transigendum, ut fit in urbibus obsessis: ac similiter in rebus etiam privatis loquuntur de contentiosis aç turbulentis sermonibus.

* *Pag. 170.*

Paro-

Parochia est pervulgatum, pro *paræcia*: ut ostensum lib. I. cap. XI. Ac *paræcia* rectè editum in Cæsario Heisterbachensi lib. I Miraculorum cap. XXIV, & lib. II. cap. III, & lib. III. cap. VIII. Uti & *paræciani* apud eundem lib. IV. cap. XI. At *parochia* est apud alios multos: in his Sidonium lib. VIII. epist. VI, Adonem Viennensem, Rothaldum epistolâ ad Nicolaum Capitularium, Hincmarum epist. ad Nicolaum, Odonem Cluniacensem lib. II. cap. X de Miraculis B. Martini. Quibus in locis sumitur pro diœcesi totâ: ut monitum Joan. Ludovico de la Cerda in Adversariis Sacris cap. XXVI. Atque ibidem observat, de universa sic loqui Aldhelm. de Virginitate cap. VII: *Quæ* (vitiorum agmina) *contra Catholicam Ecclesia parochiam cum ducibus suis prolatis gregatim ingruere moliuntur.* Dixere & *parochium* pro *parochia*. Karolus Magnus Constitut. cap. IV: *Ut Episcopi de presbyteris, & clericis, infra illorum parrochia potestatem habeant secundùm canones.* Ubi *infra parrochia* dictum pro *intra suas parochias*, sive potiùs *in suis parochiis*. Similiter loquitur cap. V. A *parochia* vel *parochium* est *parochianus*. Hincmarus Rhem. ad Hincmarum Laudunensem epist. II: *Parochianum meum Amalbertum pro caussa tibi inlicitâ excommunicasti.* Ac alibi idem similiter. Item Ivo Carnotensis Epist. I. ad Richerium Senonensem Archiepiscopum: *Quia parabantur mihi insidiæ à quibusdam parochianis vestris.* Ac in fine epistolæ: *De parochianis vestris Stampensibus.* Item epist. CLXVII, *Quidam parochianus vester.* Est & ab eodem *parochialis*. Idem Ivo epist. CLXXII: *A quo cum quæreretur, utrùm habuisset ex concessione Carnotensis Episcopi, an ex jure parochialis.* Et post pauca: *Ad quod responderunt Blesenses, se ab illis parochianis omnia parochialia accepisse.* Idem epist. CCLXVI: *Non tantùm canonicali jure, sed etiam parochiali.*

Particularis, pro in parte præcipuus, singularis, obtinet vulgò contra mortem veterum.

Parvaredus, pro paraveredus, ab *veredus* factum. Hludovicus, & Hlotarius Augusti, in Privilegio cœnobii S. Germani, apud Aimoinum lib. V. cap. X: *Neq; parvaredos, aut expensas ad hospitum susceptiones, recipiat.* Vide, quæ fusè paullò antè in *Palfredus* dicebamus.

Parvisium, schola parvulorum. Matthæus Parisius in ann. MCCL: *Pro illa substantiola persolvenda, cogebatur ille pauperculus, multis diebus scholas exercens, venditis in parvisio libellis, vitam famelicam, & Codrinam, protelare.* Vocem ortam etiam Latinè factam conjicit Somnerus

rus in Glossario suo à Gallico parvis, aliàs *pervis*, Parvisiumque apud Matth. Paris. accipiendum putat pro sacrarum ædium atrio vel porticu, quem vide pluribus in V. Triforium.

CAP. XXXIII.

De incipientibus à PAS, PAT, PAU, PAX. Pascuale, *ad pascua pertinens.* Pascuarium, *census pro pascuis.* Pāsculum, *pascua.* Passagium, pasuagium, passigium, *pro stinere, transitu; vel quod pro eo persolvitur: item* paagium, *pro transitu: adhac* passagium, *pro tempore verno navigationi idoneo.* Passibilitas, *natura perpessioni subjecta.* Passionalia, *& sanctualia, passiones sanctorum.* Passiones, *affectus.* Passivum, *passim obtinens:* Passivitas, *quâ quid obtinet passim.* Pastellus, *propastillus: ac* pastellaticum, *quod datur ad obtinendam sacram dignitatem.* Pastophorium, *locus templi, ubi à sacrificio comederent, vel etiam in quo Levita, aut templi præfectus dormiret.* Pastorium, *præsepe stabuli.* Pasturagium, *pastus sive pabulum.* Patrinus, *pro offerente, sive susceptore.* Patriota, *vel* compatriota, *popularis.* Patronatus, *patroni conditio.* Pausana, *inducia.* Paxamacium, *panis minutus sex unciarum.*

HIs consequens est, ut me conferam ad cœpta à PA, sequente S, T, V, vel X.

Pascuale, ad domini pascua pertinens. Petrus Chrysologus serm. x: *Quomodo domum suam judicat ovile DEI, ubi non pascuale germen DEI pecus dat balatum?*

Pascuarium, census, qui solvitur pro pascuis, Legg. Wisigoth. lib. VIII Tit. V L. v. & Legg. Bojor. Tit. I. cap. XIV, §. I. item Form. LXI, *Pascuarium, aut agrarium.* Ubi *agrarium* similiter census, qui pro agris solvitur.

Pasculum puto dici, quasi *pascuulum*, hoc est, minutum pascuum, vel pratum *. Cæsarius lib. III. cap. XI: *Qua cum verbis non proficeret, inter brachia sua virum tollens* (sermo est de dæmonio, quod muliebre schema adsumserat) *& multum comprimens, in aëra levavit, atq; ultra monasterium sanctis Patrocli, quod satis altum est, illum transferens, in pasculo deposuit.*

* Pasculum per u, ut adolescentulus, vel per o, pascuolum, ut filiolus.

Pasnagium, Pannagium, glandium pro porcis pastio; emolumentum ex sylvis pascuis, Mast- und Viehtrieb/Mastgeld. Leges Inæ, Regis Westsaxiæ col. 775: *Si quis obviet porco sine licentia in* pasnagio suo, capiat

capiat judicium VI. *f.* Iterum leg. 55: *Si paſnagium capiatur de porcis de triſignatis tertius.* Huc pertinet locus in voce ſeq. *Paſſagium* ex chartâ Duc. Norm. allatus.

Paſſagium eſt iter, transitus. Arnoldus Abbas in Supplemento Helmoldi: *Seque juramento obſtrinxit, quòd exire nobiſcum debeat regale vexillum, & in paſſagio Martii nobiſcum ad ſervitium Domini proficiſci.* Item: *Ad partes AEgypti proximo paſſagio commeare.* Nicolaus de Clemangis, lib. de annotis non ſolvendis †: *Pro certo paſſagio ultramarino & quibusdam aliis neceſſitatibus ſuis.* Joannes Turocius in Chronicis Hungaricis, an. cIↃ cccx: *Ad paſſagium generale pro terra ſancta expugnanda.* Proquè eo & * *paſnagium* legas, vel *paſſuagium.* Chartæ Ducum Normanniæ †: *Præterea concedimus eis paſnagium, & paſturagium, porcorum & animalium ſuorum, ad ſuum proprium uſum, in foreſtis & domaniis noſtris.* Imò & *paſſigium* reperias. Innocentius Papa epiſt. de ſubvent. fac. terr. Hieroſol. *Verùm Teutonici rumoribus de Marte Imperatoris, non exſpectato paſſigii tempore, naves reduces adſcenderunt.* Sed & accipitur pro tributo, quod à viatoribus exigitur. Ut in Legg. Neapolit. lib 1 Tit. LIX. Unde *paſſageris* eodem libro, Tit. LXXVI: hoc eſt, qui viarum nomine paſſagium, ſive tributi id genus, exigunt. Eſt verò *paſſagium*, à barbaro *paſſare*; unde & Italicum *paſſagio*, ac Gallicum *paſſage*, & Germanicum paſſiren/ transire, commeare, & paſſagier/ viator. Exiſtimet aliquis, hæc omnia eſſe ab Hebræo פסח, paſach, *transire:* unde nomen feſti פשח, ac Chaldaicâ terminatione Πάσχα, *transitus.* Sed non dubitandum, quin ea potiùs ſint à Latino *paſſus*: ſicut hoc à *pando:* ut quod notet duo paſſorum pedum veſtigia cum medio intervallo. E *paſſagium* κ) συγκοπὴ factum *paagium.* Matth. Pariſ. in an. cIↃ cc XLIX: *Violenter feciſti reſtare, donec paagium---- extorſiſſet.* Mox item: *Paagium juſſit temperari.* Et an. cIↃ cc LVI: *Telonium, quod vulgariter dicitur paagium.* Unde clarè, quid *paagium* ſit diſcimus. Atque hactenus de *paſſagio*, ſignificante ſpatium loci: præterea verò deſignat ſpatium temporis. Sic tempus transmittendo mari idoneum notatur à Matth. Pariſ. ann. cIↃ cc XXXIX: *Ne iter verſus terram ſanctam arriperent, usq; ad vernum tempus, & paſſagium, quod eſt in Martio.* Quando nempe, ut veteres locuti, mare non clauſum; ſed apertum. Tempus hoc alibi expoſitum nobis.

† Pag. 83. edit. Leid.

* Lege paſnagium *hic alicnum, de quo antea.*

† Pag. 1063.

Paſſibilitas, patiendi ratio, ac modus. Anonymus de hæreſibus, præcipuèque contra hæreſin Prædeſtinatorum †: *Omnia enim paſſibilitatis genera*

† Pag. 167. edit. Pariſ. an. 167.

nuntur. Nempe utantiqui in supino pro *latum* dixere *fertum*, unde *fertis* & *fertoribus* nomen: ita juniores ab eadem origine *offertorium* fecere. Adi Isidorum lib. VI Orig. cap. XIX.

Officialis vox, licet ignota classicis, non tamen adeò recens, quàm videri possit. Nam & pro eo. quod de officio tractat, Lactantius usurpat, qui lib. VI Tullium laudat *in suis Officialibus*: & pro ministro magistratûs longè ante usus Appulejus I Met. *Jubet Officialem suum pisces pedibus obterere.* Etiam *Officialis sacrarum vestium* legas L. VII cap. de Palat. sacr. larg. Junioribus verò nihil eâ voce est usurpatius. Nam ut Capitular. Kar. M. & Constitutiones Siculas, mittam; ita Cæsarius lib. IV Mirac. cap. LIX: *Necessarium prælatis, ut frequenter Officiales suos moneat, ne alicui fraudem inferant.* Et cap. LXIIX: *Pietatis Officialibus amotis, & eis, quos tenaciores noverat, institutis.* Antonius III. Episcop. XXXVI: *Delegavit in Germaniam, monens, ut Officiales iterato iterarent electionem regiam.* Salsè verò Petrus Blesensis epist. XXV: *Credo hujusmodi Officiales non ab OFFICIO, nomine; sed ab OFFICIO, verbo, mutuâsse vocabulum:*

Nam genus hoc hominum, quod dicunt officiperdi,
tota Officialis intentio est; ut, ad opus Episcopi suæ jurisdictionis, commissus miserrimas oves, quasi vice illius, tondeat, emungat, excoriet.

Oleatum, oleo illitum. Petrus Cellensis lib. VIII epist. VII: *Vestrum est, panis oleati buccellas cum Petro Apostolo, cum convenitis ad cœnam agni, sumere.*

Olentia, pro odore, est apud Plinium Valerianum.

Olica, ab olea, pro olivero, est in Collectione Formularum Sollemnium, à Lindenbrogio editarum, form. LXII, & LXIX.

Olitanus, antiquus, inolitus. Utitur Adrianus I. Epistola ad Carolum M. de Cleri & plebis in Constitutione Episcopi necessitate scribens: *Apostolicâ prævidimus authoritate, ut Canones in decretis eorum consistant, & quando* (Episcopi) *à nobis ordinantur*, olitanâ consuetudine *proclametur.* Olitana hic consuetudo, est consuetudo antiqua; & *olitani Canones*, antiqui Canones. Ita *olitana tempora* dixit Anastasius Biblioth. in Paschali primo. Item Carolus Calvus in libello proclamatorio adversus Wenilonem dicit *olitanâ consuetudine* in Francorum Regno Reges ex genere prodire apud Baronium Tomo X, Anno. 859. Vox ab adverbio *olim* deducta.

Omni-

Omnimodus non dixero : etsi *omnimodis* apud Lucretium sit. Pro *omnimodus* verò *cujusque modi* malim.

Onustatus, onustus, onere gravatus. Petrus Venerabilis lib. I epist. XXIV : *Gravi humanorum studiorum onere onustato.*

Oramen, pro oratione, sæpius est apud Althelmum de Laude Virginum.

Orarium legas apud Vopiscum in Aureliano : *Sciendum tamen, congiaria illum ter dedisse ; donâsse etiam populo Rom. tunicas albas manicatas ex diversis provinciis, & lineas Afras, atque Ægyptias puras ; ipsumque primum donâsse oraria populo Rom. quibus uteretur populus ad favorem.* Orario os tergeri solet. Itaque etsi, antequam in usu forent linteola tenuia, quibus id facere solent, orâ vestis fieri consuevit : non tamen ab orâ, quàm ore, id nominis esse verisimile est. Et opinionem eam firmat hoc Prudentii περὶ στεφάνων hymno primo :

Hic sui dat pignus oris, ut ferunt, orarium,

Erat id magis longam, quàm latum ; unde fasciæ etiam loco inserviebat. Hoc Casaubono ostensum istoc B. Ambrosii, oratione funebri de obitu, non Symmachi, ut μνημονικῷ ἁμαρτήματι summus ille vir scribit, sed Satyri fratris : *Divinum illud fidelium sacramentum ligari fecit in orario, & orarium involvit collo, atque ita se dejecit in mare.* Ac similiter B. Augustinus lib. XXII de Civit. Dei cap. VIII : *Tunc sicut potuit, oculum lapsum, atque pendentem, loco suo revocavit, ligavit orario.* Nec aliter hac voce usum existimem Paullinum in vita Ambrosii : *Iactabat etiam turba virorum, ac mulierum, oraria, vel semicinctia sua ; ut corpus sancti aliquatenus ab ipsis contingeretur.* At alia forma, nempe non tam fasciæ, quàm pallii, erat, cùm per orarium intelligitur stola Pontificalis, sive linea episcopi vestis, quæ vulgo *rocquetta*. Papias : *Orarium, stola sacerdotalis, operculum capitis.* Et, ne vetustiores adducam, sic Petrus Blesensis serm. XLI : *Orarium, quod & stola dicitur.* Ac postea : *Orarium autem dicitur, quia propter offensas populi tui cum humili genuflexione Domino debes supplicare, tuis precibus indignationem placare.* Idemque ὠράριον ante eum adduxit Karolus Mag. ut editio Wolfangi Lazii vocat, sive potiùs Alcuinus de ritibus vet. Eccles. *Orarium est, vel dicitur, stola, eo quòd oratoribus, id est, prædicatoribus, concedatur.* Episcopi fuisse, indicat & Vita S. Fulgentii, Ruspensis Episcopi, à discipulo conscripta, cap. XVIII : *Orario quidem, sicut omnes episcopi, nullatenus utebatur.* Item Anastasius bibliothecarius in vita Agathonis Papæ, §. X :

Eâ horâ sancta Synodus, unà cum Principe ejus (Constantino Augusto) *orarium auferri jusserunt à collo ejus,* (Macarii, Antiocheni episcopi, seu Patriarchæ.) *Et exiliens Basilius, Episcopus Cretensis Ecclesiæ, ejus orarium abstulit.* Nec tamen solos gestâsse Episcopos, clarè liquet ex Concilio Toletano IV cap. XXV : *Episcopus orarium, annulum, & baculum, coram altari de manu Episcoporum accipiat ; presbyter orarium, & planetam ; diaconus orarium, & albam ; subdiaconus, patinam, & calicem.* Sedulò igitur in scriptoribus attendere oportet, quo pacto *orarii* vocem accipere opoteat. Sanè sacerdotalem vestem intelligere non possimus in istoc Gregorii M. lib. VI epist. CXCI : *Duas autem camisias, & quatuor oraria, vobis transmisit.* Laici enim erant, quibus vellet offerri. Longum sit, si velim laudare auctores, qui orarii meminere, non dico omnes; sed vel solos , qui occurrunt. In quibus Fortunatus Pictaviensis in vita S. Marcelli, episcopi Pictavienses. Item Concilium Braccarense III can. III. Est & Matthæi Parisiensis in vita Gaufridi, XVI abbatis S. Albani: *Orarium cum fanone, auro, & gemmis adornatum.* Imò & à Latinis mutuati hanc vocem Græci, Ut Synodi VIII Act. X : Ὠμοφόρια, & ὠράρια, & πηδάλια. Alia etiam adderem de re ipsa. Sed video pleraque ea vel apud Casaubonum, ac Salmasium, legi, Notis ad Vopiscum ; vel Lindenbrogium, ac Watsium, in Gloss. vel Martinium in Etymologico ; ut alios prætermittam.

Oratorium, locus sacer ad orandum ; præsertim ubi adservarentur sancti alicujus reliquiæ. Sic sæpius utitur Gregorius Turonensis lib. II Hist. Franc. cap. VI. Legas quoque id vocabuli in Capitul. Karoli lib. V cap. CCXXX, ac Cæsarium lib. I Mirac. cap. IV, & XXII.

Orcistra corruptum ex *orchestra*. Prius, inter alios, est apud Joannem Turocium Histor. Hungar. lib. II cap. XLVI. Etiam *Orchestræ* vox in *Hormisda* corrumpitur : ut factum in *Orosis Orchestra*. Nam hæc genuina ἐμιστραφὴ, ut alibi dicimus.

Ordinale, codex continens ordinem, & rubricas Missalis. Matthæus Parisius in vita Pauli, XIV abbatis S. Albani, ubi abbatis ejus dona enarrat : *Sine ordinalibus, consuetudinariis, missalibus, troparis, collectariis.*

Ossamenta, ossa, cadaver : Belgis similiter 't gebeente. Matthæus Parisius in anno CIↃCCLVII : *Eodemque anno inventa sunt ossamenta regis Scotorum Malcolmi.*

Ostagium quid sit, vide cap. XIV in *Hostagium*.

Otiosi-

Otiositas, pro otium. Sidonium lib. II epist. x: *Quos in hanc paginam admitti, nostra quàm maximè verecundia vetat; quam, suas otiositates trepidanter edentem, meliorum carminum comparatio premit.*

CAP. XXXI.

Accessum ad ea, quibus P litera est initialis. Ac hoc quidem capite de iis actum, ubi A excipit, inde verò sequitur G, vel aliqua primarum trium liquidarum. Papania, *ritus paganici.* Paganicius, *occulta, hoc est, paganica, sive gentili religioni addictus.* Pagenses, *quicunque ejusdem sunt diœcesios, sive territorii.* Palergia, *proparerga.* Palfredus, palefredus, palefridus, paravedus & parafredus, *equi genus.* Palicium, *vallum è palis.* Palliditas, *pallor.* Pamæum, *pœmenium.* Panifex, *vel* panificus, *pistor.*

HAbemus de exorsis à vocalium quartâ. Proximus est locus à sequenti litera incipientibus.

Paagium quid sit, ex iis erit cognoscere, quæ in *Passagium* dicemus.

Pagania, pro paganorum ritibus, in epistola Zachariæ Papæ ad Francos, & Gallos *: *Ut populus Dei paganias non faciat.* Postea † se interpretatur: *Qui paganas observationes in aliquare fecerit.*

Paganicius, ut occultus. Ita est in glossis veteribus. Emendat, *vir occultus.* Neque displicet. Suspicor enim, signari paganicæ religioni addictum; quales occulti. Nec enim Isidori ætate, sub Christianis Imperatoribus, aut Regibus, impiam gentium religionem profiteri quisquam audebat; partim, quoniam legibus hoc interdictum; partim quia, ob cultûs ejusce stultitiam, Christianis contemtui, ac ludibrio, forent.

Pagenses à pago dixere posteriores: at priores *paganus.* Verùm *pagus* non semper est vicus, sed etiam provincia tota, vel ejus pars; uti oppidum cum territorio. Notum, quomodo septem Helvetiorum pagos dicat Julius Cæsar. Itaque nihil mirum, si *pagenses* dicti, qui amplo Comitis, sive Judicis, territorio subessent. Gregorius Turonensis lib. VIII cap. XVIII: *Wintrio dux, à pagensibus suis depulsus, ducatu caruit.* Præceptum Dagoberti de mercato S. Dionysii: *Saxones, & Ungari, & Rhotomenses, & cæteri pagenses de aliis civitatibus.* Similiter Marculfus monachus lib. I Form. cap. XXVIII. Et apud Ansegisum Capitularis lib. III cap. LXXIII: *Cum Comite, cujus pagenses sunt, ire permittat.* Ac eopse libro cap. XLIII, & lib. IV cap. XIX. Nec *pagenses* solùm,

* *Lib. 5. Capitularium Karoli M fol 90. a.*

† *Pag. 91. 4.*

miſer, complex, ut dicitur, in necem Florenti juvenis, effugiens unâ dierũ inſidias Theodorici Comitis, tranſnatavit cum palafredo ſuo torrentem Moſa flumminis. Vide &, quæ Jacobus du Bruel, monachus S. Germani de Prato, hac de voce fuſe annotavit ad Edictum Ludovici, & Lotharii imperatorum; quod eſt Aimoini lib. v. de geſtis Franc. cap. x.

Palicium, vallum è ſudibus, ex Gallico *paliſſade*; quod ipſum à *palis*: vel potiùs à palis *palicium*, ex palicio fit *paliſſade*. Guilielmus Brito Philippeidos lib. VII:

Paliciumque triplex, quod erat gaillardica ſubtus
Mœnia, quadratis palis, & robore duro,
Uſque ſub extremas protenſum fluminis oras.

Palliditas, pro *pallor*, quid attinet dicere, cum id vocabuli veteres neſciant?

Palpo, pro palpator, ſive eo qui palpum obtrudit. Joannes Saresberienſis Policratici lib. III. cap. IV. *Cæterum palpo, qui tamen aſſentatoris, vel adulatoris cenſetur nomine, hominum mentes explorat.*

Pamæum, in Gloſſis Iſidori exponitur *veſtis paſtoralis*. Sed ſine dubio reſcribendum *pœmeneum*, quaſi ποιμενεῖον à ποιμὴν, paſtor.

Panifex, & *panificus*, agnoſcit & Calepinus, qiu Paſſeratii dicitur, & Cælii Curionis Forum Romanum: ac uſurpat Joan. Saresberienſis Policratici lib. III, cap. XIV: *Sed Auguſtus, fortunæ favor, & Romani decus imperii, avunculo ſuo Julio longè patientior extitit. Cùm enim Antonius, maternam ejus originem deſpiciens, eum Afrum genere, & naturâ panificum diceret, hoc ridens pertulit, & eundem, ſorore traditâ, in affinitatis gratiam admiſit.* Malim *piſtor* dicere: pro quo & *panarius* in Gloſſis legas: ubi exponitur ἀρτοπώλης.

Pantana quæro quid ſit in Chronici Caſinenſis lib. I. cap. LVII. *Curtem de pantana prope Beneventum.* Verùm fortaſſe non commune eſt nomen; ſed loci proprium.

CAP. XXXII.

De cœptis à P, ſequente A. & R. Paracharactæ, *qui nummos falſos cudunt.* Paracharagmus, *falſa nummi imago.* Paracellarius, *qui reliquitas Pontificalis menſæ largitur pauperibus.* Parada, *navis tegumentum ad arcendum æſtum, ac frigus.* Paragium, *paritatis obſervatio in bonorum ſucceſſione.* Paramentum, *hoſpitium.* Paraſtitia, *poſtica fores.* Parapallii

usus in theatro. Paratura, *additamenta, quibus vestis sit ornatior.* Parentela, *cognatio.* Parentivum, *quod tangit parentes, eorumve liberos.* Paribile, *cui paretur, sive obtemperatur.* Paricula, *epistola par, sive ejusdem exempli.* Parochia, & parochium, *pro parœcia: atque inde* parochianus. Particularis, *singularis.* Parvaredus, *idem ac* palfredus, *de quo dictum.* Parvisium, *parvulorum gymnasium.*

COmplectar nunc ea, ubi P literam excipit prima vocalis, cum liquidarum postrema.

Paracharacta, qui nummos adulterant, ἀπὸ τῦ παραχαράτειν. Legas in Codice Theodosiano lib. IX. tit. de falsa moneta: *Falsa moneta rei, quos vulgò paracharactas vocant.* Vides referri, ut verbum non tam elegantioribus, quàm vulgò usurpatum. Sic *paracharagmum* dixere pro παράχαραγμα. Usus Cassianus Collat. I. cap. XX, & Collat. II. cap. IX. Vulgò utrobique *paracharaximum* editur. Sed sic, uti diximus, rectè legendum vidit Ciacconius. Observavi verò & similem locum Petri Damiani epist. lib. II. epist I: *Quod si ipsius moneta obliterata, vel detrita sit regula; postquam metallis imprimitur, non nummus, sed paracaraximus, invenitur.* Vel enim *paracharagmum* legi debet, vel jam Damiani seculo sic loquebantur: eaque res fortasse fecerit, ut librarii & in Cassiano, multò licet antiquiori, id vocabuli corruperint.

Paracellarius idem, qui *subpulmentarius*: puta qui è cella Pontificis pauperibus erogaret, quod mensæ superfuisset. Vox est è Græco παρά, & Latino *cella*: ut simile sit, ac *paraveredus.* Vide Onuphrii Panuini interpretationem vocum Ecclesiasticarum*.

* *Lovanii excusa est ann. 1572.*

Parada interdum producit mediam, interdum corripit. Cùm ea porrecta, idem est ac hospitium sive diversorium, quod principis jussu pararetur, sive præpararetur; unde & nomen. In diplomate Stephani Papæ: *Mansiones, aut silvas, vel paradas faciendas.* Hac de re accuratiùs dictum cap. XXIII. in *Mansionaticum*, ac pluribus loquar lib. sequenti in *Parata*, unde *Parada* corruptum. At quando media est correpta, notat fornicem sive tectum navigii voluptarii; in quo molliter toris incubabant, tecto tuti ab æstu, frigore, vento, pluviâque. Sic usurpat Ausonius epist. V, quæ ad Theonem:

Expositum subter paradas, lectoque jacentem,
Corporis ut tanti non moveatur onus.

Et Sidonius lib. VIII. epist. XII: *Hic superflexâ crate paradarum sere-*

nis bru-

ni brumalis infida vitabis. Scaliger in Ausonianis Lectionibus censebat, *parada* nomine ipsam navem intelligi: sed tectum ejus signare, ex allatis Ausonii, ac Sidonii verbis, cognoscimus. Propiùs interim à vero abest, quàm Turnebus in Adversariis: qui multùm fluctuat. Unde verò eâ significatione sit, non æquè apertum. Martinus putabat, esse ab Arabico פרד *parde*, hoc est, fiscella, qualus. Vel (quando navis erat voluptaria, & mollibus lectulis instructa) esse à Celtico sive Belgico bereeden, hoc est, parare, instruere, ornare. Pro quo est, quod & Ausonius, & Symmachus, qui eo usi, fuerint Galli. Sed quid si, ab eadem caussa, sit à *paro*, correptâ mediâ; ut ab *amo amita*?

Paragium est in Constitutionibus Neapolitanis lib. III, tit. XXIII. Docuit & Cujacius, notare adæquationem, quâ jure pari paterna, vel avita, teneatur hæreditas, dum sextus à stirpe gradus non excedatur. Aloys. Riccius part. I. decis XIII. p. VI.

Paramentum, hospitium, parata mansio, quæ & simpliciter *parata*. Hincmarus ad Karolum Regem: *Et antequam de paramento vestro ad mansiones redeant.* Ac post aliqua: *Hanc admonitionem eis quotidie, quando ad paramentum vestrum venerint, relegat.*

Parastitia, postica, à παρὰ, & *statio*: quâ formâ dicimus *interstitium*. Adamannus de rebus S. Albani: *Ecce enim Angelus Domini, ad reperendum aliquod Deo charum missus depositum, nos desuper intra Ecclesiam adspiciens, & benedicens, rursus per parastitiam Ecclesiæ reversus, nulla tapis vestigia exitus reliquit.* Clementi Alexandrino * παραδυσις vocatur.

* *Lib. 7. Strom p. 549. edit. Bas. ann. 1516.*

Parapallium in theatro ponit vetus Juvenalis interpres ad sat. VI. ℣. IDCXLIX.

Paratura, limbi, ac similes ornatus vestium. Crebrum apud Anastasium bibliothecarium. Est & Matthæi Parisii in vita Richardi, decimiquinti abbatis S. Albani: *Dedit etiam albas binas paraturis brudatis* *. Etiam *paraturam*, pro paratu, legas apud Tertullianum de Pallio.

* *Hoc est, accipitis: ut dictum lib. 2. cap. 3. voce* Brudatus.

Parentela à *parens*, ut *clientela* à *cliens*, idem est ac cognatio, sive genus, ac familia ab eodem parente. Sic usus Capitolinus in Gordianis: adhæc leges Salicæ, Burgundicæ, Longobardicæ. Item Petrus Blesensis epist. CII, & alibi. Etiam in vita est Philiberti: *Mater prudentissima, nobili parentelâ.* Item S. Majoli: *Gallicanâ generositate conspicuus, patre Pulcherio procreatus, nobilis parentelæ germen eluxit nobilius.*

Paren-

Parentivum propriè, quod ad parentes pertinet: uti *paricida*, quasi *parenticida*, qui alterum occidit parentem. Sed ut *paricidæ* vox extenditur ad eos, qui fratrem, vel cognatum, interfecerint; quemadmodum fusè in Oratoriis dixi *: ita & *parentivum* videtur extendi ad fratres, aliosque arcto junctos sanguine. Valerianus, Cimelensis episcopus, homil. xx: *Quisquæ hominum parentivæ mortis exspectatione animam pascit, parricidali crimine in hæreditate succedit.* Ubi *mors parentiva* non ad parentem modò, sed & fratrem, referenda; cùm, ut Ludovico de la Cerda * observatum, præcedant hæc verba: *Modò de patris morte cogitat, modò de fratris vita suspirat. Non est hoc sine grandi scelere impietatis.*

* *Lib. 4. Orat. Instit. cap. 12. sect. 3.*

* *In Adversaria Sacris cap. 184.*

Paribiles leges, quibus simplices parérent, etsi nec rerum naturâ, nec rei veritate, niterentur: ut in judicio per ferrum candens, aut aquam frigidam. Quales rejicit Fredericus imperator lib. II Constitut. tit. xxxi. Vult enim non per hæc incerta judicari, sed per constitutiones à se, vel ab antiquis latas.

Paricula diminutivum à *par*, ut paricula epistola, quæ alteri planè esset par, sive exempli similis. Neutrâ enim litigantium parte convictâ, utrique dabatur libellus ejus judicii testis, quo uterque poterat probare causam suam non esse damnatam. *Charta paricla* inscribitur Marculfi lib. I Form. cap. xxxviii. Est & Variar. Form. cap. xiv: *Unde duas epistolas pariculas, uno tenore conscriptas, manu eorum, vel bonorum hominum, firmatas, inter se fieri, & firmare, rogaverunt.*

Parlamentum cur minùs dicturus sim, quàm *curiam supremam*, ostendi lib. I. cap. vii. Ubi & de origine dixi ejus vocabuli, ut sit à παρεῖν, λαλεῖν, h. e. alloqui. Atque hoc etiam placuit Budæo; qui prioribus in Digesta Annotationibus censet, hoc nomen esse ab advocatorum altercationibus. Longè sanè id verisimilius, quàm ut sit à παρειὰν ἱλαῦν, *genam agitare*: quod placuit viro erudito. Quia verò *parlamentum* propriè sonat colloquium, eò & sic dixere colloquia monachorum in suo, ut vocant, locutorio. Matthæus Parisius in Additamentis *: *Cum quidam post prandium proniores sint ad loquendum, quod non prodest: —statutum est, quòd parliamentum, quod post prandium in quibusdam claustris fieri consuevit, penitùs interdicatur; & loco ipsius vacetur uberius meditationibus, & lectionibus repetendis.* Imò & Germani **parlamentiren** dicunt de colloquiis ad transigendum, ut fit in urbibus obsessis: ac similiter in rebus etiam privatis loquuntur de contentiosis aç turbulentis sermonibus.

* *Pag. 170.*

Paro-

Parochia est pervulgatum, pro *paræcia*: ut ostensum lib. I. cap. XI. Ac *paræcia* rectè editum in Cæsario Heisterbachensi lib. I Miraculorum cap. XXIV, & lib. II. cap. III, & lib. III. cap. VIII. Uti & *paræciani* apud eundem lib. IV. cap. XI. At *parochia* est apud alios multos: in his Sidonium lib. VIII. epist. VI, Adonem Viennensem, Rothaldum epistolâ ad Nicolaum Capitularium, Hincmarum epist. ad Nicolaum, Odonem Cluniacensem lib. II. cap. X de Miraculis B. Martini. Quibus in locis sumitur pro diœcesi totâ: ut monitum Joan. Ludovico de la Cerda in Adversariis Sacris cap. XXVI. Atque ibidem observat, de universa sic loqui Aldhelm. de Virginitate cap. VII: *Quæ* (vitiorum agmina) *contra Catholicam Ecclesiæ parochiam cum ducibus suis prolatis gregatim ingruere moliuntur.* Dixere & *parochium* pro *parochia*. Karolus Magnus Constitut. cap. IV: *Ut Episcopi de presbyteris, & clericis, infra illorum parrochia potestatem habeant secundùm canones.* Ubi *infra parrochia* dictum pro *intra suas parochias*, sive potiùs *in suis parochiis*. Similiter loquitur cap. V. A *parochia* vel *parochium* est *parochianus*. Hincmarus Rhem. ad Hincmarum Laudunensem epist. II: *Parochianum meum Amalbertum pro caussâ tibi inlicitâ excommunicasti.* Ac alibi idem similiter. Item Ivo Carnotensis Epist. I. ad Richerium Sesonensem Archiepiscopum: *Quia parabantur mihi insidiæ à quibusdam parochianis vestris.* Ac in fine epistolæ: *De parochianis vestris Stampensibus.* Item epist. CLXVII, *Quidam parochianus vester.* Est & ab eodem *parochialis*. Idem Ivo epist. CLXXII: *A quo cum quæreretur, utrùm habuisset ex concessione Carnotensis Episcopi, an ex jure parochialis.* Et post pauca: *Ad quod responderunt Blesenses, se ab illis parochianis omnia parochialia accepisse.* Idem epist. CCLXVI: *Non tantùm canonicali jure, sed etiam parochiali.*

Particularis, pro in parte præcipuus, singularis, obtinet vulgò contra mortem veterum.

Parvaredus, pro paraveredus, ab *veredus* factum. Hludovicus, & Hlotarius Augusti, in Privilegio cœnobii S. Germani, apud Aimoinum lib. V. cap. X: *Nec parvaredos, aut expensas ad hospitum susceptiones, recipiat.* Vide, quæ fusè paullò antè in *Palfredus* dicebamus.

Parvisium, schola parvulorum. Matthæus Parisius in ann. MCCL: *Pro illa substantiola persolvenda, cogebatur ille pauperculus, multis diebus scholas exercens, venditis in parvisio libellis, vitam famelicam, & Codrinam, protelare.* Vocem ortam etiam Latinè factam conjicit Somne-

capiat judicium VI. *ſ.* Iterum leg. 55: *Si paſnagium capiatur de porcis de triſgitals tertius.* Huc pertinet locus in voce ſeq. *Paſſagium* ex chartâ Duc. Norm. allatus.

Paſſagium eſt iter, transitus. Arnoldus Abbas in Supplemento Helmoldi: *Seque juramento obſtrinxit, quòd exire nobiſcum debeat regale vexillum, & in paſſagio Martii nobiſcum ad ſervitium Domini proficiſci.* Item: *Ad partes AEgypti proximo paſſagio commeare.* Nicolaus de Clemangis, lib. de annotis non ſolvendis †: *Pro certo paſſagio ultramarino & quibuſdam aliis neceſſitatibus ſuis.* Joannes Turocius in Chronicis Hungaricis, an. CIↃ CCCX: *Ad paſſagium generale pro terra ſancta expugnanda.* Proque eo & * *paſuagium* legas, vel *paſſuagium.* Chartæ Ducum Normanniæ †: *Præterea concedimus eis paſuagium, & paſturagium, porcorum & animalium ſuorum, ad ſuum proprium uſum, in foreſtis & domaniis noſtris.* Imò & *paſſigium* reperias. Innocentius Papa epiſt. de ſubvent. fac. terr. Hieroſol. *Verùm Teutonici rumoribus de Marte Imperatoris, non exſpectato paſſigii tempore, naves reduces adſcenderunt.* Sed & accipitur pro tributo, quod à viatoribus exigitur. Ut in Legg. Neapolit. lib 1 Tit. LIX. Unde *paſſagerii* eodem libro, Tit. LXXVI: hoc eſt, qui viarum nomine paſſagium, ſive tributi id genus, exigunt. Eſt verò *paſſagium*, à barbaro *paſſare*; unde & Italicum *paſſagio*, ac Gallicum *paſſage*, & Germanicum paſſiren/ transire, commeare, & Paſſagier/ viator. Exiſtimet aliquis, hæc omnia eſſe ab Hebræo פסח, paſach, *transire:* unde nomen feſti פשח, ac Chaldaicâ terminatione πάσχα, *transitus.* Sed non dubitandum, quin ea potiùs ſint à Latino *paſſus*: ſicut hoc à *pando:* ut quod notet duo paſlorum pedum veſtigia cum medio intervallo. E *paſſagium* κ' συγκοπὴν factum *paagium.* Matth. Pariſ. in an. CIↃ CCXLIX: *Violenter feciſti reſtare, donec paagium ---- extorſiſſet.* Mox item: *Paagium juſſit temperari.* Et an. CIↃ CLVI: *Telonium, quod vulgariter dicitur paagium.* Unde clarè, quid *paagium* ſit diſcimus. Atque hactenus de *paſſagio*, ſignificante ſpatium loci: præterea verò deſignat ſpatium temporis. Sic tempus transmittendo mari idoneum notatur à Matth. Pariſ. ann. CIↃ CCXXXIX: *Ne iter verſus terram ſanctam arriperent, uſq; ad vernum tempus, & paſſagium, quod eſt in Martio.* Quando nempe, ut veteres locuti, mare non clauſum; ſed apertum. Tempus hoc alibi expoſitum nobis.

† Pag. 83. edit. Leid.

* Lege paſnagium hic alicnum, de quo antea.

† Pag. 1063.

Paſſibilitas, patiendi ratio, ac modus. Anonymus de hæreſibus, præcipuèque contra hæreſin Prædeſtinatorum †: *Omnia enim paſſibilitatis* † Pag. 167. edit. Pariſ. an. 167.

genera, à Deitate sublata, soli filio hominis poterunt convenire. Maluissem, *perpetiendi genera.* Significat, naturam divinam non esse obnoxiam perpessioni.

Passionalia, & *sanctoralia*, nuncupârunt libros, in quibus describerentur passiones, ac martyria Sanctorum.

Passiones vulgò nuncupant, quæ Græci πάθη. Sed classici vocant *affectus*, *affectiones animi*, vel *permotiones:* qua de re abunde dixi Oratoriarum Institutionum lib. II, cap. I, sect. I.

Passivus Grammaticorum est vocabulum. Ac videtur Julius Firmicus etiam *passivam* Venerem dicere pro illa, quæ est pathicorum; nisi vulgivagam malis interpretari. Nam crebrò ita usi eâ voce pro vulgari, ac promiscuo; quomodo non à *patiendo* est, sed à *passim*. Sic Tertullianus *passivos discipulos* dixit; quales vulgò, ac passim, invenias. Hieronymus enarrans hoc Oseæ; *Super capita montium sacrificabant*; opponit passivam religionem austeritati religionis veræ. Est & Aldhelmi de Virginitate cap. I: *Passivus, lascivusq; oculorum obtutus.* Hoc est, vagus, ac passim curiosè omnia lustrans; ut solent libidinosi formarum aucupes. Hinc *passivitas*, pro frequentia: ut *passivitas luxuriæ* apud Tertullianum in Apologetico, quia passim obtinet. Qui & de Pallio eâ voce utitur, atque alibi. Sic *passivitas libidinis* apud Salvianum lib. VII. de Gubernatione. Ac ibidem legas: *Numero criminum, ac passivitate peccabant.*

Pastellus, pro *pastillus:* hoc, Festo teste, à *panis*, quòd formâ referat panem. A *pastellus* verò *pastellaticum*, quod datur à Simoniacis sacram ad dignatem consequendam. Utroque usus Joannes Diaconus de vita S. Gregorii Papæ lib. III. cap. V: *Cùm verò quosdam cognosceret, ad evitanda Simoniacæ hæresis crimina, pestiferæ negationis pastellicum callidè vocitare, ac hujusmodi mutato nomine, suæ cupiditatis avaritiam velle contegere; prudentissimus doctor Gregorius sententiam, quam in primordio sui pontificatus coram synodo promulgaverat, iteratò protulit dicens: Antiquorum Patrum regulam sequens, nulli quicquam de ordinationibus accipiendum esse, constituo; neq; ex donatione pallii; neq; ex traditione chartarum; neq; ex ea, quam nova per ambitionem simulatio invenit appellatione pastelli. Quia enim in ordinando Episcopo Pontifex manum imponit; Evangelicam verò lectionem minister legit; confirmationis autem ejus epistolam notarius scripsit: sicut non decet episcopum manum, quam im-*

posita

ponit, vendere; ita minister, vel notarius, non debet in ordinatione ejus, vocem suam, vel calamum, venundare. Pro ordinatione ergo, vel usu pallii, seu chartis, atque pastellis, eundem, qui ordinandus est, vel ordinatur, omnino aliquid dare prohibeo.

Pastophorium, παστοφορεῖον, legas, tum apud LXX. interpretes, partim in Paralipoménon libris, partim in Prophetis: tum etiam apud vulgatum interpretem in tertio Esdræ cap. VIII. 60. & IX. 1, & 1. Maccab. IV, 38, & 57. Non dubium, quin sit à παστὸς quod à πάσσω. Sed hoc verbi nunc notat *salem inspergo*; nunc ποικίλλειν †. A priori significatione est, quòd παστὰς quibusdam exponatur cœnaculum, convivii locus: ab alterâ, quòd thalamum interpretentur. Sanè in veteri Vocabulario *pastophorium* tum dicitur de loco separato ad comedendum, nempe ubi sacrificantes coram Domino de sacrificiorum partibus comederent: tum etiam de thalamis, vel cubilibus, ubi Levitæ excubarent in atriis Domini. Hieronymus in Esaiæ cap. XXII. 15, ait, LXX. interpretibus sic vocari thalamum, in quo habitat præpositus templi. Isidori Glossæ: *Pastophorium, atrium templi, aut sacrarium.* Ac similiter Excerpta Pithœana: nisi quòd illic corruptè *pastoriorum*, vel pastorium legas. Meminit & Radevicus Frisingensis de gestis Friderici lib. IV. cap. XIII: *Vulpes, lepores, pastoforia Ecclesia, & officinas Canonicorum, ingressæ.* Plura de iis vide sis apud Durantum lib. I. de ritibus Eccles. cap. XVI. qui sic ait vocari arculam, in qua Eucharistia custoditur. Sed in allato Frisingensis loco satis liquet, denotari locum ampliorem.

† *Variare ac distinguere.*

Pastorium videtur id, cui imponitur fœnum, vel aliud jumenti pabulum. Legg. Bojor. Tit. II. cap. VI: *Pastorium, capistrum, frenum.* Legg. Longobard. Tit. XXV. L. XXXV: *Pastorium de caballo.*

Pasturagium, pro pastione sive pabulo. Habes in Chartis ducum Normanniæ. Vide verba in *Passagium.*

Patrinus, & matrina, de eo, qui quæve de sacro fonte suscepit, apud Amalarium de ritibus Ecclesiast. & in vita S. Othonis lib. II. cap. XV. Nomina ex eo, quòd, qui de sacro fonte elevant alterum, eum quodammodo adoptant, non bonorum ratione, sed curæ paternæ, quæ impenditur ad hoc, ut in religione Christiana, ac Catholica, piè educetur. Ac videas, propterea & *patrem* nuncupari in vita S. Epiphanii, Constantiæ Episcopi, à Luciano presbytero susceptí. Habes apud Simeonem Metaphrastem, & inde Aloysium Lipomanum *. Verba Latinè ponam: *Cùm ergo starent, & divinas audirent Scripturas, advertit Episcopus, ita ut in*

* *Tom. 6. fol. 36.*

throno sedebat, glorificatum esse vultum Epiphanii, & coronam esse ejus capiti impositam. Post absolutum itaque Evangelium, ingressus est Episcopus in baptisterium, & jussit Epiphanium ingredi, & ejus sororem, & cum ipsis Lucianum; qui etiam fuit pater ejus in sancto baptismate. Quare & qui levati de fonte, *filii spirituales* appellantur in Concilio Moguntino †, quod celebratum temporibus Karoli Magni. Malim interea pro *patrini*, vel *compatris* vocabulis, uti planè Latinis; idque Tertulliani, & Augustini exemplo, de quo in *Compater* vidimus. Nec displicent *susceptor*, & *susceptrix*: uti vocat magnus Erasmus in vita Origenis, operibus ejus præfixâ: *Catechistæ dicti sunt, quòd baptismum ambientibus vivâ voce traderent dogmata Christianæ religionis. Horum discipuli dicti sunt catechumeni; quos auditores possis appellare. Nomina in hodiernum usque diem manent in Ecclesia; res non item, eo quòd infantes tingimur. Superest tamen nonnullum priscæ consuetudinis vestigium, cùm adhibentur susceptores, ac susceptrices, quos compatres, ac commatres, vocant quidam.* Et quid Erasmum dico, cum etiam sic veteres videam locutos? Quippe est Victoris Uticensis lib. III. Persecutionis Vandalicæ *: *Fuit quidam Elpidophorus nomine. Hic fueras apud nos in Ecclesia Fausti baptizatus, quem venerabilis Muritta Diaconus de alveo fontis susceperat. Post verò dum apostataret, tantæ exstitit feritatis adversus Ecclesiam Dei, ut superior omnibus exsecutor persecutionis fuisset inventus.* Item Gregorius Papa lib. IV. Dialog. cap. XXXII: *Quidam curialis illic sacratissimo Paschali, Sabbatho juvenculam cujusdam filiam in baptismate suscepit.* Imò Græci similiter; etiam Dionysius cognomento Areopagita: cujus est in secundo Ecclesiasticæ Hierarchiæ cap. secundo: Κατὰ τὴν τῶ ἀναδόχυ παράδοσιν: *Juxta traditionem susceptoris.* Atque idem etiam nuncupat ἡγεμόνα, καὶ καθηγεμόνα.

† *Can.* 47.

* *Pag.* 43. *edit. Paris. à Balduino unà cum Optato procurata, an.* 1569.

Patriota Græcè πολειώτης, & συμπολειώτης. Non igitur damnamus, ut barbarum, sed ut ignotum Latinis; qui pro eo dicunt *popularis*, vel *conterraneus*. *Patriota* est apud Marcellinum in vitæ Switberti Prolegomenis, & apud Turocium in Chronicis Hungaricis lib. I. cap. XXIII. Est & Thomæ Walsingami in Richardo II *: *Et favet* (plebs) *honori, maximè quia patriota erat, & vicinus eis.* Multò minus pro συμπολειώτης dicam *compatriota*. Quo usus Ivo Carnotensis, ac è junioribus Bartholomæus Chassanæus in Catalogo Gloriæ mundi lib. X. Consider. V; ubi de Biante, qui *compatriotis* (sic loquitur) efferentibus aurum, & argentum, se omnia sua secum auferre ajebat. Verùm hoc de vocabulo jam dictum cap. XXVI.

* *Pag.* 231.

Patro-

Patronatus, patroni conditio. Sic *jus patronatus* vulgò, pro jure prodendi sacerdotis.

Pausana, pro induciis, vox Græcobarbara; Luitprando etiam, sed loquenti cum Imperatore Græco, usurpata. Sic enim ille in Legatione sua * *Pausanas exigis, quas nec te exigere, neque nos concedere, ratio ipsa compellit.* Est à παύω, unde παῦσις, & *pausa*; quia induciæ faciant pausam bellandi.

* Pag. 84. edit. Ingolstad. ann. 1600.

Paxamacium, vel *paximatium*, ab Isidoro in Glossis exponitur *panis subcinericius*. Sed ex Palladio, in vita Pauli Simplicis, cognoscimus, fuisse panem minutum sex unciarum: cujusmodi duo diurnæ refectionis modus monachis fuere Ægyptiis. Cassianus lib. II. Collat. cap. XIX: *Discutientes continentias diversorum, qui vel solis leguminibus, vel oleribus tantùm, vel pomis, vitam jugiter exigebant: præposuere cunctis illis refectionem sicci † panis: cujus æquissimum modum in duobus paxamaciis statuerunt: quos parvulos panes vix unius libræ pondus habere certissimum est.* Et lib. IV. cap XIV: *Præter duo paxamacia, quæ tribus vix denariis ibidem distrahuntur, nihil sibimet amplius unusquisque præsumit.* Idem ejusce operis lib. XII. cap. XV: *Duobus tantùm paxamaciis fuerit quotidianâ refectione contentus.* Suspicor, vocem esse à monachis Ægyptiis; quæ postea ad alios etiam se diffuderit. E Græcis usi eâ Palladius in vita Pauli Simplicis, Leo Constitut. X. §. XIII, & Tzetzes Var. Histor. Chil. II. E Latinis, Rufinus lib. II. *: *Vidit desportella, ubi panis, id est paximatia reposita erant, surrexisse fumum magnum*, Item lib. eodem † *Tantùm unum paximatium, & olivas, in cibo capiebat.* Luitprandus in Legatione ad Nicephorum Phocam *: *Soli mensulæ adsident nudæ, paximatium sibi apponentes.* Ac à παξαμᾶς quidem est diminutivum παξαμάτιον. Priori usus è Latinis Columbanus de Reg. Monach. cap. V: *Olera, legumina, farina, aquis mixta, cum parvo pane † paximate, ne venter oneretur, & mens suffocetur.* Imò & legas in Vitis Patrum apud Pelagium libello IV, numero XXV, & libel. X, num. LXV: item Joannem lib. III. num. II. & in vita S. Præjecti cap. II. §. VIII †. Dixeris, Suidam gemino in loco referre, παξαμᾶς esse vocem Romanam. Scio: sed puto, cum Lipsio *, intelligere novam Romam: ut Romanam vocem dicat, quia fuerit introducta, imperio Constantinopolim translato. Sanè non veteres modò Latini; sed Græci etiam, & παξαμᾶς, & παξαμάτιον, ignorant. Et potuerit nomen esse impositum à quodam Paxamo; quem Suidas * ait scripsisse ἀγωνιστικὰ † secundùm seriem literarum, & Βοιωτικὰ, libris duobus, aliaque.

† *Al. solum.*

* *Sive in vitis Patrum, lib. 3. num. 4.*

† *Num. 31. ubi de abbate Piore.*

* *Pag. 122. edit. Ingolstad.*

† *Apud Bell. 25. Jan.*

* *De militia Romana lib. 5. dial. 11.*

* *In* Παξαμῶ.

† *De arte culinaria.*

aliaque. Cæteroquin & suspicio oborta, primam originem deberi verbo πάω, unde *pasco*, & *panis*. Non de nihilo autem, quod Cassianus, ut vidimus, siccum panem dicat: ubi tamen in Mso nostro (quem munificentiæ præstantissimi Theologi Andreæ Colvii nostri debeo) *solius* reperio. Sed ut *sicci* rectius putem, facit, quòd & Suidæ παξαμᾶς sit ὁ πυρὸς ἀζύμος. Nempe quod Latinis *buccellatum*, vulgo panis *bis coctus*: unde *biscuit* Galli vocant, ac Belgæ. Ulteriùs etiam hac de voce me diffunderem; nisi, pro vocula, abunde ista sufficerent: ac viderem, fusè etiam hac de voce agere, tum Rosweidum in Glossario ad Vitas Sanctorum Patrum; tum Joan. Ludovicum de la Cerda in Adversariis sacris cap. XVIII.

CAP. XXXIV.

De Latino-barbaris, ubi post P. sequitur E, & vel H. Peccamen, *peccatum*. Peccantia, *pro eodem*. Pectinium, *linteum, in quod depectimus capitis sordes*. Pecusicula, *pecua*. Pedagium, *quod exigitur pro transitu pedestri*. Pedaticum, *pro eodem*. Pedecura, *pedamentum*. Pedatura, *pro eodem*. Pedibulum, *sonus pedum in itione, vel cursu*. Pedo, *pedes*. Pelliceum, *vestis è pelle*. Pendutus, *suspensus*. Pensam, *pensum*. Pensionarius, *Recip. à pensionibus*. Percussura, *percussio*. Perdonatio, *condonatio*. Personatûs, *dignitates quædam Ecclesiastica*. Pertinentiæ, *res aliquò pertinentes*. Pestiferus, *pestifer*. Petaminarii, *qui fune se per aëra jaculantur*. Petibile, *quod honestè petas*. Petraria, λιθοβόλος. Phacolis, phagolis, *vel* phaculla, *perna*. Phaleramentum, *ornamentum*. Philosophaster, *minutus philosophus*. Phlegmaticus, *pituitâ abundans*. Phrisum, *Phrygium*. Physiognomus, *physiognomon*.

SEquuntur, in quibus literam P excipit secunda vocalis.

Peccamen, apud Gildam, pro *peccatum*, vel etiam *peccatus*; unde Tullius *peccatu*, pro peccato, ait IV. Verr. Nempe quomodo & *flamen*, & *flatus*, dicitur.

Peccantia, pro peccandi actu, est apud Tertullianum adversus Judæos.

Pectinia arbitror esse linteum, in quod capite devolvuntur sordes eorum, qui pectuntur. Sigebertus in Chronico: *Rejicientes à se quicquid regulæ refragabatur, foricos videlicet, & pelliceas, estamina, caputia quoque, & femoralia, pectinia, & coopertoria*. A *pectino* est *pectinium*, ut à

judico

judico judicium. Nisi malis à *pecto, pectinium*; ut Appulejo à *scruter, scrutinium.*

Pecuscula, pro pecora minora. S. Aldamannus de rebus Sancti Columbæ: *Omnia pecuscula secum invasores abegerunt.*

Pedagium eâ formâ dixere, c. 26. Ext. de V. S. Clement. ult. Decensibus Mynsig 5. Obs. 70. n. 3. qua *aquagium.* Ac ut origine, ita significatione, convenit cum *pedatico*; de quo mox loquar. Hilsondis Comitissa Strienſis, in diplomate anni Ixccccxcii*: *Silvam ad porcos alendos, cum omni jure, vvancapio, teloneo, molendino, censu, pedagio, & aquagio.* Petrus de Vineis lib. v. epist. xxxvii: *Sine alicujus pedagii exactione, ire, stare, & ad curiam nostram redire securè, & liberè, permittatis.* Urbanus V. Papa in bulla † de jurisdictione Camerarii adversum piratas: *Olim siquidem fel. rec. Bonifacius Papa VIII, prædecessor noster, eos, qui ab Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis, pro eorum rebus propriis, quas non negociandi causâ deferunt, aut deferri facunt, vel transmittunt, pedagia, seu guidagia, suo vel alieno nomine exigere, vel extorquere, si persona existeret singularis, cujuscumque foret dignitatis, conditionis, vel status, excommunicationis,* &c. Et paullo pòst: *Et insuper in omnes illos, qui in terris suis nova pedagia imponunt.* Habes & in Historia Albigensi cap. xxxiii*: & apud Philippum R. Gall. in Edicto de T. Exact.† Unde & ibidem *Pedagiarii.*

* *Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg cap. 73.*

† *Bullarii T. 1. pag. 215.*

* *Sive pag. 174.*

† *Pag. 207.*

Pedaticum fortasse, quod domino loci persolveretur, etiam ab iis, qui pedibus iter conficeret. Radericus Frisingensis de gestis Friderici Barbar. lib. iii. cap. xli: *Monetam, telonium, pedaticum, portus.* Et lib. iv. cap. v: *Vectigalia, portus, pedaticum, molendina.*

Pedecura est in Diplomate Irminæ, filiæ Dagoberti I. Francorum Regis, epistolâ ad Willibrordum*: *Similiter dono vobis, vel ad supradictas basilicas vineæ pedecuram unam, in monte Viennensi, cum vinitore.* Puto, corruptum esse ex *pedatura*: quod in usu junioribus, pro *pedamentum.* Vide proximè *Pedatura.*

* *Apud Miræum in Notitia Belg. pag. 16.*

Pedatura, pro pedamento, sive vitium sustentaculo. S. Remigius in Testamento apud Flodoardum lib. i. Histor. Rhem. cap. xviii: *Delegoque benedictæ filiæ meæ Hilariæ Diaconæ ancillam nomine Nocam, & vitium pedaturam, quæ sua jungitur vineæ, quam Catusio fecit, dono.*

Pedibulum, summis viris, Cæsari Baronio †, & Bollando, videtur esse lictorum virga, quâ ædes percuterent, quas Consul, aliusve, qui lictores haberet, esset ingressurus. Ac rationem censent nominis, quia refer-

† *Annal. Eccles. tom. 2. ad ann. 262. §. 60. & 61.*

referret pedum, sive baculum pastoralem. Nituntur vero istoc è vita S. Fructuosi, & sociorum, §. 1 *: *Qui cùm sensisset pedibulum ipsorum, confestim surrexit, & prodiit foras ad eos in soleis.* Mihi hîc potiùs sumi videtur pro sono pedum, quem, aliquo incedente, audimus. Neque solùm sic vocatur sonus editus humanis pedibus; sed etiam equi, canis, alterius animantis. Solidè id mihi videor firmaturus verbis hisce Gregorii Turonens. lib. III. Hist. Franc. cap. XV: *Quibus pergentibus, audiunt pedibulum equitum currentium.* Sanè quis hic lictorum virgas intellexerit?

* *Apud Bolland. 21. Ian.*

Pedones, ut arbitror, pro *pedites*. Rogerus de Houeden Tom. I. Annal. in vita Guil. Sen. *Unde rex Guilhelmus de tota Gallia solidariis, pedonibus, & sagittariis multis millibus conductis.* Puto, non tam ἀμέσως esse à pedibus, quàm à verbo *pedare*; unde *repedare*, & apud Maronem *quadrupedans*. Gloss. Mss: *Pedo, pedis, ἀναποδίζω.* Sanè sæpe est vox similis nominis, ac verbi: ut in *calcitro, pædico, susurro*, &c.

Pelliceus non ausim ἁπλῶς rejicere, quando non modò Lampridius, & Hieronymus, usi; sed etiam Paullus J. C. Papiniani discipulus, qui temporibus vixit Alexandri Mammeæ. *Pelliceum* ἁπλῶς, pro veste è pellibus, Cæsarius usurpat lib. VI. Mirac. cap. V, & lib. XII. cap. XV.

Pendutus, ex furca suspensus. Lex Ripuar. Tit. LXXIX: *Et legitimè superjuratus, & judicio Principis pendutus.*

Pensam, pro *pensum*, dixere juniores. Ut Galfridus Monemuthensis lib. VII. cap. ult. in Merlini prophetia: *Locatâ sede ad pensas studebit; sed palmas in Albaniam extendet.* Etiam pro pensione usurpatum: unde Gloss. Mss: *Pensa, μισθός*; ubi planè *μισθὸς*, scribi oportuit.

Pensionarius est vox pervulgata, ac legas apud auctorem vitæ S. Heduvigæ cap. VI: *Pensionariis suis in Sanon, & Ianoz, ad XXX. marcas remisit.* Latinè dixeris *scribam publicum.* Quamquam vox hæc non satis vim exprimere videtur. Quid si igitur, ut aliquem Romani dicunt *à manu, à pedibus, à poculis*: ita eum voces *Resp. à pensionibus?* Sanè nomen ei datum à pensione: quo significatur merces, quæ quotannis pro opera penditur, ac solvitur. Sic Ciceroni id *pensio*, quod, qui agrum conduxit, quotannis domino annumerat. Ac in re non dissimili sæpe juniores: ut in Bulla Alexandri Papæ VI. † anni MCCCCXCIV: *Alii receptâ pecuniæ summâ, aut pensione, alterius ordinis fratribus, aut sororibus, sua monasteria vendunt.* Hinc & de syndico, quomodo elegantiores pro pensionario maluerunt dicere, sic legas in

† *Subjungitur Chronico Casinensi pag. 901, 902.*

Glossis

Glossis, quas in membranis habeo exaratas: *Syndicus, qui petit stipem.* Ob *pensiones* hasce, unde *pensionario* nomen, Belgicè eum non incommodè dixeris **loon-raeds-heer**: vel σφραγιστικῶς magis **loon-treckende raeds-heer**: quod nobilissimo Equiti, ac trium Hollandiæ oppidorum, agrique Goilandici præfecto, Petro Cornel. Hoofdio, placuit in præclaro, nec intermorituro, Annalium Belgicorum opere: in quo ambigas, magisne ames veri amorem, an eximiam mirere prudentiam, an purissimam lectissimi sermonis patrii castimoniam.

Percussura, pro cusio, quod in glossis; vel potiùs, pro percussio, quod Ciceronis, ac Fabii. Fridericus I. Imper. diplomate anni CIↃCLII *: *Percussuram quoque monetæ, & teloneũ, & publicas nundinas in oppido Stabulensi, sicut à prædecessoribus nostris, sta & à nostra munificentia — in perpetuum valitura.*

* Apud Miræum in Notitia Ecclesiarum Belg. pag 401.

Perdonatio, & corruptiùs *pardonatio*, apud Walsingham in Richardo II. †: *Datum est judicium contra Richardum Comitem allegantem, & exposcentem suffragia chartarum, & pardonationis Regis.*

† Pag. 354.

Personatum nomine dignitates quædam Ecclesiasticæ notantur. Vide infrà Paulli Papæ II, & IV. verba, in *Præpositatus.*

Pertinentiæ, pro rebus ad aliquid pertinentibus: ut *Adjacentiæ*, de quo supra diximus. Leo Ostiensis Chronici Casinensis lib. I. cap. XLVII: *Cum Castello S. Angeli, universis pertinentiis suis, & rebus suis intra fines suos.* Ac mox: *Ecclesia S. Mariæ in Bacinnio cum pertinentia sua.* Et aliquoties posteà eopse capite. Item lib. III. cap. LVII: *Cum toto portu suo, & omnibus pertinentiis.*

Perverum legas apud veterem Juvenalis interpretem sat. IV. vers. CXXXVIII. Sed fortasse locus est corruptus.

Pessimitas Const. African. in Loc. 10. p. 333. 336. uti ultimitas c. 5. d. l. 10. p. 316.

Pestiferus, non dixero cum nonnullis; sed *pestifer.*

Petaminariorum meminit Julius Firmicus lib. VIII. cap. XV, & Salvianus lib. VI. de Gubernatione Dei. Est à πεταμίνθος formatum, hoc est, *volans.* Nempe quia, quasi volantes, per aëra se fune jaculantur. Belgis etiam **vliegers** dicuntur. Vide, quæ de iis notarunt Scaliger ad Sphæram Barbaricam Manilii, & Rittershusius ad Salvianum.

Petibile, quod honestè petere liceat. Possidius Calamensis in vita præceptoris sui S. Augustini cap. XX: *Non instas, ut quodcunque sollicitus*

petitor volucrit, extorqueas; sed quod tibi à judice, tot curis obstricto, petibile visum fuerit, admones, & rogas, subserviente verecundiâ.

Petraria, machina bellica, petras sive lapides ingentes emittens ad muros diruendos. Usurpat Paullus Diaconus de gestis Longobard. lib. v. cap. VIII: *Cumque hoc dixisset, caput ejus abscissum est, atque cum belli machina, quam petrariam vocant, in urbem projectum est.* Monachus Cœnobii Egolismensis S. Eparchii in vita Karoli Magni*: *Deoque volente, petrarias, quas paraverunt, plus senserunt, quàm illi de castello.* Joannes Turpinus in Vita Kar. M. cap. IX: *Aptatis juxta murum petrariis, & mangatellis, & Trojis, & arietibus.* Similiter Historia Albigensis cap. XVI †, ac pluribus locis Matthæus Parisius. Est & Thomæ Walsingami in Hypodigmate Neustriæ *: *Lituorum, & tubarum classico obsessi semet cohortantes, ad muros alacriter concurrere telis armati, gladiis, & petrariis.* Puto, & *petrarias* rescribendum, pro *perarias*, in hoc Rogeri Houedeni Annal. T. II †: *Iam ante adventum Regis Angliæ, domum lapideam turritam fecit; sibi & perarias suas, & hurdicios suos, & alias machinas suas bellicas, paraverat.* Quid multis? quando penè omnes sic historici: ex quibus tres nobis indictos promit Lindenbrogius ad locum Paulli Diaconi paullo antè adductum.

* *Editionis Vechelianæ ann. 1594. pag. 241. vers. 9.*
† *Pag. 45.*
* *Pag. 689.*
† *Pag. 692.*

Hinc pauca subnectam, ubi post P est adspiratio.

Phacolis, vel *phagolis* vel *phaculla*, petaso; fortasse ἀπὸ τοῦ φαγεῖν, quia in deliciis sit. Isidorus in Gloss. *Phaculla, perna, petaso.* A *phagolis*, *phagolidorus*, qui pernas donat; uti hodiéque eas dono mitti obtinet. Ethelwerdus in Prologo lib. II. Chronic. *Hortamur in Domino, ne nostra spernantur à phagolidoris dicta; sed potiùs præopimas Regi cælorum gratias reddant.*

Phalcramentum, pro phaleris, vel phalerarum similibus. Joannes Scotus in vita S. Attalæ: *Dedit operam, ut postpositis mundi phaleramentis, monachorum jungeretur cohorti.*

Philosophaster, ἀναλόγως quidem fictum: malim tamen, cum veteribus, *minutus philosophus*; vel *philosophus plebejus*, aut *minorum gentium.*

Phlegmaticus nemo barbarum dixerit, cùm usitatum sit philosophis, ac medicis Græcis. Malim tamen cùm Latinis dicere, *pituitâ abundans.* Possis & cum Horatio *, *cui pituita molesta est.*

* *Epist. 1, lib. 1.*

Phrisum est apud Leonem Marsicanum in Chronico Casinensi lib. III. cap. LVII: *Planetam purpuream cum Phriso, & cum aquila è margaritis contextâ.* Quid si pro *Phriso* rescribendum sit *Phrygio*? Sanè

Phry-

Phrygium idem, quod *tiara*; ut scribit vetus Juvenalis interpres in sat. VI. vers. Ib XIV.

Physiognomius ajunt aliqui. Sed *physiognomon* dicendum; ut Græcis φυσιογνώμων; quod Aristotelis est, atque adeò Ciceronis †.

CAP. XXXV.

De inchoatis à P, sequente I, vel L. Pitantia, *ferculum in monasteriis, pietatis ergo solitum deferri.* Pilarium, *pro columna.* Pillula, *pro catapotio.* Pinsinochium, *pistrinum.* Piraticum, *& fortasse etiam* piratium, *potus ex piris expressus.* Pitaciolus, Pittacium, *vel* pittaciolum, *libellus, litera.* Placibile, *quod* placitum. Placor, *tranquillitas mentis.* Platearii, *qui exigunt tributum plateis impositum: uti* plateaticum, *ipsum tributum.* Platoniæ, *lamina alicui operi inserta, instar emblematis.* Plaria, *corruptè, pro* planaria. Plebanus, *qui sacramenta administrat in Ecclesia cathedrali.* Plecta, *pro plexa, sive opere è vimine, vel foliis palmarum, contexto.* Pleuresis, *pleuritis.* Plumacium, *opus ad plumarum modum acu pictum: vel etiam pro pulvinari plumis farto.*

SUbjungam nunc, ubi post P sequitur tertia vocalis.

Tale est *Pietantia*, & ejecto e *pitancia*; quomodo à pietate dixere ferculum in monasteriis, pietatis ergo solitum deferri; unde aliàs *Misericordia* dicitur. Matthæus Paris. in anno cIↃ CCXXXVIII: *Si Abbas, vel Prior, voluerit in refectorio* misericordiam facere specialem; *cibum aliquem competentem, non ante illum, sed ante se, faciat asportari; de quo ille sibi faciat* pitantiâ *pro natura sustentatione.* Idem in Additamentis *: *Præcipimus observari, ut omnes monachi ---- de uno pane, & de uno potu, regulariter reficiantur; salvâ* pitantiâ, *quæ ad majorem mensam ex certa causa deferri consuevit.* Causa, quam signat, est pietas: unde nomen ducebam. Wilhelmus Thorne in Chronico col. 1897: *Die sui anniversarii nobis Abbati & Conventui* pro pitancia I. *marcam omni anno perpetualiter concesit.* Vide omnino Cironium 2. Observ. 13.

* Pag. 174.

Pilarium, primâ porrectâ, pro pila, sive columna. Beka in Conrado: *Fundum adeò lutosum ibidem reperit, quòd* bases pilariorum *stabilire non potuit.* Nempe Belgas suos imitatur, qui Pilaer vocant.

Pillula, pro pilula, sive * catapotio. Fulbertus epist. XLVI: *Morantem alvum laxativis pillulis incitari.* Cæsarius lib. I. Mirac. C. XXI. *Quantum*

* Dissentit Rhodius Lex. Scribon. p. 423

tum ad massam; multùm modica est pillula: sed quantum ad efficaciam, virtus illius est maxima. Ac similiter paullò pòst.

Pinsinochium à pinsendo, pro pristino, locove ad pistrinum pertinente. Matth. Parisius initio Vitæ Pauli, XIV abbatis S. Albani: *Hanc Ecclesiam, cæteraq; ædificia, præter pistorium, & pinsinochium, reædificavit.* Quid si *pinsidochium* scripserit, ut dicimus *xenodochium?*

Piraticum, liquor, sive potus ex piris expressus; ut iis in regionibus fieri solet, ubi vinum non proveniret: quemadmodum Erasmus annotavit ad illud Hieronymi lib. II adversus Jovinianum: *'Paulus in navi panem frangit; non caricas. Timotheo, dolenti stomachum, vinum suadet bibere; non piraticum.* Similiter Fortunatus de vita S. Randevigis lib. I: *'Potum, præter aquam mulsam, atq; piraticum*, non bibit.* Sic puto legi debere: nisi utrumque dixere, *piratium*, & *piraticum.*

* *Libri vulg.* piratium.

Piratium, vide piraticum.

Piscatio non dixero, sed *piscatus.*

Pitaciolus, pro *pittacium*, vel *pittaciolum*, schedula, vel literæ. Ita Hincmarus Laudunensis, cui patruus erat Hincmarus Remensis, libello, cujus inscriptio *Pitaciolus*, hoc distichon præmiserat:

Iste pitaciolus planè depromit, & aptè,
Sedem appellandam liberè Apostolicam.

Sed eo nomine versiculo hoc culpatus in responsione patrui:

Namq; pitaciolum neutro dixere priores.

Ac in neutro genere etiam capere oportet hoc Flodoardi lib. III. Histor. Remensis cap. XXII: *Pitaciolum irrationabiliter confectum, & manu tuâ subscriptum, ac præfatæ professioni tuæ usquequaq; contrarium, misisti.* Corruptè est apud B. Hieronymum in cap. XXIII Matth. *Pistariola illa decalogi phylacteria vocabant; quod, quicunq; habuisset ea, quasi ob custodiam & monumentum sui, haberet.* Nam *pittaciola* legendū.

Placibile, quod placet, apud Anastasium Bibliothecarium. Vide superiùs *Odibilia.*

Placitum, locus, ubi aguntur causæ, conventus Procerum publicus, comitia, concilium, confessus judicum ad jus dicendum. *Placitum tenere* conventum aut forum agere. *Placitum habere*, comitia agere. *Generale placitum tenere*, Simeon Dunelmensis Chron. col. 170; *magnum habere placitum*, idem col. 171.

Placor, tranquillitas. Glaber Radulphus in vita S. Guilhelmi, abbatis Divionensis †, cap. IV: *Sanctus quoq; nolens placorem animi ejus turbare, consensit, ut voluit.*

† *Apud Boll. 1. Jan.*

Pla-

Planeta, casula, sacrum pallium, vestimentorum sacerdotalium ultimum, & post stolam indutum. Vox obvia sæpe, de quâ Ludov. de la Cerda Adverſ. sacr. c. 36.

Platearii, qui vectigal, sive tributum exigerent impositum plateis, viisque publicis. Tributum ipsum, *plateaticum*; ut *pontaticum*, quod in pontis transitu dandum. Et *platearis*, & *plateaticus* vocabulum, habes in Siculis sive Neapolitanis Constitutionibus: prius lib. I. tit. LXXVI; alterum eodem libro, tit. LIX. Ac apertissimus est locus in privilegiis Mindensis Ecclesiæ num. XXVIII, quem ante nos adduxit Lindenbrogius: *Novas etiam exactiones, & tallias, impositis in stratis publicis liberis, & plateis, quas in præjudicium telonei* Stratengelt/ Wechgelt/ & Bruggengelt/*nominatis.* Ubi Bruggengelt est, quod *pontaticum* Aimoino lib. V. cap. I.

Platoma, Lamina. De monumento sepulchrali Adriani Papæ Simeon Dunelmensis Rer. Angl. p. 113: *In Ecclesiâ sancti Principis Apostolorum sepultus, & supra sepulchrum* platoma *parieti affixa.* Vide in nomine, quod jam sequitur.

Platomiæ, laminæ, sive crustæ marmoris, locis aliis instar tessellati emblematis inductæ; lapides cæsi & formati in orbicularem aut quadratam formam. Cassiodorus lib. III: *Supra memoratas platonianas, vel* † *columnas, contradat* † *modis omnibus devehendas.* Anastasius biblioth. in Leone III: *Hic fecit antistes super istas columnas lilios poni fecit, & super ipsos lilios ex metallis marmoreis platonias posuit, diversisq; picturis miræ magnitudinis opus ornavit.* Item in Sixto III: *Fecit confessionem B. Laurentii cum columnis porphyreticis, & transennam, & cancellos supra platonias porphyreticas.* Ac paullò pòst: *Hic fecit platoniam in cimiterio* (κοιμητηίῳ) *Calixti viâ Appiâ.* Etiam *platoniis* legendum apud eundem in Liberio; non, ut vulgò: *Liberius ornavit de platinis marmoreis sepulcrum S. Agnetis.* Ubi Bertinianus codex *platomis*, leviculâ immutatione, pro *platoniis*: ut legit Baronius in Annal. ad annum CCCLXXXIV num. XVII. Apud rei Agrimensoriæ scriptores: *Et in modum platumæ eos posuimus, ut qui nesciunt, miliarios eos putent.* Verùm (ut observatum Salmasio, Notis in Julium Capitolinum) pro *platumæ*, scribendum *platuniæ*, quod idem ac *platoniæ.* Nam O, & V, facilè commutantur. Est verò *platoniæ* ex Græco πλάτωνες, & πλατῶναι: quæ à πλατύς. Nec aliunde Belgis laminæ, seu laminæ, dicuntur Plaeten. Nisi malis à plat/ *planus*, quod ipsum à πλατύς. Hæc verisimiliora, quàm quod, Papiam

† *Ita & codex noster manu exaratus. Aliqui libri* contrahat.

secu-

secutus, censuit Clemangis editor, venire ἀπὸ τῦ πλάττειν, *fingere*; nempe ut nomen sit à figura, qua fingerentur.

Plaria in Glossis Isidori exponitur *dilucida*. Ubi vel *plana* legendum, vel (quando *plani* vox plana ac dilucida) *planaria*: quod à *plana*, ut *plenarius* à *plenus*. Sic *Planaria* insula, quæ à Corsica LX. M. P. distabat, à planitie dicta, quia freto æqualis, ideoque navigiis fallax; Plinio teste.

Plebanus, qui sacramenta administrat in Ecclesia cathedrali. Nihil hodie vulgatius: ac legas quoque apud Cæsarium lib. I Miracul. cap. XIV, XXXI, & L; lib. IV cap. XCVIII; lib. V. cap VII; lib. IX cap. XIV. Item in Promotion. Consilii Pisani: & apud Turocium in Chronicis Hungaricis secundæ partis cap. XCVII*. Nec solùm tamen esse cathedralium Ecclesiarum, indicat, quòd apud eundem Cæsarium sit lib. V cap XL: *Plebanus cujusdam villæ.* Plebanus, *Rector* vel *Pastor sacræ aedis, curator animarum:* exponitur à Bebelio Comment. in Modum Epist. Pontii.

* Pag. 87.

Plecta, pro quo & interdum *flexa* reperias, funiculus ex junco, sparto, palma, vel re simili; ex Græco πλεκτὰ, ἀπὸ τῦ πλέκειν. Sed Latini dicunt *plexa*; unde *complexa, perplexa*. Vita S. Macarii Ægyptii †, Presbyteri & Abbatis in Ægyptiaca solitudine, quæ *Scetin*, vel *Scithi*, dicebatur, cap. II §. V: *Colloquentes de salute animarum, plectam faciebant. Ipsa verò plecta per fenestram in spelunçam descendit. Et egressus manè B. Antonius videt cumulum plectarum Abbatis Macarii, & ait: Multa virtus de istis manibus egreditur.* Pelagius Rom. Eccles. diaconus in vitis Patrum libello V §. V: *Faciebat quoq; plectam de istis palmis, & cusabat usq; ad horam sextam.* Ubi *cusabat* idem ac *texebat, consuebat*; ex Gallico *coudre*; quod ipsum è Latino *consuere*. Imò & apud Joannem Cassianum legas lib. XVIII cap. XV: *Codicem suum inter ejus plectas, quas de palmarum foliis solebat intexere, latenter abscondit.* Et paullò post: *Ad extremum in Paphnutii cellula absconditum codicem inter plectas palmarũ, quas illi siras (σειρὰς) vocant, sicut eum insidiator occuluerat, repererunt.*

† Al. 15. Jan.

Pleuresis pro pleuritis, vel lateris dolor. Hubertus in vita S. Gudi-

* Apud Boll. 31 Jan.

* cap. IX. §. XXXVI: *Quicunq; sub tua misericordiæ confugerunt alas, aut pleuresi dirâ pulsati, ---, receptâ sospitate cuncti ad sua redierunt lari.* Nil vulgatiùs apud veteres Medicos, de quo Dietericus in Jatréo Hippocratico.

Plumacium, diversicolor vestis, pannus, aut stragulum acu pictum

ad

ad plumarum modum. Godfridus Viterbiensis Chronic. part. IX.

Ultimus Assyria rex, nomine Sardanapalus,
Fecerat ex pluma plumacia clausus in aula.

Anastasius in Sergio: *In quo interiùs plumacium, ex holoserico superpositum, quod stauracia dicitur, invenit.* Utitur & Abbo Floriacensis in Vitis Pontif. † Sic enim rescribendum, ubi libri aliqui *plumazium*. Græcis junioribus similiter πλουμάκιον. Glossæ Græcolatinæ, quæ Cyrilli dicuntur: πλουμάκιον, πλουμάριον, *plumacium*. Dubium verò, utrùm & *plumacium*, vel per T, *plumatium* dixerint pro pulvinari, vel culcita, eò quòd plumis soleat farciri. Sic quidē surpari videtur in Vita S. Macarii Ægyptii * cap. III §. XIV: *Erant istic antiquitus ethnicorum sepulcrorum: ex quibus unum arripuit, capitiq; supposuit tanquam plumatium de scirpo.* De *Plumacio*, ex veris plumis confectâ mirificè vesti, agit pluribus Fullerus I. Miscell. sacr. 20.

† Pag. 159.

* Apud Boll. 15. Ian.

CAP. XXXVI.

De cœptis à N, sequente O. Pœnitendum, *cujus pœnitudine duci conveniat.* Poledrus, *pullus equinus.* Polipticum, *pro polyptychum.* Polisis, *structura.* Polycandelus, *in quo multa candela.* Pompolentus, *pompaticus.* Pompositas, *ostentatio pompæ similis.* Ponderositas, *gravitas.* Pontaticum, *quod pro transitu pontis persolvitur.* Populosus, *populo abundans.* Porcaritius, *porcorum custos.* Porcaster, *porcorum imitator, vel etiam porcus.* Portanea, *testa portatilis.* Portarium, *quod per portam eunti persolvendum* Portarius, *janitor.* Portunarius, *cui portarium persolvitur.* Positale, *positivum.* Possibilitas, *vis.* Postæ, *veredarii.* Postella, *pars posterior sellæ, ut* antella, *anterior sella: deq;* postenæ, *&* antenæ, *vocabulis.* Postena *item pro tergo.* Posticium, *posterior monasterii pars.* Postilla, *commentarius, vel annotationes.* Pozentatus, *potestas.* Potestaria, *vicaria potestas.*

PRosequar nunc ea, ubi post P. vocalis quarta se offerat.

Pœnitendum elogium, & alia hujusce modi, reperio apud viros egregios. Multùm interea metuo, ne vox ea Latinis fuerit auribus ignota.

Poledrus, pullus equinus, à *pullus*, sive Græco πῶλος. Lege Salicâ tit. XL. §. VII. & Alamann. tit. LXXIII. Cæsarius lib. VII cap. XXXIX: *Erat monasterio poledrus pulcherrimus.* Et post pauca: *Species enim equi-*

† Pag. 148. *mi dextrarii in eodem erat poledro.* Habes & in Speculo Saxonico †:

Polipticum, vel *polypticum*, fæpius legas pro *polyptychum*. Nam πολύπτυχον, ut δίπτυχον, diptychum. Utrumque à πτύχες, quo in veſtibus, chartis, ac aliis, quæ complicantur, ſingulæ plicaturæ, folia, ac laminæ, ſignificantur. Caſſiodorus Var. lib. v. epiſt. xiv: *Omnibus à te ſolicitâ æquâ, æquabili indagatione compertis, polipticî jubeantur adſcribi.* Et ejuſdem libri epiſt. xxxix: *Dehinc non polypticis publicis, ut moris eſt; ſed arbitrio compulſorum, ſuggeruntur provincialium ſubjacere fortunæ.* Vide & Gregorium lib. vii epiſt. xl, & lib. xii epiſt. xxx. Legg. Wiſigoth. lib. xii tit. ii leg. xiii. Formula ſoll. xxxi. Imò & in Codice Theodoſ. legas leg. ii de Decuſſor. Alciatum etiam ſis adi lib. ii. Παρέργ. cap. xxvi.

Poliſis, ſtructura urbis, ἀπὸ τῦ πολίζειν, *urbem condere*, unde & πόλισις, & πόλισμα. Sed laxè *poliſis* etiam ſtructura atque opus magnæ illius civitatis, quam *mundum* dicimus. Joannes Saresberienſis epiſtolâ cclxviii, ad Bartholomæum Exonienſem epiſcopum: *Rectiùs tamen dixerim, & verius, quòd is, qui ventis & mari imperat, exigentibus hominum meritis, in poliſi mundanâ, re ſcilicet publicâ degentium in hoc ſeculo, ſeditiones eſſe patitur.*

Polycandelus, candelabrum multas continens candelas, ex Græco πολὺς multus, & Latino *candela*. Anaſtaſius in Leone III: *Obtulit polycandelum porphyreticum, pendentem in pergula ante confeſſionem in catenulis aureis.* Vide Meurſii Gloſſarium in πολυκάνδηλα.

Pompolentus, qui Q. Ciceroni, *pompa*, id eſt, faſtûs plenus. Tertullianо *pompatieus* *. S. Gerardus abbas Sylvæ-majoris in vita S. Adelardi, abbatis Corbeienſis cap. iii §. xiv †: *Cujus dignitatis honore induſiatus, & à principe regni legaliter inthronizatus, non efficitur philopompus; non, ut plures aſſolent, pompolentus.*

* *De cultu fem.*

† *Apud Boll. 2. Ian.*

Pompoſitas, de moribus hominis ventoſi, ac in veſtibus, ſermone, & ſimilibus, ſeſe oſtentantis. Uſurpat Petrus Bleſenſis epiſt. xviii.

Ponderoſitas, à ponderoſus; pro quo Tullius *gravitas*, *pondus*; Attius etiam *ponderitas*. Sic enim ille in Pragmaticis apud Nonium:

Et cuncta fieri cætera imbecillia,
Non quòd ponderitatem, gravitatemq; hominis.

Quomodo ſi Nonius ſcripſit, primam in *hominis* aliquando produxerint priſci: uti ſecunda in eodem porrecta eſt Ennio in Annal.

Volturis in ſylvis miſerum mandebat homonem.

Vel

Vel *hemonem*, ut alii. Verùm fortasse ea Attius non in carmine dixit, sed prosâ; puta Pragmaticorum præfatione; ut de quantitate non abierit ab aliis.

Pontaticum quid sit, discimus ex Capitul. Kar. M. & Ludov. Pii lib. III cap. XII: *Placuit nobis, ut antiqua, & justa tholonea à negotiatoribus exigantur, tam de pontibus, quamq; de mercatis.* Est igitur tributi genus, quod in pontibus pro transitu daretur. Et hujus, & similium tributorum mentio est in diplomate Dagoberti Regis de mercato, sive potius mercatu S. Dionysii, & in præcepto confirmationis Pipini Regis de eodem mercatu: *Nec de navigiis, nec de portibus, nec de carnis, nec de saumis, ullum toloneum, vel foraticum, seu rotaticum, vel pontaticum, vel salutaticum, seu cespitaticum, sive mutaticum, vel aliquam exactionem, aut consuetudinem exigere.* Similiter in Karoli M. Edicto apud Aimoinum lib. V cap. I. Vide & incertum scriptorem formularum veterum, cap. XLV.

Populosus, pro frequens, displicet: quamquam ipsius Cæsaris Scaligeri sit in Epigrammatis de Urbibus:

Francigenæ princeps populosa Lutetia gentis.

Porcaritius canis, porcos adservans. Lex Alamann. tit. LXXXII. §. III. Item *porcaritia domus*, tit. LXXXI. §. III. Dixerim potiùs *porcaria*: ut *porcariam vulvam* Plinius. Est & *porcarius* in Gloss.

Porcaster, à porcus: ut *philosophaster* à *philosophus*, *poetaster* à *poeta*. Quare *porcastrum* ἀναλόγως vocâris, qui suillis est moribus. Nam illa in ASTER diminutionem notant. Sed Althelmo, de octo principalibus vitiis, significare videtur porcum. Sic enim scribit:

Sed sub cœnosis volutabri sordibus apta,
Dum stratis recubans porcaster pausat obesus,
Juncis, & stipulis, nec non filicumq; manipli.

Magnum notari porcum, ait Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. CIXV. §. LXXVI. Potiùs tamen exiguum signet. Nam, quod imitatur solùm, necdum est id, quod imitatur. Quare abusione quadam *Porcastrum* ἀναλόγως pro *porco* usurpâsse arbitror.

Portanea videntur dixisse posteriores. Isidorus in Glossis: *Portanea, tecte manualis.* Sed satis verisimilis est eorum conjectura, qui emendant: *Portanea, testa manualis.* Videlicet quia manu portetur.

Portarium, τέλος πύλης, ut est in Glossis Cyrilli. Nempe quia id solvendum per portam ituris.

Portarius, janitor. Odo de combustione S. Martini: *Itaut feminæ ad hauriendam aquam, & ad discurrendum, quò voluerint, portarii non resistant.* Usurpat quoque Cæsarius lib. I Miracul. cap. XXXVII; item lib. IV cap. LXVI, & LXVIII, atque alibi. Etiam Sigebertus Gembl. in Chron. *Cùm esset regis portarius, angeli sæpe alloquio fruitur.*

Portunarius, qui portorium exigit. Legg. Longob. lib. I. tit. XXV. leg. XIV: *Si quis portunarium pulsaverit, quod fugacem hominem, aut furem transposuisset, & portunarius negaverit; ita decernimus, ut præbeat sacramentum solus.* Similiter ibidem duabus legibus seqq. Et in Constit. Siculis lib. I tit. XXVI. Videtur esse à Portuno; quomodo gentiles dixere numen, quod tutam præstaret per maria navigationem in portum. Meminere Tullius, Arnobius, Servius, Capella.

Positale est apud Dionysium Carthusianum initio Explanationis rhythmicæ Evangelii B. Joannis, & inde apud Sextum Senensem lib. III Sanctæ bibliothecæ, cap. de Rhythmica Explanatione:

† Abs te, *pro* fine te: *illud verò*, & peccatum *ponitur pro* sive peccatum: *ut* & *sit* ἐξηγητικόν. *Nempe putavit illo loco*, 1. 3. Absque te factũ est nihil, *per illud* nihil *intelligi* peccatum; *quomodo aliquos cepisse, testis Hieronymus in cap. 2. Mich.*

Abs te † *te nihil & peccatum*
Factum est, non habens ratum
Esse, quantum ad formale,
Quod non est quid positale.

Ἀναλόγως magis Grammatici *positivum* dicunt.

Possibilitas inter alios apud Matthæum Parisium legas. Item Sigebertum in Chronicis ad annum CIↃ XLVII. Sed veteres pro eo facultas, vires, vis.

Posta vulgò, qui veredarii Cassiodoro lib. II Var. ad Dromonarios, & lib. IV, epist. ad Godescalcum. Persis vocantur, ut Græci efferunt, ἄγγαροι. Aliquid tamen est discriminis inter ἀγγάρους, & quos cum Gallis nunc à positis equis, quibus celeri vehantur mutatione, vocant *postas*, quasi positas: nempe, quâ formâ Maro ait I. Æn.

- - - - - - *Manet alta mente repôstum.*

Hodie Principum, vel Reipublicæ stipendiis conducuntur, qui locis destinatis equos habeant ad cursum paratos. Ac sicuti hoc tempore apud Turcas, ita olim apud Persas, regii cursores habuere potestatem cujusvis equis, aut navibus, utendi ut suis, imò & homines adigendi ad cursum. A qua ¶ ἀγγάρων potestate est verbum ἀγγαρεύειν, pro *cogere*: quomodo & *angariorum*, & *angariandi voces*, (de quibus aliquid etiam attuli lib. I cap. V.) in Digestis sumi videas. Ut non mereatur reprehendi vulgatus Matthæi interpres, quòd *angariandi* vocem reservet. Porrò

Per-

Persicum illum morem, de quo dixi, primitus à Cyro fuisse institutum, vult Xenophon lib. VIII. Κυρουπαιδ. Sed in hoc fide dignior Herodotus, qui in Vrania Xerxi adscribit.

Postella quid sit, exponit Isidorus lib. XX. Orig. capite ejusce libri, totiusque operis ult. quod est de instrumentis equorum: *Sella à sedendo, quasi sedda. Antella, quasi ante sella; sicut & postellam, quasi post sellam.* Videndum, an non pro *antella*, & *postella*, etiam *antena*, & *postena*, dixerit Joannes Turocius in Chronicis Hungaricis in ann. CIↃCCCXLII, cap. XCIX †: *Corrigiarum cinguli, & frena, ac similia alia, cum theniis, & postenis serica substantiâ, contexta fuerant.* Ubi pro *theniis* planè legendum *antenis.* Sed non videtur Turocius hic loqui de sellis; ut potiùs locum habeat interpretatio ista veteris vocabularii: *Postela, corrigia, qua sub cauda equi tenditur: sicut antela, que antè tenditur.* Hac significatione priùs *antilena*, & *postilena*, dixere. Gloss. Philox. *Postilena, ἱμὰς ὁ ἐν τῷ ὀφιππίῳ ἢ σάγματος ὑπὸ τὴν οὐρὰν εἰρόμβους* *. Onomast. *ostilena, ὑπωμίς.* Sunt verò derivata simplicia ab *ante*, & *pòst*: non composita ab *ante*, & *post stando*; quæ Perotti erat opinio.

† *Pag.* 90. *edit. VVechel. an.* 1600.

* *Sic pro* εἰρόμβους *legendum.*

Postena, posteriora corporis, sive tergum. Matthæus Parisius in vita Guilielmi, XXII. abbatis S. Albani: *Qui* (equi) *fortes erunt ad portandum, de consuetudine, pannos unius monachi (si opus sit) ad postenam unius armigeri.* Alteram etiam significationem vide in iis, quæ dicebamus voce *Postella.*

Posticium in monasterio dicebatur posterior ejus pars, à cella, & loco, ubi lanam penderent, diversa. Regula S. Cæsariæ cap. V. §. XXX †: *Ad cellarium, ad posticium, vel lanipendium, tales à seniore eligantur, non que voluntates aliquarum, sed que necessitates omnium, cum timore Dei considerent.* Et §. XXXI: *Que cellario, sive cavene, sive vestibus, vel codicibus, aut posticio, vel lanipendio præponuntur, desuper Evangelium claves accipiant, & sine murmure serviant reliquis.*

† *Apud Balcandum in vitis Sanct. ad* 12. *Jan.*

Postillam, pro *explanatione*, jam ab aliquot seculis dixere. Nam circa annum CIↃCCXX. Alexander Wendock scripsit *Postillas in Psalterium*; ut est apud Balæum scriptorum Britannicorum lib. III. cap. XCIV: & XXX, circiter annis pòst *Postillas morales* edidit Richardus Fishaker: ut idem Balæus auctor est Cent. IV. cap. VI. Nomen ex eo, quia, qui sua discipulis dictarem, identidem in ore haberent, *post-illa*: puta, ad hæc, vel ista auctoris verba adscribite.

Potentatus, potestas, dominatio. Gloss. Mss: *Potentatus, δυναστεία.* Usurpant Constitut. Neapol. lib. II. tit. XIV, & Consilium Pisan. II *. * *Pag.* 159.

Potestaria, vicaria potestas. Petrus de Vineis lib. III. epist. LXIII. *Iurisdictionis tuæ vicarias, seu potestarias habentes, & salaria singulorum; qui, quot, & quales sint, & in quibus vicariis videlicet, potestariis, & castellaniis, sub quibus salariis, vel expensis, officiales hactenus exiterint.*

CAP. XXXVII.

De inchoatis à PR, sequente A. Præbaltheatus, *cinctus, ac munitus.* Præbendam, *pro præbenda.* Præbendaria, *domus, ubi degunt, qui præbendis fruuntur.* Præbendarius, *qui percipit præbenda.* Præceptalis, *data mandata.* Præcipitaria, *machina, quibus in bello muros everterent.* Præcluis, *clarus, sive illustris.* Prædarius, *corruptum ex* prædiarius. Præfectiani, *qui apparituram faciunt Præfecto Urbis.* Prægnum, *prægnans.* Præinstitutus, *qui ab alio priùs institutus.* Præmonitorium, *præmonitu.* Præparamentum, *præparatio.* Præpositatus, *& præpositura, dignitates Ecclesiæ.* Præsentales, *duces, qui aliter Præsentes: vel milites, qui Præsentes suberant.* Præsidalis, *qui vicem subit Præsidis.* Præsidatus, *præsidis potestas.* Præsidentia, *pro eodem.* Præstaria, *quæ Ecclesiæ res dantur ad usumfructum, idque conditionibus iis, quas præstare alter debeat; unde & nomen.* Precaria *verò, qui precibus eum usumfructum impetraret.* Præstus, *paratus.* Præsumtuosus, *arrogans.* Prætentura, *propugnaculum.* Pravicordius, *vel* pravicors, *qui corde est malo, pravoque.*

VOcant nunc me, quæ à *præ*, vel *pra*, syllaba incipiunt.

† Pag. 63. *Prabaltheatum*, anteriùs quasi baltheo cinctum. Dudo†:

Quinctus, testis meritis super albera noti,
Incenditur delubrum, monasticis rebus prabaltheatum.

Prabendam juniores dixere, pro *præbenda*, numero plurativo: quod apud Agellium *. Nec tamen planè deficiunt similia; quando *turundum* quasi *terendam*, & *merendam*, à *merendo*, non à meridie, dixere veteres.

* Lib. XX. cap. 4.

Præbendaria legas apud Engelhardum abbatem, in vita S. virginis Mechthildis, Berchtholdi Comitis filiæ: *Filia cujusdam carnalis erat, demonium habens; cui locum pater impetraverat in monasterio præbendario, non sororis, sed a sororibus sequestratum; & hoc prece, non pretio, factum.* Ubi *præbendaria* pro eo poni, quod vulgò est *præbenda*; sententia est Joan. Ludovici de la Cerda in Adversariis Sacris cap. CLVII. §. III.

Sed

Sed censeo, sic locum dici, ubi vivant ii, qui præbendarii, vel præbendariæ vocentur. Vocabularium vetus, quod Gemma inscribitur †: *Prebendaria*, een proevenier-huys.

† *Editum Antverpiæ an.* 1494.

Præbendarius, qui præbendam accipit; ut exponitur in Gemma. Joannes monachus in vita præceptoris sui Petri Damiani, Cardinalis, & Episcopi Ostiensis: *Nec quisquam secum, præter Cœcum quendam præbendarium, discumbebat.*

Præceptalis, quo quid præcipitur, S. Henricus Imp. ad Erluinum Episcopum *: *Omnibus fidelibus notum fieri volumus, qualiter nos Camerarensi Ecclesiæ Comitatum Cameracensem,— hac nostræ auctoritatis præceptali paginâ in proprium donavimus.*

* *Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. pag.* 141.

Præcipitaria, machinæ belliçæ, quibus præcipitarent muros urbium obsessarum. Matthæus Paris. in an. CIↃCCXLII: *Castrum tam infatigabiliter erectis mangonellis flagellarunt, compositis petrariis dissiparunt, compactis præcipitariis impegerunt.*

Præclaris, illustris, inclytus; à *præ* & *cluo*; quod ejusdem originis est ac *inclutus*: nempe à Græco κλύω, unde κλυτός. Onomasticum: *Inclutus*, κλυτός. Festus: *Clutum Græci κλυτὸν dicunt; unde acceptâ præpositione fit inclutus.* Sic malo scribere, quàm *inclytus*; quia, Latinâ præpositione additâ, non Græcum Y habet locum, sed Latina vocalis V; quam in *præclaris*, licet barbaro fortasse, cernimus. Usurpat Sueno, primus Daniæ historicus, in Compendio historiæ suæ cap. III: *Præclaris illa heroina, & quæ sola dici Regina meruit, generosi pectoris solertia dolum commenta.* Ac postea: *Ut præclaris illa Regina, cum rege marito, omnes ætatis suæ annos complesset.*

Prædarius in Gloss. Isidori exponitur *præbens auxilium.* Sed assentio iis, qui scribendum putant *præbendarius*: etsi vulgo aliter sumatur. Nempe *præbendarius*, quia præbet auxilium. Sanè in Gemmâ antea memoratâ, *præbendarius*, tum qui præbet præbendam, tum cui præbetur. At *prædarium* magis ἀναλόγως diceretur, quod est ex præda. *Prædatitium* pro eo Agellius lib. XIII. cap. XXIII, ubi de manubiis ferino.

Præfectiani, ut puto, apparitores ejus, qui est Præfectus Urbi. Honorius Imper. de diversis officiis & appar. *Cujuslibet judicis apparitores, inter quos etiam Præfectianos locamus, ad quamcunque aliam militiam, vel palatinam, vel militarem, transierint, retrahendi hos copiam illis, quos deservire, tribuimus.* Non videtur eam vocem satis cepisse Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. CXLVI. Nam colligit inde, fuisse

quoddam

quoddam militiæ genus, quod diceretur militia præfectiana: cum Honorius jus det Præfecto Urbis, suos apparitores à militia revocandi, si se deserto, militiam sint secuti.

Prægnum animal, pro *prægnans*, Legg. Alamann. T. LXXII. & LXXIII.

Prainstitutus, priùs institutus ab alio: ut qui antea malo usus magistro, hinc melior. Joannes Sarisberiensis Policratici, sive de Nugis Curialium, lib. VII. cap. IX: *Siquis istorum in manus tuas fortè erudiendus inciderit; meritò facies, quod Timotheum, qui in arte sibiarum excellebat fecisse refert Quinctilianus in libro de Institutione Oratoris. Hic quidem duplas mercedes exigebat, & accipiebat ab his, qui fuerant malè prainstituti, quàm si omnino rudes accederent.*

Præmonitorium, quo quis præmonetur. Fulbertus epist. XXXI: *Gratias ago vigilantiæ tuæ, quam meæ simplicitati præmoniterium facit.* Nempe à *præmonitus*; quâ formâ *Commonitorium* sæpius legas in Codice.

Præparamentum non dicam cum nonnullis: sed *præparatio*, cum Cicerone, Fabioque. Prius tamen & Gemma, ut probum, agnoscit: at in qua multa sint, non gemmea; sed plumbea, & siquid plumbo vilius.

Præpositatus non magis Latinum est, quàm *positatus*, pro positura. Aliud interim esse *præpositatum*, aliud *præposituram*; ostendit Paullus II. in Bulla †: *Quod monasteria, prioratus, &c. Reliqua verò monasteria, prioratus, præpositura, præpositatus, dignitates, personatus, administrationes, officia, & beneficia, ut præfertur, unita, pro quibus Cameræ Apostolicæ annata, seu alia jura, solvi consueverant.* Et paullò pòst: *Et quod de omnibus monasteriis, prioratibus, præpositatibus, dignitatibus, personatibus, administrationibus*, &c. Hæc iisdem verbis habes in Bulla Paulli IV *, De confirmatione, & ampliatione Constitutionum Apostolicarum. Vide mox *Prapositura*.

† Bull. Tom. 3. pag. 300.

* Pag. 600.

Præpositura, pro præfectura, non valde averser. Nam præterquam, quod usurpat Lampridius, *positura* ipsius Lucretii est; ut alios præteream idoneos scriptores. Cæterùm ut Ecclesiastici scriptores *præpositum* simpliciter dixere pro præposito Ecclesiæ, aut monasterio: sic iidem & *præposituram* pro ipso munere, ac dignitate, usurparunt. Ivo Carnotens. epist. LIV: *Tornacensis archiepiscopus, qui in prædicta Ecclesia adhuc sibi usurpabat præposituram, & archidiaconatum.* Et epist. CCXIX: *Me dimidiam partem cujusdam præposituræ communitati canonicorum contulisse.* Similiter Rogerius de Houeden Annal. T. I. in vita Guilhelmi Senioris: *Damnaretur emtor, & venditor cujuscunque officii; ut pisca epi-*

episcopatûs, abbatia, præpositura, vel decimationis Ecclesia. De *præpositi* vocabulo libro sequenti agemus.

Præsalia, vide inferiùs *Repressalia*.

Præsentales appellabantur, tum duces, qui aliter *Præsentes* vocati; ut libro proximo in *Præsens*: tum milites, qui Præsenti suberant. De ducibus est hoc lib. XII. leg. IV. C. de Appar. Magist. *Numerarios virorum illustrium magistrorum militum tam Præsentalium, quàm Orientalium.* De militibus verò istoc leg. ult. §. 1. C. de re militari: *Cùm non dubium sit, ipsos etiã duces, quibus fortissimi Præsentales milites parere præcepti sunt, sub eâdem excelsa potestate esse constitutos.* Legas & de iis in Notitia Imperii. Nomen verò ex eo, quòd in præsentia forent jun&i Principis comitatui. Itaque militibus Orientalibus, hoc est, per Orientem dispositis, opponi videas in loco adduc&o: ac Domesticis etiam accensitos, indicat locus iste Cod. L. VI. §. III. de Advoc. diversi. *Licentiam iis præterea facimus binos homines singulis annis itidem offerendi, nostram adoraturos purpuram, statuis inferendos Præsentalibus Domesticis.* Et L. IV. C. de Domest. & Prote&. *Siquis virorum fortium Præsentalium Domesticorum, in schola equitum primicerii locum adeptus, diem interea supremum clauserit.* Græcè dicebantur itidem πραισεντάλιοι: ut in Justiniani Edicto XIII. Imò & πραίσεντον vocabant cohortes eas, quæ honoratam hanc militiam constituerent. Quod ex Evagrio, Justiniano, ac Simocatta, ostensum Meursio in Glossario.

Præsidali vice, pro vice præsidis. Julianus, archiepiscopus Toletanus, in historia Wambæ Regis †: *Quos præsidali semper vice defendunt.* † Pag. 2.

Præsidatus, gubernatio, præsidis imperium ac potestas. Petrus de Vineis lib. V. epist. 1: *Adjicimus officium præsidatus, concedentes tibi merum & purum imperium, & gladii potestatem.*

Præsidentia à præsidere, hoc est, præesse. Henricus de Hassia in Speculo Anim. *Tuâ præsidentiâ gubernatum.*

Præstaria, & *precaria*, usus erat, cùm Ecclesiæ res certis conditionibus ad usumfruc&um sub annuo censu darentur. Ac *præstariam* quidem dabat Episcopus, vel Abbas, qui rem in præstitum concedebat, expositis legibus, quibus daret. *Precariam* dabat petitor, qui precariò acciperet rem Ecclesiæ, & censum se daturum, & leges præscriptas impleturum, promitteret. Utriusq; chartæ meminit Marculfus lib. II. Form. cap. XL. Item mentio *præstariæ* in Capitulari Caroli Calvi tit. IX. cap. XI. uti *precariæ* tit. X. cap. II, & tit. XXXIII. cap. VII. Precariam Grinberti S.

Madalveo, Episcopo Virdunensi oblatam sub annum Ɔccclxxi, Notis suis in Caroli Calvi, & successorum capitula, subjunxit Jacobus Sirmundus. Etiam præstariæ meminerunt Traditiones Fuldenses: quæ & *præstationis chartam* nuncupant. Legas & in Variis Conciliis: de quo Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. xcviii, §. xiv.

Præstatio, tributum pro militibus, qui à vasallis præstatur; Goldast. Not. in Ekkehard. c. 5. p. 192.

Præstus, paratus. Gloss. *Præstos habeat, id est, præsentes.* Inscriptio vetus Patavii *: *Observavi parentum præcepta, amicos colui, patronos bonos* † *officio præstus fui.* Habes & in lege Salicâ, ac sæpius in Legg. Wisigothicis. In quibus lib. ii. tit. i. leg. i: *Quando cum petitore causam finire sit præstus.* Et tit. ii. leg. ix: *Præstus esse ad judicium compellatur.* Marculfus lib. ii. Form. cap. i: *Caballorum præstus.* Quamquam ibi nudâ vocali *prestus* scriptum: & sic etiam exaret Ludovicus de la Cerda in Adversariis Sacris cap. cxxvii. Sed non dubium, quin *præstus* ex eò sit corruptum, quòd Latini veteres dixerint *præsto est*, pro præsens, paratusque. Etsi non ignorem, Martinium * putare, *præsto* indeclinabile à *præstus* deduci. Assentirer, si apud antiquos *præstus* invenirem.

* *Apud Mazovium, item Gruterum Inscript. pag. 669 num. 4.*

† *Pro patronis bonis.*

* *In Etymologico.*

'*Præsumtuosus*, arrogans, quia multa temere præsumat. Quomodo *præsumtio* dixit Ado Viennensis ad Nicolaum Papam: *Virùm illius sit concessio, an invasoris præsumtio.* At *præsumtuosus* est Bernardi Clarævallensis in vita S. Malachiæ Episcopi †: *Ille nequam (sicut erat præsumtuosus, & insolens) non modo miratus est, sed & indignatus.*

† *Col.* 1952. *edit. Antverp.* an. 1609.

Pretentura, propugnaculum in limitibus regionis, vel ante urbem exstructum, ut moretur hostem, ne regionem invadat, vel urbem, nihil sibi metuentem, capiat. Ammianus Marcellinus lib. xiv: *Ibique densis inter obsidentium itinera pretenturis, provincialium, & viatorum opibus, pascebantur.* Iterum: *Quia Mesopotamia tractus omnes crebrò inquietari sueti, pretenturis, & stationibus servabantur agrariis.* Item: *Salubriter, & cautè, castra metata, stationesque agrariæ totis rationibus ordinate.* Nomen ex eo, quia defensioni locorum prætendantur, hoc est, ante locum tendantur, sive constituantur. Quomodo Maro ait i. Georg. — *Segeti pretendere sepem*, Et ix. Æn. *Marti pretendere muros.*

Pravicors, qui pravo corde, in Vocabulario, quod Gemma inscribitur. Nempe quâ formâ dicitur *excors*, vel *misericors*. Etiam *pravicordius* ibidem legas. Sed utrumque sine idoneo auctore.

CAP.

CAP. XXXVIII.

De cœptis à PRE, PRI, vel Pro. Precatoria, *pro precaria.* Primicerius *qui in dignitate variis tributâ primum tenet locum.* Primiscriniarius, *primus è scriniorum præfectis.* Primivirgius, *primus virgatorum, sive eorum, quibus commissa est custodia portæ Imperatoris.* Primordialis, *ad primordia pertinens.* Prioralia, *ad Priorem monasterii pertinentia.* Prioratus, *cœnobiarchæ dignitas.* Priorissa, *præfecta sacrarum virginum.* Prioritas, *per quam aliquid prius dicitur.* Privativus, *privans.* Probamentum, *probatio.* Processio, *processus sacri ordinis.* Procuratia, *pecunia, quam pro cura sua exigit Ecclesiæ procurator.* Proficuum, *utile.* Prohastium, *pro proastium, sive suburbium.* Promtanimitas, *vel etiam* promtitudo, *alacritas animi promtissimè aliquid exsequentis.* Propos, *præpotens.* Prosarius, *prosâ exaratus.* Protoscriniarius, *primus ex præfectis scriniorum.* Protectio, *defensio, ac tutela.* Protonotarius, *primus eorum, qui posteriorsibus seculis* notarii *appellati. Vt* protosecretarius, *primus eorum, qui Principi, aut Reip. à secretis.* Protospatharius, *dignitas in Orientali imperio.*

VIdeamus nunc de iis, ubi post PR. sequitur secunda, tertia, quartáve vocalis.

Precatoria, vel *precaturia*, pro *precaria*; quæ vox etiam est ævi Tulliani, ac sequentis. Marculfus lib. II. Form. cap. V. *Per hanc precaturiam.* Quem ad locum Bignonius ostendit, similiter loqui Synodum Epaunensem cap. XVIII, & Synodum Rhemensem sub Sonnatio episcopo apud Flodoardum lib. II. cap. V. Adi, quæ superiùs in *Præstaria* dicebamus.

Prestus, vide *Præstus.*

Primicerius diaconorum, cantorum, lectorum, domesticorum, tabulariorum, & similia, legas apud varios: in his B. Hieronymum in Chronico Eusebiano ad numerum MMCCCCLXXX: *Iovianus ex primicerio domesticorum Imperator factus est.* Item Gregorium Turonensem lib. II. Hist. Franc. cap. XXXVII, Marcellinum in vita Suiberti, Paulum Warnefridi lib. IV. Histor. Longobardicæ cap. XXXIV, in vita Ludovici Pii †, & S. Othonis *, Adelmannum in epist. ad Berengarium, item apud Sigebertum in Chronicis an. CIↃLXXVII, & Matthæum Paris. non semel, atque alios. Eo verò *primicerius* vocabatur, quia ejus nomen

† *Pag. 38. vers. 20. edit. Commel.*

* *Lib. I. cap. 29.*

loco *primo* in *ceratis* tabulis poneretur. Nisi potius *cerius* solùm sit vocis productio: quæ Cujacii est opinio ad Tit. VII. lib. XII. Cod. Justinianei. Idem dictum esto de vocabulis *secundicerii, tertiicerii, quarticerii*. Præter Cujacium, adi & Onuphrium in Explicatione vocum Eccles. & Petrum Gregorium lib. XV. Syntag. cap. XXII. Κατὰ μεταφοράν verò Hincmarus Rhemensis Judam Iscarioth vocat *primicerium prodstorum*. Item Thomas Walsingamus in Hypodigmate Neustriæ †: *Primicerius Lollardorum*. Græci pro eo πρωτομαγίστρου: ut ex Suida liquet, item Codino de officiis Aulæ Constantinopol. & Gregor. lib. VII. Lego & de femina *primiceria*. Regula S. Cæsariæ cap. VIII. §. XIII †: *Primiceriam etiam, vel formariam admoneo, vel contestor, ut vigilantissimè consideretis.*

† Pag. 591.

† Apud Bollandum ad 12. Jan.

Primiscriniarius, qui primas obtineret in scriniorum præfectis. Græci pro eo & *protoscriniarius*; imò etiam Regino, de quo inferiùs. Idem est πρωτοσκρινίου in Basilicorum Glossis. Primiscriniarii etiam in iis, qui, Pontifice maximo defuncto, cum Cardinalibus, episcopis, presbyteris, & diaconis, nec non primoribus Urbis, & scribis regionariis, solent convenire, ut de novo agatur pontifice creando. Liquet hoc ex iis, quæ de Paschalis Papæ II. primordiis refert Baronius ad annum hoc *.

* Tom. 12. pag. 3. edit. Moreti.

Primivirgius, primus virgatorum; hoc est, aulæ januam custodientium cum baculis, & virgis, quibus, equitante imperatore, populum summovebant: ut liquet ex Codino de officio Aulæ Constantinopol. ubi τῶν βαρβαριωτῶν πρωτομαγίστρου appellatur. Isidorus in Glossis: *Primivirgius, caballarius, quod primus est militia in virgis.* Quem locum sic ὁ μαιαεύτης Joan. Meursius corrigebat: *Primivirgius, clabarius*, (sive *clavarius*) *quòd primus est militia in virgis*, hoc est, militum virgatorum. Adi Meursii Gloss. in βαρβαριῶται. Ac favet Glossarium nostrum Msum: *Primivirgius, qui primam virgam gestat ante Regem.*

Primordialis, ad rerum primordia pertinens, apud Bekam in procœmio Chron. Unde & *primordialiter*, Henrico de Hassia in Spec. An. †

† Pag. 6.

Prioralia, quæ sunt Prioris, sive cœnobio præfecti. Usurpatur in Benedictina cap. XXXI.

Prioratus, pro cœnobiarchæ, seu Prioris, ut vocant, dignitate, sæpius in Benedictinâ * cap. XIII, quod est de inventariis per novos antistites. Item legas cap. XXII, quod est de creatione monachorum.

* Aimoino, & Leoni Marsicano subjiciuntur in edit. Parisiensi, 1602.

Habes

Habes & apud Hincmarum epist. VI. cap. XVII, Ivonem Carnot. epist. XXXVIII, Cæsarium lib. I Mirac. cap. III. Quemadmodum verò varia sunt Priorum genera; ita & Prioratûs: qua de re libro proximo, in *Prior.*

Priorissa de femina dixere, ut *Prior* de viro. Habes apud Eugenium Papam in diplomate ad Heloissam, Cæsarium lib. I Mirac. cap. XLII, Bekam in vita Ottonis, Episcopi XXXVI. De *Prioris* voce dicam libro sequenti; ut proximè monui.

Prioritas, quâ quid tempore prius est. Usurpat Petrus de Vineis lib. III. epist. X: *Progenitorum nostrorum nos memoranda prioritas invitet exemplo.* Scholasticis est frequens.

Privativus, pro privans, iisdem Scholasticis relinquamus. Cicero in Topicis: *Sunt enim alia contraria, quæ privantia licet appellemus Latinè, Græcè appellantur* στερητικά.

Probamentum, pro *probatione*, parùm Latinè Rufinus in Tralatione Origenis περὶ ἀρχῶν †: *Omnibus adhibitis probamentis, ex Scripturis sanctis manifestius, & constantiùs asserit.*

† Pag. 873. edit. Basil. a. 1536.

Processio, pro processu sacri ordinis in publico: inde *processionalis* oratio, quæ in eo adhibetur. Chronicon Casinense lib. III cap. XIX: *Libello, in quo sunt orationes processionales.*

Procuratia, pecunia, quæ à sacerdote quotannis episcopo, vel archidiacono, ecclesiam visitanti, solveretur tanquam procuratori Ecclesiæ. Matth. Parisius in ann. CIↃCCXLV, *Procuratiæ, & munera exiguntur.* Et antea in anno CIↃCCXXXIX, de legato Papæ: *Ad humilitatem religiosorum conversus, ab eis pecuniam non minimam extorsit nomine procuratiæ.*

Proficuum, pro utili, quia inde proficimus; unde & Belgis **profytig.** Joannes Turpinus, ut vulgò inscribitur, de vita Karoli M. cap. VIII: *Magnum animabus proficuum.* Eindhard. ad Lupum epist. III. *Quam tamen proficuam potiùs mihi, quam noxiam, hactenus experior.* Lupus ad Einhardum epist. IV: *Nunc autem, cùm Deus omnes homines salvos velit fieri, ac in nomine ipsius, qui Salvator dicitur, nemo postulet, nisi qui sua saluti proficuâ postularit.* Gregorius VII lib. VI epist. II: *Si studeamus ad tempus, pro communi honestate, & proficuo.* Monachi Laubienses epistolâ apud Baldericum Chronici Camerac. lib. I, cap. CV: *Multisq; emolumentis nobis proficuum.* Ivo Carnotens. epist. LXXVI*: *Sustinete interim, donec de isto faciam proficuum meum: postea quærite, ut iste deponatur.* Anselmus Cantuariensis epist. ad Monachos Beccen-

* Pag. 64.

ſes: *Regis gratiam, quæ vobis neceſſaria eſt, ſine omni proficuo, imò cum damno maximo, non perdatis.* Chron. Ciſtercienſe †: *Quia hoc non proficuum, imò damnum nobis omnibus intelligitur.* Mitto Turocium in Hiſtoria Ungarica, atque alios.

† Pag. 64.

Prohaſtium, cum ſpiritu dixere pro *proaſtium*, ut *hoſtium*, *harena*, ac ſimilia. Eſt verò conflatum è *pro*, & *aſtu*; ut idem ſit, ac *ſuburbanum*. Uſus Juſtinianus Imp. epiſt. ad Placidium: *Cum portubus, aquis, aquarumve decurſibus, ſylvis, proaſtiis.* Ruffinus, Aquilejenſis presb. in Vitis Patrum lib. III num. XIX: *Habitabat autem parvâ cellâ foris civitatem prope proaſtium, quod vocatur in Septimo; ubi ſolent Imperatores egreſſi de civitate libenter degere.* Aliter quidem multi Miſſi: ſed *proaſtion* nonnulli: & προάστειον eſt apud Cedrenum idem narrantem anno XX. Theodoſii junioris: & Pelagius, diaconus Romanus, libello XV, num LXVI, *ſuburbanum* vertit. Paullus Warnefridi lib. VI hiſtor. Longobardicæ cap. LVIII: *In Olonna nihilominus, ſuo prohaſtio, miro opere, in honorem S. Anaſtaſii martyris, Chriſto domicilium ſtatuit: in quo & monaſterium fecit.* Quamquam in nonnullis Miſſis abſint verba illa, *ſuo prohaſtio.* Nempe quia non videret librarius, quo pacto hic haſtis foret locus. Non attendit, *proaſtium* eſſe, quod προάστειον Xenophonti, ac quibusdam προάστιον. Latinè dixeris *ſuburbium*; quod ipſius eſt Tullii Philippi XII.

Promtanimitas, animi alacritas, quando quid lubentes, ac promto animo exſequimur. Gregor. Turonenſis in Vita S. Gregorii Lingonenſis cap. II §. VI: *Adeò laboravit in ejus obſequio tota mentis promtanimitate.* Dicere pro eo *animi promtitudo*, ſi poſterius vocabulum apud idoneos invenirem ſcriptores. Nunc aliter malim φιλοφρόνως.

Propos in Gloſſis Iſidori exponitur, *valde potens.* Sed rectè emendant *prepos:* quod à *potis*; uti & *compos, impos.* Quomodo in veteri eſt vocabulario, *Prepos, valde, vel præ aliis potens.* Nec tamen *prepos* dixero; ſed *prepotens* cum Tullio.

Proſarius ſermo, pro prorſo dicendi genere. Sidonius lib. IX epiſt. XIII: *Maximè proſario loquendi genere diſtrictus, occupatusq;.* Significat, ſe non ampliùs poëtari, ſolumque proſâ oratione ſcribere.

Protoſcriniarius, primus ſcriniariorum, ex Græco Latinoque conflatum. Regino in Chronico: *Legati Romanorum, Azo videlicet protoſcriniarius, & Matrinus, Sutrienſis Eccleſiæ Epiſcopus.* Quid mirum, quando & Græci itidem ex Græco Latinoque fecerunt πρωτοσπάτως.

La-

Latinè *primum ſtratorum* dixeris. Imò Phranzis interpres Latinus, non modò *protoſtrator* retinet; ſed & format inde *protoſtratoriſſa*. Vide ſuperiùs *primiſcrinarius*.

Protectio non memini me apud claſſicos legere. Vulgò dicunt, *eſſe in alicujus protectione*: pro quo Cicero, *eſſe in alicujus fide, & clientela*. Nec magis *protector* invenio: pro quo Cicero, *defenſor, patronus*, & τῷ μεγαροχάρ *parens*.

Protonotarius, voce hybridâ, (quales multas alibi recenſemus) vocitabatur, qui πιττάκια curaret, ut Codinus interpretatur. Nec in Latina Eccleſiâ *protonotarius* modò, ſed etiam *primicerius notariorum* dicebatur. Onuphrium ſis adi in Explicat. obſcurarum vocum Eccleſ. Similis verò compoſitio in *protoſecretarius*: quomodo nominatur primus actuarius, ſive ſcriba.

Protoparens non dixero, ſed vel planè Græcè *protoplaſtus*; vel omnino Latinè, *primus parens*. Non refugit tamen doctiſſimus Franciſcus Duſſeldorpius Lugdunenſis, tractatu de non ineundo matrimonio cum iis, qui extra Eccleſiam ſunt, cap. 1 *: *Uſus ad hoc protoparentis linguâ prophetică, cùm individuum viri uxoriſq; vinculum in magnum Chriſti & eccleſiæ Sacramentum commendavit.* * Pag. 3.

Protoſpatharius, qui Codino, πρῶτος τῆς ἀπαθείας. Nicolaus 1 epiſt. ad Michaëlem Imper. *Michael, glorioſus Protoſpatharius, legatus veſter*. Uſi & Adelmus in Chron. Fran. Regino abbas Chronicorum lib. 1 & 11, Ivo Carnot. in Chron. Leo Marſic. in Chron. Caſinenſi lib. 1 cap. LII. Magnificos, & illuſtres vocatos, oſtendet Meurſius in Πρωτοσπαθάριος. Pluribus de hoc loquar cap. 1, in *Spatharius*.

Proviſio, beneficii promiſſio. Pontificis Romani Diploma, quo præcipit beneficium Eccleſiaſticum cuilibet conferri in diem mortis illius ſacerdotis aut alterius, qui ipſi fruitur, *Proviſio* dici ſolet. Aliàs *Gratia expectativa* nuncupatur. De eo agit Duarenus de ſacr. Eccleſ. Miniſt. ac benef. lib. v cap. VIII.

CAP. XXXIX.

De iis, ubi P literam ſequitur S, U, vel Y. Pſallentium, *cantus*. Pſeudoforis, *vel* Pſeudoforum, *pſeudothyrum*. Pſeudoliquidum, *media inter ſiccum, ac liquidum, natura*. Pſeudomagiſter, *falsâ imbuens doctrinâ*. Pubeda, *vel* pubeta, *puber*. Pulveraticum, *vel* pulveratica, *pro donativi genere, vel vectigalis*. Puſillanimus, *de eo, qui mentis humilis,*

& abjecta. Pusillanimitas, *pro vitio animi timidi, atq; abjecti.* Pytiegium, *tempus ignis cineribus contegendi.*

EXpediam nunc ea, quæ supersunt in cœptis ab literâ P.

Psallentium in casu recto, pro cantu psallentium, seu chori, Gregorius Turonensis in Vita S. Gregorii Lingonensis cap. II. § VII: *Illoq; ingrediente, diutissimè silentium erat: postea psallentium, tanquam multarum vocum, per trium horarum, & fere amplius spatium, audiebatur.* Idem Histor. Francicæ lib. II cap. XXI: *Cum magno psallentio comitantibus clericis.* Miracul. lib. I cap. XXXVII: *Cum psallentio ad locum fontis accedit.* Similiter cap. LI, & alibi idem. Ac Supplementum Annalium ejus cap. LXXIX. Item Bened. Levita Capitul. lib. V. cap. CCXX.

Pseudoforis, falsæ fores, sive, numero singulo, *falsa foris*: quomodo Terentius Adelphis ait, *Sed quidnam crepuit foris?* Mirum ab ea voce non abhorruisse Sulpicium Severum libro de vita S. Martini; ubi *pseudoforem* ait, pro eo, quod *pseudothyrum* maluissem dicere cum Cicerone in Verrinis. Sed abreptus est elegantissimus scriptor consuetudine sui seculi, quâ multis adeò hybridis vocibus gaudebant, etiam cùm aliæ suppeterent bonæ. Ac de isto etiam in *Artigraphus* plura diximus. Cæterùm, (quod monitum etiam veteri amico τῷ μαχαίτῃ Meursio) pro *pseudothyron* corruptè, P præciso *seudothyrum* est apud Freculphum Chron. Tom. II lib. I cap. XIII, & lib. IV cap. III. Imò & apud Sulpicium *pseudoforum* perperam pro *pseudoforem* editum. Nec enim ea vox est à *foro*, sed *foris*.

Pseudoliquidum similis est farinæ. Usus Marcellus Empiricus cap. XXVI†: *Mellis optimè despumati adjicitur, quantum sufficiat.* Videtur sic vocari id, de quo dubites, utrùm magis in liquidis reponas, an siccis, sive crassis; quæ liquidis Naso opponit I Met.

† Pag. 114. edit. Froben. ann. 1536.

Crassáq; pugnabant liquidis, & liquida crassis.

Sed sine dubio ἀκύρως, cùm crassis potiùs opponatur tenue.

Pseudomagister, ψευδιδάσκαλος. Utitur Sigebertus in Chronicis ad annum CIↃLXXIV; ubi de Gregorio VII.

Pubida, & *pubeta*, puberem notat. In glossis Isidori *adolescens* exponitur. Martianus Capella lib. IX: *Virginum chorus Phrygii cujusdam pubida cicutis interstinctus.*

Pulveraticum, vel *pulveratica*, nunc donativi genus erat, nunc vectigalis. Priori modo sumit Fronto de Limitibus Agrorum *: *Tres aureos*

* Pag. 41.

aureos accipiat absq; sna pulveratica. Codice Theodosiano lib. VII tit. XIII, sive de Tironibus leg. XVI, verba sunt Arcadii, Honorii, & Theodosii AAA: *Servos etiam hujus auctoritate edicti exhortamur, ut cùm primùm se bellicis sudoribus offerant, præmium libertatis, si apti ad militiam arma susceperint, pulveratici etiam nomine binos solidos accepturi*, &c. De pulveratica judicum abolita est Novell. Leon. & Major. lib. IV. tit. I. De quo Cujac. Observ. lib. IV. At pro telonei, seu vectigalis genere, sumitur in Capitulari Benedicti Levitæ lib. VI §. CCXIX: *Ut nullus homo præsumat tholoneum per vias, nec per villas rodaticum, nec pulveraticum, recipere.* Idem vectigalis genus, ac plura alia, complectitur, apud Aimoinum †, Carolus, postea vocatus Magnus, tum Francorum, & Longobardorum Rex, Romanorum Patricius: *Per omnes civitates similiter, ubicunq; in regna, Christo propitio nostra, aut pagis, vel territoriis, teloneus exigatur, nec de novale, nec de carale, neq; de saumis, neq; de trana evectione, nec rotatico, nec pontatico, nec pulveratico, nec salutatico, nec cispitatico, nec ullâ redditione, quod fiscus noster exinde poterat sperare, nec vos, nec juniores, successoresq; vestri ejusdem non requiratis, nec exactetis.* Idem privilegium, sed in nonnullis varians, apud Baronium habes tom. IX. Annal. ad ann. Io CCLXXIX.

† *Lib. 5. Franc. Hist. cap. 1.*

Puritas tam usitatum est vocabulum, ut vix sciam, quis non loquatur hoc modo. Omnes enim dicunt, Grammaticos puritatem sermonis præstare; Rhetores ornatum, & copiam. Et video, etiam hoc mihi aliquando vocabulum excidisse, Nonio, * & aliis, decipientibus. Satius verò sit pro eo dicere, *munditia, elegantia, proprietas.*

* *In* Pueritia

Pusillanimus, vel *pusillanimis*, apud varios scriptores reperias interque alios, apud Petrum Blesensem epist. LXVIII: item in Vita S. Gudilæ * cap. XIII §. X. Rectiùs pro eo dixeris cum Cicerone *timidus, animo parvo*, vel *parvi animi.* Adhæc *animo angusto, jejuno, minuto.* Item *mentis angustæ, & humilis.* Nihilo melius *pusillanimitas*, sive pro *timiditas*, vel *parvo animo, & angusto*, vel *abjecto*; sive pro *angore, anxietate, anxietudine animi*, aut *pectoris.* Eâ *pusillanimitatis* voce usus & Petrus Blesensis epist. CXLVI, scriptâ nomine Aleonoræ, Angliæ Reginæ.

* *Apud Boll. 8. Ian.*

Pyritegium, tempus quo ignis vel exstinguendus, vel cineribus obruendus: à Græco πῦρ, & Latino *tego.* Matthæus Parisius in vita, & institutis Guarini, abbatis XX: *Ibiq; loquantur quandiu Hospitali visum fuerit, aut hora permiserit: non tamen ultra pyritegium hora loquendi protelatur.*

CAP. XL.

De cœptis à Q. Quæpia, *pro quæpiam.* Quæstionarii, *quæsitores.* Quarentena, *libertas viduæ XL. diebus remanendi in ædibus defuncti. Ubi & de* carena, *ac Germanicis vocibus inde deductis.* Quartenarius, *laborans febri quartanâ.* Quarterium, *mensura frumentaria quadrans.* Quaternatum, *quâ formâ dicimus* quaternus, *&* quaternarius. Quaternio, *quatuor militum numerus: item folium in quatuor minora complicatum: adhæc quatuor philyræ, maximæ formæ foliorum paginæ octonæ. Sic* quincternio, *pro denis ejusmodi paginis.* Querola, *avis genus.* Quereloſus, *&* queruloſus, *pro querulus.* Quietantia, *vel* quitancia, *apocha.* Quinquageſimus ſextus, *pro ſexageſimus.* Quinternum, *fortè Cancellariæ locus.* Quodlibetum, *de quo in utramque partem diſputatur.*

ABſolvimus, quæ à P incipiunt: excipiunt illa, quæ à Q ordiuntur. *Quadrageſimale* tempus eſt apud Houeden Annal. tom. 1. ann. clɔ lxx. Sed tam nota obviaque quid conſecter? præſertim in vocibus Eccleſiaſticis.

Quæpia non dicitur, ſed *quæpiam*; ut *quiſpiam, quippiam, quempiam.* M. Joannes de Thvvrocz in Chronicis Hungaricis cap. xv, ubi de rege Attalo: *Nec aliquam civitatem, vel caſtellum, aut oppidum, à manus illius quæpia tutari potuit munitio.* Ita conſtanter libri vett. Ubi *quæpiam*, editor repoſuit.

¶ 6. *An.* *Quæſtionarii*, quæſitores. Nempe quo pacto poëta † ait, *Quæſtor Minos urnam movet.* Nomen ex eo, quia quæſtionibus reorum præſint. Hinc Walfridus Strabo libro de Exordiis, & incrementis Eccleſiarum: *Sunt in ſecularibus quæſtionarii, id eſt, qui reos examinant.* Sic liquidò ſumitur in vita S. Andreæ. Nec aliter cepere Annales Fuldenſes an. Iɔccclii: *Apud Erpfurt habito conventu, decrevit inter alia, ut nullus præfectus in ſua præfectura, aut quæſtionarius infra* * *quæſturam ſuam, alienjus cauſſam advocati nomine ſuſciperet agendam.*

* F. intra. *Nam mox opponitur de alienis quæſturis.*

Quarentena eſt illa viduis conceſſa libertas ab obitu mariti diebus xl. permanendi in ædibus ejus. Matth. Pariſius Hiſtoria Anglic. ad Henrici III. ann. clɔccxxxvi: *Quæ viduæ poſt mortem virorum ſuorum expelluntur de dote ſua, vel habere non poſſint dotem ſuam, & quarentenam ſuam, ſine placito.* Eſt verò *quarentena* à Gallico *quarante:*

uti hoc è Latino *quadragena*. Unde etiam contractum *carena*, seu *carrena*. Sic vocarunt, ut Burchardus † interpretatur, *dierum XL continuorum jejunium in pane & aqua*. At falli puto eundem, cùm censet, esse vocabulum Teutonicum. Quamquam similiter Hospinianus lib. de Festis Christianorum *. Movet eum, quòd hebdomada magna Germanis dicatur, die Karwoche. Ubi prior vocis pars est à kar/ hoc est, carena; altera à Woche: pro quo alii Weke/ hoc est, hebdomas. Similiter dies Dominicæ Passionis, der Karfreitag/ hoc est, carenæ, sive quadragesimæ dies Veneris: puta postremus, qui omnium sanctissimus. Mihi longè verisimilius est, Germanicum kar esse à *carena*. Vide &, quæ de *Carena* afferebamus cap. XI.

† Lib. 19. cap. 5

* Pag. 45.

Quartenarius dixere, pro *quaternarius*, vel *quartanus*. Ita, quam *quartanam* vocat Cicero, & apposito substantivo, *quartanam febrem*; ea *quartenarius* appellatur Matthæo Pariso ad annum cIↃ ccxxxix: *Auctumnus innaturalis diversa morborum pericula generavit, qui siccus, & frigidus, naturaliter fuisse tenebatur. Hinc contingit, quòd ingruente dyscrasiâ, non se meminit aliquis tot vidisse in uno anno quartenarios.* Hæc si interpretatio placet, quæ est doctissimi Guil. Watsii, in *quartenarius* κατ' ἐξοχὴν intelligitur morbus; ut in *quartana* attenditur *febris*. Sed quid si *quaternarius*, pro *quartanarius*, dixerint de eo, qui laborat quartanâ? Mihi id simplicius, ac verius videtur.

Quarterium, quadrans frumentariæ mensuræ. Matthæus Parisius in an. cIↃ ccIII: *Pistores poterunt sic vendere, & in quolibet quarterio lucrari tres denarios.* Item anno cIↃ ccxv in charta libertatum Joannis Regis: *Una mensura vini, & cerevisia sit, per totum regnum nostrum, & una mensura bladi; scilicet quarterium Londinense.* Vide Somnerii Glossarium.

Quaternata feuda est in Constitut. Siculis lib. I tit. XLVIII: *Preterquam de feudis non quaternatis.* Et tit. LXXXV: *Procurator privatus à locatione feudorum militarium, sive sint quaternata, vel non, penitus abstineat.* Vide Rosenthal de feudis cap. 2. concluſ. 79. n. 3.

Quaternio, apud vulgatum Scripturæ interpretem Actorum Apostol. cap. XII. *Quem* (de Petro Apostolo sermo est) *Cùm apprehendisset* (Herodes rex,) *misit in carcerem, tradens quatuor quaternionibus militum custodiendum.* Ubi Nicolaus Lyra, imò & Cajetanus, atque alii, per *quaternionem* intelligunt quatuor militum præfectum. Verùm Græca vox τετράδιον non personam signat, sed numerum quatuor mi-

litum. Ideò Syrus *sedecim milites* exponit. Atqui, si quaternio sit præfectus quatuor militum; & quatuor fuerint quaterniones: isti quaterniones cum quatuor præfectis non sexdecim, sed viginti forent milites. Præterea verò *quaternio*, & *octernio*, dixere juniores pro folio in minora quatuor, vel octo, complicato. Usus priori ante tria, & amplius, secula Odoricus Peregrinationis suæ cap. IV: *Si quis velit hujus civilitatis magna, & mirabilia, quæ in ea sunt, scribere, vix unus quaternio posset omnia continere.* Nisi hic *quaternio* quatuor notat folia majora: quæ vulgò Belgis vier Velle/ voce formatâ à *pellis*, hoc est membrana. Potuerint etiam sumsisse pro istiusmodi folii sive, philyræ parte dimidiâ: ut philyra non quaternis, sed binis constet paginis maximæ formæ. Constitutiones Siculæ lib. III. tit. XXI: *Quæ in quaternionibus doana nostra inveniuntur in scriptis.* Et eodem lib. tit. XXV: *Census in quaternionibus curiæ nihilominus annotato.* Sed & similiter *quincternio* vocabatur, si quinque esset foliis aliquid exaratum. Concilium Pisanum II: *Ego Joannes Burchardus, Decanus Basileensis, dictæ sedis protonotarius, & magister caremoniarius capellæ Apostolicæ, tenens in manibus meis duos quinterniones, altâ, & intelligibili voce dixi in hanc sententiam.* Et fortasse hinc *quinctennum*: de quo mox.

Querola, avis, à querulo sono ita nuncupata. Lex Alaman. tit. XCIX. §. XIX: *Aneton, ganola, ciconia, corvus, cornicula, columba, & cauha, & querola, ut alia similia, requirantur.* Num *querola*, turtur, aut palumbus? Nempe ob querulum cantum. Notum illud in Eclogis:

Nec gemere aëriâ cessabit turtur ab ulmo.

Item hoc Martialis lib. III epist. LVIII:

Gemit hinc palumbus, inde cerens turtur.

Querelosus, querulus. Flodoardus lib. II Hist. Rhem. cap III: *Querelosis S. Basolum cœpit inclamare vocibus.* Aldhelmus lib. de Virginit. cap. IV, *querelosis questibus* ait, *Thomas* Kempensis lib. III de Imitatione Christi cap. III: *Erubescite ergo, serve piger, & querelose.* Aliqui scribunt *querulosus*: quasi sit à *querulus*. Sed ut à *lachryma lachrymosus*, ita à *querela querelosus*.

† *Bull. tom. 5. pag. 601.* *Quietantia*, Latinis apocha. Utitur Papa Paulus IV. in Bulla † Confirmationis, & Ampliationis constitutionum Apostolicarum: *Quæ præfata Camera eatenus solvere quomodolibet obligati erant, generalem quietantiam fecerit, decernens eos ad illorum solutionem non teneri, nec ad id cogi posse.* Dicta verò *quietantia*, ex verbo *quietare*; quod est, reddere

dere quietum, ac securum. Quemadmodum autem ex *quietantia* est Belgicum **quitantei**: sic à *quitare*, pro *quietare*, est Belgicum **quyten**. Uti & **quyt-schelden**. De *quietare* inferiùs in verbis dicam.

Quinquagesimus-decimus, pro sexagesimus, est apud Flodoardum in Chronico, an. Ɔɔɔɔɔlx.

Quinternio quid videatur, superiùs in *quaternio* conjectabamus.

Quinternum legas apud Clementem septimum Papam in clausula bullæ * de annatis: *Volumus autem, quòd præsens mandatum ad hoc, quod ad plenam, & indubitatam notitiam deveniat, in Cancellaria Apostolica more solito publicetur, & in quinterno Cancellariæ ad perpetuam rei memoriam describi debeat.* Num *quinternum* Cancellariæ locus? an idem, quod *quincternio*? In quaternionibus, & quincternionibus, solent contineri acta publica: ut in *Quaternio* dictum.

* *Bullarium Romanum Tom. 1. bull. 33.*

Quodlibetum, de quo in utramque disseritur partem, ex eo dictum, quia, *quod libet*, defenditur. Vox ea à compluribus seculis obtinuit in scholis. Nam (ut de Anglis nunc solis dicam) Richardus Fishaker circa annum ɔlɔɔxlviii, uti *postillas morales*; ita *quodlibeta* quoque scripsit; Balæo teste, Scriptorum Britannicorum Centuriâ iv. cap. vi. Ac similiter circa an. ɔlɔɔlxx. quodlibeta divulgavit Robertus Kilwarby, teste eodem, Centuriæ ejusdem cap. xlvi. Quos copse seculo in ejusmodi inscriptione secuti quoque Joannes Chelmeston, Thomas Borstalle, Joannes Peckam, & exinde alii, atque alii.

CAP. XLI.

De iis, ubi princeps litera R, sequente A, vel E, ante B, C, D, F, G. Rabidicimba, *velox cymba.* Rachanæ, *& rachanellæ, vestis è panno crasso, ac vilo.* Ratificatio, *antiquioribus* ratihabitio. Rebellium, *rebellio.* Rebrachiatorium, *monachorum ἀνάλογος.* Recellula, *mundus muliebris.* Recidivatus, *quo quid post casum renascitur, atque instauratur.* Reclinarium, *ubi quis se reclinat ad somnum capiendum.* Recolamentum, *quo quid in memoriam revocatur, ubi periculum, ne excidere.* Recordium, *recordatio.* Recreamen, *recreatio.* Redargutio, *argumentum, quod adfertur ad aliquem convincendum.* Refectorium, *ubi à monachis refectio fit cibo. Sic* refectorarius, *cujus est procurare in monasterio, quæ ad refectionem cibariam pertinent.* Referendarius, *qui libellos supplices offert Principi ad subscribendum.* Refusorius, *qui aliquid refundit.* Regalia, *numero singulo, pro* regalia *in plu-*

plurativo. Regalitas, *jus regium.* Regimentum, & regimonium, *regimen.* Regionarii, *diaconi urbis Romanæ, præter basilicanos.* Registrum, *regestum: ut* registrare, *pro referre in codices publicos.* Regnicolæ, *qui sunt sub regis dominatu.*

NUnc pergam ad literam R.

Rabidicimba, vel *rabidikimba*, si vox est una, hujus fuerit loci, & cymbam velocem notet. Abbo de obsidione Lutetiæ lib. I:

Corripiunt ternas rabidicimbas satis altas.

† *An.* 1588. * *Francofurtensis an.* 1594

In editione utrâque Parisinâ, puta primâ Pythœi †, (quam etiam Wecheliana expressit) & altera Andreæ du Chesne *, Geographi Regii, divisim legitur:

Corripiunt ternas rabidi cimbas satis altas.

Magis placet, unâ voce scripsisse; ut à vehementi velocitate sit nomen; à rabie videlicet, quia insani tenere modum nesciunt: unde & *insanus* pro magno, ut Tullio in Milonianâ, *insana substructiones.* De quo alibi pluribus.

Rachana, & διαθοχοις ιπῶς *rachanella*, panniculi, vilis vestis genus, à Græco ῥάχη: quod Hesychius exponit διασκορ αχίσματα & διαπαπάσματα, ἱμάτια. *præsegmina, divulsiones, vestes.* Item διασκορ αχίσματα, καὶ διαπαπάσματα, *ruptura, & divulsiones.* Sic Nazianzeno in laudibus B. Basilii ῥάκος est vile monachorum pallium. Ennodius, Ticinensis episcopus, lib. IX. epist. XVII. ad Apodemiam: *Lanam, & racanas, cujus vos volueritis coloris, rubei, aut fusci, mihi sub celeritate dirigite.* Gregorius M. lib. IX. Registri epist. ult. *Xenium autem vestrum duas rachanas, quas de labore vestro esse mandastis, libenter accepi.* Anastasius bibliothecarius in vita Joannis Eleemosynarii redditâ Latinè ex Græcis Leontii Neapoleos in Cypro episcopi, cap. IX. § LII: *Ligneis tabulis pavimento strato ad requiescendos eos* *, *& simul cum storeis, & rachanis, per totam hiemem.* Diminutivo idem usus cap. VI. §. XXXIV: *Venundabantur enim quatuor rachanellæ numismate uno.* Aliquibus in libris *racanæ*, & *racanellæ*, pro eo scribitur.

* *Pro* ad requiem eorum; *sive,* ubi somnum caperent,

Ratificatio, quâ quid ratum fit, sive quâ aliquid, quod actum, approbatur; si non, quod ad qualitatem rei gestæ, saltem ratione rei ipsius. Simile *ratihabitio*, quâ quid ratum habetur; quomodo in Digestis legas, *ratum habet prætor*; in Codice, *ratos haberi contractus. Ratihabitio* est apud varios posterioris ævi. In his est Radevicus Frisingensis de gestis

Frede-

Frederici Ænobarbi lib. III. cap. XXIV: *Electionem de ipso factam ratihabitione confirmare dignaretur.* Falluntur interim, qui, eò quòd, Tulliano ævo, ac proximo, non legimus, id barbaris irrepsisse temporibus arbitrantur. Quippe agnoscit Pomponius XL. §. ratihabitionis. ff. de Procurat. At *ratificatio*, quod vulgò obtinet, planè barbarum censeo.

Rebellium, rebellio. Monachus cœnobii Egolismensis S. Eparchii in vita Karoli M. † *Iterum omnes Saxones convenientes subdiderunt se potestati domni Karoli, & reddiderunt omnes malefactores illos, qui ipsum rebellium maximè terminaverunt.*

† Pag. 246. edit VVechel. an. 1594.

Rebrachiatorium, pro humerali, sive scapulari monachorum. Nec tamen quinto seculo tam in usu fuisse arbitror, quàm fictum à Cassiano, dum exprimere conatur id, quod Græcis junioribus vocari solet ἀναλάβος, vel ἀνάλαβον. Locus Cassiani est de Habitu Monach. cap. VI: *Gestant autem resticulas duplices, lancoplexas subtegmine, quas Græci ἀναλάβους, nos verò succinctoria, seu redimicula, vel propriè rebrachiatoria possumus appellare. Quæ descendentia per summa cervicis, & à lateribus colli divisa, utrarumque alarum sinus ambiunt, atque hinc inde succingunt, ut constringentia latitudinem vestimenti ad corpus contrahant, atque conjungant.* In editione Romanâ Latinis literis scriptum *analoboys*. Sed Græcè quidem est υ: Latinè verò fuerit *u*. In minuto hoc se quodammodo torquet doctissimus de La-Cerda, & ambigit, an non ἀναβολέας debeat reponi: quando ἀναβολεὶς humeros, & brachia tegerent, teste Sozomeno lib. III. cap. XIII. Sed nihil mutare opus, quando & Dorotheo Doctrin. I, semel iterumque ἀνάλαβος vocatur. Ipsum adi, vel Meursium in Gloss. Favet & Ms noster Cassianus, quem debemus liberalitati undique doctissimi Andreæ Colvii nostri: ubi vocis Græcæ extimæ literæ ἄβους, sive *aboys*, clarissimè compárent.

Recellula non memini me legere, nisi in LI. Burgund. Tit. IV. Leg. VI: *Quod ex matris bonis, id est, in recellulis, vel ornamentis, aut ex suo potuerit labore conquirere.* Videtur signari mundus muliebris, sive is sic dicatur, quia cellulis, locis nempe secretioribus, contineretur: sive potiùs sit à diminutivo *recella*, hoc à *recula*, istoc à *res*: quomodo à *cista* est *cistula*, *cistella*, *cistellula*: quod apud Plautum Cistel. Vide inferiùs *Rescella*.

Recidivatús vocem cùm alibi usurpat Tertullianus, tum lib. de Anima cap. XXVIII: *Samius sophista Platoni auctor est animarum, de recidivatu revolubili semper ex alterna mortuorum atque viventium suffectione.* Recidivatus animarum est iterata earum sociatio cum corporibus, post-

postquam priora cecidere: à quo casu & *cadaveris*, & *recidivatûs* nomen. Nempe ut Maroni * *recidiva Pergama*, post casum restituta; sicuti interpretatur Servius.

* Æn.

Reclinarium, quasi *reclinatorium*, locus ille, ubi caput reclinatur ad dormiendum. De navis ejusmodi loco usurpat Sueno, in suo Historiæ Danicæ compendio cap. IV: *Is cùm ad Danorum perveniſſet exercitum, ordinatis per foros remis, dolum commentatus, puppim ſuam puppi Regis juſſit applicari: quibus ſic ordinatis, primâ illuceſcente aurorâ, Regem, in reclinario dormientem, clam excitavit.*

Recolamenta vocarunt, quibus recolitur memoria, ac renovatur. Si argumentorum sint ἀτέχνων *, pro iis, cum Budæo in Forensibus, malim, *revocata teſtimonia*: quomodo quis *revocare teſtes* dicitur, si iterum jubeat dicere testimonium.

* Artis expertium.

Recordium, recordatio, memoria. M. Joannes de Thwrocz in Chronicis Hungaricis, an. CIↃCCCXL; ubi de nativitate regis Ladislai: *Multi enim magnatum, quorum in pectoribus imperatoris Sigismundi nondum ceperant beneficiorum recordia, reginam ſequebantur.* Hinc etiam *recordum*, vel *recordum*, vocatur, eorum, quæ in Curia inferiore sunt judicata repetitio in superiori. Per quod recordum lis à curia inferiori transfertur ad superiorem. Reg Majest. sive Legum Scotic. lib. III. cap. XXIII. §. IX: *Ipſa Curia ſuum recordum habebit in Curia Domini Regis.* Quia nempe Regis Curia non habet recordum, nec ei liceat contradicere.

Recreamen, recreatio. Io. Thwrocz in Chronicis Hungaricis, in temporibus reginæ Mariæ cap. IV †: *Ut ariis maris navigatione laſſati recreamine potirentur.*

† Pag. III 4.

Rectoria à *rector*, pro regimine. Philippus Gall Rex *: *In qua quidem noſtra curia Parlam. omnes, & univerſæ curiæ Seneſchalsarum, baillivia-rum, rectoriarum, vicariatuum, judicaturarum*, &c.

* Pag. 158.

Redargutio vulgare. Malim *refutatio, reprehenſio*, Græcè ἔλεγχος. Eo significatur, quod adfertur ad coarguendum eum, qui contrà disputat; ut interpretari possis ex Fabii lib. II. cap. XV.

Refectorium, locus, ubi monachi cibum capientes se reficerent. Supplementum Historiarum Gregorii Turonensis cap. XXXVI: *Temerario conatu rex refectorium ingreſſus fuerat.* Arnulphus Lexoviensis ad Papam Alexandrum †: *Ebrius in refectorio ſuper cœnam duos de fratribus cultello percuſſit, atque ab eis, in continenti, perticâ, quam caſus obtulit, interfectus.* Chronicon Casinense lib. II. cap. LX: *Die quadam refectorium*

† Pag. 82. b.

rium ingressus. Et cap. LXXXII: *In refectorio cum fratribus comedens.* Cæsarius lib. I. Mirac. cap. XXXV: *Quo cùm in mensa sederet, Gothefridus ostium refectorii aperuit, & benedixit; sicque versus oratorium tetendit.* Item lib. IV. cap. XCI, & lib. IV. cap. IV. Matthæus Parisius in an. MCCXLIV: *In quo concilio petiit Rex ore proprio, in præsentia magnatum, in refectorio VVestmonasterienſi, auxilium sibi fieri pecuniale.* Nunc in Anglia *Aulas* vocant. Chronicon Cistercienſe *: *In uno quidem palatio, sed melius dicitur refectorio, communiter vos cibum accipere credimus.* Sic

* Pag. 51.

Refectorarius, cui refectionis cura incumbit. Idem Cæsarius lib. VI. Miracul. cap. V: *Quem cùm refectorarius introducere vellet, pauperibus exclusis, commotus ille clamavit.* Sunt verò hæc ab ea significatione *refectionis*, quâ sumitur strictè pro refectione cibi. Quomodo usi Cornelius Celsus lib. IV. cap. VI. & Plinius lib. XVIII cap. VII. Et horum Exemplo idem Cæsarius lib. IV. Miracul. cap. V: *Dominus meus ante horam refectionis coquinam intravit, & præparata, etiam nobis reclamantibus, pauperibus divisit.*

Referendarii medio ævo dicebantur, qui nunc magistri libellorum supplicum: nempe qui Regi libellos supplices, & diplomata offerrent, ut subscriberet. Unde in veteribus monumentis tam referendarii, quàm Regis nomen, sæpius exprimitur. Ut in præcepto Dagoberti de fugitivis S. Dionysii: *Landericus obtulit; Dagobertus Rex subscripsit.* In diplomate Chlodovei, filii Dagoberti: *Gerardus obtulit; Chlodoveus subscripsit.* Utitur & eâ voce Marculfus lib. I. Form. cap. XXV. Adhæc Gregorius Turonens. de Gloria Confessorum cap. XCV: *Qui nunc Referendarius Hildeberti Regis habetur.* Item Miraculorum S. Martin. lib. I, cap. XXV: *Referendarius Regis Chlotarii.* Et lib. III. cap. XVII: *Referendarius quondam Sigeberti ad occursum nostrum accedit.* Legas quoque Francicæ Historiæ lib. V. cap. III, & XVII. Ac similiter in Historiæ ejus Supplemento cap. LXXVIII: *Statuens eis caput exercitûs nomine Chadoinum referendarium.* Item paullò post. Utitur & Theodericus à Niem in Nemore Unionis tractatu VI. cap. XXXIX, ubi de Gregorio XI. Is qui sic vocatus, Regii erat sigilli custos. Aimoinus lib. IV. cap. XLI: *Filiumque præcellentissimi viri Anharii, qui referendarius ideo est dictus, quòd ad eum universa publica deferrentur conscriptiones: ipseque eas annulo Regis, sive ab eo sigillo sibi commisso, munire, seu firmare.* Quæ totidem penè verbis Sigebertus exscripsit ad an. MCXXXVII. Vide & quæ de officio Referendarii habet Cassiodorus lib. VI. cap. XVII. Græci primam per AI efferunt.

Scribunt enim φαιφερνδάριος; ut Justinianus Novella VI, Codinus Curopal. de Off. atque alii. Rectè Meursio observatum, corrigi hoc verbi opertere apud Suidam; cui φαιφερνδάριος exponitur ὁ ἀναφορεὺς, *relator*.

Refuga, refugiens. Flodoardus lib. I. Hist. Remensis cap. XII: *Neglector quietis, refuga voluptatis, appetitor laboris.* Et cap. XXIV: *Humanæ laudis, & mundanæ retributionis refuga.* Similiter lib. III. cap. XVIII. Formârunt ad instar vocis *transfuga*.

Refusorius, quo quid refundimus, sive liberaliter effundimus, Sidonius Apollin. lib. IX. epist. X: *Quem literis non commendatoriis minùs, quàm refusoriis, jam placatus insinuo.* Nempe quia iis literis servum liberaliter refunderet. Ita capit & Savaro in Commentario, ac De-la-Cerda in Adversarii Sacris cap. XXVIII. §. IX.

Regaliam dixerunt pro regale, vel regalia, hoc est, regii dominatus
† Pag. 541. propria. Walsingamus in Hypodigm. † Neustriæ: *Quomodo sunt puniendi, qui impediverunt regem, quò minùs poterat exercere, quæ ad regaliam suam pertinuerunt &c.*

* Pag. 478. *Regalitas*, eminentia in jure regali. Thomas Walsinghamus *: *Bonam, & sufficientem securitatem faciat petitoribus, & custodibus, & communitati regni Scotiæ, restituendi eidem regnum cum tota regalitate, dignitate, dominio, libertatibus.*

Regimentum, quod Lucretio, Livio, Plinio, regimen. Ammianus Marcell. lib. XXV: *Tu hoc loco fortunæ orbis Romani meritò incusaris; quæ, difflantibus procellis rempublicam, excussa regimenta perito rei gerendæ ductori consumando juveni porrexisti.* Est & Arcadii L. I. §. I. De off. Præf. Præt. *Regimentis Reipublicæ ad Imperatores perpetuo translatis.*

Regimonium, regimen. Isidorus in Glossis: *Regimonium, gubernationem.* Baldericus in Chronico Cameracensi lib. II. cap. XXVIII: *Beata Rainfredis ex sui juris rebus cellam fundavit, & sanctimonialibus constitutis, ipsa etiam Abbatissa regimonium duxit.* Similiter idem lib. III. c. XVI.

Regionarii sunt Romanæ Urbis diaconi: quos, exemplo instituti Apostolici, septem esse jussit Euaristus primus: eorum verò munia fuere tum in promiscuo. Nam primus Papa Fabianus, urbe in XIV. regiones distinctâ, duas cuique diacono regiones adsignavit, ut pauperum in iis habitantium curam gereret: unde & *regionarius* vocabatur. Postea quatuordecim diaconi constituti: tandem, quatuor additis, octodecim: sed quatuordecim *regionariorum* nomen retinuere, à cura, quam dixi: quatuor reliqui vocati *palatini*, vel *basilicani*: quia Pontifici in palatio, & ba-

& basilica Lateranensi, inservirent. Vide de his Onuphrium Panuinum lib. de interpretatione vocum Ecclesiasticarum †. Utitur eo vocabulo Joannes Diaconus de S. Gregorio Papa lib. IV. cap. LXXXIII: *Gordianum regionarium, videlicet patrem Gregoris.* Vita Ludovici Pii à scriptore ejusdem ætatis exarata *: *Georgium Regionarium, Romanæ Urbis simul episcopum.* S. Martinus Papa in donatione † Blandinienſi monasterio factâ: *Scriptum per manum Stephani Notarii, & Regionarii, & sacri scrinii Romanæ Ecclesiæ, in mense Ianuario Indict. &c.* Papias in Gloss. *Defensores à Romanis Pontificibus constituti sunt Episcoporum adjutores; quibus honores inter clericos, sicut & regionariis concedimus.*

† *Excusus Lovanii a. 1572.*

* *Pag. 412. edit. Vvechel. an. 1594.*

† *Aubertus Miraus in Donat. Belg. p. 2.*

Regiſtrum, pro *regestum*, à regerendo. Benedictina cap. XIII. de inventariis per novos antistites: *Fiant inventaria, seu regiſtra consimilia duplicata.* Habes & apud Petrum Damiani lib. I. epist. IX, & in Stylo antiqu. Parlam. Curiæ, *Recurrere ad regiſtra Curiæ.* Hinc *regiſtrare*, in regesta, sive publicos codices, referre; in Concilio Pisano *, & stylo antiquæ Cur. Parlam. †. V: *Et quòd hoc fiat regiſtrari.* Ac ibidem: *Ita fuit per curiam regiſtratum. Regiſtrati*, apud Turocium in Historia Bohemica.

* *Pag. 880.*

† *Pag. 65.*

Regnicolæ, qui in regno vivunt. Stylus cur. Parlam. cap. IV: *Et in loco omnibus regnicolis* Non minùs ἀναλόγως dixeris, quàm *cœlicolæ*. Sed usus veterum non admisit. In versu tamen non semper damnâro.

CAP. XLII.

De inchoatis à RE, sequente L, N, P, Q, S, T, vel V. Relevium, *honorarium patrono datum à novo vasallo.* Religiositas, *pietas erga Deum.* Ren, *renes.* Repertura, *certum in aliquo loco privilegium.* Replum *corruptum ex* peplum. Reposco, *qui aliquid reposcit.* Repræsalia, *clarigatio, vel pigneratio.* Repressivum, *quod vim alicujus cohibet*, Repropitiatus, *reconciliatus.* Repulsio, *repulsa.* Requæsta, *libellus supplex.* Rescella, *recula.* Rescussio, *rei abreptæ repetitio per arma.* Resonantiæ, *sonitus.* Responsales, *quorum munus est aliis respondere.* Responsaria, *quibus chorus in sacro officio canens respondet.* Ressortum, *jurisdictio.* Retenementum, *retentio.* Retriora, *posteriora.* Revestitus, *sua in Ecclesia dignitati restitutus*, Revisio, *recognitio rei judicatæ.* Revolutio, *conversio,*

SUbjungam alia à RE cœpta, ante L, vel literam aliam eâ in literario ordine posteriorem.

Relevium, ut Hotomannus describit, est honorarium, quod novus vasallus patrono largitur introitûs caussâ. Nomen ex eo, quia morte vasalli, ut vasallus cecidit, unde *cadaveri* nomen, sic cum eo cecidit feudum, & propterea denuo oporteat relevari, hoc est, attolli. Itaque non *relevium* modò, sed & *relevatio*, vocatur. Prius habes apud Matthæum Parisium an. cIↃccxv, in charta libertatum à rege Joanne concessarum: *Si hæres suus plenæ ætatis fuerit, & relevium debeat.* Et eâdem chartâ: *Hæres ejus non det aliud remedium, nec faciat nobis aliud servitium, quàm faceret baroni.* Item in an. cIↃxxxi: *Tandem Rex* (Henricus III.) *suscepit homagium ejus, & fidelitatem, & ei omnia jura sua, salvo sibi relevio consueto, concessit.* Atque alibi. Habes & in Constitut. Neapol. lib. III. tit. XXII. *Relevationem* autem appellat an. cIↃc, in charta Henrici I. de emendatione legum, & consuetudinum Anglicarum: *Homines baronum meorum legitimâ, & justâ relevatione relevabunt terras suas de dominis suis.* Et paullò post: *Siquis aliquid pro hæreditate suâ pepigerat, illud condono, & omnes relevationes, quæ pro rectis hæreditatibus pactæ erant.* Ac alibi apud eundem crebrò. Vide etiam, quæ annotavit Scenæus ad Malcolmi legem cap. I. & ad leg. Scot. lib. II. cap. LXXI.

Religiositas est apud Zenonem episcopum, & martyrem Veronensem, serm. de S. Arcadio Martyre.

Ren, pro *renes*, non legas apud antiquos. Nec tamen improbem, cùm bina sint viscera, si dextrum siniſtrumque renem distinguamus, ubi sic postulat argumentum.

Repertura unde dicatur, quàm quid sit, manifestius est. Usurpat Alexander, episcopus Leodicensis, diplomate scripto nomine Papæ Innocentii II*: *In his locis, & vicis, possidet ecclesia bannum & justitiam, impetum & burinam, tectum, & sanguinem, repertura, fora, telonea.* Num potestatem signat inquirendi hominis tanquam in suo territorio? Etiam *inventio* dicitur: de quo seq. lib.

* *Apud Miræum in Notitia Ecclesiarum Belgii cap. 142.*

Replum in glossis Isidori exponitur *species mulieris.* Sed placet eorum emendatio, qui corrigunt: *Peplum, vestis muliebris.*

Repositones, qui reponunt. Ammianus Marcellinus extremo lib. XXII†: *Ad singulos motus excandescentes, controversi, & repositones acerrimi.* Vox est non inelegans: sed dicere nunc non possim, num Lucillius, vel alius veterum, usurpet; an demum inventa, Latinitate collabente.

† *Pag. 154. edit. Hamburg.*

Repræsalia, represalia, & repressalia, sermonis usu obtinent, & libris multo-

multorum. Quo pacto rectiùs dicatur; faciliùs dijudicabitur, si constet, quid eo significetur nomine. Hoc vix meliùs ostendere possim, quàm rudibus hisce verbis veteris Vocabularii: *Repressalia est potestas pignerandi contra quemlibet de terra debitoris datâ creditori pro injuriis, & damnis. Unde breviter represalia dicuntur, quando aliquis oriundus de una terra spoliatur, vel damnificatur, ab alio, oriundo ab alia terrâ, vel etiam, si debitum non solverit ei; tunc enim datur potestas isti spoliato, quòd ei satisfaciat contra quemlibet in terra illa, unde est spoliator, vel debitor.* Si igitur *represalia* placet; ex eo fuerit, quòd spoliatori ereptum *representet* illud, quod debetur spoliato. Verùm *repressalia* sit à *repressu*; quia iis aliorum injustitia reprimatur. Sed ecce tertium quoque etymon, ut ab Italis sit, quorum est *preso*, pro *prenso*; ut *represo*, pro prensio. Hæc verò à *prendo*, & *reprendo*, pro *prehendo*, & *reprehendo*. Quo pacto *represalia* fuerit iterata prehensio; quia pro eo, quod aliquis prensârit, prensetur aliud, quò alteri, cui quid ereptum, satisfiat: quod fieri non licet citra superiorum potestatem. Quid quòd quartum etiam etymon legas apud Damhouderum in Praxi Criminali cap. XCVII, num. 1? nempe ut *repressalia* sit à *repradando:* & reverâ est, ut sic loquar, reprædatio: quomodo alludo, licet non etymon, videri possit. Ex hisce Damhouderus inibi tertium probat etymon, ut sit ab Italico *preso*, pro *prenso*; quomodo *repressalia*, ut dixi, sit iterata prehensio. Et sanè hoc imprimis placet. Legas id vocabuli Constitutionum Sicularum lib. I, tit. VIII, leg. 1: *Nec pressalias, seu repressalias facere.* Apud Petrum de Vineis lib. V, in argumento epist. XLVIII: *Concedit licentiam quibusdam mercatoribus faciendi presalias contra rebelles, qui eos disrobaverunt.* Ex ea quoque epistola, abunde, quid *represalia* sit, intelligitur. Superest addam, quomodo dicendum sit, si barbaro istoc sit abstinendum. Dixeris Græcè ἀνδρολη-ψία. Latinè verò cum Hermolao Barbaro vocare possis *clarigationem.* Imò & in vett. gloss. ἀνδρολη-ψία, *clarigatio* exponitur. Vel *pignerationem* nomines cum Budæo. Is Annotat. Post. in Pandectas ait: *Cùm ἀνδρολη-ψίας libro VI Decretalium epistolarum pignerationes vocentur sub tit. de injur. tamen juris interpretes malunt repressalias dicere. Usq; adeò barbaries ad stomachum rusticitatis facit.*

Repressiva remedia medicis sunt, quæ vim habent reprimendi morbi. Petrus Blesensis epist. XLIII: *Quia cùm morbus in augmento est, nondum est purgatione utendum; usus sum repressivis, oleumq; violaceum super cor & hepar, ac fronti ejus apposui.*

Repropitiatus, reconciliatus, iterum propitius factus. Chronicon * Reichersbergense: *Anno* cIↃcIxxvII. *Post multas tribulationes, multa q; gravamina, quæ, peccatis exigentibus, perpessa est Ecclesia in illa nota dualitate, per annos ferè viginti duos, tandem repropitiato Domino, facta est concordia.*

* *Chron. Reichersberg. p.* 251

Repulsio; pro *repulsa*, minùs probum.

Requasta, barbarum. Veteribus libellus supplex. Sic qui vulgo *requastarum magistri*, Latinis cognitores libellorum supplicium; ut in vita Hadriani VI. Papæ ait Gerardus Moringus Theologus †.

† *Lovanii editus ann.* 1538.

Rescella, à *rescula*, hoc à *res*, pro *recula*. Carolus Calvus tit. xxxI, sive Edicto Pistensi cap. xxxIv: *Censum regium de suo capite, sed & de suis rescellis debebant.* Alibi etiam in iisdem Calvi Constitut. legas. A *recula* verò, & *recella* dixere, & *recellula*: de quo superiùs actum.

Rescussio, à Gallico *rescousse*, sive Latino *recussio* (unde Gallicum illud) signat terræ abreptæ per vim, & arma, repetitionem. Matth. Paris. in primo Historiæ Additamento: *Quando ad rescussionem terrarum illarum mittere debueras thesaurum, & denarios, misit barillos lapidibus, & sabulone repletos.*

Resistibilis, cui resisti potest. Contrarium: *Irresistibilis*. Scholasticorum vox crebra.

Resonantiam, pro sonitu, legas apud M. Joannem Thvvrocz Histor. Hungaricæ part. 1 cap. xv. * *Tubarumq;, ac tympanorum resonantiis, & ensium tinnitibus.* Sed hoc ut non lubens admisero: ita ut tolerem faciliùs, unus facit Vitruvius: cujus est lib. v cap. 1: *Si locus electus fuerit, ubi non impediatur resonantia.*

* *Pag.* 19. *edit. VVechel.*

Responsalium munus memoratur subinde à scriptoribus Ecclesiasticis. Ac sæpe etiam epistola hac voce intelligitur, ad ea respondens, quæ contra aliquem adferuntur. Nec operosum est eas significationes distinguere. Hincmarus Rhemensis epist. xvII ad Hincmarum Laudun. *In Constantinopoli Responsalis fungens munere.* Ivo Carnotensis epist. cclxxIv: *Responsales tamen meos, & literas meas, monachorum objectionibus obviantes, eidem legato vestro transmisi.* Et post pauca: *Cum ego per responsales meos obstringere me vellem ad ea infirmanda, quæ mihi objecerant.* Petrus Cellensis lib. Ix epist. xII: *Prælato in omnibus obedire, omnia sua onera humeris ejus imponere, & sufficientem responsalem in Dei judicio contra omnes adversarii allegationes tam veras, quàm falsas, illum constituere; in simplicitate, non in subtilitate DEUM quærere.*

Legas

Legas in vita S. Othonis lib. II cap. XXIX. Etiam apud Glanvillum lib. II inscribitur: *De responsalibus, qui loco Dominorum ponuntur in curia, ad lucrandum, & perdendum pro eis.* Malim dicere *Procuratores.* Nam horum est pro altera respondere. Vulgò etiam appellant *attornatos*; de quibus alibi.

Responsoria quæ dicantur, indicat Fragmenta Caroli M. ut Lazius inscripsit, sive potiùs Alcuinus Albinus libro de divinis Officiis †: *In Calendis etiam, seu diebus anniversariis, per novem psalmos, & responsoria, seu lectiones, simili modo officia persolvuntur.* Benedictus Levita in Collectione sua lib. V cap. XLIX: *Laicus non debet in Ecclesia Lectionem recitare, nec Alleluja dicere: sed Psalmum tantùm, aut responsoria, sine Alleluja.* Similiter Cæsarius lib. VIII Miracul. cap. V, & VI. Distinguendum verò inter responsoria, quæ in grandibus, sive juxta pulpiti gradus, canuntur, atque inde *gradualia* dicuntur: atque ea, quæ horis canonicis, ubi clerus voluerit, cani consuevere. Vide Stephanum Durantium, Senatus Tholosani præsidem, (quem cives sui tumultuantes interfecere ann. cIↃ IↃ XXIX) lib. II de ritibus Ecclesiasticis cap. XIX, lib. III. cap. IX.

† *In edit. Bellori p. 61. Ap. p. 296. in Auctuario bibliotheca Sacra. edit. Paris. an.* 16:0.

Ressortum, judicatus substantivè, judicandi facultas, ditio; ex Gallico *resort*, quod ex *resortitio*. Stylus Cur. Parl. cap. III: *Nec Senescalis, nec de ipsorum ressorto.* Ubi *ressortum* idem ac *jurisdictio*. Sanè *resort, & jurisdiction*, sæpiùs junguntur. Aliter, sed malè Menoch. lib. III de præsumt. XCI n. ult. *resortum* esse quoddam genus servitutis tradit.

Retenementum, quod Latinis *retentio*: quando nempe aliquis sibi quippiam retinet, ac reservat. Ut, *sine retenemento*: quod valet, nihil retinendo. Usus Matth. Paris. in Additamentis *; ubi hujusmodi formula est Ecclesiæ sua donandi: *Omnia, quæ ad me, vel ad haredes meos, de tali feodo, vel possessione, pertinent, vel poterunt pertinere, tali eidem Ecclesiæ, vel Monasterio, ac eorum prælatis, & ministris, sine aliquo retenemento, do, concedo, & præsenti chartâ confirmo.* Richardus Rex in Chartis Ducum Normanniæ, & Regum Franciæ: † *Quando hac permutatio facta fuit integrè cum omni sequela, & molitura sua, sine aliquo retinamento * eorum, quæ ad molendina pertinent.*

* *Pag.* 209.

† *Pag.* 1052.

* *Ita hic libris: nempe qua formâ retinaculum dicimus. Alibi* retenementum, *ipsi* ἀναλόγως *foret* retinementum.

Retriora, à *retro*, pro *posteriora*; ut ab *ante, anteriora*. Prius nec Lipsius refugit. Nempe ad exemplum ejus, quòd vetus Juvenalis interpres † *retriores partes* dixit τὰ ὀπίσθια μέρη. Sed quid de istius interpretis ætate sentiendum sit, monitum nobis de Analogia lib. II. cap. XXVII.

† *Sat.* II, v. 138

Reve-

Reveſtitus Eccleſiaſticis quid ſit; liquet ex iis, quæ cap. XVI dixi in *Inveſtitura*; quæque libro ſequenti adfero in *Inveſtire*.

Reviſio vocatur vulgo legulejorum, quæ dicenda *recognitio rei judicatæ*. Sic pro eo, quod dicunt *reviſionem facere*; apud Ciceronem, act. III in Verrem, eſt *recognoſcere res judicatas*.

Revolutio non memini me legere, apud claſſicos. Cùm Tullio igitur dicam, *circulus, converſio, orbis, rotundus, ambitus, replicatio*.

CAP. XL[illegible]I.

Referuntur inchoata ab R, ſequente H, I, O, vel V. Rheuma, *fluentum*. Ridicularis, *ridiculus*. Rigoroſus, *rigidus*. Ripaticum, *quod publice perſolvitur à trajiciente in ripam alteram*. Rivera, *rivus*. Robuſtitas, *robur*. Roga, *ſtipendium, vel donativum*. Rogatarius, *qui aliquid poſcit*. Roſculentus, & rorulentus, *roſcidus*. Rotulus, *catalogus*. Rotundellum, *circulus*. Rubedo, *rubor*. Rubeus, *rubens*. Ruſſetus, *ruſſus*.

HIs conſequens eſt, & adhærens, ut agamus de iis, ubi poſt R ſequitur ſpiritus, vel aliqua trium poſteriorum vocalium.

Rheuma, ῥεῦμα, fluentum, ἀπὸ τῦ ῥέειν, ſeu Æolico ῥύεσθαι. Verùm licet Græcum ſit, ac imprimis Medicis in uſu fateamur: Latinis tamen ignotum. Uſurpat Victor Tunnun *. *Qui Juſtini præcepto principis, unà cum Andrea cubiculario, occiditur, & in rheuma jactatur.* Ac poſtea †: *In Circenſi ſpectaculo, militari gladio caſus, capitur, & nocte cum Pompejo occiditur, atq; in rheuma jactatur.* Hinc *rheumatizare* apud Fulbertum, ut Græcis ῥευματίζειν. Sed de hoc in Verbis.

* Pag. 35.

† Pag. 38.

Ridicularis non dicam: ſed *jocularis*, *ridiculus*; vel cum Plauto, & Agellio, *ridicularius*.

Rigoroſus. Uſurpat Carolus VIII Gall. R. in Edicto de Reſcript.*

* Pag. 162.

Ripaticum, tributum ei perſolvendum, qui flumen trajicit, ut in ripam veniat adverſam. Uſurpat Carolus M. edicto poſter. apud Aimoinum de geſtis Francor. lib. V cap. I. Verba alibi adducimus.

Rivera (ut Gallis, & Belgis, *rivier*, Angl. *river*) idem ac *rivus*. Matthæus Pariſius an. CIↃCXCVIII: *Inter foreſtam Lunis, & Sequanam, ex una parte; & riveras de Audeli, & de Cathe, ex altera.*

Robuſtitas reperio apud juniores; pro *robur, vis, vires, virtus, facultas*. Etiam ſcitè Tullius pro eo *gladiatoria corporis firmitas*.

Ro-

Rogam nunc dixere pro eo, quod priores ſtipendium vocarunt; nunc verò pro donativo. Priori ſignificatione milites Codino dicti ῥογάτορες, hoc eſt ſtipendiarii, ac eidem, & Nicetæ, ῥογεύειν ſtipendia facere: ſicut clariſſimo ſocero meo Franciſco Junio obſervatum, Notis in Codinum †; item Xylandro, Annotat. in Cedrenum *. Sed uſitatiùs capitur pro donativo, ſive honorario; quod non, uti ſtipendium, ex debito; ſed ex gratia dabatur. Sic interpretatur etiam Michael Glycas Annal. part. IV; ubi de Romani morte ſermo. Nomen inde eſt, quòd milites, populusve Imperatorem, Pontificem, vel Patriarcham, rogare eam ſoleant: vel quia Imperator, Pontifex, aut Patriarcha, conſuêrint hanc erogare militi, vel populo. Gloſſæ iſidori: *Roga, eleemoſyna.* Landulphus Sagax in Tiberio II: *Duxit Anaſtaſiam uxorem ſuam, & coronavit eam Auguſtam, & jactavit rogam multam.* Abbo Floriacenſis de vitis Pontif. *Sicque reverſus eſt Ravennam; ubi, datâ militibus rogâ, facta eſt pax magna in Italia.* Uſus & Baldericus in Hieroſolymitana hiſtor. ubi Alexii milites ſic ſe excuſant: *Nos in róga Imperatoris locati; nihil aliud, quàm quod ipſe imperat, facere poſſumus.* Niſi hic laxiùs patet. Mos verò imperatoribus fuit, has rogas præcipuè donare, cum foret ἑορτὴ βαΐων, ſive feſtum Palmarum. Ac quomodo ea Palatio Conſtantinopolitano fieri ſoleat, deſcribit Luitprandus Ticinenſis lib. VI. Patriarcha eo die pro roga dividebat cereos, & cruces. De quo Theodorus Balſamo epiſtolâ de incenſis; quæ exſtat lib. VII Juris Græco-Romani *. Porrò mos iſte, quo Imperator rogam hoc feſto daret, durabat etiam temporibus Conſtantini Monomachi: qui imperare deſiit anno CIↃLVI. At deſitus avaritiâ Conſtantini Ducæ, qui quinquennio pòſt imperium tenuit. Valdéque ſuper eo queritur Balſamo: qui in Photii Nomocanonem ſuos commentarios ſcribebat anno CIↃCII; biennio antequam Conſtantinopolis à Balduino, Flandriæ Comite, caperetur. Cæterùm, ut dixi, non Orientis ſolùm Imperatores, as Patriarchæ, rogam dabant; ſed & Pontifices Romani. Unde Anaſtaſius bibliothecarius in Eugenii vita: *Rogam clero dedit* †. Βάϊον, & *rogam*, differre, contra quâ vir doctus putavit, oſtēdit Gretzerus de Benedictionibus lib. II. cap. XLI. Nimirum omnia quidē βάϊα erant dona: Sed non hæc ἀντιδίφυσι convertuntur: ut liquet ex Balſamonis epiſt. quadā de thymiatis, & Luitprando l. III. c. V.

† Pag. 297.
* Pag. 692.
* Pag. 472.
† Pag. 207.

Rogatarius in Gloſſis Iſidori exponitur *petitor.* Eſt igitur à *rogator.* Sed inde ἀναλόγως non *rogatarius* diceretur; verùm *rogatorius*, per O; quomodo *interrogatorias* actiones legimus in Digeſtis. Fortaſſe igitur

per O scripsit Isidorus *Rogatorius*. Nec interpretatio magis, quàm vox placet. Nam *rogatorium*, quod pertinet ad rogatorem. Onomasticon: *Rogatores*, ἰπαίται. At Gloss. Cyrilli; ἰπαίτης, *mendicus*. Sic Belgis, **bedelaer**, *mendicus*, à **bede**, preces.

Roſculentus legas in Zenone Episcopo, & martyre Veronensi. Nec causſam video satis gravem, cur *rorulentus* substituam: quod est apud Gregorium Turonensem lib. primo Histor. Franc cap. xv. Nam neque hoc notum antiquis: etsi magis ἀναλόγως formatum. Et potuit alterum à *ros* formari, ut *roſcidus*. Imò, si à *jus* est *juſſulentus*; potuit similiter à *ros* fingi *roſſulentus*: sed sic per S geminum debeat exarari. Nã *juſculentus* foret à *juſculũ*; à *jure* autem *jurulentus*. De quibus antea diximus.

Rotulus, album, indiculus, catalogus. Vide *Rotula* libro sequente in falsa significatione usurpatis.

Rotundellum, vestis genus à rotunda figura sic dictum; ac monachis S. Benedicti Abbatis interdictum: quemadmodum videre est in Benedictina, sive Constitutionibus Benedicti Papæ XII. cap. XXIII. quod est de forma, & honestate vestimentorum ordinis S. Benedicti.

Rubedo non minùs, quàm *rubor*, dicitur; si audimus Cælium Curionem in Foro Romano. Mihi non magis Latinum videtur; quàm *albedo*, & *nigredo*; quæ, ut barbara, rejecimus lib. I. cap. XVI.

Rubus, etsi etiam lexicographis probetur, non tamen probum puto; sed *rubens*, vel *ruber*, vel *rubicundus*. *Rubens* ex eo provenisse arbitror, quòd cum *rubens* esset scriptum; ob similitudinem literæ *u*, & *n*, inter eas non distingueret.

Russetus, ex Gallico *rousset*, uti hoc è Latino *russus*. Charta libertatum, à Joanne, Angliæ Rege, concessarum, apud Matthæum Parisium ad annum clɔccxv*: *Una latitudo pannorum tinctorum, & russettorum, & haubergetorum*†.

† Pag. 255.
* Pannis id nomen Anglis.

CAP. XLIV.

Accessum ad ea, quæ S. *principem habent literam: cœptumque ab iis, ubi sequitur A, hinc B, C, vel G.* Sablo, *sabulum*. Sacciperium, *pera, sive sacculus, ubi lapides continentur fundæ jaciendi*. Saccarius, *& corruptiùs* scaccarius, *qui sacra est pecunia custos*. Sacellarius, *pro eodem*. Vis & sacrista. Sacristia, *sacrarium*. Sacrivus, *consecratus*. Sacrocola, *sacrorum minister*. Sagellum, *vestis genus*. Sagimen, *sagina, sive arvina*. Sagmarius, *sarcinas gestans*.

DE

DE inchoatis ab R. hæc dicta sunto. Nunc series me ducit ad S: ac primùm, ubi prima eam excipit vocalis.

Sablo contractum ex *sabulo*; pro quo & *sabulum* dicitur. Sic terra vocatur, nec planè densa, compactáque; nec tamen arenosa. Gildas epist. de Excid. Britann. cap. XIV: *Itemque mittuntur queruli legati, scissis, ut dicitur, vestibus, opertisque sablone capitibus, impetrantes à Romanis auxilia.* Aldhelmus de Virginitate cap. XIV: *Qui cùm terna patibuli* (crucis) *signacula in glarigeris sulcaret sablonum litoribus.* Est & Althelmi ejusdem:

Squallidus ut sablo spreti sub cespite ruris.
Bractea flaventis depromit fila metalli.

Etiam istoc:

Et simul inscriptâ pausant sablone sepulti.

Item hoc: —— *Tectum sablone cadaver.*

Sacciperium, in quo funditores recondunt lapides, quos fundâ jaciant. Vox est conflata ex *saccus*, & *pera*. Ursio, abbas Altimontensis in Actis S. Marcelli cap. III*: *Jamque cæteris ad coronam præmissis, præter istum, S. Marcellus hunc sequitur cum lachrymis, ut pater filium. Ubi pugnaturus, non sacciperium cum David refert; sed patientiâ obarmatus, contra tyrannum talibus dictis confert.* Quod Ursio *sacciperium*, id 1. Sam. XVII. 40. in tralatione Seb. Munsteri est *pera pastoralis*; vulgato interpreti, *instrumentum pastorale, hoc est, pera.* Nec abit in sua tralatione socer meus Junius.

* *Ad 16. Ian. apud Boll.*

Scaccarius, pro *saccarius*, hoc est, sacco sive ærario Ecclesiæ præfectis; qui & *sacellarius*, ut mox videbimus. Walsingamus in Hypodigm. Neustriæ*: *Rex, Archiepiscopum rigidiorem comperiens, terras ejus omnes seisivit, & de bonis ejusdem debita, in rotulis scaccarii inventa, præcepit cum celeritate levari.* De origine & sensu nominis adeundus Somnenus in Glossario.

* *Pag. 436.*

Sacellarius à *saccus*; unde *sacculus*, *saccellus*, *sacellus*, *sacellarius*. Sanè Græcis ὁ σακελλάριος, vel ὁ τῦ σακέλλυ, vel etiam ἐπὶ τῆς σακέλλης, vel τῦ σακελλίου, quod Suidas *marsupium*, ac *crumenam* interpretatur: Hesychius similiter, σακέλλα, & σακέλλιον, ὅπου τὸ χρυσίον τίθεται, *ubi aurum reponitur.* Non igitur quivis sacellus intelligitur, sed pecuniarius: hoc est ærarium Ecclesiæ: cui præerat sacellarius, sive sacellius, ut vocatur in Turcogræcia: nempe Ecclesiasticæ pecuniæ curator, ac custos. E Latinis *sacellarii* vocem usurpat Joannes Diaconus de vita S. Gregorii lib. II. cap.

II. cap. XXXIII: *Accersito sacellario, cur contra jussionem suam tertium decimum invitare præsumserit, inquisivit.* Ivo Carnotensis in Chronico: *Constituit Stephanum Persam sacellarium.* Gerardus epistolâ ad Henric. III. Imperatorem Chronici Cameracensis lib. III. cap. LX: *Liberalitas vestra sacellarium habet, qui caussis supervenientibus quotidianas expensas facit.* Similiter Hincmarus epist. III. cap. XXIII. Anastasius biblioth. locis compluribus, Albo sive Abbo Floriacensis in Vitis Pontificum, cùm alibi, tum cap. XC. in Constantino Syro, Baldericus in Chronico Cameracensi, atque alii.

Sacrista, haut Latinum pro sacrorum custode, hoc est, eo qui sacra vasa, vestimenta, luminaria, aliàque adservat. Habes cap. unic. extrem. de offic. sacristæ: item cap. Perlecto §. ad thesaur. XXV. distinct. Similiterque Cæsarius lib. I. Miracul. cap. XXXV: *Dicto completorio, cùm clausisset oratorium (erat enim sacrista) apparuit ei Salvator luteo præcinctus.* Idem lib. VI. cap. XIV, quem prius dixerat *thesaurorum custodem*, postea apellat *sacristam*. Porrò & missam celebrâsse, indicat lib. VII. cap. XIII. *Cum sacristæ missam celebraturo ipse adstaret.* Legas item hoc nomen in Benedictinâ cap. XXVIII, de custodia, & reverentia ornamentorum: *Abbatibus, prioribus, decanis, præpositis, sacristis, & administratoribus aliis.* Item in Actis Concilii Pisani, & alibi.

Sacristia itidem pro *sacrario*, jure improbatur.

Sacrivus, pro consecratus, vel dedicatus Diis, nomen est posteriorum temporum. Exstat ea vox quóque in Concilio Autisiodorensi, habito sub annum IↃLXXXVIII. Verba sunt can. III: *Non licet ad arbores sacrivos* (sic etiam à Sirmondo editum) *vel ad fontes vota exsolvere.* Item in sermone eo, qui in S. Augustini operibus tom. IV, præterito veri auctoris nomine, continetur; ac S. Eligii, Noviomensis episcopi, esse cognoscitur, non modò ex quibusdam Mssis, sed etiam ex testimonio S. Audoëni in vita S. Eligii. Sic verò Eligius scribit: *Arbores, quas sacrivos vocant, succidite; pecudum similitudines, quas per bivios* * *ponunt, fieri vetate: & ubi inveneritis, igne cremate.* Imò & *sacrivus* porcus, idem ac votivus: hoc est, consecratus sive destinatus ad hoc, ut detur pro tributo. Lege Salicâ Tit. §. XV: *Siquis majalem non sacrivum furaverit.* Lindenbrogio *sacrivus*, qui defensor aliorum porcorum; propriéque, quo se expiarent in sacrificio. Olim *porci sacres* dicebantur, qui sacrificiis destinati. Plautus Menæchmis act. II. sc. II.

* *Barbarum, pro vivia. Nam bivius semper adjectivum.*

Ado-

Adolescens, quibus hic preciis porci veneunt
Sacres sinceri?

Varronem vide lib. 1. de R. R. cap. IV: item Muretum, Turnebum, Rævardum, & quæ exinde, & aliis, ad allatum Plauti locum Taubmannus annotavit. Nam quid exscribere ea hîc opus?

Sacrocola, sacrorum minister: pro quo magis ἀναλόγως *sacricola*, ut *agricola*, diceretur. S. Odo, Cluniacensis abbas, sermone de S. Benedicto: *Quod si de labiis tam ingens periculum sacrocolis imminet, quanto magis de renibus!*

Sagellum vestis genus, ex *sagulum*, uti hoc à *sagum*. Vita S. Eugenii abbatis à condiscipulo conscripta, cap. II: *Paleis verò lectuli inventilatis multo tempore, vilique sagello constrictis *, pellicioque superposito, conquievit.*

Sagimen, sagina, sive alimonia pinguefaciens, ipsaque arvina, vel pinguedo, quâ cibi solent condiri. Cæsarius lib. VI. Miracul. cap. VI: *Appositæ sunt eis à fratribus ejusdem cœnobii artocreæ, in sagimine decoctæ.* Ac postea: *Non miror, quòd monachi quandoque decipiuntur in sagimine, & carnium pinguedine.* Atque hinc *sagiminatus*, in sagimine decoctus. Ibidem: *Non mirum, si* (artocreæ) *valde erant bonæ, quia valde bene erant sagiminatæ.*

Sagmarius equus Lampridio in Heliogabulo, à σάγμα, quod est onus jumenti sacrinarii. Quamquam in libris quibusdam sit *sagmarii*. Sic etiam *sagmarias mulas* legas. Imò & sic dicunt homines, qui sarcinis gestandis victum parant. Petrus Damiani in vita S. Odilonis cap. XIII: *Aliquando vir Domini per præruptæ Jurensium Alpium iter habebat, & repentè sagmarius per montis devexa collabitur.* Petrus Blesensis epist. XIV: *Videas homines, quasi furiosos, excurrere, sagmarios instare sagmariis, & quadrigas accursare quadrigis, omnes tumultuari ad invicem, ut ex ipsa rerum turbatione tibi apertissimè describatur facies inferni.* Etiam Vegetio eam vocem restituit Godscalcus Stevvechius. Uti & Joannes Meursius * Rigordo in vita Philippi Augusto. Ex *sagmarius* verò corruptum *saumarius* & *summarius*: de quibus mox dicam in *Sauma*. Est & ab eodem fonte *desagmare*: de quo in Verbis. Vide Cosdastus Not. in Eccehard. cap. V. p. 196.

* *In Glossis, in voce* Σαγμάριος

CAP. XLV.

De vocibus Latinobarbaris à S*AL incipientibus.* Salattarius *corruptè apud Isidorum legi, pro spatharius.* Saliator *perperàm Rhodigino, qui ascendus saliſſator.* Salitudo, *ſermonis ſales ac Veneres.* Salmaticus *pro ſalinaticus, vel potiùs ſalmacidus.* Salpix, *pro ſalpinx.* Salpicta, *an* ſalpiſta, *dubitatum.* Salſarium, *ſalinum.* Saltarius, *ſaltuarius.* Salticus, *ad ſaltum pertinens.* Saltuaticum, *vectigal è ſaltu.* Salvamentum, *ſalus.* Salvaticus, *ſylvaticus.* Salutaticum, *vectigalis genus.*

NUnc videamus de iis, ubi literam S. excipit A, & inde L. *Salattarius* in Gloſſis Iſidori exponitur portator armorum. Quid ſi reſcribamus *ſtlatarius?* Nempe ut ſit à *ſtlatum*, quomodo veteres extulere pro *latum*; ut *ſtlitem* pro *litem*, & ſimilia. Sed huic ſententiæ repugnat, quòd dixere *ſtlatum* pro *latum*, non quatenus eſt ſupinum à *fero*, vel *tollo*; ſed quatenus eſt adjectivum à Græco πλατύς. Sic *ſtlatam* vocarunt, navigii genus latum magis, quàm altum, teſte Feſto: cui accedit Philoxenus in gloſſis. Nam ait ſic dici πειρατικῦ σκάφος εἶδος *. Imò ipſius Ennii eſt, apud veterem Juvenalis interpretem: *Et melior, navis quàm quæ ſtlataria portat.* Licet aliquis ex *portandi* verbo exiſtimare poſſit, & navi à *portando*, puta à ſupino *latum*, eſſe nomen impoſitum. Quicquid de iſto eſt, omnino in Iſidori gloſſis lego, *Spatharius, portator armorum.* Videlicet quia ſpatham ferret. Eædem gloſſæ: *Anger, ſpatharius, qui angit, id eſt, ſtringit ſpatham.* Cedrenus: Σπαθάριος, ὁ σωματοφύλαξ.

* *Navigii piratici genus.*

Saliator perperam eſt Cælio Rhodigino, quem *ſaliſſatorem* oportuit dicere. Vide eum lib. VII. Lectionum antiquarum cap. XXIX. Eſt verò *ſaliſſator* à *ſaliſſo*, quod valet, ſæpius ſalio: ut *petiſſo*, teſte Feſto, ſæpius peto. *Saliſſator* igitur foret, qui ſæpius ſubſultet. Sed ita dixere eum, qui ex membri alicujus ſubſultatione, ſive palpitatione, boni aliquid, malive divinaret. Gloſſ. Philox. *Saliſſatio*, παλμός. Vide Iſidorum lib. VIII. Orig. cap. IX, Muretum lib. IX. Var. Lect. cap. VI, Scaligerum Auſon. Lect. lib. I. cap. XVI. E Græcis adi Melampodis Hierogrammatei περὶ παλμῶν μαντικὴν πρὸς Πτολεμαῖον βασιλέα.

Salitudo, gratia ſermonis ſale conditi. Glaber Rodulphus in vita S. Guil-

S. Guilhelmi abbatis Divionensis * cap. XIII: *Ipsius enim sermonis salitudo aqualiter cunctis, prout videbatur, in gratia erat condita.*

* *In Sanctuarium Viti à Bollando collectis, ad 1. Ian.*

Salmaticus corruptum puto ex *salinaticus*, vel *salmacidus*. Usurpat Beka in Willebrordo: *Continuò salmatica terra dulcis aquæ copiam affluenter eduxit.* Et in Baldevino I: *Modicam aquam, & eandem salmaticam, ad potandum inveniunt.* Ita utrobique habet editio Bernardi Furmerii: at illa Abrahami Bucherii parùm sibi constat. Nam priori loco *salinatica* substituit: posteriori autem *salmatica* retinuit. Equidem vel utrobique *salinatica* malim, ut sit à *salinis* (facilè enim *n* migrat in *m*) vel potiùs utrobique *salmacida* reponam: quandoquidem in Glossis etiam Philoxeni legitur: *Salmacidus*, Ἁλμυρός. *Salmacidum*, Ἁλμυρόν. Ac similiter Onomasticum: *Salmacidus*, ἁλώδης. Imò & Plinii Empirici est: *Ipsum verò balneum ex dulci aqua fiat, non salmacidâ.* Quin ipsum apud Plinium Veronensem libro XXXI. cap. III. legas: *Nitrosas atque salmacidas* (aquas) *in desertis rubrum mare petentes.* Ita & vetus Parmensis anni CIↃCCCCLXVI. Dalecampius tamen malit, *Atque salsas.* *Salmacidus* pro falso, vel à sale fuerit, hoc est, mari: vel à Græco ἅλμυρὸς, quod idem notare, jam ex Philoxeno vidimus. At *Salmacidis spoliis* Salmacis nympha nomen dedit, ac ita dicuntur spolia ἀκίνδυνα, mollia, & effeminata; quod ex Festo liquet.

Salpix, tuba, corruptum è σάλπιγξ. Althelmus opere de octo principalibus vitiis:

Dum vexilla ferunt, & clangit classica salpix.

Item de Virginitate: *Cornua rauca sonant, & salpix classica clangit.* Idem lib. III. de Virginit. cap. V: *Horrendus salpicum clangor increpuisset.* Ibidem legas: *More militum horrorem belli, & classica salpicta, muliebriter metuentium.* Ubi *salpicta*, si sana est lectio, idem videtur ac *salpix*, sive σάλπιγξ. In veteri tamen glossario *salpicta* exponitur *tubicen*: ut corruptum sit ex σαλπιγκής. Quare lego, *classici salpicta.* Nisi *salpista* malis: quomodo Vopiscus, ex restitutione Salmasii, ait: *Centum salpistas uno crepitu concinentes.*

Salsarium, pro *salinum*. Matthæus Paris. in ann. CIↃCLXXXI, ubi inter ea, quæ reperta sunt in thesauris Archiepiscopi, *cuppa aurea, & argentea septem, cyphi* *, *argentea tres cuppa murtina.*

* *Scyphi.*

Saltarius, qui Pomponio J. C. *saltuarius*, hoc est, saltuum præfectus.

ctus. *Saltarius* est in Legg. Longobard. I tit. XIV leg. VII, & ejusdem libri tit. XXV leg. L, & LXXIII. Imò & in Glossis Philoxeni est: *Saltarius*, ὀρεοφύλαξ. Sed Onomasticon: *Saltuarius*, ὀρεοφύλαξ, δρυμοφύλαξ. Et *saltuarius* malim, ut *saltuosus* in Glossis; & *saltuaticum*, de quo deinceps.

Salticus novè, ut puto, format Tertullianus adversus Gnosticos cap. VIII: *Ipse clausula legis, & prophetarum, nec prophetes, sed angelus dictus, contumeliosâ cade truncatur in puella saltica lucar.* Sermo est de Joanne Baptista. Ut à *modus, modicus*; à *cœlum, cœlicus*; sic à *saltus, salticus. Salticus* igitur saltare solitus: ut *saltica* puella, *saltatrix*. Sed quid si ad alteram simul *saltûs* significationem respexerit Tertullianus, quatenus densiorem notat sylvam? Hoc ut credam facit, quod dicat *puella saltica lucar*. Nam *lucar* pecunia, quæ redibat è saltibus, sive lucris urbi vicinis, atque ludis scenicis impendebatur. Hoc non è Festo solùm constat: sed etiam Philoxeni glossis, & illis, quæ dicuntur Cyrilli.

Saltuaticum, vectigal, quod è saltibus recipitur. Habes in formulis sollemnibus form. XII *. Item in præcepto Dagoberti de Mercato S. Dionysii, & edicto Caroli Regis apud Aimoinum lib. V. cap. I. Verba alibi adducimus.

* Pag. 1221. edit. Lindenbrogiana.

Salvamentum, salus, conservatio, res sanæ, salvæque. Constitut. Caroli Calvi tit. XXX, quando Hlotarius ad osculum receptus est, cap. II: *In sancta Dei Ecclesia, & in nostro, ac populi salvamento.* Item apud Hincmarum, Archiepiscopum Rhemensem, epistolâ ad Ludovicum Balbum cap. VIII *: *Cum honore, & salvamento.* Hoc est, *salvo honore*, ἐν δια δυοῖν.

* Pag. 6. edit. Mogunt.

Salvaticus, ut Italis *salvatico*, agrestis, rusticus, ferus. Num è *sylvaticus*, an *saltuaticus?* Lex Bajuvar. tit. XX cap. VI: *De his quidem avibus, quæ de salvaticis, per documenta, humanâ domesticantur industriâ.*

Saltuaticum inter vectigalia fuit fisco debita; ut ostendit Carolus Magnus in Edicto suo apud Aimoinum lib. V de gestis Francorum cap. I. Verba in *Pulveraticum* adduximus.

CAP. XLVI.

De incipientibus ab S, consequente A, ac deinde M, N, vel aliâ earum, quæ in literarum serie sunt posteriores. Sameria *sic ubi legatur, corruptum videri ex* saumeria; *ubi hoc è* sagmaria. Sanctimonialis, *quæ perpetuam*

Deo

Deo virginitatem vovit. Sanctimonium, *sanctimonia.* Sanguinabilis, *sanguinarius.* Sanguinitæ, *sanguine conjuncti.* Sapidum, *boni saporis.* Sarsurium, *quo quid sartum, atque integrum, præstatur.* Sationalia, *agri, qui seminantur.* Sauma, *onus, sarcina: ac pro eodem* summa, & summagium. Saumarius, & summarius, *jumentum sarcinarium.* Saxisca, *lancis, vel patina genus.*

ALia deinceps subnectam, ubi post S, prima vocalis subsequatur. *Sameria,* jumenta portandis sarcinis destinata. Guilielmus, eques auratus, in opere de Terra sancta, quod Hodœporicon inscripsit; primus verò Henricus Canisius edidit: *Species namque Indica, petræ speciosæ, sericum plurimum, aromata infinita, illuc* (Damascum puta) *& cæteris partibus Orientis, Persiâ, & Indiâ, & à majori Armenia, in camelis, & aliis sameriis, adducuntur.* Ita quoque legit Jo. Ludovicus de-La-Cerda in Adversariis Sacris cap. CLVII. §. XXI. Puto ego, Guilielmum *saumariis* scripsisse, vel *summariis.* Vide, quæ inferiùs in *Sauma* dicam.

Sanctimonialis, pro virgine Deo dicatâ, legas apud B. Augustinum, & in Codice Justinianeo. Item apud Aimoinum lib. v. Hist. Franc. cap. x. Usurpat quoque Sugerius Abbas, epistolâ ad Eugenium III, & Abbo, seu Albo, de vitis Pontificum, Goffridus abbas Vindocinensis lib. IV. cap. XXX., Agobardus * item, & *Abælardus *, Matthæus Parisius in vita Pauli XV abbatis S. Albani, Cæsarius Miracul. lib. I. cap. XXX, & lib. XI. cap. LVIII. Imò & in vetustis habes Actis Proconsularibus Sanctorum Martyrum, apud Surium ad XI. Febr. & Baronium Tom. II. in ann. CCCIII. *. Gloss. Mss: *Sanctimonialis, ἁγνήτρια.* E *sanctimonialis* factum *monialis:* de quo superiùs.

* Pag. 412.

* Pag. 348.

* Pag. 757.

Sanctimonium, pro sanctimonia, ad instar vocis *matrimonium.* Anonymus in vita S. Genovefæ, ex vett. Mssis à Bollando editâ *, cap. I: *Quæso, ne vereare mihi profiteri, si vis in sanctimonio consecrata Christo immaculatum & intactum corpus, quemadmodum sponsa ejus, servare.* Ac ibidem cap. VI: *At illa respondit, se in sanctimonia consecratam.*

* In Vitis SS. ad 3. Jan.

Sanguinabilis, sanguivisuga, sangvinans, sangvinaria, sangvinis sitiens. Ascanius epist. ad Humbertum: *Quid Hunnorum rabiem commemorem, aut Normannorum fortitudinem? cum hi sanguinabiles canes non tantùm Hunnos rabie, sed & robore Normannos, longè superexcipiant.* Belgis tales bloedhonden.

Sanguinitæ, à consanguineis, ob sanguinis conjunctionem, ad Ecclesiæ munera evecti. Cæsarius lib. VI. Mirac. cap. V: *Noverat enim, paucos esse clericos, qui canonicè intrâssent; ita ut non essent sanguinitæ, id est, à cognatis introducti.* Puto tamen, hanc interpretationem esse μεταλληπτικὴν: ac propriè quidem *sanguinitas* dici consanguineos: è consequenti verò beatulos illos, qui à consanguineis ad honores extolluntur.

Sapidum, pro eo *quod boni saporis*, sive pro condito, barbarum censeo.

Sarsurium, ab eâ *sarciendi* significatione, quâ dicimus *sartum tectum*. Gregorius Turonensis lib. II. Hist. Franc. cap. XV: *Parietes, ab altarium opere sarsurio, ex multo marmorum genere exornatos habet. Opus sartum* interpretatur Ludovicus de-la-Cerda in Adversariis sacris cap. XXXI. Puto, *sarsurium* esse opus artificiosè, & eleganter, ex variis lapidum generibus *sartum*, h. e. compositum, ac confectum.

Satsonalia, agri qui obseruntur. Ferè pascuis opponuntur. Joannes Sarisberiensis lib. I. Policratici cap. IV: *Illis ut pascua angeantur, prædia subtrahuntur agricolis satsonalia.*

Sauma, ex Græco *sagma* est corruptum; ut ait Isidorus lib. XX. cap. XVI. Τάγμα, onus jumenti sarcinarii, ἀπὸ τοῦ σάττειν, quod est *onerare*. *Sauma* vini est, quantum equus gestat, appensis ad latera vasis. Cenomanis est unius, & nonaginta pintarum, cum semisextariolo: ita ut quatuor saumæ conficiant grande id vas vinarium, quod *pipe* vocitant; ac totidem continet pintas, (ut Varronianum huic rei versiculum accommodem.) *Quot luces habet annus absolutus.*

Hanc mensuram Jacobus du Breul *, monachus S. Germani à Pratis observâsse se ait ex pervetustis codd. Sancti Petri de cultura Dei, & B. Vincentii cœnobiorum. Usus verò *sauma* vocabulo Pipinus in capit. tit. IV. Item Aimoinus de gestis Francorum lib. V. cap. I, in privilegio Karoli M. *Nec de saumis teloneum solvere debeant.* Falco Beneventanus in Chronico *, ann. MCXXIV: *Hoc anno tanta fuit fertilitas vini, quod nobis, & multis aliis vigentibus centum sauma pro XXX. denariis vendebantur.* Anonymus, monachus Casinensis, in Chronico ad an. MCLXXXII *: *A quinque annis, & infrà, fames fuit tam valida, per totam Italiam, quòd diversis in partibus sauma pro auri unica non poterat inveniri.* Petrus de Vineis lib. III. epist. XXIV: *Mille saumas frumenti, & totidem hordei.* A *sauma* est, quòd Galli dicant *une somme*, h. e. onus, sarcina, ac particulatim vini. Nempè A V in O sæpe

* *Notis ad Aimoinum p. 264 & 265.*

* *Pag. 235. edit. Neapolitana, an. 1626*

* *Pag. 145. edit. Neapol.*

sæpe abit; ut *caupo, copa; aurata, orata; aula, olla; faux, suffoco; claustrum*, Belgis **clooster**. Imò & Latino barbari pro *sauma* dixere *summa*. Quod simile ac *defrudo*, pro *defraudo*; *cludo*, & *cuso*, pro *claudo*, & *causso*. Sanè Huntingdonensis Hist. lib. VII. * interpretatur *onus equi*: & Matthæus Parisiensis sæpius dicit *summa bladi*, vel *frumenti*, pro mensura VIII. modiorum. Cumque *summa* dicerent, pro *sauma*, sive σάγμα: nec *summarius* refugerunt, pro *saumarius*, vel σαγμάριος. *Saumarius* est Formulâ XII. At pro eo *summarius* dicit Matthæus Parisius in anno CIↃCXC: *De singulis civitatibus Angliæ duos palefridos, & totidem summarios; & de abbatiis singulis unum palefridum, & summarium unũ.* Item in ann. CIↃCCXLV: *Dedit domino Papæ triginta palefridos aptos, & desiderabiles, & convenienter phaleratos, cum totidem equis clitellariis, quos summarios vocamus.* Ubi, qui *summarii* sint, clarè explicat. Usurpat quoque in Vita Guilielmi, XXII. abbatis S. Albani: *Centum equos, quorum alii erant manni, alii verò runcini, alii summarii, alii veredarii, alii verò averii.* Imò & *summagium* extulere pro summa sive sauma, hoc est, pro onere, quod portat equus summarius, sive clitellarius. Idem Parisius in anno CIↃCCXV, in charta quadam Joannis Regis de libertatibus: *Pro equo, qui portat summagium, per dimidium annum unum obolum.* Unde denominatur illa **Saumroß** de equo clitellari. Vide *Sagmarius* & *Sameria*.

* Pag. 219.

Saxisci, patinarum sive patellarum generi, à saxo nomen: non quasi è saxo forent. sed quia similes essent conchis ac patillis, in rupibus, & antris, adnasci solitis. Saltem sic Cæsari Bulingero visum; eumque secutus Ludovico de la Cerda in Adversariis Sacris *. Usurpat Anastasius bibliothecarius in Leone IV: *Gabatham saxiscam ex argento purissimo pensantem libras tres.* Uti & in Leone III: *Gabatha saxisca in modum leonis.* Nempe pes gabathæ referebat leonem: uti & quandoque gryphem, aliudque animal. Unde idem inibi: *Gabathas argenteas habentes gryphos deauratos.* Item in Gregorio IV: *Gabathas interrasiles cum pedibus suis. Gabatha*, vel potiùs *gabata*, notæ, vel ex illo Martialis †:

* Cap. 36. 4.

† Lib. 7 epig. 47.

Transcurrunt gabatæ, volantque lances,

CAP. XLVII.

De cœptis ab S, consequente C. Scabrositas, *orationis spinæ.* Scalarium, *gradus scalarum formâ.* Scambiator, *trapezita.* Scana, *umbraculum, ex densitate arborum.* Scamillum, *sive* scamellum, *scabellum*,

Scandalosum, *doctrina, aut vita, sic offendens homines, ut non eo pede insistant viam veritatis, aut pietatis, quo fecissent.* Scandilium, *vel Scandile, gradus, quibus scanditur.* Scabulare, *monachale scapularum tegumentum. Obsterque de* interscapulo, inscapilio, *&* scapilio. Scara, *pro Graco* ἐσχάρα, *sive crusta, ferro, vel medicamento inducta. Item obiter de* scara *pro turba, & diminutivo* scaritta. Scariola, *&* endivia, *pro intybo sativo.* Sceptoriæ, *cisternæ.* Sceptrigerans, *sceptriger, sive rex.* Sceptrinum, *quod pro sceptro est.* Scholaris *alius in militia, alius in literarum cultura; unde* scholaritas. Scholasteria, *schola prefectura.* Scibile, *quod sciri potest.* Scilia *videri vocem nihili, ex* scrinia *corruptam.* Scindulæ, *scandulæ.* Scluſa, *catarracta.* Sconna, *corruptum ex* sculna. Scordiscus, *scorteum:* scordiscale, *ephippium:* scordiscarius, *qui ephippia conficit.* Scorticatus, *ad vivam cutim rasus.* Scribones, *scribæ.* Scriniarius, *qui curat scrinium Principis.* Scrutinium, *scrutatio.* Scudicia, *quando terra circa arboris caudicem effoditur.* Sculca, *excubiæ.* Scupha, *cucurbitula.* Scutagium, *servitium militare debitum Regi.* Scuterium, *pedites scutum gerentes.*

PErgamus porrò ad ea, quæ incipiunt ab SC.

Scabrositas vulgare: veteres pro eo asperitas, vel etiam *differendi spina.* Sic Cicero in Orat. *Spinosum differendi genus.* Et primo de Oratore: *Sed hæc erat spinosa quædam, & exilis oratio, longéque à nostris sensibus abhorrebat.*

Scalarium, pro gradibus, quibus, velut scalis, è cœmeterio in majores adscenditur Ecclesias. Matthæus Parisius in Additamentis: *Per laicos custodes cœmeterium, vel scalarium Ecclesiæ circumdatur, & vallatur, quod vix potest fugitivus in alimentis ab Ecclesia sustentari.* Dixeris, legi apud Vitruvium lib. v. cap. vi. *Hi qui sunt in imo, & dirigunt scalaria, erunt numero septem.* Sed hic *scalaria* potiùs est à recto *scalare:* quomodo lib. x. cap. xiii. agit: *Regula dextrâ, ac sinistrâ, scalari formâ compacta.*

Scambiatores, trapezitæ, à *cambium,* vel potiùs *cambiator,* S. præmisso, ut *sculca* à *culca,* de quo in *Sculca.* Matthæus Parisius ann. cIↃccLIII, in lugubri querimoniâ episcopi Lincolnienſis jam moribundi: *Nunc domini Papæ mercatores, vel scambiatores, obmurmurantibus Judæis, palam Londini fœnerantur.*

Scana

Scana in Gloſſis Iſidori exponitur, arborum denſitas. Eſt ex Dorico σκανὰ, pro σκιὰ, quod umbraculum notat.

Scamillum, vel *ſcamellum*, pro *ſcabellum*, ὑποπόδιον. *Scabillorum crepitus* memorantur Arnobio lib. VII. Uti & Lutatio ad illud Papinii †, ---- *Et ad inſpirata rotari Buxa* ---- *Buxa*, inquit, *tibia, vel ſcamillum* *, *quod in ſacris tibicines pede ſonare conſuêrunt.* Nempe crepitus ſcamilli ſonus illé, quem ederet pede, ſive ligneâ, aut ferreâ ſoleâ percuſſum. Meminit ejus rei & Cicero pro Cælio. Vide ſis Ludovicum de-la-Cerda in Adverſariis Sacris cap. CXXXVII. §. 1.

† *Lib. 7. Thebaid. verſ. 170*

* *Vbi tamen in Pariſiná, ſcabellum.*

Scandaloſum in Concil. Piſan. II *, atque alibi ſæpe, præcipuè in Theologorum Cenſuris, paſſim occurrit, pro eo, quod vel doctrinæ Eccleſiæ, vel piis moribus, adverſatur; eoque, quo minùs homines in recta doctrina, aut vita, inoffenſo pede pergant, haut minùs impedit, quàm cùm in via ad ſaxa, vel aliud, offendimus. Quare non difficile fuerit Latinè σκιρροῦζειν. Tantum verò abeſt, ut *ſcandaloſum* putem Latinum, ut, extra ſacrum argumentum, vix *ſcandalo* ſim voce uſurus. Nam neque σκάνδαλον, vel σκανδαλίζω, alibi invenias, quàm apud Eccleſiæ ſcriptores. Quos vocabulum id accepiſſe arbitror ex lingua, non, ut aliqui vocare ſolent, Ἑλληνιστικῇ, quæ nulla, propriè ſi loqui amamus, vel eſt, vel fuit; ſed communi illâ, quæ iis temporibus obtinebat: ac cui ab Eccleſiæ hominibus multi miſcebantur Hebraiſmi. Ut linguam, qua Græcè exſtant Veteris, & Novi Teſtam. libri, vocare conveniat Græcam vulgarem Hebraizantem: nempe à potiori parte, quando & multa à Syris ſunt, & Chaldæis, atque aliis: imò in novo fœdere etiam à Romanis: neque id modò, quatenus Romana legimus vocabula, qualia κηνσιτώριον, φραγέλλιον, & tot alia: ſed etiam cum Græcis alia tribuitur ſignificatio, quia Romana vox ſic ſumatur. Quale eſt ἐρωτᾶν *, pro *orare*; quia Latini *rogare* etiam pro *orare* accipiunt.

* *Pag. 156.*

* 2. *Theſſ.* 2. 1

Scandsia, ſcalarum gradus. Cæſarius lib. VIII. Miracul. cap. XC: *Octo etiam inſerui ſcandsia, ſupremum attribuens Chriſto; reliqua ſex ordinibus ſanctorum.* Vicinum eſt *ſcalarium*; de quo diximus. Dubites interim, rectiùsne ſit *ſcandsium*, quod à *ſcando*, ut ab αὔξω, vel *auxi* eſt *auxilium*: an *ſcandile*, penultima porrectâ, ut à *cubo*, *cubile*, à *ſedeo*, *ſedile*; an eâdem correptâ, quomodo à *ſorbeo*, *ſorbile*; *utor*, *utile*; ac *verto* etiam *vertile*, apud Sidonium, pro *verſile*.

Scapulare, monachorum amictus. Utuntur Benedict. de mon. ad

benef. mitt. cap. XXIV, Joannes in Vit. P. Damiani, & Cæsarius lib. XII. Mirac. cap. XCVI. Est, quod Græcis ἐπωμὶς, Hebræis *ephod*: nempe tegumentum scapularum: unde & nomen, Belgis etiam **scaplaris**, & Græco-barbaris σκαπύλιοι. *Scapula* verò summus humerus, sive pars alis obversa: unde & locus inter scapulas *interscapulum*, vel *interscapilium*. Hyginus in descriptione Ursæ: *In humero claram unam, in pede de posterioribus novissimo duas, in summo interscapilio unam.* Glossæ Philox. *Scapula*, ὠμοπλάτη. *Interscapulum*, μεταφρένιον. In onomastico etiam est, *Scapilium*. νῶτον, uti non ausim.

Sacra Latinis, ut σκάρα Græcis posterioribus, usurpatur pro crusta, quam ferrum candens, vel medicamentum causticum, induxerit. Sic σκάρας voce utuntur medici juniores. Unde Simon Januensis in clave sanationum: *Scara, vel eschara, ab adustione ignis, vel cujusque alterius rei.* Sic *scarotica medicamenta* nuncupant, quæ veteribus Græcis, ἐχαρωτικά. Uti ἐχάρωσις, *incrustatio*, ab ἐχάρα, quod non *focum* tantummodo notat; sed & *crustam* ferro candenti, vel medicamento ἐχαρωτικῷ sive καυστικῷ, inductam. *Scara* igitur ex ἐχάρα: hoc fortasse ab ש *esch*, hoc est ignis; inde sanè *astus*, & *astas*. De *scara* sic Papias: *Scara, combustio ignis.* Habet & *sacra* alteram significationem proturba. Ut in Supplemento Histor. Francicæ Gregorii Turonensis cap. LXXIII: *Scaram de electis viris fortibus.* Et apud Rheginonem lib. I. Chron. *Misit occultè unam scaram de electis viris.* Fulcherius Carnotensis in Gestis Peregrin. Francorum an. CIↃXCVIII*: *Igitur ad bellum sic paratis omnibus exierant de civitate summo mane, quod IV. Calend. Julii tunc evenit, vexillis præcedentibus scararum, & acierum, separatim per catervas, & phalanges, convenienter divisarum.* Verùm eâ significatione originis est Germanicæ: dictùmque de eo libro superiori cap. XVII. Estque ab eo diminutivum *scarium*: quod legas in Supplemento Historiæ Franc. Gregorii Turonensis cap. XXXVII.

* Pag. 391.

Sariola officinarum, quæ & Germanis **scariol**, Gallis *scariole*, Latinis est *intubus sativus*; qui & *endivia* barbaris. Dubium verò, an *scariola* sit corruptum ex *seriola*; ut sic dicatur, quasi σέρις minor, quia minoribus sit foliis: an ex *serriola*, quia folia ejus, minutæ instar serræ, pungant. Prius sentit Matthiolus ad Dioscoridem posterius Dodonæus Pempt. v. lib. I. cap. XXIII. Est & tertia opinio. Nam apud Myrepsum de Drosatis cap. LXXI. occurrit σκαριολάχανον: unde corruptum

ruptum *scariola* videtur. Sanè σκαρολάχανον idem, ac intybus, sive endivia. Atque hoc monitum veteri amico τῷ μακαρίτῃ Meursio in Gloss. Saltem media sententia est erronea. Nam *serriola* est Græcis ὀρίδαξ ἀγρία, Latinis *lactuca sylvestris*: quæ verè serræ modo armata. Error eorum, qui *serriolam* putant intybum, oritur ex eo, quòd pharmacopœis, quæ est sylvestris lactuca, vocetur *endivia*: perperam sanè, cùm *enaivia* est ex *intyla* corruptum: facilè enim *b*, & *v* consonum, commutantur.

Sceptoriæ, cisternæ; ut est in Glossis Isidori. Nempe *sceptoria*, junioribus dictum pro *exceptoria* quia aquas de tecto exciperent. Sic *spansus*, pro *expansus*. Belgis etiam **spannen**, non ἀπὸ τοῦ σπᾶν: quod doctissimus noster amicus putavit *.

* In Etymologico.

Sceptrigerans, Rex, sive *sceptriger*, quod apud Ovid. VI. Fast. S. Gerardus, abbas Sylvæ-majoris, in vita S. Adalardi, abbatis Corbeiensis, cap. I. §. V: *Cum quo postquam beatus puer liberalium fontem transivit, non illoto pede, inter primos palatii atate, & sapientiâ cœpit florere, & primus haberi sub ipso sceptrigerante.*

Sceptrinus à *sceptro* format Adhelmus; qui in prosa * *sceptrinas virgas*, dixit pro ferulis, quæ Martialis vocat *sceptra pædagogorum*. Idem Aldhelmus in Carmine: *Sceptrinum vimen dextrâ gestabat in almâ.* Sic Salmasius ad Vopiscum; cui & subscribit Ludovicus de La-Cerda in *Adversariis Sacris* cap. XLI. §. XII.

* Cap. 18.

Scolaris vox non uno modo accipi solet. Est cùm sumitur à scholis literariis. Ut Hieronymo epist. ad Damasium: *Nec aures Quinctiliani floscules, & scholari declamatione mulcenda.* Ac similiter apud antiquum scriptorem vitæ Sigeberti, Dagoberti I. filii, quæ primùm edita studio atque operâ Andræe Andreæ du Chesne *: *Æneam quidem ad Italiam venisse, & Romani imperii fundamenta jecisse, etiam à Scholaribus cantatur.* Similiter Joannes Saresberiensis epist. CCLXXVII, quæ ad Magistrum Odonem: *Tam Ecclesiis, quàm Scholaribus, gratissimum.* Item Cæsarius lib. I Miracul. c. XXXII, & lib. VI. c. V. Ad hæc Matthæus Parisius, atque alii. Est item cùm *Scholaris* dicitur à scholis militaribus. Quomodo nec refugit elegans scriptor Sulpicius Severus de vita S. Martini I. I. c. I: *Ipse armatâ militiâ in adolescentia secutus inter scholares alas, sub rege Constantio, deinde sub Juliano Cæsare militavit.* Quæ verba hinc

* Tom. scriptorum de rebus Gallicis pag. 591.

hinc petita, etiam legas in Lectionali: sed ibi pro *scholares* perperam legitur *scalares*. *Scholaris militia* mentio est L. XXXVIII. de decurrionibus in Cod. Theodos. *Scholares* imperatoris memorantur L. III. Cod. de Officio magistri offic. Atque hinc σχολάριοι Agathiæ, Constantino Prophyrogennetæ, aliis: de quibus Meursius in Glossario suo. A *scholaris* factum *scholaritas*: quod usurpat Carolus V. Galliæ Rex in Edicto de Alien.

Scholasteria, cura, ac institutio, vel præfectura scholastica. Cæsarius lib. IV. Mirac. cap. LXII: *Cui cum reditus Scholasteria non sufficerent, necesse erat, ut debitis obligaretur.* Vox inde formata, quòd *scholaster* vulgo dici soleat, qui Latinis Scholæ præfectus, vel curator.

Scibile dixerim invitus, Sed malim pro eo, *quod scientiâ continetur*, vel, *quod scientiâ comprehendi potest*.

* *Pag. 80.* *Sciliorum* custos lego apud Luitprandum in Legat*. *Huic magnum vae vae appositum est: homo sciliorum custos, qui quotidianos sumtus praeberet; cui similem si requiras, non terra, sed infernus forsan dabit.* Fortasse legendum, *scriniorum custos:* qui Abboni, & aliis, *scriniarius*, ac similiter σκριniάριος Suidæ, χαρτυλάριος, Zonaræ, Nicetæ, Balsamoni, aliis; nempe more Latino. Nam & *chartularius* is Gotfrido Viterbiensi in Chron. Part. XX. Vide inferiùs *Scriniarii*.

Scindula corruptum ex *scandula*; quomodo sectiles sive fissiles laminæ, quibus tegularum vice insternuntur tecta, vocantur à Cæsare, Vitruvio, Columella, Plinio. Ac putabat Hermolaus Barbarus, ex eo esse id nominis, quòd scandula scandulæ imposita sit in tecto, & ita una alteram gradatim scandat, squamarum modo. Indéque *tectum scandulare* apud Appuleium lib. III. Sed juniores pro eo *scindula*, & *scindulare*. Prius est apud Eutropium lib. VI, & Isidorum lib. IX. cap. XIX: atque addit, sic dici, quia scinduntur, ac dividuntur. Imò & sic in plerisque est Vegetii libris lib. XXII. cap. XXIII; ut monitum Stevvechio. Nec desunt, qui si *scandula* dicatur, censeant I. in A fuisse conversum. Mihi id parum fit verisimile. Potiùs enim A in I. immutari solet, quàm contrà. Utcunque istoc est, juniores non aliter, quàm *scindula*. Etiam Legg. Longobard. lib. I. tit. XXV. leg. XXVII: *Siquis de casa erectâ lignum quodlibet, aut scindulas, furatus fuerit, componat sol. VI.*

Clusa, ex *clusa*, sive *Scluſa*, pro catarracta: ut Galli *escluse*, Belgæ fluiſe. Lex Salica Tit XXIV. §. II: *Siquis sclusam de farinario alieno ruperit; DC. denar. qui faciunt sol. XV. culp. judicatur.* Vide, quæ in *Clusa* dixi cap. XXV.

Scon-

Sconna, ſponſus: ut eſt in Gloſſis Iſidori. Sed rectè emendant: *Sculna, ſponſor. Sculna*, pro ſequeſtre, dixit Varro: ſed inter ſordida repoſuit P. Lavinius, teſte Agellio lib. XVI. cap. VII.

Scordiſcus in gloſſis Iſidori exponitur corium crudum: nempe à *ſcortum*, id eſt, pellis; unde *ſcortea*, è pellibus facta: de quibus Feſtus Pompejus. Etiam ephippium, quia è corio fieret, dicebatur *ſcordiſcale*. Gloſſæ Cyrilli: Εφιππιον, *ſcordiſcale*. *Scordiſcarius* B. Hieronymo, qui hujusmodi conficeret: quod & Turnebo placitum lib. XXIV. Adverſ. cap. III. Vide quod ſequitur, *Scorticatus*.

Scorticatus, ut puto, idem ac ad vivam cutem raſus, à *ſcortum*, pro corio, pelle, cute: unde *& ſcorteus*, pelliceus. Capitul. Kar. M. & Ludov. Pii lib. V. cap. II: *Et ſi ordinatus presbyter ſit; duos annos in carcere permaneat, antea flagellatus, & ſcorticatus.* Eademque verba habes lib. VII. cap. CCCXVI. Pithœus * illuſtravit hiſce verbis Burchardi in lege, quam dedit familiæ: *Conſtituimus, ut ei tollantur corium, & capilli* Vide, quod proximè retuli, *Scordiſcus*.

* *In Gloſſis, quas Kapitulari ſubjunxit*

Scribo, ex *ſcriba*, pro præfecto ſatellitum Imperatoris. Sic enim Latinos, puta illos collapſæ Latinitatis, eo vocabulo uſos; teſtes ſunt nobis Suidas in Σχρίβας, & Theophylactus Simocatta Hiſtor. Mauric. lib. I. cap. IV, & lib. VII. cap. III. Uſurpat ita Anaſtaſius in Vigilio: *Miſit ſcribonem cum juſſionibus ſuis.* Et in Theodoro: *Per manus Maurini ſcribonis, & Thomati chartularii.*

Scriniaris ſæpius in Codice Juſtinianeo memorantur. Horum fidei ac curæ commiſſum ſcrinium ſive arca imperatoris Nominat & Radevicus Friſingenſis de geſtis Friderici Ahenobarbi lib. IV. cap. LXX: *Cardinales, clerus, judices, ſcriniarii, ſenatores.* Item Abbo Floriacenſis in vitis Pontificum ſect. XC *. Gloſſ. *Scriniarius*, χαρτυλάριος. Adi & Suidam in Σκριniάριος, ac imprimis Briſſonium de Verb. Signif. De vocabulo *primiſcriniarius*, vidimus cap. XXXVIII.

* *Pag.* 157.

Scrutinium apud Appulejum lego in IX. Met. Sed apud antiquiorem neminem. Multò igitur præferam *ſcrutatio, inquiſitio.* At junioribus eſt crebrum; præſertim quando ſermo de iis, quibus præpararentur ad baptiſterium; uti apud Ferrandum epiſt. ad Fulgentium** in Collectione Benedicti Levitæ lib. V. cap. CCXX, apud Walafridum Strabonem de divinis Officiis cap. XXVI. Extra hoc negotium uſurpat Ivo Carnotenſis epiſt. LXXIII: *Neque inutilibus ſcrutiniis ſuis, & vanis ſuſurris, fraternitatem veſtram à ſabbatho cordis expellant.*

** *Pag.* 226.

Scudicia est factum ab *excodicia*, hoc est, excodicatio, sive excaudicatio: quomodo & Itali *scodicare* efferunt pro *excodicare*. Isidorus lib. xx. Orig. cap. XIV: *Scudicia dicta eò, quòd circa codicem terram aperiat: & quamvis ejus usus in reliquis operiatur, nomen tamen à codice retinet.* Utrobique *codice* est in nostris Mssis: *caudice* verò repositum in Venetâ principe, puta anni CIↃCCCCLXXXIII. Sed satis notum, *vodex* esse ex *caudex*; ut *corus* è *caurus*, *orata* ab *aurata*, *colis* è *caulis*, *Clodius* à *Claudius*, & similia. Subjicit post verba allata Isidorus: *Hanc alii generaliter fossorium vocant, quòd foveam faciat, quasi fovesſorium.* Ad syncopen istam, ut *fossorium* sit ex *fovesſorium*, nihil recursu opus; quando à supino *fossum* etiam sunt *fossa*, *fossio*, *fossura*, *fossilis*, *fossiticius*. A *fossum* igitur *fossorium*, ut à supino *tentum tentorium*: similiaque *diversorium*, *adjutorium*.

Sculca quid sit, dictum paucis libro præcedenti cap. XVII. Sed mox liquebit, non magis deberi barbaris, quàm Latinis. Quocirca iterum de eo, sed accuratiùs, dicam. Latinobarbaris quidem *sculca*, & *culca*; Græcobarbaris verò σκύλκα, & κύλκα notant *vigilias*, *excubias*. Origo horum à Gallico *culca*, pro quo nunc, elisò L, pronunciant *couche*: *culca* ex Latino *culcita*. Sic *culcare*, quod Gallis *choucher*, cubare. Κύλκα, ita uti dixi, usurpat Leo Constitut. VI, secundùm cod. reg. ubi in aliis pro κύλκαις est βίγλαις; quod ex glossemate. Βίγλη autem *custodia*: quippe corruptum ex Latino *vigilia*. At σκύλκα apud eundem Leonem Constitut. XVII; uti & Theophylactum Simocattam Hist. Mauric. lib. VI. cap. IX. Est & in gloss. Græcobarb. Σκύλκαι. *sculcæ*. Legg. Longobard. lib. II, tit. XIV, leg. VI: *Siquis in exercitu ambulare contemserit, aut in sculcam; dei regis, & ducis suo, solid.* XX. Ubi *in sculcam ambulare*, notat excubias obire; ut solent circitores nocturni. Atque ad legem hanc respexit Papias, cùm ait, *Sculca, in Lege, cavalcada.* Ubi *cavalcada* est *caballicatio*, sive equitatio; ut significet, obire excubias equo. Vide de eo, quæ dicam in *Caballare*. *Culcare*, absque sibilo, habes in Lege Salica Tit. XXXIX: *Si adhramire noluit, nec solem secundùm legem culcaverit.* Ubi *adhramire* est *jurare*, ex Gallico *arramir* †: at *solem culcare*, propriè sit ad præstitutam diem excubare, seque istic loci, ubi lex exigit, sistere: simpliciter autem notat præstituere tempus; quod Germanis **bedaegen**. Belgis **dagen**. **dag ſetten**. Gallis *adjourner*. A *sculcare* quoque factum *sculcator*, σκυλκάτωρ Constantinus de adminiſtr. imper. Γνῶμεν τὸν δεῖνα τῶν σκυλκατόρων ἡμῶν.

† *Vide inferius cap.* 22.

Novi-

Novimus hoc per sculcatores, sive *excubitores nostros*. Et in Notitia utriusque imperii, inter Palatina officia, habes *exculcatores juniores, seniores, Britannicianos*. Verùm Turnebus Adverſ. lib. XXIV. cap. XII. cenſet, *exculcatores* vocari, quia glandes exculcarent. Id non puto: ſed eſſe à *culca*, pro *culcita*. Jidem *ſcultatores* ſunt Vegetio lib. II. cap. XV, & XVII; uti Leoni Imp. Conſtitut. III, Mauritio item Strateg. lib. IX, σκυλτάτορες. Nempe hæc vox truncata ex *auſcultatores*. *Sic* σκύλτα in Gloſſ. Græcobarbaris exponitur, *auſcultationes, excubiæ*. Videlicet ab eadem ratione, ob quam vulgo vocamus *ſentinellas*: quia ſubtili ſenſu aucupentur, ecquid videant, vel audiant, quod argumentum hoſtis propinqui videatur.

Scupha, cucurbitula: corruptum ex σικύα κουφή. Petrus Bleſenſis epiſt. LXXIV: *Frequenter evenit, ut uni membro per aliud medeamur. Dolens aures, & ſcupha humeris apponuntur: delictum cordis fletus oculi purgat: peccavit manus, & pectus contunditur.*

Scutagium, ſervitium, ſivè auxilium, quod quiſque ſcuto Regi præſtare tenebatur. Matthæus Pariſienſis an. CIↃCCXV, in charta libertatum à Joanne Rege conceſſarum: *Nullum ſcutagium, vel auxilium, ponam in regno noſtro, niſi per cummune conſilium Regni noſtri*. Atque aliàs apud eundem.

Scuterium, ni fallor, ſcutatorum præſidium Petrus de Vineis lib. V, cap. XXXVII: *Magiſtrum G. cum equitaturis, ſcutoriis, & rebus ſuis, ſine alicujus pedagii exactione, ire, ſtare, & ad Curiam noſtram redire, ſecurè, & liberè permittatis.*

CAP. XLVIII.

De iis, ubi initio vocis poſt S. ponitur E. Secretarium, *in judiciis, ubi reorum cauſſa expenderetur, priuſquam extra velum de tribunali ferretur ſententia. In templis autem, ac monaſteriis, ubi theſaurus Eccleſiæ aſſervaretur*. Secretarius, ſecretalis, à ſecretis, aſecreta, *unde* & protoaſecretis. Seculatus *fortaſſe, in omne ſeculum dicatus*. Secundicerius, *qui ſecundum obtineret locum in aliquo collegio*. Securatio, *cautio*. Sediculum, *ſedile*. Seditionarius, *ſeditioſus*, Segregus, *ſegregatus, ſolitarius*. Sellarius, *eques*. Seminiverbius, *nugator verboſus*, Senſatus, *ſapiens*: *ut* inſentatus, *inſipiens*. Senſualitas, *facultas ſentiendi*. Sentinella, *excubiæ*. Sentinoſa *navis, cujus ſentina crebrò*

evacuanda. Sequacitas, *quâ quis dictantem assequitur in scribendo.* Sequenteriana *vacca, quæ optimam bonitate proximè consequitur.* Sequentiæ, *aliter jubilationes, vel prosæ* Sequipedes, *pedisequi.* Seratus, *serâ occlusus.* Serietas, *seria cogitatio.* Serioſus, *serius.* Sermentatus, *juratus.* Sermuſculus, *sermunculus.* Serviculus, *servulus.* Servitor, *minister.* Sextariatici, *qui obstricti ad sextarium persolvendum domino.*

SEquuntur, ubi principem literam S, ſecunda excipit vocalis.

Secretarium, conclave, vel locus, ubi reorum cauſſa à judicibus expenderetur, ac tandem ſtatueretur, qualis de tribunali pronunciandа eſſet ſententia. L. ult. C. de off. div. jud. & L. ult. C. ubi ſenat. vel clariſs. Hic locus ſæpiùs velo ſeparabatur à tribunali: ad quod tribunal præſes ſe conferebat, pronunciaturus, quid interiùs de judicum ſententia foret decretum. Etiam rei huc arceſſebantur. ut à judicibus examinarentur. Ado in Martyrologio Prid. Id. Auguſti de Euplo: *Cùm eſſet extra velum secretarii, intromiſſus eſt, jubente Calviſiano conſulari, in auditorium.* Synodus Africana ſimiliter appellat τὰ σύκρητα τῶν δικαστηρίων: hoc eſt, *ſecreta judiciorum*: τῶν ἀπορρήτων δικαστηρίων vocatur Philoſtrato in Vita Apollonii lib. IV. cap. XV. De hac *ſecretarii* ſignificatione diximus quoque lib. II. Harmoniæ Evangelicæ De Paſſione ac Morte Domini. At κατὰ μεταφορὰν uſurpat Auguſtinus lib. II. de lib. arbitr. *Jam tibi ſapientia de interiore ſede fulgebit, & de ipſo ſecretario veritatis.* Ac Fulgentius ſerm. de verbis Mich. Prophet.* *Intra in ſecretarium cordis tui, ubi ſoli te vident oculi Domini Dei tui.* Habebant & templa, ac monaſteria ſuum ſecretarium; in quo theſaurus reponebatur, ac ſacri codices. Auctor de VII. Ord. Eccleſ. apud Hieronymum T. IV †: *Eget in ſede presbyter, in altari Levita, in ſecretario ſubdiaconus, in lectione lector, & in templo oſtiarius, in ſepultura foſſarius.* Fortunatus de vita S. Radegundis reginæ lib. I. *Intrans in ſecretarium, monacha veſte induitur.* Beda Eccleſ. Hiſtor. lib. II. cap. I: *Sepultus verò eſt corpore in Eccleſia B. Petri Apoſtoli ante ſecretarium; die* IV. *Iduum Martiarum.*

* Pag. 273.

† Pag. 83.

Secretarius, qui olim actuarius, vel ſcriba. Uſus Gregorius M. epiſt. XIX. ad Natalem epiſcopum Salitanum. Elongè recentioribus, apud Petrum de Vineis lib. III. epiſt. XXV. legas, *Secretarius Sicilia.* Uti & apud Bekam in Willebrordo, Epiſcopo primo, & in Actis Concilii Piſani, eſt *Secretarius Papa**. Etiam *Secretalis* pro eo eſt

* Pag. 52. edit. Pariſ. ann. 1612.

apud

apud Andream Abbatem de vita S. Ottonis Babebergensis episcopi lib. I. cap. IV: *Ita sibi prudentissimum Imperatorem nobilitate morum, & fidei pietate divinxit; ut eum, quasi unicum amplectens filium, secretalem intimum, & custodem capitis sui, poneret cunctis diebus.* Usitatiùs verò *à secretis* dici solet: quomodo appellat Hincmarus epist. III. cap. XVI. Imò & voce unicâ *a secreta* legas apud Karolum M. vel Alcuinum, lib. IV. de Imaginibus cap. IX. Græcis, Latinorum imitatione, ἀσηκρῆτις, vel ἀσηκρήτης: qui Joanni Citrio in Responsis ὁ ἐπὶ τῶν ἀσηκρήτων. Etiam in Palatinis officiis πρωτασηκρῆτις: *protasecretis* itidem Lui tprando in Legatione, qui aliis *protosecretarius*.

Seculatus quin à *seculo* sit, nemo ambigat. Legas in Revelatione reliquiarum S. Genovefæ*, §. VI: *Revelata est ---- mense Januario, decimâ mensis, in Octavis ejusdem sanctissimæ virginis, & à fratribus est dulciter Deo seculata.* Sed quid ea vox signet, non ita apertum est. Nihil occurrit nunc meliùs, quàm si dicam, modò sana sit lectio, *seculata* valere, seculo omni sacrata, dicatàque.

* Apud Bollandum in Vitis SS. ad 3. Jan.

Secundicerius usurpat Gregorius M. lib. IX. Registr. epist. XXXIII, & Abbo Floriacensis de vitis Pontificum sect. XC*. Vide, quæ diximus in *Primicerius*.

* In Vitis SS. ad 2. Jan.

Securatio, pro cautio, Latinum non est: uti nec *securari*, pro cavere rebus suis.

Sediculum à *sedeo*, quâ forma à verbis dicimus *amiculum*, *redimiculum*. Sed *sedile*, aut *sedes*, dicendum. S. Gerardus, abbas Sylvæmajoris, in vita S. Adalardi, abbatis Corbeiensis cap. IX. §. LV: *Vix enim, ex quo venit, absistebat ejus obsequio, sed, locato ante lectum sediculo, semper adsidebat coram eo.*

Seditionarius, pro seditioso, apud Gregorium Turonensem lib. X. Histor. Franc. cap. XV.

Segregem vitam dixit Seneca in IV. de Benef. Ac Tertulliani est de Pœnitent. cap. XI: *Nullis comessationibus congreges.* At juniorum aliqui talia in secunda per VS ex tulere. Auson. in Parental. carm. IX:

Ipse tuo vivens segregus arbitrio.

Martianus Capella lib. IX: *Haigitur modò dispares numero, nec disgrega venustati eruditionis.*

Sellarius, eques. Vita Anastasii Persæ martyris, ex Latinis vett. Mssis, cap. V*: *Sellarius verò, qui erat super carcerem, dum esset Christianus.* Satis liquet, hîc sermonem esse de præfecto carceris. Sed proprie

* Apud Boll. land. ad 22. Jann.

priè est eques. Unde in ejusdem vita, sed ex alia interpretatione, cap. III: *Vix paullùm ab illis recesserat, cùm eum viderunt caballarii quidam, sive equites, considentes ante Derbæ, quod est sellarii prætorium: dixerunt que invicem propriâ linguâ, Hic delator est. Quo audito, vir beatus, eos intuitus, dixit, Quid blateratis? Ego delator non sum, sed servus Iesu Christi: & melior vobis sum, cùm & ego aliquando, ut vos, caballarius fuerim. Illi consurgentes eum comprehendunt. Egressus sellarius, & rogatus, unde esset.* Legas quoque cap. V, & VI: imò & Græcè, in ea vita. Σελλαρίους itidem vocem habes. Suidas: Κέλης, ὁ σελλάριος. Eustathius ad Il. O. & Etymologici auctor, *κέλητα, καὶ μονάμπυκα*, exponunt.

Seminiverbius, expressum ex Græco *σπερμολόγος*: quod non apud † Pro Corona. Demosthenem † modò habes; sed etiam Actorum XVII. Sic dicitur *ὁ σπείρων λόγους*, seminans verba, blatero, inania funditans. Paullò tamen benigniùs capere videtur Odericus Vitalis Ecclesiasticæ Historiæ lib. *Pag. 774. X*: *Reverendus itaque senex inter Italos, de quorum origine propagatus fuerat, aliasque gentes, fere biennio exulavit, & externis auditoribus dicax seminiverbius spiritualiter profuit.*

Sensatus, sensu pollens; ut *nsensatus*, amens, stultus. Gloss. Cyrillo tributæ: Νοητικός, *cordatus, sensatus, intelligens*. Ad Galat. III, 1. *ἀνόητοι*, à vulgato interprete vertitur *insensati*: ab aliis, *amentes*.

Sensualitas, *τὸ αἰσθητικὸν*, sensus, vel appetitus. Henricus de Hassia in Speculo Anim.* *Et sensualitas lascivit ad voluptatem.* *Pag. 9.

Sentinella pro excubiis, à sentiendo: ut ab *auscultando* posterioribus Græcis *σκυλτάτωρες*, quasi *auscultatores*, & *σκύλται* quasi *auscultæ*. Adi Rigaltii Glossarium.

Sentinosa navis, rimosa, ac ubi sæpius exhaurienda sit sentina. Ambrosius in orat. funeb. de obitu fratris*: *Sed & peregrinationem explicuisti, & rem ordinasti, & veteri, & sentinoso, ut audio, navigio, iterum te fluctibus credidisti.* *Pag. 16.

Sequacitas pigra Sidonio lib. IV. epist. XI. quando quis difficulter assequitur, quæ dicuntur. Idem lib. IX. cap. IX, *Scribarum sequacitas saltuosa*. Intelligit celerem scribarum manum velociter excipientium.

Sequenteriana vacca videtur esse, quæ in legitimo armentorum grege, hoc est, ubi minimùm sunt duodecim numero, post vaccam optimam, & præstantissimam, proximæ est bonitatis. Nempe credo, à *sequenter*, unde apud Ulpianum *consequenter*: quia præcipuam proximè sequitur, Lex Alamannica tit. LXXV. *Siquis in vaccaritia legitima, ubi*

ubi sunt XII. *vacca, vel ampius, taurum ex ea involaverit, vel occiderit,* III. *sol. eum* † *solvat: --- optimam vaccam* IV. *tremisses licet adpretiare: illam aliam sequenterianam sol.* I.

† *Pro ei, more seculi.*

Sequentiam, pro consequenti ordine, non refugit Frontinus lib I. de Aquæduct. Quid Ecclesiastici eâ voce designent; cognoscimus ex Ordine Romano circa principium, ubi legas: *Sequitur jubilatio, quam sequentiam vocant. Prosa* aliter nominatur. Usurpat prius Matthæus Parisius in vita Guilielmi, XXII. abbatis S. Albani: *Sequentiam quoque de S. Albano componi fecit, & sollemniter pulsatis duabus nolis, decantari.* Et mox: *Sequentiam de Sanctis, quorum reliquiæ in hac continentur Ecclesia, in hac constituit decantari.* Cantari solet sollemnibus diebus; ut festo Paschæ, Pentecostes, Corporis Christi. Primus composuit, seu Rogerus, ut in nonnullis Sigeberti codd. vocatur; seu potius Notgerus, abbas S. Galli, posteaque episcopus Leodicensis. Primus in Missa cantari præcepit Nicolaus Papa. Primus sequentias varias fecit Hermannus Contractus: alias postea cùm Petrus Compostelianus episcopus, tum Robertus Franciæ Rex. De quibus sigillatim vide Guilhelmum Durandum, de ritibus Ecclesiæ Catholicæ cap. XXII.

Sequipedes, pedisequi. Vita SS. Juliani, Basilissæ, & sociorum, in Præfatione*: *Ut per augustam viam eorundem Sanctorum valeamus sequipedes esse.* Ubi in Ripuariensi Mso Bollandus reperit, *valeamus sequi vestigia.* Puto, librarium, vocis novitate offensum, sic immutâsse. Sanè & cap. I. §. IV. ejusdem vitæ in uno Mso est *pedisequam*; in altero *sequipedem*; ut eidem observatum. Est & cap. VII. §. XXIX: *Christum confiteor, Beati Juliani vel me sequipedem protestor.* Ubi alii *pedisequem*, alii *sequipedam*.

* *Apud Bolland. 9. Ianu.*

Seratus, serâ occlusus. Petrus Blesensis Serm. XXIV: *Si fortè cibos communes, & regulares fastidieris, & præter corporis necessitatem, & loci, ac temporis opportunitatem, seratis januis, fenestris clausis, mollius curabis te, dicens: nemo me videt* &c.

Serietas, seriarum rerum meditatio. Sidonius lib. I. epist. IX, & lib. IX. epist. XIII. Item longè recentior, sed sedulus veterum lector, Joannes Sarisberiensis, epist. LXXXI, quæ ad Abbatem Cellensem: *Ego autem, quod in promptu habeo, proferam; si tamen nugas serietas vestra dignatur admittere.*

Serioßus, pro *serius*, non dixerim. Junioribus est crebrum.

Ser-

Sermentatus, juratus, à Gallico *serment*, juramentum. Chronicon Cameracense lib. III. cap. XLIX: *Ambo videlicet sermentati. Sermen* corruptum ex *sacramentum*.

Sermuſculus arcanus, pro ſermone exiguo, eſt apud Adamannum de rebus Sancti Columbæ libro III. Nempe ut à *rumore* apud ipſum Ciceronem eſt *rumuſculus*: ſic Adamanus à *ſermone* non dubitavit formare *ſermuſculus*. Sed Cicero, & pares, ac ſuppares, ſemper pro eo *ſermunculus*; quâ formâ dicimus *homunculus, latrunculus*.

Serviculus, ut *faſciculus*. Uſus Tertullianus de Idololat. At Terentius, Cicero, alii, ſemper pro eo *ſervulus*.

Servitor, miniſter; ut Gallis *ſerviteur*. Kapitularis Additione I, cap. XXVIII: *Ut ſervitores non ad unam menſam; ſed in propriis locis, poſt refectionem fratrum, reficiantur*.

Sextariatici, ruſtici, qui coguntur dare ſextarios. Videlicet, quâ formâ dicitur *aquaticus*, *ſcenaticus, balneaticum*. Eſt verò ſextarius tam in aridis, quàm liquidis, ſexta congii pars; unde & nomen. Continet igitur duas heminas, ſive libram cum dimidia. Gregorius M. lib. I. epiſt. XLII. ad Petrum Subdiaconum Siciliæ: *Valde autem iniquum, & injuſtum eſſe proſpeximus, ut à ruſticis Eccleſiæ de ſextariaticis aliquid accipiatur, & ad majorem modium dare compellantur, quàm in horreis Eccleſiæ infertur. Unde & præſenti admonitione præcipimus, ut, pluſquam de cem & octo ſextariorum modiûm, nunquam à ruſticis Eccleſiæ frumenta debeant accipi*.

CAP. XLIX.

De auſpicantibus ab S, ſequente I, *vel* O. Sigele, *ſecale*. Signetum, *annulus ſignatorius*. Silentiarius, *à ſecretis*. Singiliones, *ἀπλοΐδες, ſive veſtes ſingulæ*. Sinodochia, *xenodochia*. Sinſtris, *corruptum à librario videri* è ſiniſtris. Siriaticus, *pro Syrius*. Siſtarcia, *ſacculus, vel ciſtella, quâ panis, cibuſve, defertur*. Siſurna, *tegmen è pelle ovillâ*. Sitonicum, *horreum civitatis*. Situatus, *ſitus*. Smigma, *ſmegma*. Solatioſus, *conſolatorius*. Soldalnus, *miles cujus operâ uterentur in quopiam carceri includendo*. Soldatus, ſolidarius, & ſolitarius, *miles*: Solſatis, *reus eo nomine, quòd non ſtiterit ſe judicio ante occaſum Solis*. Somneitas, *ſomnus mollis, ac quietus*. Soniaca, *obſonia*. Sonoritas, *ſonus, præcipuè canorus, & harmonicus*. Sopitivum, *ſoporiferum*. Sordities, *ſordes, ſive ſordidatio*. Sororitas, *vinculum inter eas, quæ communi gaudent ſororum nomine*.

Sorti-

Sortiariæ, *quæ aliter* sortilegæ, *venefica Satanica*. Sosanium, *lorica*. Sotularis, *genus calceamenti*.

NUnc adjungam de illis, ubi, post principem literam S, tertia, vel quarta sequitur vocalis.

Sigele corruptum ex *secale*: quæ Belgis rogge, Gallis *seigle*, & *segle*. Capit. Kar. M. lib. I. cap. CXXXII: ubi legas, *modium de avena, hordeo, sigele, frumento parato*, Atque eâdem in voce Matthiolo, & botanicorum aliis, erratum, cùm *secalen* vocant. Nam *secale* Plinio neutrum est.

Signetum, annulus signatorius, aliud ve ejus usum præstans; Gallis *signet*; ut & Polonis, ac Belgis. Walsinghamus in Richardo II*: *Fecit præterea, ut Vicecomites per totum Regnum nova juramenta præstarent ultra solita: quòd videlicet obedirent omnibus mandatis regiis, quotiescunque directa fuissent eisdem sub magno, privatoque sigillis, ac etiam literis illis directis sub signeto suo.* Similiter Karolus VIII. Gall. R. in Edicto de Excess. off. & Subd.* * Pag. 357.

Silentiarius, à silentio rebus debito; qui aliter *à secretis*, apud Salvianum, Anastasium bibliothecarium, Matthæum Parisium, alios. Sed & similiter σιλεντιάριος, ac σιλεντιάρης, Agathiæ, Procopio, Constantino Porphyrogennetæ, cæteris. Antiquissimus, apud quem legere memini, est Ambrosius lib. de obitu Valentin.* *Vesperi profectus est silentiarius.* Minister arcanorum Principis dicitur Silentiarius, qui arcanis Principis silendis interest. * Pag. 230. * Tom. 3. p. 6.

Singiliones Dalmatenses memorat Trebellius Pollio in Claudio. *Singiliones* verò dicuntur, quia vestes essent singulæ, sive simplices; quales Græcis ἁπλοΐδες. Heysch. Ἁπλοΐς χλαῖνα, ἡ μὴ δυναμένη διπλωθῆναι. Cui contrarium ἀδιπλοΐς. A Latino *singilio* Græci fecere σιγιλλίων, quod apud Nazianzenum in Testamento: Ελαφίῳ τῷ νοταρίῳ, τρόπῳ ὄντι, βούλομαι δοθῆναι κάμασρν ἓν, ἐσθῆτα δύο, παλλίατρία, σιγιλλίωνα ἕνα. *Elaphio notario, bonis prædito moribus, donare volo unum camasum*, sive amphimallum, *sticas*, sive tunicas *binas, pallia tria, singilionem unum.*

Sinodochia, vitio seculi, scripsere pro *xenodochia*, Gr. ξενοδοχεῖα. Synodus Ticinensis sub Hlothario, & Hlodovico, an. DCCCL*, can. XVI.: *Suggerendum est beatissimis imperatoribus; quia hi, qui monasteria, & sinodochia, sub defensione sacri Palatii posuerunt, ideo fecisse probantur, quòd à nullo melius, quàm à summis potestatibus, protegenda crediderint.* * Apud Canisium.

derint. Canisius, quia initio synodi dicitur, habitam in urbe regiâ Ticino, eò *Regiaticinam* censet urbis nomen; ac synodum vocat *Regiaticinam*: quæ ubi sita fuerit, inquirendum ait. Sed quatuor sunt voces, *in Urbe regia Ticino*; ut synodus Ticini habita sit, quæ regia erat urbs regni Longobardici: ut rectè vidit clarissimus Bignonius in eruditis ad Marculfi Formulas Notis*.

* Pag. 504. 505.

Sinistris quid sit, quæritur. Legas apud Petrum Damiani epist. IX*: *Plerique Pontificatus jura non deserunt, & de sinistris sunt: quotquot autem legimus rectâ intentione dimisisse, certa spes est eos de aterna cum Christo societate gaudere.* Quid si scribi debeat, *sinistris*? Sanè hoc suadet ἀντίθεσις Nam distinguit inter Pontifices, qui cœlicis fruentur gaudiis: & reprobos, quos Christus in extremo judicio statuet à sinistrâ manu. Sententia igitur est, posse dimitti episcopatum, & quosdam dimittentes esse sistendos Christo à dextris: quosdam, nolentes dimittere, staturos à sinistris.

* Pag. 17. edit. Paris. an. 1610

Siriaticus turgor memoratur Balduino in Chronico Cameracensi lib. I. cap. XCIV: *Ejus feritatem Siriatico turgore inflatam.* Num à *Sirio*, quia Caniculæ sidus pestilens afflâsset? an, quod verius puto, *Syriaticus* rescribendum? ut eam vocem à *Syria* formârit, quomodo ab *aqua*, *aquaticum*; à *via*, *viaticum*; à pecunia *Martia*, *Martiaticum*, dixere. Ita expressum sit ex isto Martialis lib. IV. epig. XLIII.

Juro per Syrios tibi tumores,
Juro per Berecynthios furores.

Ubi alludit ad Syrorum opinionem, qui putabant, Venerem in piscem fuisse immutatam; & propterea, siquis piscibus vesci auderet, ei ventris, vel alterius membri, immittere tumorem. De quo Scaliger Notis in Apotelesmaticum Manilii; & nos de origine, ac progressu idololatriæ lib. IV. cap. LI.

Sistartia est apud vulgatum interpretem I. Sam. IX. VII. *Panis deficit in sistartiis nostris.* Ac sic non modò edituin quoque in opere Bibliorum Regio; sed similiter olim Papias, Catholicon, & Mammotrectus. Atque hic *sacculum*, vel *peram*, exponit: uti & glossa interlinearis. Intellige autem sacculum, in quo cibi portarentur; ut Papias, & Catholicon, restringunt. Belgis knap-sack. Fortasse igitur fuerit corruptum ex σιταρχία, quod annonam notat, ut σιταρχία, annonæ præfecturam. Atque hanc sententiam eo firmare posse videor, quòd & *sitarciam*, pro commeatu navali, legam apud veterem Juvenalis scholiasten

in

in sat. XII. vers. LXI. Sed addit Mammotrectus *, secundùm alios legi *cistarchiam*; idque à *cista*, & *arcâ*. Mallem dixisset *cistartium*, à κίστη & ἄρτος; ut cistella signetur, quâ panis deferretur, ὀφοθήκη. Atque hæc germana etiam lectio Drusio videtur in Comment. ad difficiliora loca Vet. Test. Ac firmatur vitæ S. Genulphi lib. II. cap. II †; ubi liquidò *sitartiis* editum.

* *Rectiùs* Mammotreptum *vocari, alibi dicimus. Sed vulgatam operis inscriptionem visum retinere.*

† *Apud Boll. 17. Ian.*

Sisurna contractum è *sisurina*, quod à *sisura*. Significat verò tegumentum à pellibus ovillis. Ammianus Marcell. lib. XVI, de Juliano *: *Non è plumis, vel stragulis fericis, ambiguo fulgore nitentibus; sed ex tapete, & sisyra, quam vulgaris simplicitas sisurnam appellat.* Σισύραν vocant Herodotus lib. VII. & Dio Chrysostomus orat. XXV. Sed & Græcos juniores σισύρναν pro σισύρα dixisse, auctor est Aristophanis scholiastes in Vespas: Σισύρα εἶδος ἱματίου ἐκ δερμάτων συνερραμμένων προβάτων ἐχόντων τὰ ἔριa. Ac mox: τὸν αὐτὸν καὶ σισύραν καλοῦσι, καὶ σισύρναν. Ac sic apud Theophylactum Simocatten legas lib. VII: Σισύρναν ἐξ ἱρίου.

* *Pag. 67. v. 27. edit. Lindenbrog.*

Sitonicum classicis quidem ignotum; sed Græcum tamen. Nam σιτωνικὸν, quod ad publicæ annonæ procurationem pertinet, à σιτωνία, *frumenti emtio*: hoc à σιτώνης, *præfectus annonæ coemendæ*: istoc à σῖτος, *frumentum*, & ὠνεῖσθαι, *emere*, Gregorius M. lib. I. epist. II: *De frumentis autem quæ scribitis, longè aliter vir magnificus Citonatus asserit; quia solummodo tanta promissa sunt, quæ pro transactæ indictionis debito ad replendum sitonicum sufficerent.* Ubi *sitonicum*, locus in quo frumentum publico nomine emtum reconditur.

Situatus, pro *situs*, est superioribus seculis frequens. Guilhelmus, Eques auratus, tractatu de terra sancta, quem ὁδοιπορικὸν inscripsit: *Prope civitatem, quæ Naulum dicitur, in ripariis Januæ situatam, prosperè perveni.* Alexander III. Papa in diplomate ad Cistercienses: *Servientes vestri in terris vestris situati.* Usus & Philippus VI. Gall. R. in Edicto de off. * & Joannes Turocius Chronic. Hungar. part. I. cap. XVIII: *Aquilegia civitas in introitu Italiæ situata.*

† *Pag. 174.*

Smigma, perperam pro *smegma*, subinde legas; uti & *smigmaticus*, pro *smegmaticus*. Nam Græcè ἀπὸ τοῦ σμήχειν, σμῆγμα, & σμηγματικός Vitium ex eo, quod n vulgo pronunciarent, ut *i*. Sed aliter est in Mssis Plinii codd. atque aliis.

Solatiosus, consolatorius, Henricus de Hassia in Speculo Anim. *

* *Pag. 7.*

Soldalnus, ut puto, idem ac *soldatus*, sive miles, ac particulatim is, per quem fontes in carcerem ducuntur. In Promotionibus Concilii

Pisani: *Si præsentare se, aut, ad monasteria reverti, contemserint; de mandato prædictorum superiorum suorum per soldalnum carceri mancipentur,* Ita habet utraque editio Sarisina, & illa vetus Joannis Petiti an. cIↃIↃxI.* & altera sæculo recentior, anni cIↃIↃcxII †. Etymon cognoscere erit ex iis, quæ continuò in *Soldatus* dicemus.

* *Fol.* I. 2. *b.*

† *Pag.* 157.

Soldatus miles, ex Italico *Soldato*: quod & Germanis, & Belgis, obtinet. Sæpius utitur Joannes Turocius in Chronico Hungarico, Nomen ex eo, quia *solidus* pro menstruo stipendio olim *. Etiam *solidarios*, & *solitorios*, pro eo dixere, Prius apud Sigebertum Gemblac. legas: item Rogerum de Houeden Annal. tom. 1. in vita Guilhelmi Senioris *: alterum apud Lambertum Schafnaburg. in Hist. Germ. Etiam Græci recepere, Ac σολδάδας quidem vocat Malaxus in Histor. Patriarch. In Glossis verò Græcobarbaris est σολδάτος μισθωτός. Hinc Soldatum pensio annua quæ in Soldato præstatur. 2. f. 10. f.

* *Nisi potiùs, quia stipendio* solidarentur *sive sulcirentur. de quo dicam in Verbis, falsâ significatione usurpatis voce* Solidare.

Solsatis, qui ante occasum Solis non stiterit se judicio. Nam uti Romanis secundùm leges XII. Tabb. *Solis occasus suprema erat tempestas*: ita etiam apud Gallos nemo post Solis occasum se sistebat judicio: sicut liquet ex Lege Salicâ tit. LII, & Gregorio Turonensi lib. VII. cap. XXIII. Usus eâ voce Marculfus monachus lib. 1. form. XXXVII: *Per triduum, seu amplius, ut lex habuit, placitum suum custodisset; & memoratus ille abjectus sit, vel solsatis sit; ipse nec venisset ad placitum, nec nulla summa nuntiâsset.* Hinc verbum *solsatire*, convincere alterum, quòd non adfuerit ad judicium ante Solis occasum. Paullò pòst: *Illustris vir ille Comes Palatii nostri testimoniavit, quòd antedictus ille placitum suum legibus custodivit, & eum adjectivit, vel solsativit.*

* *Prope finem.*

Somata, corpora, non barbarum quidem, (quippe planè Græcum σώματα) sed classicis Latinis ignotum. Gerardus 1. Cameracensis episcopus, in Donatione an. cIↃXXXIII *: *Quando Abbatiam in honorem B. Andreæ Apostoli construxit, sitam in suburbio---- ante castrum, in quo ipse Episcopus Gerardus B. Sarii Confessoris, & S. Maxellendis Virginis, sacra deposuit somata.* Non video, cur *somata*, quàm *corpora*, præferrent. At quare minùs *cadavera* maluerint; ratio esse potuit, quòd vox ipsa *cadaverum* sonet aliquid, à quo natura abhorreat. Nempe *somata* maluere, quàm *corpora*, uti *domata*, quàm *domos*: quemadmodum dictum libri hujus cap. x.

* *Apud Miræum in Notit. Eccl. Belg. pag.* 152.

Somnetas, pro somno bono, Latinum non est. Usus interim Plinius Valerianus.

Sonia-

Soniaca corruptum κατ' ἀφαίρεσιν ex *obsoniaca*. Saltem *soniaca* idem ac *obsonium*; si audimus Chappeavillum, exponentem illud Anselmi, canonici Leodicensis, in Gestis Pontificum Leodicensium & Trajectensium cap. XL: *Præcepit, ne soniacam, Episcopis debitam, ab eodem loco, ubi ipsius sancti corpus quieſcit, accipere præsumeret.*

Sonoritas, à *sonor*, legas apud Lupum Servatum, præfat. in vitam S. Wigberti: *Poeticâ licentiâ nonnunquam nomina mutilantur, atque ad sonaritatem Romani diriguntur eloquii.* Joannes Saresberiensis lib. II. Policratici cap. XVI: *Tantâ vocis sonoritate, & lætitiâ, canentem, ut totum mulceret orbem.* Henricus de Hassia in Speculo Anim. * *Auditus in dulci harmonicâ sonoritate.* * Pag. 19.

Sopitivum, soporiferum, sive soporandi vim habens. Petrus Cellensis lib. III. epist. II: *Accidit hinc beatitudini meæ dulce adinvicem commercium literarum; unde & amaritudinibus meis mitigativum paratur electuarium, & inquietudini sopitivum electuarium, & hebetudini non mediocre aruginamentum.* Quàm multa hîc novè efformata!

Sordities, sordes. Petrus Cellensis lib. VIII. epist. VII: *Cooperantur hæc duo ad extrahendam peccati rubiginem, ad delendam pruriginem, ad extergendam sorditiem.* Ac crebrò retinet Tilmannus in tralatione homiliarum Antiochi. Platus pœnulo pro eo & *sorditudo* ait; quòd à *sordidus*, ut ab *habitus*, *habitudo*.

Sororitas finxere à *soror*, ut à *sonor*, *sonoritas*; de quo diximus. Est verò *sororitas*, quâ quæpiam in monasterio *sororis* nomen accipit. Thomas Walsingus in Hypodigm. Neustriæ * de Regina narrat: *Ante recessum suum, ingressa capitulum, suscepit beneficium sororitatis cum magnâ devotione.* * Pag. 490.

Sortiariæ, quæ vulgo *strigæ*, & *maleficæ*; nempe quâ formâ *sortilegos* veteres dixere. Carolus Calvus tit. XXXIX, apud Carisiacum, cap. VII: *Audivimus, quòd malefici homines, & sortiariæ, per plura loca in nostro regno insurgunt.* Hincmarus de divortio Lotharii, ad XV. Interrogat. *Alii potu, alii autem cibo à sortiariis dementati, alii verò tantùm carminibus à strigis fascinati.* Quo de loco vide etiam, quæ ad Constitutiones Caroli Calvi Sirmondus annotavit. Utiverò hinc liquet, jam Hincmari hujus ætate *sortiariarum* vocabulum obtinuisse; ita obscurum, utrùm ante quoque ita fuerint locuti. Vix putem.

Sosanium, pro lorica, est à posterioribus Græcis; qui similiter dixere σωσάνιον: ut Joannes Diaconus ad Scutum Herculis. Moscho-

pulus tamen Latinum facit: qui cum dixisset, θώρακα nunc signare partem corporis humani; nunc verò pectorale sqameum, sive ex laminis æreis, vel ferreis, concatenatum: subjungit deinde: Ὅ κοινῶς ἀπὸ τῆ τ Λατίνων γλώττης σωσάνιον, καὶ λωρίκιον, λέγεται *quod vulgo linguâ Latinâ sosanium, & loricula dicitur*, ut à *lora* nō solùm λώρικον, sed etiam λώρικον: ita ἀπὸ τῦ σῶσαι*, non σωσάνιον modò, sed etiam σωσάνιον, fecere: σωσάνιον verò à servando; quomodo & Polybio teste, dixere καρδιοφύλακα, q. d. *corditunum*; ut reddebat Jo. Lascaris. Nempe vocabulum Græcum Latinæ orginis Moschopulus putavit, quia veteres Græci id nescirent: ac recentioribus Latinis usurpatius esset, quàm Græcis ipsis. E Latinis usus vetus scriptor vitæ Karoli M. sed vulgò apud eum legitur *boanosos*, pro *sosanios*, Sic enim rescribi oportere, probat Meursius ex Adelmo, & incerti scriptoris annalibus; qui, rem eandem de Carolo M. narrantes, pro *bounosos* habent *loricas*. Ac probat hanc emendationem (nec dissimulat, quem sequatur ducem) Joa. Ludovicus de La Cerda Adversariorum Sacrorum cap. CXXVII.

* λ *servando.*

Sotularis, calceamenti genus; ut pluribus dixi lib. I. cap. VIII. Volunt esse à *solea*: sed censeo esse à *subtalaris*: uti istoc, quia sub talis. Adi, quæ inferiùs subdam in *Subtalaris*.

CAP. L.

Accessum ad ea, ubi initiales litera S P, vel S T. Spagirica *ars, quæ aliter Alchymia*, Spalagus, *talpa*, Spalterium, *psalterium*. Spaniscus, *Hispanicus*. Spatharius, *satelles, armiger*. Spatio, *vagatio*. Spatulæ, *delicie*. Spicarium, *horreum*. Sponsalitia, *repromissio matrimonii*. Spontaneus, *voluntarius*. Spurcalla, *spurcitia*. Sputaculum, *sputum*. Standifer, *vexillariorum primus*. Statunculus, *statua minuta*. Staupus, *vel potiùs* stroppus, *corona*. Stauracina, *quibus intexta est figura σταχίων, sive tortilium pampinorum. Obsterque de* octapolis. Stera, *vestis Episcopalis, quæ Græcis* στιχάριον. Strabus, *strabo*. Stratilectilia, *lecti stragula*. Strepus, *pro stropus, vel stroppus*. Striga, *strix*. Strio, *histrio*. Strophosus, *qui strophis, ac arte Pelasga, gaudet*. Strumentum, *instrumentum*. Stuticinia, *quæ stulti canunt*.

ADji-

ADjicienda his nunc, quæ initium capiunt ab S, sequente P, vel T.

Spagirus Theophrasto Paracelso, pro *alchymista*: unde ars *spagiria*, vel *spagirica*. Puto autem, *spagiricos* dici à duobus artis officiis: quæ sunt, composita resolvere, & resoluta componere. Nam σπᾶν *trahere, extrahere*: ἀγείρειν, *congregare*.

Spalagus, talpa, ex obliquo Græco σπάλαξ, ut à κυνὸς *canis*. Rectius est σπάλαξ, quod κατ' ἀφαίρεσιν ex ἀσπάλαξ. Asdhe Imius cap XI: *Simulque truculenta regulorum, & aspidum venena, ad quæ quadrupedis rubeta, & spalagi pestifera confectio, humanæ naturæ nocitura habebatur*

Spalterium, καὶ μετάθεσιν pro *psalterium* est in Vita Sanctorum Othon. lib. I. cap. II. Nec putandus librarii error, sed vitium seculi; quando & alibi reperias, aliâque id genus.

Spaniscus, pro Hispanicus; ut *Spania*, pro Hispania. Anastasius in Benedicto III: *Spaniscas, quæ pendent super altare*. Item: *Vestem de Spanisco ornatam*. Hoc est, de velo Hispanico; ut rectè interpretatur Ludov. de-la-Cerda. Nempe ut vela Tyria, Alexandrina *, Cypria *; sic & Hispanica, in pretio fuere.

* *Plaut. Plin. Anastasius in Gregorio quarto.*

Spatharius, satelles, armiger, quia spatham gestaret. Cedrenus: Σπαθάριος, ὁ σωματοφύλαξ. Glossæ Placidi: *Armiger, qui vulgo spatharius*. Isidorus in Glossis, *Salattarius* (leg. spatharius) *portator armorum*. Alcuinus epist. IX. ad Nicephorum Imperat. *Arsacii, gloriosi spatharii*. Rhegino Chron. lib. II. *Arsacio spathario, legato Nicephori Augusti*. Ivo Carnot. in Chronicis: *Cui alia quoque obsequia, atque spatharios, dedit*. Adelmus in Annal. *Irene imperatrix è Constantinopoli misit legatum, nomine Leonem spatharium*. Sigebertus Gemblac. in Chronicis: *Tractavit, ut inter missarum sollemnia, cum sibi ipse Papa communionem porrigeret, illum spatharius suus perimeret: sed spatharius horâ sanctæ communionis Papam nullo modo videre potuit*. Habes & in Legg. Alamannicis tit. LXXVII. §. VII. Similiter apud Græcos σπαθαρίου vocem legas in dialogis S. Gregorii, ubi de spathario regis Totilæ; apud Mauricium Stratagemat. lib. II. cap. IX; & Constantinum Porphyrogennetam Novell. II. Qui inter spatharios principem obtinebat locum, *protospatharius* vocabatur. Usurpat Paullus Diaconus lib. VI. Rerum Longobard. cap. XI. Suâ ætate nullum id munus sustinuisse, ait Codinus de Offic. Constantinop. cap. V. §. LV. Olim verò spatham, sive ensem, Imperatoris gerebat; ut est apud eum cap. V. §. V. Eo verò absente, sigilliferum hoc feciisse, legas ejusdem cap. §. XV.

* *Pollux, Epiphanius.*

Spa-

Spatio, si sana est lectio, dixerit Rhegino Abbas Chronicorum lib. II: *Venatu, ac spatione, victum quotidianum quaritant.* Fortasse scripserat *spatiatione*: novè quidem, sed tamen ἀναλόγως. Interim maluissem, *spatiando*, vel cum Livio, *vagatione.*

Spatulæ, deliciæ, ut exponit Papias. Est à σπατάλη, quod in Glossis Cyrilli exponitur *lascivia, delicia.* Ac in iisdem est, Σπάταλος, *delicatus.* Turpinus de vita Karoli M. cap. XX: *Anserem, aut statiolam porcinam.* Sic *spatulor, delicior*: ut Catholicon interpretatur. Videlicet à σπαταλῶ, quod à σπαθῶ. Hesychius: Σπαθᾷ, τρυφᾷ, ἀναλίσκει, ἀσώτως καὶ ἀφειδῶς ἀλαζονίυεται.

Spicarium, horreum, quia spicæ in eo reserventur. Locus ubi frumentum reponitur & conditur. Gloss. *Spicarium, horreum cum tecto.* Glossarium Latino Theotiscum: *Granarium, spicarium.* Nempe à *spicu, spicarium*; ut à *granis* veteres *granarium*; juniores etiam *granicum*, sicut antea vidimus, dixere. Lex Salica tit. XVIII, §. II: *Siquis spicarium, aut macholum cum annona, incenderit*; IID. *den. qui faciunt sol.* LXIIS, *culp. judicetur.* Lex Alamann. tit. LXXXI. §. VI: *Si enim spicarium servi incenderit, cum* III. *sol. componat.* Formularum veterum scriptor, cui in Editione Bignonii locus est postremus, cap. XXVI: *Contigit, quòd cellarium, vel spicarium vestrum, infregi, & exinde annonam, vel aliam raupam, in solidos tantos furavi.* Ekkehardus in Casibus B. Galli cap. ult. *Pura de spelta dederat grana, & quod amplius erat, spicarium ille novum, quia sic homo erat, solis feris, & belluis, avibusque domesticis, & domesticatis, condi fecerat.* Factum inde Germanicum **Speicher/Spicher.**

* *In Vitis SS. ad 2. Ian.*

Sponsalitia legas in Vita S. Maximi, abbatis martyris, cap. II, §. XII *: *Ego*, inquit, *te sponso, sponsalitiæ caussa; ut tu sis mihi sponsa in Domino, & ego tibi in Christo.* Maluissem *sponsalium*, vel *sponsaliorum.*

Spontaneus, quis nunc non dicit? Sed veteres maluere *voluntarius.*

Spurcalla videtur idem ac *spurcitia.* Aldhelmus lib. de Virginitate cap. XII: *Cui* (draconi (*paganorum decepta gentilitas, ad sedandam furoris vesaniam, fanatica lustrationis spurcalla thurificabat.*

Sputaculum à *sputo*, ut *spectaculum* à *specto.* Euagrius in vita S. Antonii, ex Græcâ illâ Athanasii Latinè à se redditâ: *Vidi aliquando diabolum excelsum corpore, qui se Dei virtutem, & providentiam, ausus est dicere: & ait ad me; quid vis, ut à me tibi donetur, Antoni? At ego sputaculum maximum in os ejus ingeminans, totum me in eum, Christi nomine armatus,*

matus, ingessi. Maluissem, *consputans ejus faciem*, vel *sputo vultum ejus conspurcans.*

Standifer, quasi standardum ferens *Standardus*, vexillum statarium, à stando: unde Belgis **staudaert**: & affine vocabulum Italicum, Hispanicum, Anglicum. Magnum Chronicum Belgicum *: *Et in illo die de Leodiensibus, & Hoiensibus, ut rumor erat, usque ad numerum* XXIII. *millium virorum caderent, ante exercitum in cono belli interemptis intruso, & mamburno praedicti cum eorum standifero, & pluribus aliis nobilibus.*

* Pag. 338.

Statunculus ejusdem originis, ac *statua*: notat verò minutam statuam, vel effigiem. Vita S. Concordii presbyteri martyris †, §. VIII: *Et venientes satellites ad eum cum statunculo Jovis, dixerunt.*

† In Vitis SS. ad 1. Jan.

Staupi memorantur Anastasio biblioth. in Nicolao primo: *Staupos argenteos duos in arcu, quem ex argento fecerat, suspendit.* Quam lectionem tuetur Jo. Ludovicus de-la-Cerda in Adversariis Sacris cap. XCV, §. XXIX. Censet verò, coronas signari. Quod si est, *straupos* legendum sit. Nam *stroppus*, & *struppus*, corona, ἀπὸ τῦ στρέφειν, unde & *strophium*. Hinc Falisci *strupeariorum festum*; quo cum strupo, sive strupo, hoc est, coronati ambulabant. Vide Festum in *stroppus*.

Sauracina vestes, quibus intexti pampini, sive corymbi. Sanè σταφάχια, ἕλικες, ut interpretatur Moschopulus; hoc est, tortiles pampini, ut pro eo dixit Plinius. Anastasius in Adriano: *Cortinas de pallis stauracinis, seu quadrapolis.* Item; *Vela stauracina, seu octapla. Quadrapola* verò vocatæ à forma quadrata: uti & à forma *octapla* dicebantur. Quod judicium est Ludovici de-La-Cerda in Adversl. sacr. cap. LI. §. XIII.

Stera barbaris Latinitatis temporibus dixere pro ὑστέρα: unde & corruptum per ἀφαίρεσιν. Itaque in Vocabulariis legas: *Stera, pellicula, in qua puer involvitur, & moratur.* Item, *Obstetrix, femina, qua steram* * *tractat.* Et similia. Latini *locos*, vel *uterum*, appellant.

* Videtur existimásse, obstetrix. *quæ vox est ab* obsidendo, *hoc est, adsidendo, conflari ex* ob & stera: *quod ridiculum est.*

Sternutatio legas in Scribonio Largo. Sed de opere, quod scriptori tribuitur ætatis Tiberianæ, non levia scrupulum injiciunt. Multoque malim, *sternutamentum*; cum Cicerone, Celso, Plinio, Agellio.

Stica tunica est in glossis Isidori: fortasse pro *sticta*, ut sit χιτὼν κατάστικτος, hoc est, tunica notis variegata, ac distincta. Nimis igitur laxa est Isidori interpretatio, quando *tunicam* exponit. Atque hoc magis

gis fatebuntur, qui sciunt, fuisse vestem Episcopalem undulatam, quam Græci στιχάριον appellant. Et fortasse *stica* ex στιχάριον κατ' ἀποκοπὴν. Sed de etymo, prius, an posterius, malis, non contendero, de re ipsa pleniùs Simon Thessalonicensis libro de Templo, & è junioribus Gretzerus ad Codinum cap. XVI. *.

* Pag. 174.

Strabus, pro *strabo*. Althelmus de laude Virginitatis:

Mutos, & mancos, claudos, surdosque repertos,
Luscos, ac strabos, quis tortâ luce fruuntur.

Græci, & σραβὸς, & σραβὼν, dicunt: sed Latinis solùm *strabo* est in usu.

Stratilectilia, stragula lecti. Matthæus Parisius an. CIↃCCXXXII: *Illi præcipuè, qui equos, & arma, & pecuniam, & stratilectilia, cum viaticis amiserant.*

Strepus in Glossis Philoxeni exponitur τροπωτήρ. Hoc notat funem, quo remi ad scalmum religantur. Nempe à τρέπω, *verto*; quia funes torquentur. Uti & inde *strepus*, ἀπὸ τοῦ στρέφειν. Sed sicuti ab eo verbo στροφὴν, & alia: ita puto, *stropus* potiùs rescribendum, vel *struppus*, aut *struppus*. Nam facilè *o* in *u* abit. Livius Andronicus apud Isidorum lib. XIX. Originum cap. IX: *Tumque remos jussit religare struppis.* Quàm bene istoc convenit, cum hoc Vitruvii lib. X. cap. XIII: *Remi circa scalmos strophis * religati.* Et illo in Glossis vett. *Strupus*, σκαλμὸς, ἐν θαλάσσῃ δεσμεῖται. Etiam Belgis hinc strop, laqueus, *funis intortus.*

* Ita & editio Florentina an. 1522.

Striga, pro *striges*: quomodo vocabantur aves nocturnæ, quæ pueris credebantur exitium adferre: indéque nomen translatum ad veneficas Satanicas. Festus: *Strigas, ut ait Verrius, Græci, συγγια appellant; quod maleficis mulieribus nomen inditum est, quas volaticas etiam vocant.* Ubi videmus, *strigas* censeri eosdem, ac *maleficas*, & *volaticas*. Sed quòd *strigas* putârunt esse à *striga*; planè eos ratiò fugit. Est enim simile, ac cum hos *crateras*, vel *rethoras*, dicimus. Nam Ovidii est VI. *Fast. Est illis strigibus nomen.* Ac *strix violenta*, est in primo Tibulli. Perperam igitur Hincmarus de divortio Lotharii, *a strigis fascinati*, pro *strigibus*. Verba pleniùs antea adduximus in *Sortiaria*.

Strio in Isidori Glossis exponitur *mimarius, scenicus*. Corruptum ex *histrio*. Quomodo & *Scarioth*, pro *Iscarioth*, legas apud Odonem, abbatem Cluniacensem, serm. de Magdalena.

Strephosus, versutus, fraudulentus: ab ea significatione *strophæ*, quâ Seneca epist. XVI. ait, *Remotis strophis, ac fucis.* Rabanus Maurus ad Ludovi-

dovicum Pium Imp. *Nec† fur strophosus foveam detrudat in atram.* Ubi & peccatum adversus legem Pediam; cùm Græcè στροφὴ sit; puta à στρέφω, *verto.*

† *Wolf. Lazius edidit cum fragmentis Karoli Magni, pag. 190. edit. Baller. an. 1560.*

Strumentum à *struo*, ut *instrumentum* ab *instruo*. Sed significatione eâdem non reperio apud antiquiores Appulejo; qui usus lib VIII. Met. *Cunctis strumentis me redunatum.* Postea à compluribus insurpatum. Ut Tertulliano ad Uxorem; Ambrosio, sive Hilario Diacono, in epist. ad Rom. cap. IX; etiam Karolo necdum Magni, vel Imperatoris nomen sortito; cùm donationem proavi sui Pipini Herstallii firmaret, an. DCCXXIX *: *Sed asserit venerabilis vir, Erinhardus Abbas, quod de ipsis rebus nulla munimina, aut strumenta chartarum, penes se habeant.*

* *Apud Miraeum in Notitia Eccles. Belg. cap. 23. sive p. 34.*

Stulticinia, stultorum cantica; ut sunt amatoria. Joannes Saresberiensis lib. I. Policratici cap. VI: *Amatoria bucolicorum apud viros graves esse fuerat criminis: nunc verò laudi ducitur, si vides graviores amatoria, quæ ab ipsis dicuntur elegantiùs stulticinia, personare.*

Superpositio, jejunium; more Græcorum, quibus dicitur ὑπερθεσις. Concilium Illiberitanum can. XXVI: *Errorum placuit corrigi, ut omnis sabbathi die superpositiones celebremus.* Nempe quia jejunium cibationi superponitur. Scio, in editione Ferdinandi de Mendoza, item illa Garsiæ Loaisæ, legi, *jejuniorum superpositionem*: sed aliter editio prima, ut etiam Severini Binii editio agnoscit: ac eam pluribus tuetur ὁ πάνυ Salmasius ad Solinum exercitationibus Plinianis. Eò malo remittere, quàm pluribus hic insistere.

CAP. LI.

De iis, quæ à SV, vel SY, ordiuntur. Subadjuva, *cujus est adjuvantem adjuvare.* Subalternus, *magistratus, vel judex, sub altero constitutus.* Subannulati *capilli, qui in sues recidunt annulos.* Subcollectores, *publici ministri in pecuniis colligendis.* Subjugatus, *jugo subditus.* Submansor, *qui manet sub eâdem jurisdictione.* Submergium, *submersio.* Subregulus, *regulus alterius imperio subjectus.* Subsequivus, *subsequens.* Subtalaris, & *corruptè* sotularis, *pedum tegmen.* Subventio, *auxilium.* Succinctoria, *campestria.* Succursus, *suppetiæ.* Sudarii, *quibus Venere lassis sudor undique dimanat.* Sufferentia, *tolerantia.* Sufficientia, *quod satis est.* Suffitorium, & thymiamaterium, *prothymiaterium.* Suffraganeus, *episcopi vicarius.* Suffumi-

gium, *suffumigatio*. Suillinum, *suillum*. Summarietas, *summa perfectio*. Summitas, *fastigium*. Superaltare, *exiguum altare magno superimpositum*. Superforaneum, *supervacuum*. Superioritas, *excellentia*. Sumtorium, *cochlear*. Supercilioſus, *faſtu tumens*. Superhumerale, *epomis*. Superintendens, *epiſcopus*. Superpellicium, *habitus ſacerdotalis*. Superpoſitio, *jejunium*. Superſcriptio, *inſcriptio*. Superſtationarius, *ſtationariorum præfectus*. Suppedaneum, *quod pedibus ſubjicitur*. Superventio, *ſuperventus*. Suriſcula, *hydria*. Suſpenſorium, *camini pars, ubi perna ſuſpenduntur*. Suſtentaculum, *quo quid ſuſtinetur*. Suſurro, *qui occultè obtrectatur*. Suſurrium, *quod in aures ſuſurratur*. Sutriballus, *ſutor*. Syncellita, *eâdem degens cellâ*. Syndicatus, *Syndici dignitas*.

IN cœptis ab S reliquus iis eſt locus, ubi ſequitur quincta vocalis, vel Græcanicum Y.

Subadjuva, pro adjutore adjutoris, liquidò uſurpant Imperatores, Gratianus, Valentinianus, & Theodoſius †: *Ut periculum ſe & adjutor, & ſubadjuva, adituros eſſe cognoſcant*. Similiter in Collatione Carthagin. III: *Navigio, adjutore numerorum, & Peregrino adjutore ſubadjuvarum*. Frequens verò eſt in Notitia Imperii. Imò & ad Græcos dimanavit. Nam ὑβαδιύβα eſt apud Syneſium epiſt. CXLV *, & Simeonem Metaphraſtem in Actis Porphyrii Martyris. Pro quo &, Δ extrito, & terminatione mutatâ, ὑβαίυϛ eſt in Gloſſis Baſilicis: ubi eponitur, ὁ τῦ ϛρατηγοῦ. Suidas ſimiliter interpretatur, ac Romanam eſſe vocem agnoſcit. Sed vitioſo codice deceptus, pro Σ initio habet P. Nam apud eum eſt ῥυβαίυϛος. Quem ejus errorem obſervarunt viri præclarè de hiſce ſtudiis moriti, Briſſonius de Verborum Significationibus, Iſaacus Caſaubonus Animadverſ. in Athen. lib. I. cap. VI, & Joannes Meurſius in Gloſſar. voce ῥυβαίυϛος.

† *In Cod. Theodoſ. Tit. de Agent. in Reb.*

* *Ad Herculianum.*

Subalternus formarûnt ad inſtar Græci ὑπάλληλος. *Sic ſubalternum* magiſtratum vocant, qui alteri ſubeſt: *ſubalternos* judices, à quibus eſt provocatio. Rectiùs dixeris *ſecundarius*, vel *inferior*.

Subannulatus, vel *ſubannellatus*, eſt apud Arnulphum de Locis Sacris: ubi Chriſti capillum ſic vocat, quia in annulos ſuos recideret; ut de ejuſmodi capillis Seneca loquitur de Brevitate vitæ cap. XII. De talibus annulis eſt hocce Martialis lib. II. epigr. LXVI:

Unus de toto peccaverit orbe comarum
Annulus incertâ non bene fixus acu.

Accu-

Accuratè verò de hisce annulis Salmasius eruditâ epistolâ, vel libro potiùs, de cæsarie, ac comâ mulierum.

Subcollectores, quorum ministerio utuntur in pecuniis colligendis. Gregorius XIIII. in bullâ *, *Quod subcollectores, & commissarii &c. Quod omnes, & singulæ causæ nunc motæ, & pro tempore movendæ, quorumvis pratensorum excessuum, criminum, & delictorum per quoscumque subcollectores, & commissarios, tam particulares, quàm generales, in quibuslibet provinciis, decidi possint, & debeant.* * T. II. 295.

Subjugatus, qui in alicujus dominatu est, subjectus, qui jugum accipit. Nec tamen de hoc multum contendero, quia apud Claudianum Panegyr. IV. legas: ——— *Nulla est victoria major,*

Quàm qua confessos animo quoque subjugat hostes.

Submansor, qui manet sub jurisdictione alicujus Ecclesiæ. Ut in Donatione quadam apud Miræum in Notitiâ Eccl. Belg. *Hac inter cæteras libertates, gratiâ potitur, ut submansores ejusdem Ecclesiæ ab omni publica exactione liberi arceantur.*

Submergium, submersio. In Mso Floratio Sanctorum apud Bollandum in Vitis SS. ad XII. Jan.* *Tândem submergio adjudicatus.* Sermo est de Theogene martyre. * Pag. 103.

Subregulus, regulus imperio alterius obnoxius. Thomas Walsingamus *: *Cùm Edgarus, rex Anglia, Regem Scotorum, & alios subreguli, subjugâsset.* Signat Duces, Comites, Barones. * Pag. 492.

Subsequivus, pro *subsequens*, vel *secuturus*. Julianus, archiepiscopus Toletanus, in Historia Wambæ, regis Toletani *: *Relationem præterita rei, nostris temporibus gesta, inducimus, per quod ad virtutem subsequiva secula provocemus.* * Tom. I. Scriptorum de Francia rebus ex edit. Andr. du Chesnes pag 821.

Subtalares, pedum tegumentum, inde ita dictum, quia sub talis foret Vitæ S. Gudilæ Virginis * cap. II. §. VII: *Diebus verò, ut humanum vitaret favorem, talibus, & ut ita dicam, dimidiis utebatur subtalaribus; ut superior pars pedum videretur tecta, sicut Dei fervens amore incedebat, inferiore nudâ relictâ.* Ubi, contra Msorum fidem, Laurentius Surius reposuit *calceis*. Garneveltius legendum putat, *subtularibus*, sed perperam. Imò neque *sotularibus*, quæ doctissimi Bollandi est conjectura, reponere omnino opus. Usurpatur etiam in Vita S. Odonis: *Dic mihi, ubi sanctus Benedictus præcepit monachis, suos lavare subtalares?* Ludovicus de-la-Cerda in Adversariis cap. XXV. §. X. censet, aliter à *sutela* dici, *subtulares*, vel potius *sutulares*. Nempe quia in codice Mso * In Vitis SS. ad 8. Jan.

vitæ S. Gudilæ, seu Gundulæ, sit: *Diebus talibus, ut humanum vitaret favorem, dimidiis utebatur sutularibus, &c.* Verùm à *sutela* non esset *sutularis*; sed *sutelaris*. Interim hæc codicum inconstantia facit, ut nec damnem *sotularis*: quod & ipsum barbari pro eodem calceamenti genere usurpat. Vita B. Rogerii abbatis Ellantii cap. VII, §. XII *: *Sotulares nihilominus tandiu frequenter portabat foratos, donec stramen per soleas exiret.* Vita S. Eguini cap. IV, §. XIX: *Rusticus quidam partem terræ S. Egumi surripuit, & cùm judices sanxissent, ut certo die veniret, & terram illam suam esse juraret, pulverem de domo suâ sumsit, & sotulares implevit, ut tutò jurare posset, quòd super terram suam staret.* Imò & B. Hieronymum eo usum putant: sed falli, diximus lib. I. cap. VIII. Nec *sotularis* tam à *solea* factum, ut Marcellus Donatus credebat; quàm ex *subtalaris* est corruptum.

* *Ad 4. Ian.*
a *Ad 11. Ian.*

Subventio, id quo subvenitur, sive succurritur. S. Odo, Abbas Cluniacensis: *Eapropter igitur, Synodo celebratâ, auctoritate Archiepiscopi, & episcoporum, qui convenerant, statutum est: ut singulis annis deinceps, per universam diœcesim, subventionis hujus festum IV. Id. Maji sollemniter celebretur, quæ nullo alio nomine rectius, quàm subventio, censetur.* Nec ἀναλόγως minùs *subventio* dici potuit, quàm *inventio*: verum non hoc attenditur; sed quid usus ferat, quem penes est loquendi norma.

Succinctoria à vetere B. Irenæi interprete, & B. Ambrosio, vocantur, quæ vulgato etiam interpreti *perisomata* dicuntur Genes. cap. III. 7. *Campestria* nuncupat B. Augustinus lib. XIV. de Civitate Dei cap. XVII.

Succursus, unde variis linguis *succours*, pro suppetis, à *succurrenda* dicitur: nec ἀναλόγως minùs, quàm *occursus*: sed hoc usu comprobante, quia alteri refragatur. Usurpat Matthæus Parisius in Additamentis: *Alios nobiles omnes remisit in Franciam pro succursu.* Ac paullò pòst: *Si succursus militiæ de transmarinis partibus venerit.*

Sudarii, quibus sudor corpore, quasi rivis, fluit ex labore Venereæ palæstræ. Firmicus lib. III. cap. VII: *Faciet infames, libidinosos, & puerorum amatores, & ex coitu sudarios.*

Sufferentia, vires ad sufferendum, seu tolerandum. Habes in Actis Theclæ, apud Surium Tom. I, XI. Febr. & Baronium Tom. II. ad annum CCCIII *. *Deus miserere. Gratias ago. Pro nomine tuo da mihi sufferentiam.* Similiter paullò pòst * Saturninus presbyter: *Roga Christe, da sufferentiam.*

* *Pag. 333. edit. Moret.*
* *Pag. 759.*

Suffi-

Sufficientia testium non dixero; sed sufficientium testium facultatem. Uti Paullus l. Conficiuntur. ff. de jure codicill. *Quid enim si sufficientium testium facultatem non habuit?* Sic quod Polybius ait, ἐπαινεῖσθαι, καὶ θαυμάζεσθαι τὴν ἀυταρκειαν τοῦ βίου, non reddam, *laudari, & admirationi esse, propter sufficientiam sui in vita*: sed, *ob frugalitatem, ob animum suâ sorte contentum*, sive *quia sibi sufficeret.*

Suffitorium Anastasio bibliothecario, quod aliis thuribulum, θυμιατήριον Græcis, & quandoque Latinis: ut eidem Anastasio, ubi refert, quæ Constantinus M. fecerit ad ornandum baptismum suum. Perperam *thymiamaterium* legit de-La-Cerda in Adversariis Sacris cap. XCIV. Nec enim est à θυμίαμα: sed à θυμιάω.

Suffraganeus, episcopi vicarius, sive auxiliaris episcopus, qui *suffragari*, & opitulari, si non re, minimùm verbis debet: quam nominis rationem legas in Catholico. Habes Carolinarum Constitutionum initio, quod est de Metropolitanis*: *Ut suffraganei episcopi secundùm canones subjecti sint.* Legas etiam apud Arnulphum Lexoviensem, rescripto ad Papam Alexandrum*, Quia verò sit vicarius episcopi, cò & *coepiscopus* vocatur Innocentio III. lib. XIII. Regest. XIV. Hinc *consuffraganeus* apud Ivonem Carnotensem epist. I IX, ad Hugonem Laudunensem Archiepiscopum. Nec tamen vox ea uno semper modo sumitur: qua de re malo verbis uti Nicolai Serarii lib. I. Rerum Moguntiacarum cap. XXII: *Episcopi suffraganei hodie vulgò aliter, quàm olim, vocantur: pro iis nimirum, qui titulares ideo nominantur, quòd unius alicujus episcopatus, in quo versari jam non possunt, titulum gerant; aliique episcopo, in cujus diœcesi sunt, opem ferant. Olim verò suffraganei tantùm dicebantur, qui Metropolitano, seu Archiepiscopo, subditi erant Episcopi; partim quia ab hoc ad Synodum vocati, suffragii jus in ea habebant; partim quia nonnisi Metropolitani suffragio consecrari poterant: ut habetur apud Ivonem parte V, Can. Primum vi extra.*

† Pag. 223. edit. Moguntinæ an. 1602.

* Fol. 27, b.

Suffumigium non dixero, sed *suffumigatio*; à *suffumigo*; quod Varronis est, ac Celsi. *Suffumigii* tamen vocem è junioribus, inter alios, non refugit David Colvillus Scotus, in tralatione vitæ S. Syncleticæ, cap. X. §. LXXX.

Suillinum, suillum. Gregorius Turonensis lib. X. Hist. Franc. cap. XXIV: *Pice, tergoribusque suillinis immistis, suppositis ardentibus facibus, succendere* (basilicam) *visi sunt.*

Summarietas, perfectio summa, summus gradus, sive ubi nihil desidera-

sideratur. Clemens VII. in Bulla de Syndicatu Judicum *: *Accommissarius mittendus, Episcopus, vel vicarius, & procurator Fiscalis, Confaloneriusve seu Præpositus, & doctor eligendus, præfati rationem administrationis hujusmodi, cum omni summarietate, integritate, & severitate, audiant.*

* Bullarii Tom. 2. pag. 496.

Summarius est apud Ciceronem lib. x. ad Att. epist. 1: *Nisi fortè iste summarius ei potest persuadere, ut dum oratores eant, ac redeant, quiescat.* Sic in cunctis se manu exaratis reperisse, ait Petrus Victorius. Manutius legit, *nummarius*; ac significari censet nummis sive auro corruptum. Simeo Bosius, non improbante Lambino, ac socero meo Junio, legit *summœrius*; ut exprobetur prostituta pudicitia; qualis uxoribus *summœnianis* *, ex eo sic dictis, quia sub mœnibus habitarent. Cui simile est *summœrius*, hoc est, similis illis, quæ degunt sub mœris, sive muris. Verùm censeo hic non tam pudicitiam violatam objici, quàm belli civilis amorem: còque placet Turnebus, qui Adversariorum lib. XVIII. cap. VI. *submarius* legit, quasi ὑπομάριον, sive pusillum Marium dicas. Ac censet Salmasius, Vertulliano lib. de Pallio Domitianum similiter dici *Subneronem*, quasi exiguum Neronem, quia eum, ut ait Ausonius,

* Martialis lib. 12. epigr. 32.

------ *Dixit calvum sua Roma Neronem.*

Summatores qui dicantur, exponam in Verbis, voce *Summare.*

Summitas, etiam à Cælio Secundo, ut probum, agnoscitur in Foro Romano. Sed Latinè magis dixeris *fastigium.* Nihilo melius *imitas*; de quo superiùs.

Sumtorium, cochlear, vel simile quid, quo quid è calice sacro adsumeretur. Flodoardus lib. III. cap. V: *Calicem majorem cum patina, sumtorique fecit ex auro, lapidumque preciosorum illustravit nitore.*

Superaltare, altare minutum, ex lapide consecrato, quod magno altari superadderetur, & haberet crucem cum crucifixo superimpositam: sive altariolum portatile, quod circumferrent presbyteri, quando ægrotos viserent; quodque, in ægri ædibus, mensæ imponerent, corpus Christi daturi ægrotanti. Matthæus Parisius in vita Joannis I, abbatis XXI. S. Albani: *Ipsius fratris Guiljelmi manu tabula picta ante altare, cum super-altari cælato, & cruce superpositâ.*

Supercilliosus cum nonnullis non dicam; sed grandis supercilii, vel supercilio Campano: eâ *supercilii* significatione, quâ fastum notat.

Superforaneum, pro supervacuum, & fori legem excedens; qualis illa, ut ne, in causis capitalibus, accusator ultra sex horas; nec ultra nove-

novenas, diceret reus. Usurpant Symmachus lib. III epist. XLVIII, Sidonius lib. I. epist. VII. & lib. IV. epist. XI, item Ennodius ad Olybrium.

Superhumerale Rabano Mauro, ut Græcis ἐπωμίς. Nempe quia capiti sic injicitur, ut deinde in humerum dependeat. Itaque & *humerale* vocatur in Gemma Animæ cap. CCI. Vide, an non, si vetera ames, *capitale* & *ricam*, possis dicere. Varronis quidem est lib. IV. de L. L. *Capital dicitur à capite, quod sacerdotula in capite etiamnum habere solent. Rica à ritu dicitur, quod Romano ritu sacrificium femina cum faciunt, capita velant.*

Superintendentis vox, pro eo qui presbyteris præest, non est proximi seculi inventum; sed jam olim sic Episcopum interpretatus est B. Hieronymus epistolâ ad Evagrium: *Hoc quidem Græce significantius dicitur ἐπισκοποῦντες, id est, superintendentes. Unde & nomen Episcopi tractum est.* Sed ea veteris mihi Ecclesiæ veneratio est, ut longè *Episcopum* malim dicere. Nec enim ulla fuit Ecclesia olim, quæ bresbyterorum προϊστῶτα diceret *superintendentem.*

Superioritas pervulgatum: pro quo Latini *præstantia, excellentia.*

Superpellicium, habitus sacerdotalis; vestis nempe linea, quæ superinduitur cæteris. Matthæus Parisius in anno CIↃCCXXXVII: *Ingressus* (legatus) *Ecclesiam, coram majori Ecclesia Pontificalibus se induit; scilicet superpellicio; & desuper capâ chorali, pellibus variis furratâ**, *& mitrâ.*

* *Hoc est sufulta. Vide lib. 2. cap. 7. voce* Fodratura.

Superstationarius Optato Milevitano, præfectus stationariorum: ut *superjumentarius*, jumentariis præpositus apud Suetonium in Claudio. Simile foret *supermedicus:* pro quo est *superpositus medicorum*, in veteri inscriptione Romæ*: ALCIMIANO SUPERPOSITO MEDICORUM. Vide de hujusmodi, quæ ad Spartiani Hadrianum Salmasius* annotavit.

* *Apud Gruterum pag. 581 num. 7.*

* *Pag. 4.*

Superscriptio non dixero, sed *inscriptio*, pro eo, quod Græcis ἐπιγραφή. Nec tamen multùm de eo contendero: quando Jurisconsulti veteres promiscuè usurpant. Nam lib. I. Digest. Tit. X, qui est de operibus publicis, Leg. III. Macer ait, *inscribere principis nomen operi publico.* At mox leg. IX ex Modestino habes: *Ne præsidis quidem nomen licebit superscribere.*

Superventione non dixero, sed *superventu*; quod Plinii est; ut & Papiniani. Prius est Flodoardi lib. III. Hist. Rem. cap. XIII, *De superventione paganorum.* Legas & *superventu* particulatim, pro su-

perventu latronum, raptorumque. Gregorius Turonensis lib. III. Hist. Franc. cap. XVI: *Non desistebant à furtis, homicidiis, superventis, diversisque sceleribus.* Item lib. VII. cap. XI: *Furta, superventa, pervasiones, cædes.*

Suppedaneum, pro scabello, quod pedibus subjicitur, nova quidem vox, sed non ineleganter composita. Usurpat Helgaldus in vita Roberti Regis: *Vidit quendam* eorum mole carnis gravatum, pedes suos dependere, ab altà pietate ductus, à longè quærens, suppedaneum reperit unum quod manibus Deo, & hominibus charus apprehendens, illud tanto Pontifici offere non recusavit, & sub pedibus ejus ponere non est dedignatus.* Eoque exemplo & *foculos suppedaneos* dixeris, quos Batavi hiberno frigore subjiciunt pedibus. *Stovas* vocant.

* Pro Videns cuidam eorum, mole carnis gravato.

Surisçula, vas aquarium, hydria, fortasse ex ὑδρίσκη, quod ὑδρίαν notat, teste Hesychio. *Surisçula* voce sic usus Pelagius, Rom. Eccles. diaconus, in Verbis seniorum lib. IV. nu. LXVII, & lib. VII. num. XXXIII. item libello VIII, num. IV, & alibi. Vide, quæ Rosvveidus in Glossario ad Vitas Patrum annotavit.

Suspensorium, camini locus, ubi ad esum suspenduntur pernæ, carnesque aliæ fumo indurantur: vel etiam superioris contignationis locus, ubi, postquam sunt fumo induratæ, aëre ventilantur. Cæsarius lib. VI. Mirac. cap. V: *Quoties neminem sensit esse in coquina, ipsam latenter intrans, & nonnunquam, nactâ occasione, pueros emittens, scalâ suspensoriũ adscendit, & ex ea parte pernas, quâ muro conjungebantur, omnes penè usque ad medietatem incidit, anteriorem verò integram reliquit, ne incisiones celarentur.*

Sustentaculum junioribus non inusitatum, & ἀναλόγως formatum; ut à *spectо spectaculum.* Interea, donec apud idoneum scriptorem reperero, non utar.

Susurrium, susurratio, susurrus, confessio auricularis: quod verbi dæmoni usurpatum ait Cæsarius lib. V. Miraculorum cap. XXIX: *Ait dæmon; Sunt per meam veritatem; quia sine licentia facta; nec aliquando inde susurrasti; susurrium confessionem appellans.* Mirum verò, Ludovicum de-la-Cerda †, cum hæc adduxisset, subdere, *Tale nomen, qualis auctor.* Nempe non occurrebat, antiquiores Cæsario similiter loqui: puta Petrum Blesensem epist. V, ac B. Bernardum epist. XI. Quorum verba ipse adducit cap. LXXIII. §. XVI. Ac cap. CLXXXIII. §. VI. docet, etiam eâ voce usum Petrum Cellensem lib. II. epist. X, lib. V. epist. XIII,

† In Adversariis Sacris cap 44. §. 21.

XIII, & lib. VI. epist. XVII. Istoc tamen discriminis est, quòd non, uti dæmon, sic vocitent hi confessionem auricularem; verùm hominum susurros, ac sermones clandestinos.

Susurrones, homines maledici, qui non apertè, & in os; sed clanculum susurrant, & spargunt multa sinistra. Euagrius, B. Hieronymi æqualis, in vita S. Antonii, quam ex Græco Athanasii transtulit: *Quis tantum monachorum agmen adspiciens, quis virûm illum concordiæ cœtum cernens, (in quo nullus nocens, nulla detractio susurronis; sed multitudo abstinentium, & certamen officiorum erat,) non in hanc statim erumperet vocem: Quàm bona domus tua Jacob, tabernacula tua Israel!* Potiùs dixero *susurratores*, cum Cælio in primâ ad M. Ciceronem epistolâ. Sic enim est in optimis Mssis: ubi pleræque editiones, etiam Manutiana, *susurrationes*.

Sutriballi nomen, pro *sutore*, usurpat vetus Juvenalis interpres, in sat. III. vers. CL.

Syncellitæ, eâdem degentes cellâ, apud Cassianum Collat. XX. cap. II. Nempe ex Græco σὺν, & Latino *cella*. Unde & Zonaræ, Cedreno, Curopalatæ, σύγκελλος, qui patriarchæ proximus, & mortuo succedere in Oriente sub prioribus solet Imperatoribus. Cæterùm pro *syncellita*, ut vox tota sit Latina; maluissem *concellaneus*; quod Ennodius usurpat lib. I. epist. V: vel *concellanus*, aut *concellulanus*; quomodo *cellulanus* apud Sidonium est, lib. IX. epist. III.

Sydicatus, munus Syndici. Clementis papæ bulla * inscriptionem habet hujusmodi, *De Syndicatu judicum, & Officialium statu Ecclesiastici*. * Bul. T. I. p. 485.

CAP. LII.

De iis, quæ incipiunt à T, sequente A, E, H, vel I. Tabliστæ, *qui aleâ, tesseris, vel latrunculis ludunt*. Tangibile, *sub tactum cadens*. Tardatio, *tarditas*. Taxellus, *taxillus, ac fortasse osseum emblema*. Telonium, *ædes publicani*. Tempestatio, *tempestas rerum adversarum*. Temporalitas, *diversa temporis conditio*. Temporivus, *tempore suo proveniens*. Tenda, *tentorium*. Tenementum, *possessio, vel prædium, aut locus, ubi quis domicilium fixit*. Tenetura, *status res*. Tenuiarius, *qui in re tenui, ac levi, adlaborat*. Tenuta, *solum, quod quis tenet*. Tepiditas, *tepor*. Terraticum, *quod eò domino persolvitur, quia terræ ejus incolatur* Terminatus, *terminus: uti* signatum, *signum*; matulatum, & matellatum, matula, *ac* matella. Terrarius, *terrestris*.

Terrula, *exigua ditio, vel ager minutus.* Terrulentus, *terrenus.* Testimonialis, *diaconus episcopi concionantis custos.* Tetrasyrticum, *quod quadruplicem interpretationem admittit.* Tetravela, *quadruplicia vela.* Theadrapus, *nisi is potius* theopropus, *bibliothecarius sedis Apostolicæ.* Thelodives, *qui divus esse adlaborat.* Thelosapiens, *sectator sapientiæ.* Thelohumilis, *affectans humilitatem. Atque obiter de* theopropio, *loco, ubi promulgantur Cæsarum edicta.* Thenia, *pro antena, corruptè.* Thesaurarius, *quæstor.* Thicinynus *à librariis esse, prohiacynthinus,* Thlipsis, *oppressio.* Thoracæ, thoracides, thoracletæ, *pro imagine hominis, pectore tenus.* Tiaratus, *tiarâ velatus.* Tigellum, *tigillum.* Tintinnabulus, *tintinnabulum,* Titulatus, *gemma insigens.*

PRo instituto quidem satis institimus iis, quibus initium est à sibilante elemento. Nunc subtexam eorum non pauca, quibus initium est ab ea litera, qui cum in omnibus penè linguis ei lis est; dum vel S literæ T; vel T, literæ S invadit locum.

Tabliſta, qui in tabula ludit ψήφοις, sive calculis, & κύβοις, sive tesseris: qui ludus ratione tesserarum est fortunæ; ratione calculorum, artis. Est à recentioribus Græcis, qui ταβλιςὴν dixere, à ταβλίζω, *in tabula ludo.* Hoc vero à τάβλα uti istoc à Latino *tabula*: qua significatione & apud Martialem † est lemma: *Tabula luſoria.* Luxurius poëta in epigrammate quodam:

† Lib. 14. epig. 17.

Consulibus sceptrum, mensis decus, arma tabliſtis.

Lemma epigrammatis ibidem: *De tabliſta furioſo, quaſi tesseris imperante.* De omni hujus ludi ratione accuratiùs à nemine scriptum, quàm maximo Salmasio, nunquam satis laudatis ad Historiæ Augustæ scriptores Notis *.

* Pag. 462, & seqq.

Tangibilis vulgari in usu est. Latinè magis dixeris *tractabilis*, vel *res sub sensum*, vel *tactum, cadens.*

Tardatio non dixero cum nonnullis. Assentio iis, qui cum Cicerone præferunt *tarditas, mora, commoratio, procrastinatio.*

† Pag. 620.

Taxa, pretium, æstimata rei quantitas, certa pecunia. Decurtatum à latinæ linguæ corruptoribus ex *taxatio*, vel, *taxo*; unde Italis *taſſa* & *taſſare.* Taxationis & tessandi verba in Juris Civilis Codice occurrunt, de quo Cujacius II. Obsery. XII. per totum.

Taxillus corruptum è *taxillus*, quod ταξιωτικὸν à *talus.* Sed laxiùs exten-

extensa significatio. Anastasius in tralatione Concilii Niceni II: *Sanctas imagines proponendas tam de coloribus, & taxellis; quàm ex alia materia.* Ludovicus De-la-Cerda, in Adversi. S. cap. CLXXXIV. §. XI. *taxellum* hìc exponit *osseum emblema, aut ex alia materia, adinserendum exsculpendumque.* Puto, propriè ex osse fuisse; & ideò subdi, *aut ex alia materia.* Sanè origo hoc vocis exigit. Sed neque sic satisfacit interpretatio. Omnino res obscurior. Vide interim, quæ de taxillis adfert Scaliger, Notis *ad selecta veterum Græcorum fragmenta, quæ arduo operi de Emendatione temporum subjecit. * Pag. 13.

Telonium τελώνιον, propriè vectigalium redemtio, à τέλος †, & ὠνεῖσθαι *: uti τελώνης, redemtor, publicanus. Sed sumitur *telonium* sæpe pro mensa, vel domo publicanorum. Item pro ipso vectigali: sive id εἰσαγωγικὸν, pro rebus importandis; sive ἐξαγωγικὸν, pro exportandis. At tributum dicitur φόρος: cujus collatio à singulis exigitur: estque vel in capite, vel ex censu. *Telonia* autem voce Latinè non utar; etsi junioribus sit admodum frequens. Flodoardus lib. II. Hist. Rem. cap. XVII: *Postea quoque aliam ejusdem Regis, de omnium teloneorum remissione, impetravit præreptionem.* Ac alibi legas apud eundem: imò penè, apud quem non ex junioribus historicis? † Vectigal. * Emere, mercari.

Tempestatio, tempestatis immissio, rerum adversarum tempestas. Gregorius Turonensis libro suo, quem de sanctorum Patrum, seu de quorundam felicioforum vitâ, inscripsit, cap. V. quod est de S. Friardo recluso *: *Ille beatissimus, inter diversas, vel tempestationes, vel cruces sæculi, semper ejus* (Domini) *adjutorii munimen expetiit.* * In bibliotheca Patrum 2. edit. col. 1836.

Temporalitas, quâ quid pro tempore variat. Tertullianus de Pallio: *Et si quid præterea conditio, vel dignitas, vel temporalitas vestit.* Tria memorat, pro quibus vestis variat: *conditionem*, quia aliter servus, aliter ingenuus vestiretur: *dignitatem*, quia aliter plebs, aliter magistratus, & sacerdotes: *temporalitatem*, quia aliter in pueritia, quàm juventute, aut senectute: aliter hieme, quàm æstate: aliter diebus festis, quàm profestis: aliter pace, quàm bello.

Temporivus fructus serotino opponitur apud Faustum lib. II. de Libero arbitr. cap. X. Nempe temporivum inter præcocem, sive præcoquum, interque ὡρώϊμον, & ὄψιμον, sive ὀψίβλαστον, medium voluere.

Tenda, à *tendo*, ut *scriba* à *scribo*; *fuga*, à *fugio*; ac à *tendo*, *tendicula*, quia capiendis animantibus tenditur. Sed barbaris *tenda*, unde & Belgis **tente**, idem ac *tentorium*; utrumque ex eo, quia fiat è tentis pellibus.

Sic usurpat monachus Florentinus de Expugnat. Accon.

Si confratres mei tunc ibidem fuissent,
Et tenere dentibus me tendam vidissent,
Horum quidam, reputo, super me risissent.

Sic ubi vulgò, *me tandem*, restituit in Glossario Meursius: ubi & docet, sæpe similiter Grecobarbaros τένδα, vel τέντα dicere.

Tenementa, à tenendo, hoc est, possidendo bona, quæ vocant radicalia. Ingulphus in Histor. *Cœpit, largiente Domino, bonis omnibus abundare, ut tam in thesauris, ac sceuris*, quàm in terris, ac tenementis, ei pro primis amissis postmodum duplicia redderentur.* Walsingamus in Descriptione Neustriæ †; ubi refert juramentum à Scotis præstitum Angliæ Regi: *Fideliter faciam servitia, quæ pertinent ad tenementum, quod de eo tenere clamito.* Leges Scoticæ lib. II. cap. XXII. §. IV: *Nemo ejusdem tenementi potest esse simul dominus, & hæres.* Lib. III. cap. XXXVI. §. II: *Cum quis aliquem injustè, & sine judicio, dissaisiverit de libero tenemento suo.* Lib. IV. cap. XXII §. II: *Siquis sine licentiâ sumserit namos*, & de alicujus tenemento sine alicujus licentiâ illos abduxerit.* Quibus locis *tenementum* notat terram, ubi quis habitat, sive hæc propria, sive etiam, ut puto, conducticia.

* *Horreùm. Vide* scuria *libro* 2. *cap.* 17.

† *Pag.* 485.

* *Pignora capta pro rei jucatæ solutione.*

Tenetura, *teneo*, pro *tenitura*, à *tenitum*; unde κατὰ συγκοπὴν *tentum*, à quo *retentus*, *abstentus*. Est verò, *tenetura*, conditio hominis, vel rei; quasi statum dixeris, quo quid se tenet, hoc est, habet. Ita usurpatur in Charta de saisina Paganelli, quæ est in Chartis ducum Normanniæ, & Regum Franciæ*: *Et Joannes, Rex Angliæ, & homines, & imprisii sui, similiter erunt in eadem tenetura, in qua erant prædictâ die Jovis, usque ad prædictos quinque annos completos.*

† *Pag.* 1055.

Tenuiarius, cujus opera in re tenui desudat: ut qui tenuia solùm vestimenta conficit. Inscriptio vetus Romæ: THEOPHILUS VESTIARIUS TENUIARIUS*. Alia item †: MATTIUS PATROBIUS VESTIARIUS TENUIARIUS.

* *Inscript. Gruter. p.* 650 *num.* 8.

† *Pag.* 1067. *num.* 8.

Tenuta, pro *tenta*, idem valet ac terra, sive ditio, quam quis tenet, sive obtinet, ac possidet. M. Joannes Thvvrocz Chronicorum Hungaricorum part. III. cap. XXV: *Cùm rex principatûs, tenutas, & dominia regni sui, sacræ coronæ subdita, vellet conservare.* Et cap. XXVII. *Rex nolens ulteriùs occupata de tenutis Venetorum conservare, castra, & tenutas, quas tenebat, ipsis restituit.* Et cap. XXVIII: *Terris ipsorum, seu tenutis, in magna parte devastatis.*

Tepi-

Tepiditas non dixero: sed *tepor*, cum Tullio, Catullo, aliis.

Terraticum est in præcepto Ludovici Francorum Regis apud Flodoardum: *De sylvis, ubi partem habent, & terris, nullus, nisi per ipsorum voluntatem terraticum accipiat.* Ludovicus De-La-Cerda in Adversar. Sacr. cap. LXXVII. §. II, ait, hic poni pro territorio. Sed omnino est exactio publica terræ nomine, in qua quis agit. Sic *pontaticum*, quod pro transitu pontis datur, & similia. Puto *terraticum*, quod Belgarum aliquibus ter-gelt: sive à *terra* sit, sive potius à Belgico terd, hoc est, trede, *gressus*.* Aliud sanè, quam teer-gelt, hoc est, viaticum.

Terminatus substantivè, pro terminis. Frontinus de aquæductibus: *Curatores aquarum, qui nunc sunt, quique erunt, circa fontes, & fontium & murorum curam, rivos, & spicas, terminatos, arbores, vites, vebres, &c.* Accepse opere: *Si terminatus steterit.* Inque fragmentis legis Mamiliæ: *Limites, decumanique ut fiant, terminatique statuantur.* Sic in libris esse vett. monet Salmasius, Notis in Spartiani Ælium Verum. Ubi & similia adfert. Ut *sigillatum*, pro *sigillo*. Capitolinus in Antonino Pio: *Signatum tribuno aquanimitatis dedit.* Item *matulatum*, pro *matula*; *matellatum* pro *matella*. Glossæ vett. *Matulata*, ἀγύταινα. Item: *Matellata*, ϛαμνίον.

Terrarius, pro *terrestris*: quomodo *terrarius*, & *cellarius* turdus opponuntur apud veterem Persii interpretam ad sat. VI. vers. XXIV.

Terrula nunc pro exigua ditione, nunc pro exiguo prædio, vel simili, sumitur. Habes non modò apud Adamannum Scotum libro de rebus S. Columbani; sed etiam L. turres. XVIII. C. de operib. publ.

Terrulentus, terreus, vel terrenus. Prudentius in Hamartigen.

Hic terrulentis, ille viris fungitur.

Hinc *terrulentè*, more terreno. Idem ϑεοϛεφάνως:

Rem spiritalem terrulentè quærere.

Nempe spiritalia tantum rebus distant terrenis; quantum, cœlum terrâ: ut aliter longè in comparandis opibus, & honoribus; aliter in acquirendis rebus spiritualibus, sit comparatum.

Testimoniales diaconi olim dicebantur, qui Episcopum concionantem custodirent. Usus eorum exolevit. Vide Onuphrium Panuinum in Vocum ecclesiasticarum interpretatione.

Tetrasyrticum, pro eo, quod quadrifariam possit intelligi. Simile *trisyrticum*, de quo cap. sequenti. Vide libro septimo, *Diasyrticon*.

Tetravela, quadruplicia vela; ut *tetrasyllabon*, quod quatuor est syllaba-

* Terd *veteri linguâ Belgicâ* χ᾽ μετάθεσιν *ex* trede *gressus, incessus, ut* terden. *ex* treden *calcare.*

labarum. Sed hoc ex duobus Græcis; illud ex Græco,& Latino. Anastasius bibliothecarius in Papa Leone III: *Tetravela rubea alethina, quatuor habentia cruces cum gammadiis,& in circuitu periclysin de Tyrio.*

Theatrapius usurpat S. Martinus papa in donatione Blandinien si Monasterio factâ : *Datum* XIV. *Kal. Februarii ,per manum Amandi Episcopi, Theatrapi sanctæ Sedis Apostolicæ.* Qui verò hic *Thentrapius*, idem in altero diplomate ejusdem Martini papæ , eodem anno Elnonensi Monasterio concessio, bibliothecarius vocatur. Sic enim ibi de eodem Amando : *Datum* XIV. *Februarii, per manum Amandi Episcopi, Bibliothecarii S. Sedis Apostolicæ,* Sed unde *theatrapi* vox,& an non sit corrupta,quod puto,porrò cogitandum. Nunc nihil occurrit ei muneri accommodatius, quàm *theopropus.* Nam θεοπρόπος non solùm Deum decens: sed etiam oraculi consultor; ut Herodoto lib. I: πέμψαντες θεοπρόπους,*mittentes aliquos ad consulendum oraculum.* Sanè & bibliotheca est oraculi instar. Vide mox de hac voce in *Thelodives*

*Thelodives,*qui cupit esse dives,à Græco θέλω, & Latino *dives.* Sic *theloſapiens,*qualis ſapiens esse studet,qui propriè *philosophus.* Utroque utebatur Africanum vulgus,tempore B. Augustini. Atque addit, simile fore *thelohumilis*; quia significet eum, qui cupit esse humilis. Verba Augustini sunt epistolâ LIX; quæ de variis quæstionibus scripta ad Paulinum episcopum: *Nemo vos convincat volens in humilitate cordis. Hoc si per verbum Græcum diceretur : & in Latina consuetudine populari sonaret usitatius. Sic enim & vulgò dicitur,qui divitem affectat, thelodives; & qui sapientem, thelosapiens; & cætera hujusmodi. Ergo & hic thelohumilis,quod plenius dicitur thelon-humilis,id est, volens humilis, affectans humilitatem : quod intelligitur,volens videri humilis, affectans humilitatem.* Ludovicus de-la-Cerda in Adversariis Sacris cap. CXLIV. §. XXIX, cùm de tribus hisce locutus esset,addit ut simile sit *theloproprium.* Nempe putavit,itidem esse ex Græco θέλω.*, & Latino *proprium.* Equidem nulli velim insultare; qui malim calcare proprios errores. Dolet tamen,hoc excidisse viro erudito, & industrio. Neque enim *theloproprium* dicitur; sed *theopropium*; quod planè Græcum, ex θεὸς,* & πρέπειν†. Estque θεοπρόπος propriè,Deum decens: & μαντεπρεπῶς, vates; item qui oraculum consulit : ut apud Herodotum lib. I, πέμψαντες θεοπρόπους *mittentes,qui oraculum consulerent.* Hinc Homero θεοπροπία,vel θεοπρόπιον,*oraculum,vaticinium.* Sed & sic locum dixere,ubi oraculum ederetur: & κ᾽ μαντοφορεῖν, locum,ubi ederentur populo edicta

* Vola.

* Deus.
† Decere.

edicta principum. Sic, ut Erasmo etiam monitum, usus Augustinus epist. CLVIII, quæ est ad Marcellinum: *Quod autem scripsit eximietas tua, dubitare te, utrùm in theopropiâ debeas eadem gesta jubere proponi: fiat, si potest illuc frequens confluere multitudo. Alioquin alius locus celebrior providendus est: non tamen ullo modo prætermittendum.*

Thenia est apud Turociũ in Chronicis Hungaricis in an. CIↃCCCXLV cap. XCIX. Sed corruptum ex *antena*. Vide, quæ diximus in *Postella*.

Thesaurarius, pro Quæstor. Audoënus, Rhotomagensis Præsul. lib. I. de vita S. Eligii Noviomensis Episcopi: *Factus est notus cuidam Regis Thesaurario Boabboni*. Ac mox: *Cùm sciret prædictus Regis Thesaurarius Eligii industriam*. Item Isidorus utitur epistolâ ad Laudefredum Episcopum: *Ad Thesaurarium pertinet Basilicarii, & Ostiarii ordinatio*. Vide, quæ hac de voce dixi lib. I. cap. XVII.

Thicinynus vox nihili est, quæ legitur apud Isidorum lib. XIX. Originum cap. XXI*: *Machil, quod est tunica talaris, tota thicinyna, habens ad pedes* LXXII. *tintinnabula: totique intermixta, ac dependentia Punica mala*. Ubi, pro *ac dependentia*, malim, *ad dependentia*. Pro *thicinyna* autem planè legendum *hiacynthina*. Nam & ita in gemino nostro est Mso; uno vilioris notæ, altero longè optimæ: sic etiam vetus editio Veneta anni CIↃCCCCLXXXIII. Prætereà id clarè docet B. Hieronymi locus epistolâ ad Fabiolam †: *Mail, חגור id est, tunica talaris; tota hyacinthina, ex lateribus ejusdem coloris adsutas habens manicas, & in superiori parte, quâ collo inducitur, aperta; quod vulgo capitium vocant*. Ubi &, quod de tintinnabulis Isidorus ait, postea subjungit.

* *In Mssis quibusdam* 20.

† *Tom. 3 pag. 59. edit. Frobenian. an. 1553.*

Thlipsis, θλῖψις, Græcum quidem, unde ἐκθλῖψις; sed Latinis ignotum: quo tamen in Sardinia, ubi Græciffarent, usus sit Lucifer Caralitanus lib. I. ad Constantium Imperatorem. Ciceroni in Tusculanis est *afflictio*; sive, ut in aliis est codd. *afflictatio*. Idem pro eo dicit *oppressio*. Vetus Novi T. interpres pro hoc, seculi sui more, *tribulatio*: de quo alibi egimus.

Thoraca, thoracides, thoracleta, idem ac *thoraces*; unde ea facta. Intellige autem θώρακα, sive imaginem clypeatam, thorace tenus effictam; unde & προθωρίδιον dicebatur. De *thoracâ* nihil mirum. Nam ut à *lampas*, accusativus *lampada*; inde *lampada lampada*: ab *hebdomas*, accusativo *hebdomada*; inde *hebdomada hebdomada*: sic à *thorax* incusandi casu *thoraca*; hinc *thoraca thoraca*, *Thoracida* verò, ut Græci non mo-

dò θώραξις, sed etiam θωρακίδιον. *Thoracleta* usurpatum Arnulpho, libro de locis sacris: ex quo scriptore inedito hæc adducit Salmasius ad Trebellium Pollionem *: *De sancta matris thoracleta.* Item: *Thoracletam beata matris.* Præterea: *Cujus thoracletam, in re naturâ impenetrabili, penetrabilem fecit.*

* Pag. 326.

Tiaratus, cui, ut Juvenalis ait sat. VI.

Phrygiâ vestitur bucca tiarâ.

Usurpat Isidorus lib. II. de Ecclesiast. Offic. cap. V. Nec deterius videtur, quàm à *diadema*, *diadematus*; quod apud Plinium, & alios.

Tigellum, pro *tigillum*, est in vita S. Severini, episcopi Septempedani, §. XII. †.

† In Vitis SS. 8. Ianuar.

Tintinnabulus, pro tintinnabulum, apud Symposium fuit, ænigmate LXXIX: ut in primo, *graphius*, pro *graphium*: ut monitum Salmasio ad Spartiani Nigrum. Nunc aliter in Symposio legitur, Similesque *metallus*, pro *metallum*, poëtæ apud Spartianum ibidem.

Titulares episcopi qui dicantur, expositum in *Suffraganeus*: Titulus alicujus Sancti est Basilica vel Ecclesia aut Capella ejus honorificata & consecrata. Hinc cardinalium Ecclesiæ Romanæ Tituli.

Titulatus, ingens unio. Juvenalis vetus scholiastes sat. VI. vers. CCCCLV:

Auribus extentis magnos commisit elenchos.

Magnarum, inquit, *gemmarum elenchos*; *quos & titulatos appellant.*

CAP. LIII.

De inchoatis à T, ante O, R, vel V. Toltum, *item* toloneum, *vel* tholoneum, *vel* teoloneum, *vectigal.* Tollo, *tolleno.* Tortura, *tormentum.* Trachones, *meatus subterranei.* Tractoria, *libellus dari solitus peregrinaturis.* Tragimata, *tragemata.* Transmutatio, *immutatio, vel vicissitudo.* Tredecim, *tres ac decem.* Tremissis, *triens aurei.* Trepalium, *locus aculei.* Trepanum, *quo chirurgi perforant cranium.* Trepedica, *fortasse medicamenti genus.* Trichorum, *trinos habens sinus, sive recessus, domûs fastigium.* Tricinum, *funiculus è pilis.* Triginta octo, *duodequadraginta.* Trimisium, *corruptum è tremissis; de quo dictum antea.* Trimmæ, *ramenta.* Tripetia, *tripodes.* Triquadra, *tripartitum.* Trisorium, *locus pecuniæ sacræ, vel publicæ.* Trisyrticum, *quod trifariam possit intelligi.* Trogala, *tolleno.* Trogulus, *vel* trochulus, *cuculla, sive cucullus monachorum.* Troparia, *libri, qui*

Eccle-

Ecclesiasticas Prosas continerent. Trusio, *detrudendi actus.* Tumba, *sepulcrum.* Turgor, *tumor.* Turriculum, *turris minuta*; *ac particulatim, quod* ciborium *dicitur.* Turturilla, *lupanar, vel scortillum.* Tutaculum, *tutela.* Tyanæus, *Tyanensis.*

HIsce expositis, cætera nunc à Tinchoata persequar puta ubi eam O, R, vel V. excipit.

Toltum, est vectigal, ac ἀμέσως à Germanico, Belgico, Anglico, **tol**; uti hoc à τέλος, vel *telonium*, τελώνιον. Matthæus Parisius in rebus anno MCCXV, ac ut particulatim magis locum designem, in charta libertatum regis Joannis. *Omnes mercatores, nisi publicè prohibiti fuerint, habeant salvum & securum exire de Anglia, & venire in Angliam, & morari, & ire, tam per terram, quàm per aquam, ad emendum, vel vendendum, sine omnibus toltis malis*, per antiquas, & rectas consuetudines.*

* *Tolta* mala vocat, *quæ sunt indebita: uti* bona *sunt quæ exiguntur, ut hic dicitur, secundùm antiquâ, & rectam consuetudinem.*

Toloneum quoque, vel *tholonium*, vel *teolonium*, vectigal, ex *telonium*, τελώνιον, E in O converso: ut Belgæ dicunt **tol**. Capitulorum collectio Benedicti Levitæ lib. VI. cap. XXXIX: *Ut nullius homo præsumat tholoneum per villas, rodaticum, nec pulveraticum recipere.*

Tolo, vel *tollo*, instrumentum, quo aqua attollitur. Est apud Isidorum lib. ult. Originum cap. XV: *Tolonem hortulani vocant lignum longum, quo hauriunt aquas.* Subjungit deinde: *Et dictus tolo à longitudine.* Ita utrobique optimus Mssus noster. Sed omittit: Τῆλυ *enim Græcè dicitur, quicquid longum est. Unde & mustela vocata, quasi mus longus.* Ubi pro τῆλυ scripsit, vel scribere debuit, τῆλε; quod est *longè*. Quia verò in τῆλε est E longum: eò in variis editionibus librarii maluere *telon*, quàm *tolon*, vel *tolo*. Sanè & *telon* est in Venetâ anni MCCCCLXXXIII. *Tollo* etiam in Etymologico suo agnoscit Martinius. Nec tamen Latinum censeo: sed corruptum ex *tolleno*, de quo Festus. Glossæ: *Tolleno*, κηλώνιον. Latino Livius, ac Plinius, utuntur; Græco Herodotus, & Aristoteles: id à κῆλον, *lignum*.

Tortura Juris, pro *tormentum*, vel *quæstio*, nunc est pervulgatum; sed veteribus ignotum fuit. Vulgarem interim secutus sermonem vir longè doctissimus, qui pro Juramento Fidelitatis in Anglia Matthæo Torto respondens, opus suum *Torturam Torti* inscripsit.

Tracones sunt cryptoporticus, ac fornices subterranei, & quævis cavernæ profundiores. Hoc nos docet Matthæus Parisius, ad annum

cIↃCCXLVII ! ubi agit de damnoso ac terribili terræmotu, præcipuè Londini, & super ripam Tamesis: *Qui*, inquit, *in his partibus innaturalis; cùm profundis traconibus, ac concavitatibus (in quibus secundùm Philosophos solet terræmotus generari) careat; nec inde ratio poterat indagari.* Usurpat idem in Vita Ealdredi, abbatis S. Albani VIII: *Tracones, & vias, cum meatibus subterraneis, & solidè per artificium arcuatis (quorum quidam subtus aquam VVarlamia, qua quondam maxima civitati fuit circumflua, transierunt) diruit, implevit, aut obturavit. Erant enim latibula latronum, vespillonum, & meretricum.* Censet in Gloss. Watsius, *tracones*, quasi *tracheones*, vocari, à similitudine *trachea* sive arteriæ asperæ, quam animæ canalim vocat Plinius. Verum an non simpliciùs dicamus, corruptum esse è *dracones*, ac sic vocari, quia quodammodo refert sinuosos draconum flexus; vel etiam κατὰ μετωνυμίαν, quia cavernæ sub terris serpentium soleant esse habitacula?

Tractoria dicebatur libellus, qui daretur in terras exteras ituris; unde esset cognoscere, quo pacto excipi aliquem oporteret. Nam exponebatur epistolâ eâ conditio viri, & quantum illi pro eâ præstari oporteret. Dubium, num *tractoria* dicta, quia daretur in tractus exteros proficiscentibus; an quia hinc intelligeretur, quo pacto aliquem tractari, atque excipi, conveniret. Est apud Marculfum lib. 1. Form. cap. XI, cujus lemma *Tractoria legatorum.* Item in veteribus formulis incerti scriptoris cap. X. lemma est, *Tracturia pro itinere peragendo.* Eâ *tracturiâ*, sive *tractoriâ*, episcopus commendabat ob delicta, pœnitentiæ ergò, peregrinantem; ac petebat, præstari mansionem, focum, panem, aquam. Carolus Calvus tit. XXXII. apud Tusiacum, capit. XVI: *Ut ministri Comitum in unoquoque Comitatu dispensam Missorum nostrorum, à quibuscunque dari debet, recipiant; sicut in tractoria nostra continetur. Tractoriam stipendialem* appellat Agobardus, libello de insolentiâ Judæorum. Quantum verò præberi cuique oportuerit; cognoscere est è Caroli M. & Ludovici Pii capitulis, lib. IV. cap. LXXII; cujus lemma, *De dispensa Missorum Dominicorum.* Vide & quæ de tractoriis fusè ad Marculfum doctissimus Bignonius annotavit.

Tragimata non facilè legentem morabitur, qui sciat, vulgò Græcos I pro H. efferre. Planè enim sic corruptè dicitur, & scribitur, pro τραγήματα. Seculi more ita etiam exaravit ante seculum Isidorus Isolanus

lanus in vita B. Veronicæ de Binasco, lib. IV, cap. IX, §. XXI: *Vasa ignea, quibus ex saccharo delicatiora quædam composita servabantur, quæ tragimata vocamus.*

Transmutatio vix dicere ausim, idoneo destitutus auctore; etsi & *mutatio*, & *transmuto*, proba sint. Est cùm pro eo *mutatio*, vel *immutatio*; est cùm *vicissitudo*, vel aliud, malim.

Tredecim ajunt pro *decem*, & *tres*; vel *tres*, & *decem*. Nec tamen hoc valde improbem, cùm apud Tullium Verrinâ V *tredecies* legatur.

Tremissis finxere Latinobarbari, pro triente, sive tertiâ parte aurei. Nempè cùm *semissis* audirent dici de dimidio asse: putârunt etiam posse *tremissis* dici de tertia parte. At secus est, quia M in *Semis* habemus: unde *semissis*, quasi *semias*, ut ait Varro in IV de L. L. At in *tres*, vel *ter*, aut *tertius*, nullum est M. Quod cùm aliqui viderent; commenti sunt, *tremissis* dici à triplici missu. Sed eam originem refellit Capitolinus in Alexandro Severo: *Semisses aureorum formati sunt. Tunc etiam, cùm ad tertiam partem auri vectigal decidisset, tremisses; dicente Alexandro, etiam quartarias futuras, quòd minùs non posset.* Videmus hinc, quod de aurei semisse, & tremisse, diximus. Habes & vocem eam apud Julianum in tralatione Novellarum, & Paulum Warnefridum lib. V. cap. XXXIX. At longè sæpissimè exstat in Legibus Wisigothicis, Burgundicis, Alemannicis, atque aliis. Vir doctissimus ait †, *tremissis* dixisse pro *tressis*. Atqui *tressis* est trium assium; *tremissis*, sive *triens*, unius assis pars tertia; quæ plurimùm distant. Vide infrà *Trimisium*.

† *Notit ad Paull. diaconi Hist. Longobard.*

Trepalium, pro loco, ubi rei equuleo, vel aliter, torquentur. Concilium Antisiodorense (quod anno celebratum IↃXC) can. XXXIII: *Non licet presbytero, nec diacono, ad trepalium, ubi rei torquentur, stare.* Puto, ejusdem esse originis, ac *trepanum*; de quo proximè.

Trepanum, pro terebræ genere, quo chirurgi cautè cranium perforant; ut *trepanare* iisdem, pro ejusmodi instrumento perforare; à Græco τρυπάω, *terebro*, & τρύπανον, *terebra*.

Trepedica est apud Gregorium lib. II. Dialog. cap. XXX *: *Quadam die, dum ad B. Joannis oratorium, quod in ipsa montis celsitudine situm est, pergeret; ei antiquus in mulo, medici specie, obviam factus est, cornu & trepedicam ferens.* Quia antiquus ille, draco puta, sive diabolus, medici speciem habuit; eò signari potionis, & medicamenti genus, existimat Jo. Lodovicus De-la-Cerda in Adversariis Sacris c. CXVI. §. IX.

* *Al.* 29.

Trichorum, τρίχωρον, quasi dicas *trilocum*. Usus Paullinus Epist. XII: *Reliquiis Apostolorum, & Martyrum, intra absidem trichora sub altaria sacratis.* Quem ad locum multa ex Papia, Joannis Januensis Catholico, aliisque Glossariis, Rosvveidus. Vera autem lectio est: *Intra absidem trichoram*, τρίχωρον ἁψίδα, cui trini recessus, sive tribus sinibus, aut concavitatibus distincta. Sic *octachorum* templum Ambrosio, cujus absis octo haberet sinuatos recessus. Eruditè de his Salmasius in Exercitationibus Plinianis ad Solinum*. Non existimandum verò, Paullini demum ætate, hanc vocem à Latinis receptam. Nam Spartianus utitur in Pescennio Nigro: *In qua ejus in trichoro simulachrum constituit.* Ubi, eodem Salmasio interprete, intelligitur domûs fastigium, sive αἰτωμα, quod, ut stillicidia deducat, figuram habuit τριγώνου sive triangularem; unde & τρίχωρον dicebatur. Nempe ædibus planis pro tecto erat δῶμα, sive solarium: aliæ verò utrimque assurgebant, eoque habebant fastigium: imò quandoque uni domo fastigia plura; unde Statius Papinianus in primo Silvar.†

* Pag. 1212, ac deinceps.

† Carm. in Tiburtinum Vopisci.

-----Partitis distantia tecta trichoris.

Ubi terna designat fastigia. Atque hinc conspicimus, etiam Domitiani ætate hanc vocem fuisse in usu; sed significatione aliâ, quàm Paullino. Vide & hoc de loco Rhodiginum*.

* Lib. 18. Antiq. Lect. cap. 11.

Tricinum dixere pro *trichinum*, τρίχινον, quod est è pilis, qui Græcè τρίχες. Evagrius presbyter in vita S. Antonii†: *Traxit quidam sportellæ, quam texebat, tricinam, sive funiculum.* Non putandum, esse à *tricis*; cùm nequeant funiculi contexi è tricis, hoc est, pilis involutis, & implexis: à qua voce *intricare*, & *extricare*; ut ex Nonio constat. Eadem interim origo. Nam & *trica* à τρίχες.

† Pag. 49. a. edit. Rosvveidiana.

Triginta-octo non præfractè damnâro: sed utar, ubi apud idoneum legero scriptorem. Interea usurpem *duodequadraginta*.

Trimisium, pro tremisse, more Græco, qui τριμίσιον dicunt. Anastasius bibliothecarius in Sylvestro: *Domum in regione Roffea intra urbem, quæ præstat solidos* LVIII, *& trimisium.* Similiter idem in Cælestino, atque alibi: ùt in exsilio S. Martini: *Nam nec semel de regione ista, usque ad unum trimusium, frumentum potui comparare: sed nec alterius cujusque generis speciem; nisi, ut præditum est, ex naviculis; quæ hùc rarò veniunt, ut sale onusta recedant. Sic potuimus emere tres, vel quatuor modios nomismate usque ad præsentem Septembrium mensem.* Ubi *trimesium* corruptum ex *tremisse*: quod unde sit, diximus superiùs. Ut omni-

no

no fallantur, tum quibus placet, *trimisium* esse è *trimodio*; tum qui factum volunt ex *trimensio*, hoc est, trium mensium frumento; etsi doctissimorum sit hominum opinio, inde τριμήσιον dici, quia soleat H in I abire; quomodo *eleison* dicimus, pro ἐλέησον: & N ante Σ soleat à Græcis negligi; unde Ὀρτήσιοι & iis, pro *Hortensius*.

Trimmam, pro ramento, ex Græco τῦ τρίμματος vocabulo, dixit Anastasius bibliothecarius. Nempe ut *schemam* efferebant, cùm Græcè sit σχῆμα; *sacomam*, licet Græcè τὸ σάκωμα. Multa ejus generis in libris de Arte Grammaticâ *, atque Oratoriis nostris †, adduximus. Vide & quæ de *trimmâ* adferam in Particulis, voce *Trebaciter*.

* *Lib. 2. de Analogia c. 20.*
† *Institut. Orator. lib 5. c. 1*

Tripetia, pro *tripodes*. Severus Sulpitius dialogo II. cap. 1: *Sedebat Martinus in sella rusticanâ, ut est in usibus rusticorũ; quas nos rustici Galli tripettas; vos scholastici, aut certè tu, qui de Gracia venis, tripodas nuncupatis.* Malim tamen *tripedia*, à tribus pedibus: unde & *tripus* sive τρίπους. *Vasa tripedia*, ut *animalia bipedia*.

Triquadra, tripartitum. Vide *Quadra*, in usurpatis significatione alienâ.

Trisorium, gazophylacium, ærarium, [illegible] ubi thesaurus, sive pecuniæ publicæ, vel sacræ, adservantur. Est ex [illegible]gico **trisorie**, vel potius **tresorie** *, quod ex barbaro *thesaurarium*; uti [illegible] à *thesaurus*, sive θησαυρός. Magnum Chronicon Belgicum Glossar. [illegible] Dresforum †: *Post missam verò, prænominati principes intraverunt refectorium sancti Maximini, quod sic erat ornatum: primò trisorium decem scabellorum per modum graduum; & unumquodque scabellum in latitudine decem, & octo palmarum.*

* *Vossium hic corripit Somnerus.*
† *Pag. 402. edit. Pistoriana.*

Trisyrticum, quod tripliciter possumus interpretari, sive quod trifariam sumitur. Vide *Diasyrticum*, in falsâ significatione usurpatis.

Trogali, machina haustoria, sive instrumentum, quo aqua è puteis hauritur: quod Latinis *tolleno*, Græcis ἀντλητήριον, κηλώνιον, & τροχαλία, unde *trogala* corruptum. Gloss. *trogala*, τροχιλία. Ubi τροχαλία referibendum.

Trogulus, vel *trochulus*, *cucula*, *monachalis vestis*, ut est apud Papiam. Sic pro *trochilus* dicebatur, quia trochum rotunditate referret. *Trochi* verò nomine ne *turbinem* intellige, qui Græcis βόμβιξ, sed circulum magnum, à pueris radio propelli solitum; sicuti dicebamus lib. primo cap. XXVI. Quod si *troguli* istoc ἔτυμον placet: rectius huc ea vox referatur, ubi agimus de barbaris originis Latinæ, aut Græcæ: quàm libro factum superiori, qui est de vocabulis non barbaris modò,

modò, sed ortûs etiam barbari. Qui verò hanc *troguli* vocem usurpent, ibidem ostensum: videlicet libr. III. cap. XVIII.

Troparia vox Græcobarbara: de quâ multa ὁ μακαρίτης Meursius in longè utilissimo Glossario suo. Verùm & usurpare videas Latinos. Matthæus Parisius in vita Pauli, XIV. abbatis S. Albani: *Dedit igitur huic Ecclesiæ —— Evangelia legenda per annum, duos textus, auro & argento, & gemmis ornato: sine ordinalibus*, consuetudinariis, missalibus, troparis, collectariis, & aliis libris.* Erant verò *troparia* libri, qui sequentias sive prosas continerent. Nominis caussam adfert Zonaras ad Canonem Anastasii Damasceni. Vid. Seldenus Not. in Hengham pag. 141, 142.

* *Hoc est, ut præteream ordinalia, & tot alia, quæ itidem donavit.*

Trusio exsilium, pro *ejectio*. Vita Leodegarii † Augustodun. episcopi: *Cumque aliter, pro perpetrato scelere, datus fuisset in exsilii trusionem.*

† *Tom. I. script. Franc. edit. Andr. du Chesnes p.* 601.

Tumba, ut Italis *tomba*, sepulcrum, bustum, à Græco τύμβος, unde τυμβογέρων, *capularis senex*. Si Perottum audimus, etiam Græcis τύμβα dicitur: sed prorsus fallitur. Ne recentiores quidem sic efferunt: sed τύμπις, ut in Glossis est Græcobarbaris, quas habemus Mss. De voce τοῦμπις apud Simonem Portium* silentium est. *Tumba* voce inter alios usus est Aldhelmus de Virginitate:

* *In dictionario Græcobarbaro, Lutetiæ edito an.* 1635.

Ad quorum tumbas gelida post funera mortis.

Et ἐνσκόριξικὸν *tumbula*, apud eundem de Gervasio, & Protasio:

Saxea quadratis quos condit tumbula fossis.

Turgor fecere à *turgeo*, ut veteres *tumor* à *tumeo*. Flodoardus lib. I. Histor. Rem. cap. XX: *Mirabili turgore distentus intumuit, & exspirans crepuit medius.*

Turriculum, pro *turricula*, videtur dixisse Remigius in Testamento: *Tibi, hæredi meæ Ecclesiæ suprà memoratæ, jubeo turriculum, & imaginatum calicem, fabricari, & epigrammata, quæ Laudunii in argenteo ipse dictavi, in hoc quoque conscribi volo.* Nisi Remigius ipse *turriculam* scripserit; quod censet Barnabas Brissonius. Videtur signare vas ad turris exiguæ figuram efformatum, in quo Sacramentum adservaretur. Id enim turriculæ habuisse figuram, cùm aliis è scriptoribus liquet tum illo Gregorii Turonensis lib. I. de Gloria Martyrum cap. LXXXVI: *Acceptâque turre, Diaconus, in qua mysterium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium; ingressusque templum, ut eam altari superimponeret, elapsa de manu ejus ferebatur in aera.* Vulgo *ciborium* nuncupant. Aliter tamen cepisse Remigium, suspicatur Ludovicus De-La-Cerda

in

in Adversariis Sacris *: idque quia secus *turricula* nomine utatur Flodoardus lib. II. cap. III. Ipsum adi. * Cap. 76. § 10

Turturilla, lupanar, sive ganeum; à *turtur*; quomodo dixere partem obscenam viri, aut mulieris; ut membrum id omni penè in lingua est nominum dives, Isidorus in Glossis: *Turturilla, ita dictus locus, in quo corruptelæ fiebant; quòd ibi turturi opera daretur, id est, panem.* Ubi pro *panem* legendum censeo *penem*, vel potiùs *peni*. Nisi *ganeo* malis; ut non vocabuli *turtur*, sed totius orationis, sit interpretatio. At non assentio Ludovico De-La-Cerda; qui in Adversariis sacris † pro *turturilla*, legit *gutturilla*; pro *turture* item, *gutture*. Nec enim in ganeo tam gutturi, quàm peni, opera datur. Et à *turture* ἀναλόγως satis est *turturilla*: nempe ut à *pistrinum*, vel *pistrina*, est *pistrilla*; à *signum*, *sigillum*. Sanè ab illis in R etiam venire diminutiva in LLVS; ostendunt, *cultellus* à *culter*; *fatullus* à *fatur*, quod è *faturus*. Etsi verò in ganeis ventri, ac peni, opera daretur: non tamen, ut puto, tam penem dixere *turturillam*, quàm scortillum. Videlicet, quia sic mutuò se compellarent Veneri vacantes. Hujusmodi amantium nomina congessit Comicus in Asinaria III, III:

† Cap. 141 §. 342.

Dic igitur me anaticulam, columbam, vel catellum,
Hirundinem, monedulam, passerculum, putillum.

Putillus tamen alterius est generis: nempè à *puta*, unde *præputium*: *puta* verò à πόδη: de quibus ad Catalecta Scaliger.

Tutaculum Prudentius * fecit à *tutor*; quâ formâ à *propugno propugnaculum* fit. Sed potiùs cum veteribus dicamus, *tutela, tutamen, tutamentum.* * Lib. 2. contra Symmachum, pag. 316. edit. Plantin.

Tyanaum à Tyana civitate vulgò vocant Apollonium; sed nihilo rectiùs, quàm Demetrium dicunt *Phaleræum*: cùm Græcè sit non φαληρεῖος, vel Τυανεῖος: verùm φαληρεὺς, & Τυανεὺς, pro quo Latinè *Tyanensis*. Apud Vopiscum tamen in Aureliano est *Thyaneus*. Sed parum idoneus is scriptor: atque, ut Salmasius observat, in Mso Palatino, & editt. veteribus, est, *Apud Thuanos*: quomodo dicitur *Penci*, pro Peucini; *Megari*, pro Megarenses.

CAP. LIV.

Acceditur ad ea, quæ ab V auspicantur, excipiente illud A, vel E. Vacantia, *vacatio, vel saburra.* Vaccaritia, *grex minimùm* XII. *vaccarum.* Vacinarius, *qui coria concinnat, sive apparat.* Vadium, *pignus, sive hy-*

potheca. Vassus, *fidejussor, item cliens: unde* vasallus, *&* vassaticum. Vasui, *iidem ac clientum id genus, quod* vasallos *dicimus.* Vaticinium, *vaticinatio.* Vegetativum, *vegetans.* Vehiculus, *equus.* Venenosus, *venenatus.* Ventositas, *ventus, & ostentatio.* Verantia, varantia, *&* garantia, *color ruber, ac coccineus.* Veratrina, *pretium, quod veratori, sive divinanti, persolvebatur.* Veriloquus, *veridicus.* Versibilitas, *caduca, ac fluxa omnium conditio.* Vestitio, *ab eâ significatione, quâ aliquis investiri dicebatur.* Vestitura, *possessio.* Vestura, *pretium, quod ex plantis redit ad dominum.*

REstat, ut nunc cogitationem, scripturamque transferam ad ea, quæ in cœptis ab V, sequente primâ, alterâve vocali, vel magis se animo offerent, vel scriptione nobis minùs indigna videbuntur.

Vacantiam appellant, quo tempore Senatu abstinent Senatores, vel justitium est, ac turba pragmatica, extra dies festos, obambulat otiosa; ita ut Plautinum istoc possis dicere, *Alcedonia sunt circa forum.* Item quando professores, doctoresque publici, non docent in Gymnasiis. Videntur juniores etiam *saburram* sic vocâsse. Glossæ Nomicæ: βακαντία, σάβυρρα. Caussa fuerit nominis, quòd impleat locum vacantem à mercibus.

Vaccaritia, grex vaccarum: qui legitimus, si minimùm vacarum fuerit XII. Lex Alamann. tit. LXXV: *Siquis in vaccaritiâ legitimâ, ubi sunt* XII. *vacce, vel ampliùs, taurum ex ea involaverit, vel occiderit,* III. *sol. eum* * *solvat: aut qualecunque armentum de ipsa vaccaritiâ involatum fuerit, secundum qualitatem eum solvat.*

* Pro ex more ipsius sæculi.

Vacinarius, vel potiùs *vaccinarius*, est à *vaccinus:* quomodo lac vaccinum, hoc est vaccarum, Plinius dixit. *Vaccinarius* igitur, ὁ βυρσοδέψης, qui depsit ac præparat pelles vaccinas, sive bubulas. Papa Pius quartus in confirmatione, & extensione jurisdictionis S. R. E.† *Quemadmodum artes vacinariorum, seu coriariorum, nec non artificum, chordas musicales ex animalium fibris facientium, malum reddentes odorem, ad fluminis ripam separatæ reperiuntur.*

† Bullarii Tom. 2. pag. 119. 121.

Vadium à vadibus dictum; estque pignus, sive hypotheca; idque tum rei mobilis, tum immobilis; cautio, securitas, fidejussio. De quo leges Scoticæ lib. III. cap. II, Hinc *invadiare* ibidem, & *res invadiata:* hoc est, invadium posita, ut loquuntur eædem Leges cap. seq. §. I.

Unga-

Ungari dicunt *vagiare* Wesbezius pag. III. tripart. tit. XXXIII. Vid. Loccenius Explic. Voc. feudal.

Vassus est à Latino *vas*. Vadis vocabulo signatur is quo spondente, vadere alteri licet, præcipuè in re capitali: non quasi ἀμέσως* sit à *vado*, quod priorem producit; sed quia retineat modum primigenii βάδω, unde *vado*. Quia verò vas suâ fide, ac sponsione, alterum præstabat liberum; hinc *vassus*, fidejussor. Gloss. vett. *Bassius, custos populi*: *vassi, fidejussores*. Sanè *vassi* barbaris seculis vocati sunt beneficiarii: h. e. clientes, sive certâ fide obstricti, seu qui, accepto beneficio, se obligassent benefacienti. Est id vocabuli in Legg. Alamann. tit. XXXVI. §. IV: *Qualiscunque persona sit, aut vassus Ducis, aut Comitis*. Item tit. LXXIX. §. III: *Et dominus ejus* XII. *vassos infra domum habet*. Legg. Baijuvar. tit. XV. cap. II: *Sive Regis vassus, sive Ducis, omnes ad placitum veniant*. Legas quoque apud Marculfum monachum lib. II, cap. XVII*: item in Kapitul. Ansegisi lib. II. cap. IX. Et cap. XXIV: *Vassi quoque, & vassalli nostri nobis famulantes*. Præterea lib. III. sect. LI, & LXIV, & LXXIII. Ac lib. IV. cap. LXX: *Ut vassi nostri, & vassi episcoporum, abbatum, abbatissarum, & Comitum*. Item in præcepto evindicatorio Karoli M. Inque capitulis episcoporum Nemensium, & Rhotomagensium in Carisiacensi palatio ad Ludovicum Reg. an. DCCCXVIII. *In Comitatu ducdorum, atque vassorum*. Insuper Walafrido Strabone de re Ecclesiast. Nec non lib. I. vitæ B. Geraldi cap, XXXII: *Nam, resp. status jam nimis turbato, regales vassos insolentia Marchionum sibi subjugaverat*. Aimoino itidem lib. V. cap. XXXVI: *Abbates etiam, & regni primores, ac vassi regii, se illi commendaverunt, & sacramento secundum morem fidem promiserunt*. Ex quibus satis liquet utcunque primitus distinxisse *vassos*, & *vasallos*, videantur: posteâ tamen non fuisse alios *vassos*, quàm illos, qui aliter dicti sunt *vasalli*: quâ de voce tam multa legas apud feudorum interpretes, ut hic pigeat insistere. Potius igitur addam, à *vassis* esse *vassaticum*: quod apud Theodulphum legas. Vassos & Valvasores, Vasallo affines voces, conjungit & explicat Loccenius Explic. Vocum feudalium.

* *Proximus.*

* *Pag. 148. edit. Paris.*

* *Apud Aubertum Miræum in donationibus Belgicis pag. 42.*

Vassorum meminit Gerardus in Diplomate* an. CIↃXXXIII, quo Divionensi monasterio Vulverei curtem donat: *Sed si forte contigerit, ut humilitas, & mansuetudo monachorum, à vassis, aut ab extraneis, pro aliquo negotio non possit justitiam exigere: si Advocatus fuerit ab iis arcessitus, & legalem de re, pro qua agitur, exegerit emendationem* †; *ipse tis se emendet. emendationis tertiam à monasterii ministris accipiat partem*. Ubi *vassi*

† *Hoc est, mulctam, quæ decreta, ut homines pœna terreri se emendent.*

iidem, ut puto, ac *vassi*, aut *vasalli*: de quibus proximè, quod satis est, diximus.

Vaticinium nunc est perusitatum eruditis. Apud veteres pro eò *vaticinatio* semper invenio.

Vegetativum obtinet imprimis in scholis philosophorum. Tullius, & alii veterum, pro eo, quod viget, vel, quod vivit. Animæ vis θρεπτικὴ, altrix, vel quæ vegetandi principium est.

Vehiculus, equus, quia hominem dorso vehit. In Translatione S. Faustæ cap. II. §. VII *: *Nam vehiculus, qui eum ferre debuerat, cum illis, qui primitus vadum transierant, fortuitu* vacuus, *neminem in dorso suo ferens transmeaverat.*

* *In Vitis SS. apud Boll ad 4. Ian.*

* *Pro* fortuito

Venenosus ajunt, ubi veteres *venenatus*, à *venenandi* verbo, quod usurpat Lucretius.

Ventositas non dixero, etsi probum sit *ventosum*. Pro priori veteres inflatio magna, tumor: item ventus, atque ostentatio.

Verantia, corruptiùs *varantia*, corruptissimè *garantia*, sandyx frutex, qui cocco similem colorem facit. *Verantia* à *verando*, quia tinctura ejus verus est color, hoc est, verè ruber, & coccineus. *Verâre*, ἀληθεύειν. Agellius in VXIII. Noctium cap. II. ex Ennii Annal. XIII. adducit:

------Satin vates verant state in agunda?

Atque inde vates, & arioli, dicti *veratores*, & Appulcio in sequiori sexu *veratrices*: ut Belgis waersseggers, & waersseghsters. Imò & pretium, quo pro divinatione dabatur, ex eo *veratrina* appellatur in vett. Burgundionum legibus tit. XVI. leg. III, ubi perperam editum *vegintura*. Ud ad *verantia* redeam, sicut à *constans*, constantia; à *substans*, *substantiâ*: ita quoque à *verans verantia*; quia is color sit verans, sive verus, hoc est, ruber. De quo plura Salmasius, partim Notis ad Capitolini Macrinum *; partim etiam in Plinianis ad Solinum Exercitationibus †,

* *Pag.* 169. & 170.

† *Pag.* 1152.

Veredus, equus cursor, Pferdt. *Veredarius*, qui cursui præest publico.

Vercola non esse Latinæ notæ vocabulum, ostendimus in *Cericola*.

Veriloquus aliquis putet non esse deterioris notæ, quàm *versutiloquus*. Sed cùm veteres *veriloquus* nesciant; *veridicus* autem sit non apud Lucretium modò, ac Catullum, sed ipsum etiam Ciceronem: cur non prius usurpes potiùs? Dixeris, apud ipsum Tullium esse *veriloquium*, scio, sed non usus, ut voce, quæ obtineret in foro Romano; verùm ut

nova

uovâ, & à se fictâ, quò verbùm ex verbo exprimeret, quod Græcè est ἐτυμολογία.

Versibilitas, fragilis ac fluxa terum humanarum conditio, qua omnia vertuntur, ac fere in pejus ruunt. Joannes Saresberiensis Policratici lib. II. cap. XXII: *Quia nec ex mutabilitate rerum, nec ex temporis fugâ, aut versibilitate, potest aliquid absconditum esse ab oculis ejus.*

Vestitio, inauguratio; in qua solemni veste quis induitur. Antiquitatum Fuldensium lib. I, in recuperatione capturæ Monasterio ablatæ*: *Item testes vestitionis, signum Freibrachti, & Otocari, qui hanc vestitionem fecerunt.* * Pag. 474.

Vestitura, pro possessione. Capitul. Caroli M. & Ludovici lib. IV cap XXXIV: *Si quis proprium nostrum, quod in vestitura genitoris fuit.* Et Appendice II. cap. VII: *Ut non mittantur testimonia super vestituram Domini Pipini Regis.* Carolus Calvus tit. XXXIX, apud Carissiacum, cap. VIII. *Ut res, & mancipia Ecclesiarum, eo modo contineantur, sicut ad fiscum Dominicum pertinentes contineri solent: justè & rationabiliter de rebus, & mancipiis, quæ in regia & in ecclesiastica vestitura fuerunt, uniformiter, & uno modo tenendum est.*

Vestura est fructus, ad dominum rediens ex plantis, quibus terra vestitur; unde & nomen. Matthæus Parisius in Additamento II: *Inquirendum est etiam, quantum vestura singulorum boscorum, & refletorum, prædicto modo assartorum valuit.*

CAP. LV.

De inchoantibus ab V, sequente l. Vibrina, *vestis è pilis fibri.* Vicedominus, *vicarius domini.* Vicinetum, *jus se defensitandi vicinorum legibus.* Victualia, *victui necessaria.* Vidubium, *vel viduvium, vidua conditio.* Vigilax, *vigilans.* Villanus, *villa, vel colonariæ conditioni adscriptus.* Villare, *pagus.* Villenagium, *servitus à villico obita.* Vinagium, & vvienagium, *vectigal è vini vectura.* Vinculatus, *vinctus.* Virtutigena, *qui, ob probitatem singularem, dici possit genuina Virtutis proles.* Virtuosus, *virtutis cultor.* Visnetum, *vicinia.*

His nunc subdam nomina Latino-barbara, quæ post V habeant tertiam vocalem. †In vitis SS. ad 12. Ian.

Vibrina vestis memoratur in Regula S. Cæsariæ cap. IX, §. LV †:

dò θώραξις, sed etiam θωρακίδιον. *Thoracleta* usurpatum Arnulpho, libro de locis sacris: ex quo scriptore inedito hæc adducit Salmasius ad Trebellium Pollionem *: *De sancta matris thoracleta.* Item: *Thoracletam beata matris.* Præterea: *Cujus thoracletam, in re naturâ impenetrabili, penetrabilem fecit.*

* Pag. 326.

Tiaratus, cui, ut Juvenalis ait sat. VI.

------Phrygiâ vestitur bucca tiarâ.

Usurpat Isidorus lib. II. de Ecclesiast. Offic. cap. V. Nec deterius videtur, quàm à *diadema*, *diadematus*; quod apud Plinium, & alios.

Tigellum, pro *tigillum*, est in vita S. Severini, episcopi Septempedani, §. XII. †.

† In Vitis SS. 8. Ianuar.

Tintinnabulus, pro tintinnabulum, apud Symposium fuit, ænigmate LXXIX: ut in primo, *graphius*, pro *graphium*: ut monitum Salmasio ad Spartiani Nigrum. Nunc aliter in Symposio legitur, Simileque *metallus*, pro *metallum*, poëtæ apud Spartianum ibidem.

Titulares episcopi qui dicantur, expositum in *Suffraganeus:* Titulus alicujus Sancti est Basilica vel Ecclesia aut Capella ejus honorificata & consecrata. Hinc cardinalium Ecclesiæ Romanæ Tituli.

Titulatus, ingens unio. Juvenalis vetus scholiastes sat. VI. vers. CCCCLV:

Auribus extentis magnos commisit elenchos.

Magnarum, inquit, *gemmarum elenchos; quos & titulatos appellant.*

CAP. LIII.

De inchoatis à T, ante O, R, vel V. Toltum, *item* toloneum, *vel* tholoneum, *vel* teoloneum, *vectigal.* Tollo, *tolleno.* Tortura, *tormentum.* Trachones, *meatus subterranei.* Tractoria, *libellus dari solitus peregrinaturis.* Tragimata, *tragemata.* Transmutatio, *immutatio, vel vicissitudo.* Tredecim, *tres ac decem.* Tremissis, *triens aureus.* Trepalium, *locus aculeis.* Trepanum, *quo chirurgi perforant cranium.* Trepedica, *fortasse medicamenti genus.* Trichorum, *trinos habens sinus, sive recessus, domûs fastigium.* Tricinum, *funiculus è pilis.* Triginta octo, *duodequadraginta.* Trimisium, *corruptum è tremissis; de quo dictum antea.* Trimmæ, *ramenta.* Tripetia, *tripodes.* Triquadra, *tripartitum.* Trisorium, *locus pecuniæ sacræ, vel publicæ.* Trisyrticum, *quod trifariam possit intelligi.* Trogala, *tolleno.* Trogulus, *vel* trochulus, *cuculla, sive cucullus monachorum.* Troparia, *libri, qui*

Eccle-

Ecclesiasticas Prosas continerent. Trusio, *detrudendi actus.* Tumba, *sepulcrum.* Turgor, *tumor.* Turriculum, *turris minuta; ac particulatim, quod* ciborium *dicitur.* Turturilla, *lupanar, vel scortillum.* Tutaculum, *tutela.* Tyanæus, *Tyanensis.*

HIsce expositis, cætera nunc à Tinchoata persequar puta ubi eam O, R. vel V. excipit.

Toltum, est vectigal, ac ἀμίσιος à Germanico, Belgico, Anglico, **tol**; uti hoc à τέλος, vel *telonium*, τελώνιον. Matthæus Parisius in rebus an. clɔ ccxv, ac ut particulatim magis locum designem, in charta libertatum regis Joannis. *Omnes mercatores, nisi publicè prohibiti fuerint, habeant salvum & securum exire de Anglia, & venire in Angliam, & morari, & ire, tam per terram, quàm per aquam, ad emendum, vel vendendum, sine omnibus toltis malis*, per antiquas, & rectas consuetudines.*

* *Tolta* mala vocat, *quæ sunt indebita: uti* bona *sunt quæ exiguntur, ut hic dicitur, secundum antiquas, & rectam consuetudinem.*

Toloneum quoque, vel *tholonium*, vel *teolonium*, vectigal, ex *teloninm*, τελώνιον, E in O converso: ut Belgæ dicunt **tol**. Capitulorum collectio Benedicti Levitæ lib. VI. cap. XXXIX: *Ut nullus homo præsumat tholoneum per villas, rodaticum, nec pulveraticum recipere.*

Tolo, vel *tollo*, instrumentum, quo aqua attollitur. Est apud Isidorum lib. ult. Originum cap. XV: *Tolonem hortulani vocant lignum longum, quo hauriunt aquas.* Subjungit deinde: *Et dictus tolo à longitudine.* Ita utrobique optimus Mssus noster. Sed omittit: Τῆλυ *enim Græcè dicitur, quicquid longum est. Unde & mustela vocata, quasi mus longus.* Ubi pro τῆλυ scripsit, vel scribere debuit, τῆλε; quod est *longè.* Quia verò in τῆλε est E longum: eò in variis editionibus librarii maluere *telon*, quàm *tolon*, vel *tolo.* Sanè & *telon* est in Venetâ anni MCCCCLXXXIII. *Tollo* etiam in Etymologico suo agnoscit Martinius. Nec tamen Latinum censeo: sed corruptum ex *tolleno*, de quo Festus. Glossæ: *Tolleno*, κηλώνιον. Latino Livius, ac Plinius, utuntur; Græco Herodotus, & Aristoteles: id à κῆλον, *lignum.*

Tortura Juris, pro *tormentum*, vel *quæstio*, nunc est pervulgatum; sed veteribus ignotum fuit. Vulgarem interim secutus sermonem vir longè doctissimus, qui pro Juramento Fidelitatis in Anglia Matthæo Torto respondens, opus suum *Torturam Torti* inscripsit.

Tracones sunt cryptoporticus, ac fornices subterranei, & quævis cavernæ profundiores. Hoc nos docet Matthæus Parisius, ad annum

clɔɔcxlvii ! ubi agit de damnoso ac terribili terræmotu, præcipuè Londini,& super ripam Tamesis: *Qui*,inquit, *in his partibus innaturalis; cùm profundis traconibus, ac concavitatibus (in quibus secundùm Philosophos solet terræmotus generari) careat; nec inde ratio poterat indagari.* Usurpat idem in Vita Ealdredi,abbatis S. Albani viii: *Tracones,& vias,cum meatibus subterraneis, & solidè per artificium arcuatis (quorum quidam subtus aquam VVarlamie,quæ quondam maxima civitatis fuit circumflua,transierunt) diruit, implevit, aut obturavit. Erant enim latibula latronum,vespillonum,& meretricum.* Censet in Gloss. Watsius,*tracones*,quasi *tracheones*, vocari, à similitudine *trachea* sive arteriæ asperæ,quam animæ canalim vocat Plinius. Verum an non simpliciùs dicamus, corruptum esse è *dracones*, ac sic vocari,quia quodammodo refert sinuosos draconum flexus; vel etiam κατὰ μετωνυμίαν, quia cavernæ sub terris serpentium soleant esse habitacula?

Tractoria dicebatur libellus,qui daretur in terras exteras ituris; unde esset cognoscere,quo pacto excipi aliquem oporteret. Nam exponebatur epistolâ eâ conditio viri, & quantum illi pro eâ præstari oporteret. Dubium,num *tractoria* dicta,quia daretur in tractus exteros proficiscentibus; an quia hinc intelligeretur, quo pacto aliquem tractari,atque excipi, conveniret, Est apud Marculfum lib. i. Form. cap. xi, cujus lemma *Tractoria legatorum.* Item in veteribus formulis incerti scriptoris cap. x. lemma est, *Tracturia pro itinere peragendo.* Eâ *tracturiâ*,sive *tractoriâ*, episcopus commendabat ob delicta,pœnitentiæ ergò,peregrinantem; ac petebat, præstari mansionem,focum,panem,aquam. Carolus Calvus tit. xxxii, apud Tusiacum,capit. xvi: *Ut ministri Comitum in unoquoque Comitatu dispensam Missorum nostrorum, à quibuscunque dari debet, recipiant; sicut in tractoria nostra continetur. Tractoriam stipendialem* appellat Agobardus, libello de insolentiâ Judæorum. Quantum verò præberi cuique oportuerit; cognoscere est è Caroli M. & Ludovici Pii capitulis,lib. iv. cap. lxxii; cujus lemma, *De dispensa Missorum Dominicorum.* Vide & quæ de tractoriis fusè ad Marculfum doctissimus Bignonius annotavit.

Tragimata non facilè legentem morabitur,qui sciat, vulgò Græcos I pro H. efferre. Planè enim sic corruptè dicitur,& scribitur, pro τραγήματα. Seculi more ita etiam exaravit ante seculum Isidorus Isolanus

lanus in vita B. Veronicæ de Binasco, lib. IV, cap. IX, §. XXI: *Vasa lignea, quibus ex saccharo delicatiora quædam composita servabantur, quæ tragimata vocamus.*

Transmutatio vix dicere ausim, idoneo destitutus auctore; etsi & *mutatio*, & *transmuto*, proba sint. Est cùm pro eo *mutatio*, vel *immutatio*; est cùm *vicissitudo*, vel aliud, malim.

Tredecim ajunt pro *decem*, & *tres*; vel *tres*, & *decem*. Nec tamen hoc valde improbem, cùm apud Tullium Verrinâ V *tredecies* legatur.

Tremissis finxere Latinobarbari, pro triente, sive tertiâ parte aurei. Nempè cùm *semissis* audirent dici de dimidio asse: putârunt etiam posse *tremissis* dici de tertia parte. At secus est, quia M in *Semis* habemus: unde *semissis*, quasi *semias*, ut ait Varro in IV de L. L. At in *tres*, vel *ter*, aut *tertius*, nullum est M. Quod cùm aliqui viderent; commenti sunt, *tremissis* dici à triplici missu. Sed eam originem refellit Capitolinus in Alexandro Severo: *Semisses aureorum formati sunt. Tunc etiam, cùm ad tertiam partem auri vectigal decidisset, tremisses; dicente Alexandro, etiam quartarias futuras, quod minùs non posset.* Videmus hinc, quod de aurei semisse, & tremisse, diximus. Habes & vocem eam apud Julianum in tralatione Novellarum, & Paulum Warnefridum lib. V. cap. XXXIX. At longè sæpissimè exstat in Legibus Wisigothicis, Burgundicis, Alemannicis, atque aliis. Vir doctissimus ait †, *tremissis* dixisse pro *tressis*. Atqui *tressis* est trium assium; *tremissis*, sive *triens*, unius assis pars tertia; quæ plurimùm distant. Vide infrà *Trimissium*.

† *Notis ad Paull. diaconi Hist. Longobard.*

Trepalium, pro loco, ubi rei equuleo, vel aliter, torquentur. Concilium Antisiodorense (quod anno celebratum IↃXC) can. XXXIII: *Non licet presbytero, nec diacono, ad trepalium, ubi rei torquentur, stare.* Puto, ejusdem esse originis, ac *trepanum*; de quo proximè.

Trepanum, pro terebræ genere, quo chirurgi cautè cranium perforant; ut *trepanare* iisdem, pro ejusmodi instrumento perforare; à Græco τρυπάω. *terebro*, & τρύπανον, *terebra*.

Trepedica est apud Gregorium lib. II. Dialog. cap. XXX*: *Quadam die, dum ad B. Joannis oratorium, quod in ipsa montis celsitudine situm est, pergeret; ei antiquus in mulo, medici specie, obviam factus est, cornu & trepedicam ferens.* Quia antiquus ille, draco puta, sive diabolus, medici speciem habuit; eò signari potionis, & medicamenti genus, existimat Jo. Lodovicus De-la-Cerda in Adversariis Sacris c. CXVI. §. IX.

* *Al.* 19.

Trichorum, τρίχωρον, quasi dicas *trilocum*. Usus Paullinus Epist. XII: *Reliquiis Apostolorum, & Martyrum, intra absidem trichora sub altaria sacratis.* Quem ad locum multa ex Papia, Joannis Januensis Catholico, aliisque Glossariis, Rosweidus. Vera autem lectio est: *Intra absidem trichoram*, τρίχωρον ἀψίδα, cui trini recessus, sive tribus sinibus, aut concavitatibus distincta. Sic *octachorum* templum Ambrosio, cujus absis octo haberet sinuatos recessus. Eruditè de his Salmasius in Exercitationibus Plinianis ad Solinum*. Non existimandum verò, Paullini demum ætate, hanc vocem à Latinis receptam. Nam Spartianus utitur in Pescennio Nigro: *In qua ejus in trichoro simulachrum constituit.* Ubi, eodem Salmasio interprete, intelligitur domûs fastigium, sive αἴτωμα, quod, ut stillicidia deducat, figuram habuit τριγώνου sive triangularem; unde & τρίχωρον dicebatur. Nempe ædibus planis pro tecto erat δῶμα, sive solarium: aliæ verò utrimque assurgebant, eoque habebant fastigium: imò quandoque uni domo fastigia plura: unde Statius Papinianus in primo Silvar. †

* Pag. 1212, ac deinceps.

† Carm. in Tiburtinum Vopisci.

——Partitis distantia tecta trichoris.

Ubi terna designat fastigia. Atque hinc conspicimus, etiam Domitiani ætate hanc vocem fuisse in usu; sed significatione aliâ, quàm Paullino. Vide & hoc de loco Rhodiginum *.

* Lib. 18. Antiq. Lect. cap. 11.

Tricinum dixere pro *trichinum*, τρίχινον, quod est è pilis, qui Græcè τρίχες. Etagrius presbyter in vita S. Antonii †: *Traxit quidam sportellæ, quam texebat, tricinam, sive funiculum.* Non putandum, esse à *tricus*; cùm nequeant funiculi contexi è tricis, hoc est, pilis involutis, & implexis: à qua voce *intricare*, & *extricare*; ut ex Nonio constat. Eadem interim origo. Nam & *tricæ* à τρίχες.

† Pag. 49. a. edit. Rosweidiana.

Triginta-octo non præfractè damnâro: sed utar, ubi apud idoneum legero scriptorem. Interea usurpem *duodequadraginta*.

Trimisium, pro tremisse, more Græco, qui τριμίσιον dicunt. Anastasius bibliothecarius in Sylvestro: *Domum in regione Roffea intra urbem, quæ præstat solidos* LVIII, *& trimisium.* Similiter idem in Cælestino, atque alibi: ùt in exsilio S. Martini: *Nam nec semel de regione ista, usque ad unum trimisium, frumentum potus comparare: sed nec alterius cujusque generis speciem; nisi, ut prædictum est, ex naviculis; quæ huc raro veniunt, ut sale onusta recedant. Sic potuimus emere tres, vel quatuor modios nomismate usque ad præsentem Septembrium mensem.* Ubi *trimisium* corruptum ex *tremisse*: quod unde sit, diximus superiùs. Ut omni-

no

no fallantur, tum quibus placet, *trimisium* esse è *trimodio*; tum qui factum volunt ex *trimensio*, hoc est, trium mensium frumento; etsi doctissimorum sit hominum opinio, inde τριμήσιον dici, quia soleat H in I abire; quomodo *eleison* dicimus, pro ἐλέησον: & N ante Σ soleat à Græcis negligi; unde Ὁρτῆσι & iis, pro *Hortensius*.

Trimmam, pro ramento, ex Græco τῦ τρίμματος vocabulo, dixit Anastasius bibliothecarius. Nempe ut *schemam* efferebant, cùm Græcè sit χτὸ ἧμα; *sacomam*, licet Græcè τὸ σάκωμα. Multa ejus generis in libris de Arte Grammaticâ *, atque Oratoriis nostris †, adduximus. Vide & quæ de *trimmâ* adferam in Particulis, voce *Trebaciter*.

* *Lib. 2. de Analogia c. 20.*
† *Institut. Orator. lib 5. c. 1*

Tripetia, pro *tripodes*. Severus Sulpitius dialogo II. cap. I: *Sedebat Martinus in sella rusticanâ, ut est in usibus rusticorũ; quas nos rustici Galli tripetias; vos scholastici, aut certe tu, qui de Graecia venis, tripodas nuncupatis.* Malim tamen *tripedia*, à tribus pedibus: unde & *tripus* sive τρίπους. *Vasa tripedia*, ut *animalia bipedia*.

Triquadra, tripartitum. Vide *Quadra*, in usurpatis significatione alienâ.

Trisorium, gazophylacium, ærarium, locus ubi thesaurus, sive pecuniæ publicæ, vel sacræ, adservantur. Est ex Belgico **trisorie**, vel potius **tresorie** *, quod ex barbaro *thesaurarium*; uti hoc à *thesaurus*, sive θησαυρός. Magnum Chronicon Belgicum Glossar. v. Dressorum †: *Post missam verò, pranominati principes intraverunt refectorium sancti Maximini, quod sic erat ornatum: primò trisorium decem scabellorum per modum graduum; & unumquodque scabellum in latitudine decem, & octo palmarum.*

* *Vossium hic corripui Simpliciter.*
† *Pag. 402. edit. Pistoriana.*

Trisyrticum, quod tripliciter possumus interpretari, sive quod trifariam sumitur. Vide *Diasyrticum*, in falsâ significatione usurpatis.

Trogala, machina haustoria, sive instrumentum, quo aqua è puteis hauritur: quod Latinis *tolleno*, Græcis ἀντλητήριον, κηλώνιον, & τροχαλία, unde *trogala* corruptum. Gloss. *trogala*, τροχιλία. Ubi τροχαλία referibendum.

Trogulus, vel *trochulus*, *cucula*, *monachalis vestis*, ut est apud Papiam. Sic pro *trochilus* dicebatur, quia trochum rotunditate referret. *Trochi* verò nomine ne *turbinem* intellige, qui Græcis βόμβιξ, sed circulum magnum, à pueris radio propelli solitum; sicuti dicebamus lib. primo cap. XXVI. Quod si *troguli* istoc ἔτυμον placet: rectius huc ea vox referatur, ubi agimus de barbaris originis Latinæ, aut Græcæ: quàm libro factum superiori, qui est de vocabulis non barbaris modo,

modò, sed ortûs etiam barbari. Qui verò hanc *troguli* vocem usurpent, ibidem ostensum: videlicet libr. III. cap. XVIII.

Troparia vox Græcobarbara: de quâ multa ὁ μακαρίτης Meursius in longè utilissimo Glossario suo. Verùm & usurpare videas Latinos. Matthæus Parisius in vita Pauli, XIV. abbatis S. Albani: *Dedit igitur huic Ecclesiæ —— Evangelia legenda per annum, duos textus, auro & argento, & gemmis ornato: sine ordinalibus *, consuetudinariis, missalibus, troparijs, collectarijs, & aliis libris.* Erant verò *troparia* libri, qui sequentias sive prosas continerent. Nominis caussam adfert Zonaras ad Canonem Anastasii Damascæni. Vid. Seldenus Not. in Hengham pag. 141, 142.

* *Hoc est, ut præteream ordinalia, & tot alia, quæ itidem donavit.*

† *Tom. I. script. Franc. edit. Andr. du Chesnes p. 601.*

Trusio exsilium, pro *ejectio*. Vita Leodegarii † Augustodun. episcopi: *Cumque aliter, pro perpetrato scelere, datus fuisset in exsilii trusionem.*

Tumba, ut Italis *tomba*, sepulcrum, bustum, à Græco τύμβος, unde τυμβοχόος, *capularis senex*. Si Perottum audimus, etiam Græcis τύμβα dicitur: sed prorsus fallitur. Ne recentiores quidem sic efferunt: sed τύμπες, ut in Glossis est Græcobarbaris, quas habemus Mss. De voce τοῦμπες apud Simonem Portium * silentium est. *Tumba* voce inter alios usus est Aldhelmus de Virginitate:

* *In dictionario Græcobarbaro, Lutetiæ edito an. 1635.*

Ad quorum tumbas gelidâ post funera mortis.

Et ἐκκλησίας ἱκὼν *tumbula*, apud eundem de Gervasio, & Protasio:

Saxea quadratis quos condit tumbula fossis.

Turgor fecere à *turgeo*, ut veteres *tumor* à *tumeo*. Flodoardus lib. I. Histor. Rem. cap. XX: *Mirabili turgore distentus intumuit, & exspirans crepuit medius.*

Turriculum, pro *turricula*, videtur dixisse Remigius in Testamento: *Tibi, hæredi meæ Ecclesiæ suprà memoratæ, jubeo turriculum, & imaginatum calicem, fabricari, & epigrammata, quæ Lauduni in argenteo ipse dictavi, in hoc quoque conscribi volo.* Nisi Remigius ipse *turriculam* scripserit; quod censet Barnabas Brissonius. Videtur signare vas ad turris exiguæ figuram efformatum, in quo Sacramentum adservaretur. Id enim turriculæ habuisse figuram, cùm aliis è scriptoribus liquet tum illo Gregorii Turonensis lib. I. de Gloria Martyrum cap. LXXXVI: *Acceptâque turre, Diaconus, in qua mysterium Dominici corporis habebatur, ferre cœpit ad ostium; ingressusque templum, ut eam altari superimponeret, elapsa de manu ejus ferebatur in aera.* Vulgo *ciborium* nuncupant. Aliter tamen cepisse Remigium, suspicatur Ludovicus De-La-Cerda

in

in Adversariis Sacris *: idque quia secus *turricula* nomine utatur Flodoardus lib. II. cap. III. Ipsum adi.

* Cap. 76. § 10

Turturilla, lupanar, sive ganeum; à *turtur*; quomodo dixere partem obscenam viri, aut mulieris; ut membrum id omni penè in lingua est nominum dives. Isidorus in Glossis: *Turturilla, ita dictus locus, in quo corruptelæ fiebant; quòd ibi turturi opera daretur, id est, panem.* Ubi pro *panem* legendum censeo *penem*, vel potiùs *peni*. Nisi *ganeo* malis; ut non vocabuli *turtur*, sed totius orationis, sit interpretatio. At non assentio Ludovico De-La-Cerda; qui in Adversariis sacris † pro *turturilla*, legit *gutturilla*; pro *turture* item, *gutture*. Nec enim in ganeo tam gutturi, quàm peni, opera datur. Et à *turture* ἀναλόγως satis est *turturilla*: nempe ut à *pistrinum*, vel *pistrina*, est *pistrilla*; à *signum*, *sigillum*. Sanè ab illis in R etiam venire diminutiva in LVS; ostendunt, *cultellus* à *culter*; *fatullus* à *fatur*, quod è *faturus*. Etsi verò in ganeis ventri, ac peni, opera daretur: non tamen, ut puto, tam penem dixere *turturillam*, quàm scortillum. Videlicet, quia sic mutuò se compellarent Veneri vacantes. Hujusmodi amantium nomina congessit Comicus in Asinaria III, III:

† Cap. 141 §. 342.

Dic igitur me anaticulam, columbam, vel catellum,
Hirundinem, monedulam, passerculum, putillum.

Putillus tamen alterius est generis: nempè à *puta*, unde *præputium*: *puta* verò à πόθη: de quibus ad Catalecta Scaliger.

Tutaculum Prudentius * fecit à *tutor*; quâ formâ à *propugno propugnaculum* fit. Sed potiùs cum veteribus dicamus, *tutela, tutamen, tutamentum.*

* Lib. 2. contra Symmachum, pag. 316. edit. Plantin.

Tyanaum à Tyana civitate vulgò vocant Apollonium; sed nihilo rectiùs, quàm Demetrium dicunt *Phaleraum*: cùm Græcè sit non Φαληρεῖος, vel Τυαναῖος: verùm Φαληρεὺς, & Τυανεὺς, pro quo Latinè *Tyanensis*. Apud Vopiscum tamen in Aureliano est *Thyaneus*. Sed parum idoneus is scriptor: atque, ut Salmasius observat, in Mso Palatino, & editt. veteribus, est, *Apud Thuanos*: quomodo dicitur *Penci*, pro Peucini; *Megari*, pro Megarenses.

CAP. LIV.

Acceditur ad ea, quæ ab V auspicantur, excipiente illud A, vel E. Vacantia; *vacatio, vel faburra.* Vaccaritia, *grex minimùm* XII. *vaccarum.* Vacinarius, *qui coria concinnat, sive apparat.* Vadium, *pignus, sive hy-*

potheca. Vassus, *fidejussor, item cliens: unde* vasallus, *&* vassaticum. Vasui, *iidem ac clientum id genus, quod* vasallos *dicimus.* Vaticinium, *vaticinatio.* Vegetativum, *vegetans.* Vehiculus, *equus.* Venenosus, *venenatus.* Ventositas, *ventus, & ostentatio.* Verantia, varantia, *&* garantia, *color ruber, ac coccineus.* Veratrina, *pretium, quod vateri, sive divinanti, persolvebatur.* Veriloquus, *veridicus.* Versibilitas, *caduca, ac fluxa omnium conditio.* Vestitio, *ab eâ significatione, quâ aliquis investiri dicebatur.* Vestitura, *possessio.* Vestura, *pretium, quod ex plantis redit ad dominum.*

REstat, ut nunc cogitationem, scripturamque transferam ad ea, quæ in cœptis ab V, sequente primâ, alterâve vocali, vel magis se animo offerent, vel scriptione nobis minùs indigna videbuntur.

Vacantiam appellant, quo tempore Senatu abstinent Senatores, vel justitium est, ac turba pragmatica, extra dies festos, obambulat otiosa; ita ut Plautinum istoc possis dicere, *Academia sunt circa forum.* Item quando professores, doctoresque publici, non docent in Gymnasiis. Videntur juniores etiam *suburram* sic vocâsse. Glossæ Nomicæ: βαχαρτία, σάκκαρρα. Caussa fuerit nominis, quòd impleat locum vacantem à mercibus.

Vaccaritia, grex vaccarum: qui legitimus, si minimùm vacarum fuerit XII. Lex Alamann. tit. LXXV: *Siquis in vaccaritiâ legitimâ, ubi sunt* XII. *vacca, vel ampliùs, taurum ex ea involaverit, vel occiderit,* III. *sol. eum* * *solvat: aut qualecunque armentum de ipsa vaccaritiâ involatum fuerit, secundum qualitatem eum solvat.*

* *Pro ex more ipsius seculi.*

Vacinarius, vel potiùs *vaccinarius*, est à *vaccinus:* quomodo lac vaccinum, hoc est vaccarum, Plinius dixit. *Vaccinarius* igitur, ὁ βυρσοδέψης, qui depsit ac præparat pelles vaccinas, sive bubulas. Papa Pius quartus in confirmatione, & extensione jurisdictionis S. R. E.† *Quemadmodum artes vacinariorum, seu coriariorum, nec non artificum, chordas musicales ex animalium fibris facientium, malum reddentes odorem, ad fluminis ripam separatæ reperiuntur.*

† *Bullarii Tom. I. pag.* 119. 121.

Vadium à vadibus dictum; estque pignus, sive hypotheca; idque tum rei mobilis, tum immobilis; cautio, securitas, fidejussio. De quo leges Scoticæ lib. III. cap. II, Hinc *invadiare* ibidem, & *res invadiata:* hoc est, invadium posita, ut loquuntur eædem Leges cap. seq. §. I.

Unga-

Ungari dicunt *vagiare* Wesbezius pag. III. tripart. tit. XXXIII. Vid. Loccenius Explic. Voc. feudal.

Vassus est à Latino *vas*. Vadis vocabulo signatur is quo spondente, vadere alteri licet, præcipuè in re capitali: non quasi ἀμέσως* sit à *vado*, quod priorem producit; sed quia retineat modum primigenii βάδω, unde *vado*. Quia verò vas suâ fide, ac sponsione, alterum præstabat liberum; hinc *vassus*, fidejussor. Gloss. vett. *Bassius, custos populi*: *vassi, fidejussores*. Sanè *vassi* barbaris seculis vocati sunt beneficiarii: h. e. clientes, sive certâ fide obstricti, seu qui, accepto beneficio, se obligassent benefacienti. Est id vocabuli in Legg. Alamann. tit. XXXVI. §. IV: *Qualiscunque persona sit, aut vassus Ducis, aut Comitis*. Item tit. LXXIX. §. III: *Et dominus ejus* XII. *vassos infra domum habet*. Legg. Baijuvar. tit. XV. cap. II: *Sive Regis vassus, sive Ducis, omnes ad placitum veniant*. Legas quoque apud Marculfum monachum lib. II. cap. XVII*: item in Kapitul. Ansegisi lib. II. cap. IX. Et cap. XXIV: *Vassi quoque, & vassalli nostri nobis famulantes*. Præterea lib. III. sect. LI, & LXIV, & LXXIII. Ac lib. IV. cap. LXX: *Ut vassi nostri, & vassi episcoporum, abbatum, abbatissarum, & Comitum*. Item in præcepto evindicatorio Karoli M. Inque capitulis episcoporum Nemensium, & Rhotomagensium in Carisiacensi palatio ad Ludovicum Reg. an. DCCCXVIII. *In Comitatu druderum, atque vassorum*. Insuper Walafrido Strabone de re Ecclesiast. Nec non lib. I. vitæ B. Geraldi cap. XXXII: *Nam, reip. statu jam nimis turbato, regales vassos insolentia Marchionum sibi subjugaverat*. Aimoino itidem lib. V. cap. XXXVI: *Abbates etiam, & regni primores, ac vassi regii, se illi commendaverunt, & sacramento secundum morem fidem promiserunt*. Ex quibus satis liquet utcunque primitus distinxisse *vassos*, & *vasallos*, videantur: postea tamen non fuisse alios *vassos*, quàm illos, qui aliter dicti sunt *vasalli*: quâ de voce tam multa legas apud feudorum interpretes, ut hic pigeat insistere. Potius igitur addam, à *vassis* esse *vassaticum*: quod apud Theodulphum legas. Vassos & Valvasores, Vasallo affines voces, conjungit & explicat Loccenius Explic. Vocum feudalium.

* Proxima.

* Pag. 148. edit. Paris.

* *Apud Aubertum Miræum in donationibus Belgicis pag.* 42.

Vassorum meminit Gerardus in Diplomate* an. CIↃXXXIII, quo Divionensi monasterio Vulverei curtem donat: *Sed si forte contigerit, ut humilitas, & mansuetudo monachorum, à vassis, aut ab extraneis, qro aliquo negotio non possit justitiam exigere: si Advocatus fuerit ab iis arcessitus, & legalem de re, pro qua agitur, exegerit emendationem* †; *ipse emendationis tertiam à monasteriis ministris accipiat partem*. Ubi *vassi*

† *Hoc est, mulctam, qua decreta, ut homines pœna terreti se emendent.*

iidem, ut puto, ac *vassi*, aut *vasalli*: de quibus proximè, quod satis est, diximus.

Vaticinium nunc est perusitatum eruditis. Apud veteres pro eò *vaticinatio* semper invenio.

Vegetativum obtinet imprimis in scholis philosophorum. Tullius, & alii veterum, pro eo, quod viget, vel, quod vivit. Animæ vis θρεπτικὴ, altrix, vel quæ vegetandi principium est.

Vehiculus, equus, quia hominem dorso vehit. In Translatione S. Faustæ cap. II. §. VII *: *Nam vehiculus, qui eum ferre debuerat, cum illis, qui primitus vadum transierant, fortuitu* vacuus, *neminem in dorso suo ferens transmeaverat.*

* *In Vitis SS. apud Boll ad 4. Ian.*

* *Pro* fortuito

Venenosus ajunt, ubi veteres *venenatus*, à *venenandi* verbo, quod usurpat Lucretius.

Ventositas non dixero, etsi probum sit *ventosum*. Pro priori veteres inflatio magna, tumor: item ventus, atque ostentatio.

Verantia, corruptiùs *varantia*, corruptissimè *garantia*, sandyx frutex, qui cocco similem colorem facit. *Verantia* à *verando*, quia tinctura ejus verus est color, hoc est, verè ruber, & coccineus. *Verare*, ἀληθεύειν. Agellius in VXIII. Noctium cap. II. ex Ennii Annal. XIII. adducit:

------Satin vates verant atate in agunda?

Atque inde vates, & arioli, dicti *veratores*, & Appulcio in sequiori sexu *veratrices*: ut Belgis **waersseggers**, & **waersseggsters**. Imò & pretium, quo pro divinatione dabatur, ex eo *veratrina* appellatur in vett. Burgundionum legibus tit. XVI. leg. III, ubi perperam editum *vegantura*. Ud ad *verantia* redeam, sicut à *constans*, constantia; à *substans*, *substantiâ*: ita quoque à *verans verantia*; quia is color sit verans, sive verus, hoc est, ruber. De quo plura Salmasius, partim Notis ad Capitolini Macrinum *; partim etiam in Plinianis ad Solinum Exercitationibus †,

* *Pag.* 9. & 170.

† *Pag.* 1152.

Veredus, equus cursor, **Pferdt**. *Veredarius*, qui cursui præest publico.

Vercola non esse Latinæ notæ vocabulum, ostendimus in *Cericola*.

Veriloquus aliquis putet non esse deterioris notæ, quàm *versutiloquus*. Sed cùm veteres *veriloquus* nesciant; *veridicus* autem sit non apud Lucretium modò, ac Catullum, sed ipsum etiam Ciceronem: cur non prius usurpes potiùs? Dixeris, apud ipsum Tullium esse *veriloquium*, scio, sed non usus, ut voce, quæ obtineret in foro Romano; verùm ut

novâ

uovâ, & à se fictâ, quò verbùm ex verbo exprimeret, quod Græcè est ἐτυμολογία.

Versibilitas, fragilis ac fluxa terum humanarum conditio, qua omnia vertuntur, ac fere in pejus ruunt. Joannes Saresberiensis Policratici lib. II. cap. XXII: *Quia nec ex mutabilitate rerum, nec ex temporis fugâ, aut versibilitate, potest aliquid absconditum esse ab oculis ejus.*

Vestitio, inauguratio; in qua solemni veste quis induitur. Antiquitatum Fuldensium lib. I, in recuperatione capturæ Monasterio ablatæ*: *Item testes vestitionis, signum Freibrachti, & Otocari, qui hanc vestitionem fecerunt.* * Pag. 474.

Vestitura, pro possessione. Capitul. Caroli M. & Ludovici lib. IV cap XXXIV: *Siquis proprium nostrum, quod in vestitura genitoris fuit.* Et Appendice II. cap. VII: *Ut non mittantur testimonia super vestituram Domini Pipini Regis.* Carolus Calvus tit. XXXIX, apud Carisiacum, cap. VIII. *Ut res, & mancipia Ecclesiarum, eo modo contineantur, sicut ad fiscum Dominicum pertinentes contineri solent: justè & rationabiliter de rebus, & mancipiis, quæ in regia & in ecclesiastica vestitura fuerunt, uniformiter, & uno modo tenendum est.*

Vestura est fructus, ad dominum rediens ex plantis, quibus terra vestitur; unde & nomen. Matthæus Parisius in Additamento II: *Inquirendum est etiam, quantum vestura singulorum boscorum, & restetorum, prædicto modo assartorum valuit.*

CAP. LV.

De inchoantibus ab V, sequente l. Vibrina, *vestis è pilis fibri.* Vicedominus, *vicarius domini.* Vicinetum, *jus se defensitandi vicinorum legibus.* Victualia, *victui necessaria.* Vidubium, *vel* viduvium, *vidua conditio.* Vigilax, *vigilans.* Villanus, *villæ, vel colonaria conditioni adscriptus.* Villare, *pagus.* Villenagium, *servitus à villico obita.* Vinagium, & vvienagium, *vectigal è vini vectura.* Vinculatus, *vinctus.* Virtutigena, *qui, ob probitatem singularem, dici possit genuina Virtutis proles.* Virtuosus, *virtutis cultor.* Visnetum, *vicinia.*

HIs nunc subdam nomina Latino-barbara, quæ post V habeant tertiam vocalem. †In vitis SS. ad 12. Jan.

Vibrina vestis memoratur in Regula S. Cæsariæ cap. IX, §. LV †:

Moneo specialiùs: vestimenta lucida, vel nigra, vel cum purpura, vel vibrina, nunquam in usu habeantur; nisi tantum laia, & lactena. Existimo, rescribendum *fibrina*: vel ut tum *viber*, pro *fiber*, dixerint; *vibrina*, seu *fibrina*, erit vestis facta è pilis fibris, quibus nihil molliùs: unde hodièque fibrini petasi maximè in pretio sunt. Est verò *fiber* idem ac *canis Ponticus*, vel Græcis κάστωρ, unde & *castoreis* nomen. Vidimus de his lib. III. Physiologiæ Christianæ cap. LXVIII.

Vicedominus, pro *Domini vicarius*, quomodo *aliena dominationis vicarium* ait Brutus ad Cicer. Nempe sic dicitur, qui vicem domini implet, secularia ejus negotia procurando. Cassiodorus Variarum lib. v. epist. XIV: *Domestici Comitis Gothorum, nec non & Vicedomini, aliqua dicuntur provincialibus, continuatis terroribus, abstulisse.* Legas quoque apud Gregorium Magnum epist. XI. & Anastasium bibliothecarium in Vigilio Papa: item Hincmarum dialogo de Statu S. Ecclesiæ*. Ejus verba sunt: *Nam sancta Ecclesia, postquam sibi subdidit culmen imperii, ex consilio Regum, vel optimatum, per sanctos sacerdotes elegit sibi in singulis Ecclesiis vicedominos, advocatos, defensores, & cæteros adjutores; quibus tantum de rebus Ecclesia delegatum est, ut sine querela fideliter servitio sanctæ Ecclesiæ, & imperio Pontificum, obedirent.* Est & Matthæi Parisii in Additamentis, ubi literarum civitatis Parmensis inscriptio est ejusmodi: *Strenuis, & prudentibus viris, Domino Bonifacio de Sal. Potestati, Militibus, & Populo Mediolanensi, Philippus Vice-dominus, Potestas, Milites, & Populus Parmensis, salutē cū gloria, & honore.*

* Pag. 951. ed. Paris. an. 1615

Vicinetum, facultas decidendi controversiam, seu civilem, seu criminalem, per assisam, sive constitutionem locorum vicinorum. Leges Baronum Scotiæ (quæ, *Quoniam attachiamenta*, solent à primis vocari operis verbis) cap. LXXIII: *Nullus Galwidiensis debet habere vicinetum, nisi refutaverit legem Galwidiæ, & postulaverit vicinetum.* Sensus est: Quandoquidem Galwidienses habent proprias leges, non licet iis se tueri legibus vicinorum, nisi propriis legibus antea renunciârint. Vid. Somneri Glossarium.

Victualia non lubens dixero; sed *commeatus*, aut *victui necessaria*, Usurpat inter cæteros Comes S. Pauli, epistolâ ad Ducem Lovaniensem, apud Godefridum monachum S. Pantaleontis *. *Toti exercitui nostro per annum victualia largiretur integrum.* Item S. Odericus de Foro-Julii †, Peregrinationis suæ in Orientem cap. I, §. II: *Abundat pane, & carnibus, & aliis victualibus.* Et §. III: *Multis victualibus*

* In scriptoribus rerum Germanicarum editis à Freherо pag. 269.

† In Vitis Sanctorum à Bollando editis ad 14. Januar.

bus hæc abundat. Similiter §. IV. Nec tamen hac de voce multùm contendero, quia *victualis substantia* est I. Judices X. Cod. ad episc. aud. Victualia dicuntur, quæ alio nomine *commeatus, annona, cibaria, victus*, quo ultimo Ulpianus in l. XLIII. ff. de V. S. contineri docet, quæ esui, potui, cultuique corporis, quæque ad vivendum homini sunt necessaria. Cæterumque *Victualia* duductum aut corruptum, nomen à Latino *victus*, non minus quàm Italorum *vettavoglia*, Gallorum *victuailles*, Anglorum *victualles*, Belgarum *Victaille*, notante Limnæo Obs. ad Aur. Bull. c. I. n. III. obs. III. pag. XC.

Vidubium, vel *viduvium*, viduitas, sive viduæ conditio. Sidonius Apollin. lib. VI. epist. II: *Cui filii, nec pòst multò nepotis amissi duæ pariter plagæ recentes, ad diuturni viduvii vulnus adduntur.* Glossæ: *Vidubium, ἀρίστιμον χήρας.*

Vigilax, vigilans, industrius. Sidonius Apollinaris lib. V. epist. II. *Namque in paginis ejus vigilax lector inveniet veriora nomina Camœnarum.* Similiter lib. VIII. epist. XII.

Villanus, pro rustico, vel degente in villa. Odericus Pèregrinationis suæ cap. III. §. XII †: *Rex habuit quatuordecim millia elephantorum domesticorum, qui nutriuntur à villanis sibi subjectis.* Budæus prioribus Annotationibus in Pandectas * *villanos* dici ait, qui vel ipsi sint adscripti villæ, aut colonariæ conditioni, vel quorum majores fuerint hujuscemodi.

† *In vitis SS. ad 14. Jan.*

* *Pag. 72. edit. Rob. Steph.*

Villare videtur pagus, quia refert villam; quo intelligere hic, more barbari seculi, civitatē oportet. Chronicon Flodoardi in an. Ↄcccxxiv† †: *Visiones sanctorum cuidam presbytero, nomine Ebrulfo, in villari Mosomo proximo commanenti, ostensa.*

†† *Pag. 123 Annalium Francicorum edit. VVechel. ann. 1594.*

Villenagium, servitus à villico obita. Ita in Reg. Majest. Scoticæ Legg. lib. I. cap. XXIX. §. VI, *villenagium in Curia objectum, & probatum*, inter causas affertur, cur aliquis excludatur à petitione hæreditatis sui antecessoris.

Vinagium, & corruptiùs *vvienagium*, vectigal, quod penditur ob vecturam vini. Philippus Comes Flandrorum, & Veromanduorum, in tabulis an. cIↃLXXVI*: *Vinagium, & pidagium de omni vino, quod fratres ducant ad Ecclesiam, ad opus suum, per transitus nostros liberè transire, & nihil omnino à ductoribus vini exigere. Similiter & de omnibus victualibus fratrum per totam terram meam liberum transitum.* Wilhelmus de Betunia in tabulis anni cIↃXCIII †: *Omnia ad prano-*

* *Apud Miræum in Notitia Ecclesiarum Belg. cap. 166. pag. 440.*

† *Apud Miræum in Notis. Belg. Eccles. pag. 469.*

prænominatam Ecclesiam, vel ad usus fratrum in ea commorantium pertinentia, sive terrâ, sive navigio, per terram nostram transeant, asque teloneo, & vienagio & omni exactione, liberè transire permittuntur. Balduinus Flandriæ, & Hannoniæ Comes, posteaque Imperator Constantinopolitanus, in tabulis anni CIↃCXCIX *: *Concedo libertatem, ut sive per terram, sive per aquam transeuntes, per omnem terram, & ditionem nostram, à vvinagiis, vel teloneis, & cæteris exactionibus, liberi in ævum permaneant.* Nicolaus, dominus de Lalaing. in Donatione Marchianensi Abbatiæ prope Duacum factâ anno CIↃCCIX †: *Quitavi in perpetuum Ecclesiæ Marchianensi omne vvienagium, quod exigere, vel capere solebam de blado, & vino, & aliis catallis ad Ecclesiam pertinentibus; indulgens, ut in omni potestate meâ, tam per terram, quàm per aquam, liberè, & absque ullâ tributi exactione, res ecclesiæ transeant.* Videtur verò hic ea vox non de solo vino dici; sed etiam extendere se ad bladum, sive frumentum: etsi aliud exigat ἐτυμον.

* *Apud Miræum in Notit. Eccl. Belg. cap.* 180. *pag.* 465.

† *Apud Miræum in Notitia Eccles. Belg. an. cap.* 189. *sive pag.* 524.

Vinculatus, vinctus, vinculis constrictus. Thom. Walsingus Hist. Angl. in Richardo II *: *Eos, qui dignam summam pecuniæ pro redemptione pendere poterant, vinculatos ad vasa deducunt, domos cum Ecclesiis spoliant.*

* *Pag.* 210.

Virtutigena, virtutis usque adeò amans, ut ex ea quasi genitus videri possit. Glaber Rodulphus præfat. vitæ S. Guilhelmi †: *Iccirco communem fidelium virtutigenûm obsecramus charitatem.*

† *In vitis SS ad* 1. *Ian.*

Virtuosus est apud Guilhelmum, equitem auratum, in Hodœporico, sive de terra sancta. Pro eo *studiosus*, vel simile, dixeris.

Visnetum, vel *vicinetum*, pro vicinia, ab Anglico, *visne*, quod & ipsum ejusdem originis. Matthæus Parisius in charta libertatum à rege Joanne concessarum: *Per sacramentum proborum, & legalium hominum, de visneto Comitatus.* Sed aliqui libri *vicineto.*

CAP. LVI.

De iis, ubi dost V ponitur L, N, O, R, T, V. Ulvetum, & undeolus, *rejecta.* Unicors, *concors.* Unigamus, *qui unicas contraxit nuptias.* Unigenitus, *filius unicus.* Volax, *volucris, velox.* Vomitium, *vomitus.* Voracitas, *edacitas.* Urinale, *vel* urinarium, *matella.* Utensilitas *usus.* Vulgulosus, *fortasse, qui in vulgo eminet. Esse & hujus generis aliqua, quæ per VV scribantur: quale* vvadium, *pro pignore vel mulcta: & ab hac origine quædam vocabula hodieque in Gallica, & Belgicâ lin-*

guâ,

guâ, obtinere. De cœptis ab X, ut xenodocharius, *xenodochii præfectus*; *&* xirophagus, *arido victu contentus. Vel ab Y, ut* yconomus, *pro œconomus: &* ybernagium *frumentum hybernum. Ved à Z, ut* zanchæ, *vel* zanchæ, *calceamenti barbari genus:* zeta, *pro zata, sive ziata:* zapinea, *pro sapinia, abjegna, pinea:* zima, *pro zyma, sive fermento:* zometum, *pro veste stragula.*

REstat, ut de iis agam, ubi post V sequatur litera posterior tertiâ vocali: item de cœptis ab W, X, Y, Z, Ac, quia ad alia festinat animus, paucis defungar.

Ulvetum, locus ubi crescunt ulvæ. Ita Gemma. Puto rescribendum, *Ulmetum*, & *ulmi.*

Undeolus in Gemma exponitur **een water-vat.** Nec esse librarii errorem, ostendit ordo literarum. Nimirum ab *unda* deduxit. Sed omnino auctor falsus, qui debuit dicere *urceolus.*

Unicors, pro concors, itidem agnoscit Gemma: uti & *unicordia* pro concordia.

Unigamus, & *unigamia*, ibidem est pro *μονογάμος*, & *μονογαμία.*

Unigenitus vulgò, ac Theologis imprimis, est perusitatum. Magis tamen Latinè dixeris *unicum*, vel etiam *unigenam*: quomodo Cicero in Timæo ait: *Ut hic mundus esset animans absoluto simillimus, hoc ipso, quòd solus atque unus esset: iccirco singularem Deus hunc mundum, atque unigenam, procreavit.*

Volax, pro volucri, vel volante, aut celeri. Petrus Damiani lib. III. epist. VIII. ad Archiepisc. Bisuntinum: *Atque ut volaces gressus acceleret, exoratur.*

Vomitium in Mso nostro Glossario exponitur vomica. Ac comprobatur ibidem è Martiano Capella, qui dicat *vomitio, ac nauseâ laborare* Sed hoc potiùs argumento fuerit *vomitium* pro *vomitu* dixisse, vel *vomitione.*

Voracitas ignotum veteribus, qui maluere *edacitas:* Cicero etiam pro Sextio, *abdomen insaturabile.*

Urinale, pro matella, est in Gemma illa non gemmeâ. Et obtinet vox in vulgo. Cælio autem Aureliano lib. I. *χρον* cap. IV. *urinale* medicamentum, urinam ciens, vel movens. Græcis *ὑρητικὸν*, & *διυρητικόν.* Pro *matella* & *urinarium* est in Glossario nostro Mso: sed itidem absque veterum exemplo.

Usudis, usui serviens. Ictorum est.

Utensilitas, ab *utensile*; ut *utilitas* ab *utile. Utensile* est Varronis lib.

1. de R. R. cap. v. Onomasticum: *Vtensilis, utilis*, χρειώδης. Hinc Columellæ, & aliis, *utensilia. Vtensilitas*, χρεία, usus. Tertullianus de habitu mulierum cap. v: *Magis ferro, & arte ita disposita est utensilitas.* Et mox: *Consanguineis, quantum ad genus; & potioribus, quantum ad utensilitatem, materiis præferantur.*

Vulgulosus in Gemma exponitur, *in vulgo generalis.* Quare videri possit venire à *vulgus*, vel diminutivo *vulgulus.* Sed illa in *osus* potiùs copiam, vel aliud, quàm honorem, signant: ut *piscosus, ebriosus, acinosus, &c.* Et quid si non sit vox à populo inducta, sed à librariis alicunde corrupta? Nisi longiùs abirent literæ, possit videri esse à *virgobretus.* Hoc enim apud Heduos erat nomen honoris. Isidorus in Glossis: *Virgobretus, nomen magistratus.* Sed de voce nihili nimis multa.

Atque hæc scribuntur per V, more Latino. Est verò, ubi Latinæ originis sit barbara vox, quæ, more barbaro, per W scribatur. Talis est *vvadius*, vel *vvadium*, vel *vvadia.* Hoc propriè notat pignus, vel fidejussionem. Est verò à *vadis* vocabulo. Nam Latini pronunciabant V consonum, ut nos W: nempe *vadem*, ut *vvadem*; *vinum*, ut *vvinum*; *vallum*, ut *vvallum*; *vidua*, ut *vvidua*; *vacillare*, ut *vvacillare*; unde nobis **wijn, walle, widwe,** *vel* **weduwe, waggelen.** Quia igitur vas ac sponsor pro pignore est; ideo *vvadium* pro pignore. Legas in Lege Salicâ cap. 1. §. VIII. Item in Kapitul. Karoli M. libro II. cap. XXXVIII, & lib. III. cap. XXIX: ubi, quod prius est *loco vvadis*, mox exponitur, *in pignore*, Hincmarus in Capitulis anni DCCCLII. cap. XI: *Vt nullus presbyter præsumat calicem, vel patinam, aut pallium altaris, tabernario, negotiatori, aut cuilibet laico, in vvadium dare.* Atque ex his liquet, quid sit *vadio*, vel *vvadio*, supponere: ut loquitur Guntherus lib. VIII:

Siquis habens feudam, pretio seu vendere totum,
Seu dare, seu vvadio supponere cogitur.

Videlicet *vvadio supponere* idem est, ac *oppignerare.* Quia verò pro mulctâ subinde pignus daretur; inde est, quòd *vvadium* etiam diceretur pro mulctâ, quam quis deberet. Constitutiones Caroli Calvi tit. XXVII, post reditum à Confluentibus, cap. VI: *Si de ipsa pacificatione vvadi ad nostram partem venerint, ex toto----perdonent.* Synodus Cabillonensis II. cap. XVIII: *Dictum est nobis, quòd in quibusdam locis Episcopi, & Comites, ab incestuosis, & ab his, qui decimas non dant, vvadios accipiant, & à presbyteris, pro quibusdam negligentiis, & inter se, pecuniam dividant.* Similiter Odo lib. 1. de vita S. Geraldi cap. XXIV, & XXV.

& xxv. Etiam à *vaadium*, seu *guadium*, vel *gadium*, est Germanicum **wedden**, pignore depositio certare. Ejusdem originis est, tum Germanicum **wedde**, merces, præmium, salarium; tum Gallicum *gagie*. Nam, W, & G, commutantur; Germanis amantibus W; Gallis pro eo reponentibus GV, vel G: quomodo **Waten**, Galli; **Willem**, Guiljelmus. Itaque & pro *vvadium*, aut *vadium*, *guadium* dixere; ac fortasse etiam *gadium*. Sanè apud Petrum Mauritium est lib. I de Miraculis cap. VIII: *Jussus post hac à judicibus venire, & ea, qua dixerat, comprobare, propiùs accessit, & iterans, qua dixerat, cœptâ temeritate se vera dicere confirmabat. Cumque instaret, rursum ei judices præceperunt, ut secundùm morem regionis, illud, quod ipsi vocant gadium, rei videlicet ab eo probandæ argumentum, manu propriâ in ejusdem Gerardi Prioris manu poneret. Qui velut ex bona conscientia audacter gadium in manu ejus ponens, ait: Hujus, ut dixi, rei ego testis sum, aliis quoque testibus, vel duello, id ipsũ probaturus.* Ubi uno in codice *guadium*, pro *gadium*, se reperisse refert Ludovicus De La-Cerda in Adversariis Sacris cap. CLXVIII. Nempe idem *vadium*, *vvadium*, *guadium*, *gadium*. Atque à *vadii*, vel *vvadii* vocabulo sunt verba *invadiare*, & *revadiare*; de quibus libro proximo dicetur.

Vinagium idem ac *vinagium*; de quo superiori cap. diximus.

Aliquid etiam ad texam de cœptis ab X, Y, Z.

Xenodocharius, & *xenodocharia*, in Gemma habes, pro xenodochii præfecto, præfectâve. In veteribus Glossarii nostri membranis Mssis est *Xenodochiarius*: & magis ἀναλόγως.

Xirophagus dixere pro ξηροφάγος, qui H pronunciarent, ut I. Atque ita etiam in Vocabulario, quod Gemma inscribitur, est exaratum; item in altero nostro Mso, ubi similiter *xirobalsamum*, pro *xerobalsamum*. Imò *Xirophagia*, & ξιροφαγία, constanter scribit Ludovicus De-La-Cerda in Adversariis Sacris cap. CLX, §. XVIII. Sed per E scribi debere, arguit Græcum ξηροφαγία. Quod à ξηρὸς, *aridus* & φαγεῖν, *edere*. Tertullianus de Jejunio: *Argunt nos* (Psychici) *quod xerophagias observemus, siccantes cibum ab omnium carne, & omni jurulentia, & vividioribus quibusque pomis; nequid vinositatis, vel edamus, vel potemus: lavacri quoque abstinentiam convenientem arido victui.* Meminit & Cassianus lib. IV. cap. XXII.

Yconomus, barbarũ, ex œconomus, pro defensor, protector, patronus. Matthæus Parisius in vita Offæ II: *Rex Christianissimus Offa, vices agens Yconomi, & custodis specialis, vitam per aliquot annos continuavit.*

Ypocisis, vide *Hypocisma*.

Γvernagium corruptum ex *hybernagium*, pro frumento hiberno: unde & *bladum hybernagium* pro eo legas. Matthæus Parisius in vita Guarini, abbatis xx. S. Albani, è Charta abbatis Guarini, & Conventûs: *Quietè molant qualibet septimanâ unam summam de γvernagio ad molendinum, quod vocatur* DICHMULEN, *& alteram summam de brasio ad* MALTMULNE.

Zabulus, diabolus. Cyprianus ad Demetrianum cap. VI: *Quid in ruinam zabuli, per ipsum, & cum ipso, cadis?* Similiter apud eum scriptor de Aleatoribus cap. III. Etiam sic usurpat Hilarius in Matth. cap. XII. can. XII, & ejusdem cap. XXIV. canone XXVI; item Ambrosius lib. V. de Fide ad Gratianum cap. I, & VIII; nec non Paulinus epist. X. Cassianus Collatione I, cap. XXI, Rabanus carm. IX. Est & in Hymno Ecclesiastico de S. Michaele:

Michaelem in virtute conterente zabulum.

Ubi Jodocus Clichtovæus *zabulon* legit; quæ una duodecim tribuum Israël. Ac Lævinus etiam Torrentius, in Suetonii Claudium cap. X, cùm Patres *zabulum* dixere, putat allusisse ad tribum *Zabulon*. Ac videri possit præviisse B. Hieronymus in cap. VI. ad Ephesios. Sed veram vocis originem facilè videt, qui sciat, ζα Græcis nunc esse ἐπιτατικόν; ut in ζάπλουτος, *valde dives*; ζάθεος, *prædivinus*; ζαμενὴς, *admodum validus*, & similibus, nunc etiam valere διά; ut in ζαβάλλω pro διαβάλλω, unde *Zabulus*, pro *diabolus*. Simileque *Hippozarrytus* pro *Diarrhytus*: de quo dixi Historiæ Pelagianæ lib. I. cap. XIII. Aliqui de ζα non dissentiunt: sed arbitrantur, esse à βυλὴ, consilium. Sed sic ζάβυλος diceretur, penultimâ correptâ, & notaret *abundantem consilio*; quod elogium potiùs ad honorem pertineret.

Zacones, pro *diacones*; *diacones*, pro *diaconi*. Nam Ecclesiastici pro *diaconi*, & *diacones* efferebant; ut cap. proximo parebit. Ζα verò Attici, & Æolos, pro διὰ dixere: ut est apud Etymologum magnum in κόρη, pro, διάκορη. Commodianus: *Ministerium Christi zacones exercete castè.* Simile est *zabulus*, de quo proximè dicebamus: item *zeta* pro *dicta*, de quo mox.

Zancha, vel *zanga*, Trebellio Pollioni in Claudio barbarici calciamenti genus: uti dictum lib. II. cap. VXIII. Vox barbara; interim à Græcis accepta, sed recentioribus; ut inter Græcobarbaras, & Latinobarbaras, reponi debet. Inter Græcos, Latinosque, hoc est discriminis, quod Græci maluere τζάγγα, ex more eo, quo ante Z præponebant

T. Ve-

T. Veteres Glossæ verborum Juris à Labbæo divulgatæ: ζάγλα, τὸ ἐνώδημα. Salmasius ad Trebellium ostendit, ζάγχη dixisse à constringendo; quod Græcè διάγχειν: pro quo extulere ζάγχειν, ut factum in *zata*, de quo mox dicam.

Zapinea vulgò Italis tabula abiegna, pro *sapinea*, à *sapino*, abietis genere: ut Servius interpretatur in II. Æn. At Glossæ vett. *Sappinus*, πεύκη; *sapinus*, πίτυς. Nempe aliqui sappinum, sive sapinum, interpretabantur *piceam*, alii *pinum*; ut vicinæ arbores confundi solent. Pluribus de hoc egimus in Originum libris.

Zeta in Glossis nostris membranaceis exponitur, *camera*, *conclave*: & adstruitur eo, quòd in vita B. Thomæ legatur, *zetas hiemales*, & *zetas æstivales*. Usurpat quoque Ordericus Vitalis in Historia Ecclesiastica*: *Quidam ad illum de sublimi zetâ lapidem projecit.* Sed hoc vocabulum jam Plinii † minoris temporibus usurpatum. Juniores in eo solùm recessêrunt, quòd merâ exararunt vocali, cùm scribendum sit *zata*. Est enim factum ex δίαιτα; cujus generis alia in *zabulus*, & *zacones*, adduximus; in quibus non Z ἀπλῶς pro D, sed *za* ponitur pro δζ. Quare valde fallitur Cælius Rhodiginus lib XII. cap XVIII; ubi esse eam vocem putat, vel à ζῆν, hoc est, vivere, quia in ea genio indulgerent; vel à ζέειν, hoc est, fervere, quia in hac poneretur heliocaminus: ut in Originum libris dictum.

* Pag. 775.
† Lib. 7. epist. 17.

Zima in Gemma exponitur fermentum. Græcè ζύμη, unde ἄζυμα. Solùm peccatum eo, quòd Latini eam vocem nesciant; nec per tertiam vocalem, sed per Y, scribi debeat.

Zometum ibidem exponitur, quod sternitur supra lectum. Hoc Ciceroni *vestis stragula*, Græcis στρῶμα. Num inde factum *zometum*, pro *strometum*, ex plurativo στρώματα; An potiùs est à *zoma*? Nam ibidem antecedit, *Zoma, vestimentum, vel cingulum.* Sanè & Græcis ζῶμα, tum ἔνδυμα, tum ζώνη. Sed incertis adeò cur immoremur?

CAP. LVII.

Transitur ad ea, quæ vitiosè declinantur. Hoc trifariam fieri. Primùm, si confundantur declinationem formæ. Velut prima, & tertia: qualia tesseribus, *pro tesseris*; abbam, *pro abbatem*; celeumæ, *pro celeusmatis* Sirenarum, *pro Sirenum.* *Item secunda, & tertia: ut* glomi, *pro glomeris*; gipperis, *pro gibbi*; diaconibus, *pro diaconis*; mannibus, *pro mannis.* *Adhæc secunda, & quarta: ut* viru, *pro viro, à recto* virus:

genuorum, *pro genuum. Deinde, ubi nulla est declinationis confusio, & vitiosa tamen est vocis formatio. Ut à* lardum, *larda in plurativo, pro pernis; à muliebri nomine* Micha ëlis, *obliquus* Michaëlis, *pro Michaeladis*; marmorem, *pro marmor*; sitc, *pro siti*; sanguines, *pro sanguis. Tertia vitiosa forma est, ubi ἄκλιτον sive indeclinabile habetur, quod non est ejuscemodi: quale est* Parisius, *pro Parisiorum, Parisiis, vel Parisios. Ac plura ejus farina apud varios.*

QUæ hoc libro diximus de nominibus Latino-barbaris, ea in recto etiam id, quod sunt, hoc est, barbariem suam produnt. At quandoque usu venit, ut à recto Latino formetur casus barbarus. Hujus generis aliqua adduxi primo hujus operis libro cap. vigesimo. Nec caussam video, cur non denuo, in tam ampla segete barbarorum, aliqua ejusce sortis congeram hoc loco. Ac priùs quidem exponam, ubi declinationes confundantur. Ita nomen primæ more tertiæ inflectitur, cùm *tesseribus*, pro *tesseris*, ait Cæsarius lib. IV. Miraculorum cap. VI: *Ante conversionem leccator opere, vino, & tesseribus, dedstus totus.* Et contrà nomen tertiæ inclinatur, quasi primæ foret; quando *abba*, & *abbam*, dicit Paulus Æmilius in Historia Francica. Nam à recto ΑΒΒΑΣ, sive *abbas*, usus exigit *abbâtis, abbati, abbatem.* Nec ignoro, etiam *abba* legi apud priorum nonnullos. Sed iidem tamen *abbatem*, non *abbam*, dicunt. E. G. apud Aimoinum de Gestis Francorum lib. v. cap. I: ubi in Privilegio Karoli Magni scribitur quidem, *Venerabilis vir. Hrobertus, Abba de Basilica S. Vincentii.* Sed ejusdem tamen privilegii initio est, *Omnibus Episcopis, Comitibus*; non *Abbatis.*

In eâdem formâ se offert *celeuma*; quod ex Græco κέλευσμα, ac remigibus, vel assâ voce, vel per symphoniacos, cani remigibus solet; ut ait Asconius in Divinat. Ac Servius in VIII. Æn. *Tacitis remis* interpretatur ἄνευ κελεύσματος. Diximus de eo Oratoriarum Institut. lib. v. cap. II. Hoc in patrio *celeumatis*, vel *celeusmatis*, facere, satis ex Græca declinatione conspicitur. Attamen legas in vita S. Genovefæ Virginis cap. VII. sect. XXXIX: *Paristerque omnes cum eo, in cœlum clamore sublato, canticum Exodi in modum celeumæ concinentes, magnificaverunt Deum.* Quod non culparem, si veterum niteretur exemplo; uti *schemam, sacomam, diademam*, aliàque id genus multa: de quibus egimus lib. IV. artis Grammaticæ, sive de Analogia lib. II. cap. XV, & Institutionum Oratoriarum lib. V. cap. I. sect. I.

* *In vitis SS. ad 3. Ian.*

Huc

Huc etiam pertinet *Sirenes, Sirenarum*, pro *Sirenes, Sirenum*, à Greco Σειρὴν, Σειρῆν@. Otto Frisingensis in Prooemio operis ad Singrinum: *Babylon, juxta Esaiæ vaticinium, sine spe reparationis, Sirenarum facta est delubrum, domus draconum, & struthionum, latibulum serpentium.*

Itidem confundi videas secundam, & tertiam. Nam, ut dixi lib. primo cap. xx, *glomus* est tertiæ; unde tamen *glomi* pro *glomeris* formari solet: & contrà *gibbus* est secundæ, unde formant *gibberis*. Itidem *diaconus*, ejusque composita *archidiaconus*, & *hypodiaconus*, sunt secundæ. Et tamen in tertia inflexere. Quod tangebamus lib. I. cap. xx. Nunc aliquot testibus firmabo. Concilium Agathense cap. xxxix: *Presbyteri, diacones, subdiacones, vel deinceps, quibus ducendi uxores licentia non est, etiam alienarum uxorum evitent convivia.* Ac similiter canone XLIX Item *diaconem* can. LXV. Etiam *diacones* legas in Concilio Illiberitano can. XVIII, & Toletano IV. cap. XXXVIII. Et ne Consiliis insistam, sic Pontius, vel potiùs Paullus Diaconus in Passione B. Cypriani: *Dalmaticam verò tradidit diaconibus, & stetit in lineis exspectans speculatorem.* Isidorus in Viris illustribus cap. XIII: *Eugippius abbas ad quendam Paschasium diaconem libellum, de vita sancti monachi Severini, transmissum, brevi stylo composuit.* Ac similiter Anastasius bibliothecarius ordinatos à Fabiano *diacones, & subdiacones*, dicit. Non probo, quòd plerique in scriptoribus antiquis hæc immutant. Ut quòd Bonaventura Vulcanius, item Breulius, apud Isidorum lib. VII. Originum cap. XII, *diaconi, & subdiaconi*, edidere. In nostris sanè Mssis est *diacones, & subdiacones*. Ac sic ex Isidoro citat Gratianus distinct. XXI, cap. I. §. Cleros. Imò pluribus locis eo pacto etiam Burchardus, & Ivo. Et ab hac loquendi consuetudine est, quòd & Græci recentiores διάκων pro διάκονος ajunt. Malaxus Peloponnensis in Historia Patriarcharum: Οπῶι@ γένες ἀρχιερεὺς ἢ ἱερεὺς, ἢ διάκων. Et quid mirum, cùm similiter ὁ πάτρων τῦ πάτρωνος dixerint, pro *patronus, patroni*? Legas apud Theophilum, Harmenopulum, & alios I. C. item Hesychium: uti & τὸν πάτρωνα in Græcis inscriptionibus apud Janum Gruterum*.

* Pag. 599. num. 13. & 12.

Mannibus pro *mannis*. B. Hieronymus in Ecclesiasten cap. X: *Dignitate perflati, vias publicas mannibus terunt; quos vulgo buricos appellant.* *Mannis* dici debuit; ut Horatius lib. Epodon od IV; *Et Appiam mannis terit.* Ubi Acro, & Porphyrio, docent, *mannos* dictos, quos vulgò *burdos*, & *buricos*, appellarent.

Simi-

Similiter est, cùm nomen secundæ effertur, ut quartæ; vel id quod quartæ, quasi foret secundæ. Prioris generis est *virus*; unde *viri*, & *viro*, est apud Lucretium. At *viru* in ablativo à *virus* usurpatur in Vita S. Eugendi abbatis ab ejus discipulo exaratâ, cap. VI. §. VIII *. *Nisi depositio invidiæ viru ad sanctum Christi famulum quantocius repedarent.*

* *In SS. vitis ad 1. Januar.*

Contrà *genu*, cùm quartæ sit, ideòque *genuum* faciat gignendi casu; tamen *genuorum dissolutio* in Actis Thyrsi, ex Mso Velleri expressis, legas cap. IV, §. XXV *.

* *In vitis SS. ad 28. Januar. Boll. tudum pag. 815.*

Atque in his confusa est declinatio. Dicam nunc, ubi nulla est mixtura: sed sic peccatur in declinando, ut maneatur interim intra κλίσιν, sive formam suam.

Tale est *larda*; pro partibus suillis; uti petasonibus. Sic legas apud Turocium in Historia Hungarica: *Lardorum duo millia.*

Michaelis in recto quidem rectè dicitur: sed perperam à recto illo aut *Michaelis* in patrio, aut *Michaeli* in dandi casu, dicunt, atque ita porrò. Nam dicendum hæc *Michaelis*, hujus *Michaelidis*, vel *Michaelidos*: sicut à *Theseis* est *Theseidis*, *Theseidi*, *Theseida*, vel *Theseidem*. Ut à *Theseo*, *Theseis*; sic à *Michaele*, *Michaelis*. Nomen id inter alias fuit Karoli VI, Gallorum Regis, filiæ; quæ, nupta Philippo Bono, Burgundiæ Duci, peperit Karolum Audacem, parentem Mariæ; quæ nupta Maximiliano I. Austriaco.

Marmorem, pro *marmor*, usurpat Plinius Valerianus, Empiricus Gallus, lib. III. cap. XIV *: *Supra marmorem aquâ lotum fundes medicamen, quod tepefactum colliges.*

* *Fol. 69. edit. Basil. an. 1528*

Sic *site* in auferendi casu, pro *siti*. Venantius in S. Georgii templum, à Sidonio Episcopo exstructum:

Martyris egregii pollens micat aula Georgi,
Cujus in hunc mundum spargitur altus honor:
Carcere, cæde, fame, vinclis, site, frigore, flammis,
Confessus Christum, duxit ad astra caput.

Sanguinum arbor, à rusticis ita dicta, memoratur Luitprando Regi, Legum Longobard. lib. II. tit. XXXVIII. leg. I. Fortasse ex eo nomen, quod de vita apud eam singulari soleret certamine pugnari. Theologis verò imprimis frequens vocabulum hoc toto inflectere plurativo. Sic Agobardus, Lugdunensis Episcopus: *Quod interpres tran-*

transtulit sanguines, vel sanguinibus, non solùm non reprehendimus; sed neq; ab impiis audivimus unquam reprehensum. Hæc ille, à Fredegisio culpatus, quòd ludibrio habuisset vulgatum Scripturæ interpretem. Quare autem hic maluerit sic loqui, dicet B. Augustinus enarratione Psalmi L: *Expressit Latinus interpres verbo minùs Latino; proprietatem tamen ex Græco. Nam omnes novimus, Latinè non dici sanguines, nec sanguina; sed sanguinem: tamen quia ita Græcus posuit, plurali numero, non sine caussa, nisi quia hoc invenit in prima lingua Hebræa; maluit pius interpres minùs Latinè aliquid dicere, quàm minùs propriè.* Cur verò alterum minùs proprium videatur, postea subjungit.

Atque in his eò nomen aliquod culpatur, quia vitiosè à recto formetur obliquus. Est verò cùm in eo vitium sit, quòd nihil formetur; sed rectus in quovis casu retineatur, quasi nomen ἄκλιτον † foret. Sic *Parisius* urbs, *Parisius* urbis, esse *Parisius*, & similia, crebra sunt in Martyrologiis. Est & Flodoardi lib. II cap. II: *Item quòd postquam Chilperico filius natus est, & ipse Parisius persuasit.* Et cap. V: *Capitula canonum Parisius acta.* Ac ibidem: *Parisius factum est.* Petrus Blesensis epist. IX: *Dum Parisius operam studiis dabas, publicè dicebatur, quòd in hac humana conversatione te angelum exhibebas.* Similiter idem epist. XIX & CXXVI. Item Fulbertus Carnotensis epist. LXXXV, B. Bernardus epist. CCV, secundùm Mssos, & vett. editt. Anonymus Anglus in Chronicis. Quorum verba adduxit Joan. Ludovicus De-La-Cerda in Adversariis Sacris cap. LXXII. Item Philipp. Mazzerius *, qui anno claruit cIↃCCCLXX, ac regni Cypri Cancellarius fuit, in vita æqualis sui, S. Petri Thomasii cap. I †: *Tunc ordinavit ordo, quòd iret Parisius. Ipse autem stans Parisius mirabiliter profecit: & stetit Parisius per tres annos.* Ac postea: *Et reversus est Parisius.* Simile, *Remos est*, vel *Remos degit.* Item, *urbs*, vel *urbem Puteolis, Cumis oppidum.* Apud Frontinum, *Colonia Vejos*, vel *Graviscos. Megaris*, pro Megara, apud veterem Juvenalis interpretem. Vopiscus in Probo: *Copto præterea, & Ptolemaide, urbes ereptas barbarico servitio, Romano addidit juri.* Ita in vett. libris reperit Salmasius. Nempe *Parisios*, vel *Parisius*, *Veios*, *Ptolemaide*, & similia, labentis ac imprimis collapsæ Latinitatis scriptoribus sæpe sunt indeclinabilia,

† *Indeclinabile*

* *Al. de Manseriis.*

† *In vitis SS. à Bolmanno editis ad 29. Jan.*

FINIS.

GERARDI IOANNIS VOSSII

DE VITIIS SERMONIS, AC VARIIS GLOSSEMATIS,

LIBER IV.

CAP. I.

A *Nominibus acceditur ad Verba, barbara quidem; Latina tamen originis, aut Græca. Ac primò agitur de iis, quæ incipiunt à prima vocali.* Abbatizare, *abbatis munus sustinere.* Abigare, *abigere.* Absoleſcere, *abolere.* Acaptare, *acceptare.* Accentuare, *accentu genuino pronunciare.* Accidiare, *negligenter agere.* Accognitare, *notum facere, significare.* Acquietare, *quietum ac tranquillum reddere.* Acutiare, *acuere: & obiter, quid* ſamiator, *vel* cotiarius. Adhamare, *quaſi hamo captare*; hamare, *pro affectare: interim utrumq; verbum videri probum, licet incertâ codicum lectione ſubnixum.* Adoleſcentiari, *agere more adoleſcentum.* Adrumare, *rumorem adferre.* Adſallire, *vel* aſſaillire, *aſſilire, aſſultare, aggredi.* Æquilibrare, *æquatione libræ ponderare.* Æquivocari, *cognominem eſſe.* Æruginare, *ærugine vitiari.* Affidare, *fidem alicui obſtringere: unde* affidatura, affidatio, *&* affidia. Aggaudere, *gaudere.* Aggaulizo, *adaulizo, tibiâ accino.* Alapare, *ab alapa, pro colaphum infringere.* Amarizare, *amarum reddere.* Amœnare, *delectatione afficere.* Ampliorare, *amplius ſive majus reddere.* Anguſtiare, *angorem animi adferre.* Annonari, *annonam percipere.* Annullare, *in nihilum redigere.* Anxiari, *angore percelli.* Apologare, *renuere, repellere.* Aporiare, *redigere ad ἀπορίαν, ſive ad egeſtatem, & perplexam rerum conditionem.* Apoſtatare, *vel* apoſtatizare, *à fide deficere.* Apperſonare, *perſonam ac dignitatem alicui imponere regundæ Eccleſiæ.* Appretiare, *æſtimare.* Appodiare, *podio inniti.* Appretiare, *pretio ſuo æſtimare.* Appropiare, *propiorem fieri.* Appropriare, *adſciſcere.* Archieporare *corruptum videri ex archiepiſcopare.* Aſinare, *aſino vectari.* Aſſecurare, *ſecurum reddere.* Aſſiduare, *in re quapiam eſſe aſſiduum.*

Aſſu-

Assumare, *summam colligere.* Attediari, *tædio adsici.* Attitulare, *titulum libro dare.* Avallare, *descendere.* Auctorizare, *auctoritatem addere.* Augmentare, *augere.* Auriculare, *insusurrare auribus.*

DEcurri spatium nominum barbarorum: sed dum retrospicio, video multa me præteriisse indicta. Nec propterea iter nunc relegam: fortasse melius fiet postea: nunc malo à Nominibus progredi ad verba illa barbara, quæ à Latio, vel Græcia, originem ducunt. Eorum alia aliis magis absunt à consuetudine linguæ Romanæ: ut deinceps planius fiet.

Abbatizare, abbatem agere, fungi munere abbatis. Matth. Paris. in ann. CIↃ CC LVII: *Abbas Claravallensis, eò quòd, contra statuta ordinis Cistercienses, privilegium impetravit perpetuò* abbatizandi, *ignominiosè depositus est.*

Abigare, pro abigere, fugare, expellere. Lucifer Caralitanus, libro de non parcendo in DEUM delinquentibus: *Te per Arrianos abigavit coluber ille.*

Abrenunciare, pro renunciare, rejudicare.

Absolescere, facere ut quid obsolefiat, sive ex solito fiat insolens. Tertullianus lib. de Exhortatione castitatis cap. VI: *Utiq; continentiam indicens, & compescens concubitum, seminarium generis, absolescit illud, Crescite & multiplicamini.* Ubi sic Beatus Rhenanus: *Activè, pro absolefacit, sive abolet.*

Acaptare corruptum ex *acceptare.* Significat enim captare, petere, anquirere. Ex quo Italicum *acattare*; Gallicum, *achepter.* Constitut. Caroli Calvi tit. XV ad Francos, & Aquitanos, cap. VII: *Propter hoc jam ultrà ad illum non debeat consilium acaptare.* Ibid. cap. XIII: *Quod Deus illi cupierit, & ad alium seniorem acaptare potuerit, pacificè habeat.*

Accentuare, superiorum seculorum Grammatici, pro secundùm accentum germanum proferre. Mammotrectus cap. de accentibus: *Non potest rectè accentuare, qui nescit conjugationes verborum distinguere.*

Accidiare, ex Græco ἀκηδιᾶν, negligenter, ac somniculosè agere. Petrus Damiani lib. II epist. III: *Si ille dormire vult, hic accidiatur: si satur est, hic ructare compellitur. Sicque non suus nil aliud loquitur, nisi quod illi placere suspicatur.* Vide, quæ de *Accidia* vocabulo diximus libro superiori cap. I.

Accognitare, à *cognitus.* Ciceroni, & Tranquillo, est notum, vel

nota facere. Ut cùm lex promulgatur, quò populo innotescat. Constitut. Karoli Calvi tit. XVI ad Francos, & Aquitanos, cap. XI: *Ut omnibus suam voluntatem, & per donationem, & nostram, qui fideles illius sumus, devotionem accognitet.* Item tit. XXVIII, in fine Edicti Carisiacensis: *Hanc nostram constitutionem —— in palatio nostro, & in civitatibus, & in mallis, atque in placitis, seu in mercatis, relegi, adcognitari, & observari mandamus.* Hincmarus epistola ad Karolum Calvum scriptâ anno IↃCCCLIX: *Exemplar dominationi vestræ transmitto, ut jubeatis venire fideles vestros, dicentes, quia eis adcognitare vultis.* Inde *adcognitatio.*

Acquietare, quietum & securum reddere; absolvere. Leges veteres Scotiæ lib. III. §. IV: *Si ad illum terminum debitor non* acquietavit *vadium suum.* Hoc est, si non redemerit, sive ab omni periculo pro debitore solvendi liberârit fidejussorem suum. Similiter postea loquitur §. VII. Leges Ethelredi Regis in Chronico Joh. Bromtoni pag 900: *Roget, ut mundificet &* acquietet *ipsum, si possit; si recipiat, tunc* acquietat *eum.* Vide *Quietare.*

Acutiare, acuere, ἀκονᾶν, quod idem ac acuere, & propriè, acuere cote, quæ Græcis ἀκόνη. Glossæ: Ἀκονητὴς, *famiarius, cotiarius, acutiator.* Nempe *cotiarius*, & *famiarius*, à *Samiâ cote*; quæ acuta erat, ut quâ virilia demeterent: unde de ea Catullus in Atti:

Devolvit illa acutâ sibi pondera silice.

Adhamare comprobant è Ciceronis isto Academ. lib. II: *Qui enim serius honores adhamaverunt, vix admittuntur ad eos, nec satis commendati multitudini possunt esse.* Eam verò scripturam firmant è Nonio; qui hunc Ciceronis locum adducit, & *adhamare* ait ab *hamo* tractum, & exposuit obligare. Sic sanè Aldina editio, item illa Hadriani Junii, & Dionysii Gothofredi. Sed verba illa, *obligare ab hamo tractum*, non reperias in optima editione Josiæ Merceri; ubi etiam est *adamare*, sine spiritu. Similiterque tum Mssi, quibus usus Josephus Scaliger; tum membranaceus noster bonæ notæ. In his enim post *adamare*, continuò sequitur Ciceronis locus. Si fuerit sana lectio, *adhamare* sit quasi hamo piscario captare. Mirum verò, Scaligerum, qui non reperisset *adhamandi* vocem in Mssis; tamen putâsse, apud Petronium esse *hamandi* verbum, atque id ex eo adstruere, quòd Cicero similiter, Nonio teste, dixerit *adhamare.* Nempe censet, & apud Petronium sic legendum hunc senarium:

Artic

Artis severa, si quis hamat effectus.

Verùm in Mſſis, atque editis, eſt *amat*. Pro quo Henricus Stephanus legit *ardet*. Quare licet valde eo inclinet animus, ut Petronius *hamare*. Cicero *adhamare* ſcripſerit: omnino tamen & *hamandi*, & *adhamandi* verbis tutiùs abſtinetur, ut non injuriâ ſuſpectis.

Adjectire quid ſit, dixi ſuperiùs in *lactivus*.

Adoleſcentiari, uti Horatius *juvenari*, adoleſcentum, ac juvenum more agere; Græcis ναυίζειν, ναυίειν. Gloſſæ Mſſæ: *Adoleſcentior*, ναυιεύομαι.

Adrumo. Gloſſ. Mſæ: Φημίζω, *Adrumo*. Ut liqueat hoc verbi eſſe à *rumore*: atque idem notare, quod rumorem affero. Sic Baldericus Noviomenſis, Chronici Cameracenſis lib. III. cap. XIX: *Adrumatur & Ducem rediſſe*.

Adſallire non dixere veteres; ſed *adſilire*, & *adſultare*. Eſt verò *adſallire*, aggredi, adoriri: ut Gallis *aſſaillir*: unde & quibusdam in libris legas *adſaillire*. Marculfus monachus lib. I. Form. cap. XXI: *Adſalliſſetis, & graviter livor aſſetis*. Et cap. XXXVII: *Quaſi enim in villa, nullâ manente cauſâ, adſalliſſet, & eum graviter livor âſſet*. Chronicon S. Stephani Cadomenſis †: *Inibi etiam inſtituit legem ſanctam, ne aliquis homo aliquem hominem aſſailliret, pro morte alicujus ſui parentis, &c.* At *aſſilire* pro eo rectius eſt apud Thomam Walſingamum in Hypodigmate Neuſtriæ *: *Rex Franciæ, ob gratiam Comitis. S. Ægidii — dictus eſt Rex Angliæ ipſam civitatem Toloſam non aſſiluiſſe*.

† Pag. 1018.

* Pag. 446.

Æquilibrare, ſic ponderare, ut æquilibritas, ſive æquilibrium, fiat. Caſſianus lib. VIII. de inſtitut. Monach. Eſt & Petri Bleſenſis epiſt. III: *Pondera te ipſum ſecretiùs; nec te majorem vendas, quàm te libra veritatis appendit. Vide, quod nihil dolis admiſceas; ſed temet ipſum apud Deum, & homines, rationabiliter æquilibres*.

Æquivocari, pro *eodem vocari nomine*, Petro Bleſenſi epiſt. LXXVII, & ſerm. XXIII.

Æruginare, quaſi ærugine conſumi, veteri Scripturæ interpreti, Jacobi ep. cap. V, verſ. III, & Petro Bleſenſi epiſt. CXXIX.

Affidare in jure Canonico eſt fidem ſuam alicui obſtringere. Habes quoque in Conſtitutionibus Neapolitanis lib. II, Tit. XXXVII, Leg. II. Indéque *affidati*, lib. III. Tit. VII, & VIII. *Affidatio*, & *affidatura*, lib. III. Tit. XXXVIII, L. I. *Affidia* etiam legas apud Joannem de Thwrocz Chronicorum Hungariæ lib. ult. cap. LXIII, ſive ad an. CIↃCCCLVIII:

Si concessa assidua illos eosdem non animâsset. Hoc est, fiducia ex mutuæ fidei vinculo.

Aggaudeo, ex adgaudeo, pro gaudeo, hilaris sum. Petrus Venerabilis epist. XVI: *Hilaris, & aggaudens auscultabam.*

Aggauliζo puto corruptum ex *adauliζo*, ac notare tibiâ accino, ut Græcis προσαυλέω, ab αὐλὸς, tibia; unde & Latinum illud. Vita S. Pyrmenii cap. XV: *Interea defuncto corpori inanimata materia aggauliζaret sonus*, hoc est, quasi tibiâ aceineret.

Alapare aliquem non dixero; sed colaphum alicui ducere, vel infringere. In glossis tamen Philoxeni est: *Alapatur*, ἀλαπάζει. Item in Gloss. Missis: *Alapator*, καυχητής. Nempe quia καυχηταὶ, sive petulantes ac jactabundi, gaudeant aliis colaphos incutere.

Amariζare, pro amariciem inducere, est apud Plinium Valerianum lib. I. cap. XVII. Sic *amaricare*, πικράινειν.

Amœnare, pro *recreare* ad modum amœni loci, apud Cyprianum, Sidonium, Ennodium, Salvianum, Chrysologum.

Ampliorare, ab *amplius*, pro augere. Baldericus Noviomensis Chronici Cameracensis, & Atrebat. lib. I. cap. CXIV: *Monasterium sancti Autberti, quod intra muros urbis est, amplioravit.*

Anchorare, anchoram fingere. Henr. de Knygthon lib. 3. Even. Angl. col. 2498. *Anchoraverunt cum tota classe ante burgum super mare.*

Angariare, adigere ad aliquod onus. Vide, quæ dixi lib. I. cap. V, & lib. III. cap. XI.

Angustiare, pro *angustare*; quod apud Lucretium, Ciceronem, Catullum, Senecam, Plinium. Κατὰ μεταφορὰν sæpius utuntur Ecclesiastici: in his Rufinus in tralatione Pamphili apologiæ pro Origene †. At *angustiare* pro eo est apud B. Hildegardim in vita S. Roberti Confessoris: *Mater pra timore angustiata, & gravata.*

† Pag. 885. edit. Basil. an. 1536.

Annonari, pro annonam percipere, ali. Baldericus Novomensis Chronici Camerac. lib. III. cap. LII: *Reditibus agrorum annonantur.*

Annullare, pro *in nihilum redigere*, vel *pro nihilo habere*; quandoque etiam abrogare, vel irritum reddere. Optatus Milevitanus lib. II: *Sacerdotium in nobis annullare visus.* Ivo epist. CCI. XXXVI: *Siquis aliquam huic canonicæ institutioni calumniam inferre, vel aliud quid adnullare tentaverit.* Thomas Walsing. in Richardo II *: *Ut charta pardonationum in primis revocarentur, & annullarentur.* Atque alibi apud eum sæpe.

* Pag. 354.

Antartiζare, vide *intartiζare*.

Anxiari,

Anxiari, pro angi, vel anxium esse. Petrus Blesensis epist. XIV: *Anxiabar ad mortem.*

Apologare est apud Senecam epist. XLVII. Nempe ex Græco ἀπολέγειν, quod est rejicio, repello; unde ἀπολογία. Monet ad eumpse locum Lipsius, simile esse ac *catamidiari*, & *aporiare*; de quo mox dicam. H. Stephanus apud Senecam pro *apologavit*, maluit *ablegavit*: sed invitis omnibus libris.

Aporiare, pro depauperare, ex Græco ἀπορεῖν, quod signat esse in ἀπορία, sive metu, & anxietate, sive difficultate, ac rebus perplexis. Matthæus Parisius ad an. CIↃCCXLI: *Legationis deposuit insignia, & transfretans aporiatam Angliam salutavit.* Item in an. CIↃCCLI: *Ad Judæos aporiandos destinabantur.* Corrigendus fortasse idem in an. CIↃLXX, ubi legitur †: *Anno Domini* CIↃLXX. *rex Wilhelmus, pessimo usus consilio, omnia Anglorum monasteria, auro spolians, & argento, insatiabiliter appropriavit.* Ubi malim *aporiavit* *. Nec putandum, vocem esse Matthæi hujus ætate inventam, vel etiam Petri Blesensis, qui utitur ferm. XLI. Nam & legas apud veterem Scripturæ interpretem Jesai. LIX. 16. & II. Cor. IV. 8.

† Pag. 7. edit. Londin. vers. 2.

* Nec tamen planè damnaro appropriavit: quo de verbo mox dicam.

Apostatare, vel *apostatizare*, pro deficere à fide Christiana, vel etiam à principe suo. Posterius habes semel iterumque in Legibus Wisigothicis lib. III. Tit. V. Leg. III: prius autem in Constitutionibus Siculis lib I. tit. III; item his antiquioribus, Ivone Carnotensi epist. XV. ad Philippum Reg. & Cæsarium lib. II. Miracul. cap. II.

Apostemari, apostemate corripi. Apostema Celso abscessus corporis.

Appersonare, aliquem personaliter, ut loquuntur, Ecclesiæ alicui præficere. Matthæus Parisius in vita Roberti, XVIII. abbatis S. Albani: *Gilebertum de Cymmay præsentaverunt, postulantes, ut prædictam Ecclesiam ei concederet, & eum appersonaret.*

Appodiare propriè est ad podium stare, podioque inniti. *Podium*, pulpiti pars, ad modum pedis exstans; unde & nomen. Nam πόδιον, parvus pes. Extensa postea significatio videtur. Vetus Vocabularium: *Podium, baculus, super quem innitimur, cùm sæpe terram ferimus: unde & podium dicitur, ubicunque innitimur. Appodiare* pro *inniti*, vel *acclinare*, est apud Cæsarium lib. V. cap. V; Radulphum Ardentem Homil. XVI; Matthæum Parisium an. CIↃCCLXXII, ubi de Eduardo, Regis filio, bis vulnerato; Walsingamum Hypodigm. Neustriæ an. CIↃCCLXXI. Paullò aliter usus Brito Armor. Philipp. lib. II:

Fossis

Fossis jam plenis, parmas ad mœnia miles
Appodiat, sub eisque secare minarius instat.

Sententia est, militem clypeos admoviſſe muris urbis, iisque innixum: præterea cuniculos egiſſe ad urbem ſubeundam. Nam *minarius* hic à *minis*; ut cuniculos dixere ſeculis poſterioribus, vocabulo hodieque uſitato gentibus variis. *Appodiamentum*, pro reclinatorio, eſt apud Cantipratanum lib. I. de Apibus. De voce Appodiatus dixi lib. III. cap. I. *Appretiare* eſt apud veterem Scripturæ interpretem Zachariæ XI. 13, & Matth. XVII. 9. Latinè dixeris *æſtimare*.

Appropriare, quaſi proprium facere, vel reddere, in barbarorum numerum etiam referebamus lib. I. cap. XXIII. Incertus ſub Ovidii nomine poëtaſter in primo de Vetula:

——— *Sicut eis ſuccedunt appropriando*
Quatuor ad medios, quibus eſt punctatio ſena.

Proprietatem verbi indicat, quod præceſſit:

——— *Quanto mediis quamvis propiores,*
Tanto præſtantes, & ſæpius advenientes.
His punctatura tantum venientibus una.

Atque idem lib. III. de Vetula:

Nam quamvis homini totum cœlum famulatur;
Appropriata tamen eſt cuilibet ex elementis.

In Gloſſis tamen vett. legas: *Appropriare*, νοσφίζειν. Νοσφίζω eſt ἰδιοποιοῦμαι, σφετερίζομαι, ut interpretatur Euſtathius. Cicero pro eo *vindicare*, *aſciſcere*.

Archieporare puto eſſe nihili verbum, ac à librariis fictum; proque eo *archiepiſcopare* reſtitui oportere. Joannes Saresberienſis epiſt. CLXXVI, quæ eſt ad Archiepiſcop. Cantuarienſem †: *Nonne Epiſcopus Lond. ille eſt, qui primus in Anglia ſcidit Eccleſiæ unitatem? quod omnes noverunt, & archieporandi, quod plurimum ſuſpicantur, ambitione tractus totius hujus diſcordiæ fomes imprimis extitit, & incentor?* Nempe hoc vult, Londinenſem faſtu quodam ſe gerere quaſi jam eſſet archiepiſcopus; fortaſſe quia ante Auguſtinum à Gregorio M. in Angliam miſſum, primus honos fuerit penes Londinenſem.

† Pag. 294.

Arreſtare, vadari, ſive hominem, vel rem, placito curiæ, aut principis, detinere; ut dictum lib. III. cap. I. Uſurpat Philippus Franciæ Rex in charta Rothomagenſi*. *Si debitor infra Rothomagum venerit; ex quo de equo deſcenderit, caſtallum, vel herneſium ſuum, poterit, arreſtari.* Ad

* In charta Ducum Normanniæ, & Regum Franciæ pag. 1062.

ea,

ea, quæ Græcæ sunt originis, pertineat, si *arrestum* sit ab ἀρεστὸν, de quo dixi lib. III. cap. I.

Asinare, pro asino vehi; ut *equitare*, equo. Luitprandus in Legatione sua † *Asinando, ambulando, equitando.*

† Pag. 118.

Assecurare, sive adsecurare, pro securum reddere aliquem. Fulbertus episcopus epist. VI: *Ad usum meorum fidelium, qui illud assecurabant vobis.* Similiter Constitutiones Neapolitanæ. Item Rogerus Hovedenus, & Thomas Walsingamus in Descriptione Neustriæ *: *Igitur, post certas conditiones, assecuraverunt Regem, se propriis suis sumtibus, damna castri, villæque ruinas, reparaturos.* Item Histor. Hungar. ad an. CIↃCCCLVIII †: *Assecurati tandem ad civitatem Pesthiensem descenderunt.* Ex *assecurandi*, & *assecurationis* voce, non verò ab *asseverando*, esse arbitror vulgata **asseveren**/& **asseverantie.** Pro illo malim, *cavere pro periculo*; vel *mercis, alius rei, periculum in se recipere.* Pro hoc, *cautio*, aut *periculi receptio.*

* Pag. 91.

† Pag. 171. edit. VVechel.

Assiduare, pro assiduum in aliquo esse, apud vet. interp. Ecclesiast. XXX. I. item Petrum Blesensem epist. XXXI: *Flagello Domini pulvis excutitur, quem ad deformationem animæ iniquitas assiduata congessit; & exteriori vulnere sanatur plaga interior.*

Assummare, summam colligere. Matthæus Parisius in vita Abbatis Monstreoli: *Quod ad sexcentas marcas summa inveniretur, sicut regiis familiis fuit assummata.*

Attediari, tædio affici: unde *attediatus tributo*, tributorum pertæsus. Joannes Major de gestis Scotorum lib. II. cap. I: *Pictorum invocatione* *, *qui, Britonum tributis attediati, suas terras, pro magna parte, Pictorum ope receperunt.*

* Pro auxilio

Attitulare, pro *inscribere*, titulum indere. Rufinus in tralatione apologiæ Pamphili pro Origene †: *Ex his præcipuè libris, quos περὶ ἀρχῶν attitulavit.* Autor Vitæ S. Henrici apud Canisium: *Episcopatum Bambergensem Apostolorum Principibus Petro & Paulo, & pretiosissimo Martyri* attitulatum, *speciali jure S. Romanæ Ecclesiæ contradidit.*

† Pag. 871. edit. Basil. an. 1536.

Avallare, descendere, demittere; à Gallico *avaller*; quod ex Latino, *advallem.* In Charta Rhotomagensi Philippi Regis Francorum *: *Nullus mercator cum mercatura sua poterat transire Rhotomagum, per Sequanam ascendendo, vel avallando, nisi per cives Rhotomagi.*

* In Chartis Ducum Normann. pag. 1063.

Auctorizare crebrum Thomæ Walsimgamo. Latinis, auctorem fieri, auctoritatem addere.

Augmentare, cùm alibi sæpe legas, tum apud Hericum De vita S. Germani lib. II: *Ex augmentatis verso cognomine muris.* Item apud Papam Innocentium III, epist. VIII, quæ exarata est ad Archiepiscopum Senonensem. Hoc verbi autem non pro Latino solùm habent; sed & Ciceroniano. Sanè in lexico Ambrosiano, etiam quod limâsse dicitur Passeratius, adstruitur eo, quòd apud Ciceronem sit in Lælio: *Sed vivendi finis est optimus, cùm integra mente, caterisque sensibus, opus ipsa suum eadem, quæ augmentavit, dissolvit.* Verùm ista in Lælio non habes; unde citant: sed Catone; nisi quod in illâ Roberti Stephani, & Lambinianâ, aliisque permultis, pro *augmentavit* scribatur *cogmentavit.* Non injuriâ tamen scrupulum injicit; quòd Mssi multi *coaugmentare* habeant: ut sex illi, quibus usus Janus Guiljelmius, & codex à Francisco Martinio collatus. Iccirco adnotârat Guiljelmius, COGITANDUM. Sed & sic in duobus tribus Palatinis reperit Gruterus. Mihi ex antithesi, quia dissolutioni opponitur, dubium non est, quin rectum sit *coagmentavit.* Error verò ortus ex eo, quòd *coagmentare* credant dici pro *coaugmentare:* cùm tamen non ab *augeo* sit, sed à *coago*; unde *cogo* contractum.

Auriculare, auribus aliquid insusurrare. Thomas Walsinghamus in Richardo II *: *Capita, modo velut ad auriculandum, jam quasi ad osculandum invicem, super summitates lancearum cum maxima amentia conjunxerunt.*

* Pag. 262.

CAP. II.

De Latino-barbaris à B. cœptis. Baculare, *baculo ferire.* Ballare, *saltare, tripudiare.* Balsamare, *cadaver condire.* Batalare, *pugnare, vel pugnæ gratiâ tractare.* Battere, *percutere*: *unde* battitura, & battura; *item* tribattere, *sæpius ferire.* Battidere *similiter, pro percutere.* Blasphemo, *exsecror.* Beatificare, *beatorum numero addere.* Beneficiare, *beneficium conferre.* Bombizo, *pro* bombito.

NUnc proferam verba quædam barbara à Latinis, vel Græcis orta, quæ à B incipiant.

Baculare, pro baculo percutere, verberare. Petrus Blesensis serm. I: *Ligavit fortem, & vasa ejus diripuit; baculavit eum, qui habebat mortis imperium.*

Ballare, vel *balare*, pro saltare, est in Synodo Romanâ sub Lothario,

&

& Ludovico, cap. xxxv. Sic *ballatio*, pro saltatione, & *balliſtea*, eàdem ſignificatione. Poſtremum eſt apud Vopiſcum. *Ballatio* apud Benedictum Levitam lib. VI. cap. CXCIII: *Illae verò ballationes, & ſaltationes, canticáque turpia, & luxurioſa, & illa luſa diabolica non faciat.* Habes & in Tyronis, ac Senecæ Notis (in quibus multa à junioribus addita) *ballat, ballator, ballatrix*: & Iſidoro in Gloſſis: *Choreis, ballationibus.* A Græco βαλλίζειν, ac βαλλισμὸς, venire, fidem fecerit Gloſſarium vetus, in quo eſt: βαλλίζω, *ballo.* Ac imprimis Athenæus in VII. Sed ejus ætate jam in uſu eſſe elegantioribus deſierat: unde apud illum Ulpianus quærit, quis Græcorum ſic loquatur.

Balſamare, propriè ſoret balſamo condire. Sed ſimpliciter ſumi ſolet pro ταριχεύειν. *Condire* pro eo eſt apud Cornificium.

Batalare idem ac ferire, percutere: fortaſſe à *batalia*, quod pugnam notat. Helmoldus in Chronico Slavorum lib. I. cap. XCIII: *Suſcitare batalias.* Retinent vocem hodieque gentes quædam. Ut Itali *la batalia*, & Galli *bataille*, pugna; item *batailler*, pugnare. *Batalia* autem contractum ex *batualia*: eſt hoc à Latino *batuere*; de quo dicam mox in *Battere*. Sed *batalare* à primogenii ſignificatione paullùm receſſit. Ut cùm dicitur *arma batalare*, pro tractare eo modo, quo in bataliis fieri ſolet. Sanè murci, quales ii, quibus pollices præciſi, item his ſimiles, inepti ſunt ad batalandum, quia non poſſunt gladium maſculè ſtringere, & adigere in hoſtem: neque item haſtam vibrare in eundem, ac ſimilis ratio in armis aliis. Ut *batalare arma* idem ſit, ac armis uti, ſicut militem neceſſe eſt. Legg. Boiaoriorum lib. II. cap. X: *Dum poteſt equum viriliter adſcendere, arma ſua velociter batalare.* Et tit. III. cap. I. §. XIV: *Si non fuerit* (pollex) *abſciſſus; ſed eſt mancus, & ſtat rectus, ut non poſſit plicari; hoc impedimentum eſt ad arma batalare; majorem compoſitionem, quàm de abſciſſo, tertiam partem ſuprà addat.*

Battere linum habes in Conſtitutione Karoli Magni †: ubi Vitus Amerbachius putat, eſſe ex Germanico **beſſeren**; pro quo Saxones **beteren**, ut Belgæ **beteren**, quaſi dicas *meliorare*. Nam **beſſeren**, & **beteren**, ſunt a **beſſer**, & **beter**. Sed ſubdit idem Amerbachius, fortaſſe rectiùs deduci à **brechen**, hoc eſt, frangere. Mihi neutrum placet. Omnino enim veriſimilius eſt, *battere* eſſe ex Latino *batuere*, quod apud Plautum Caſinâ: eſtque idem, quod ferire, percutere. Quomodo & uſurpat Marcellus Empiricus cap. XXXVI: *Tamdiu batues, donec ſit ſubaſtiſſimum.* Gloſſæ: *Battuit*, κατακόπτει. Hinc *batutus*. Gloſſæ: *Battu-*

† *Conſtitut. Karolinarum pag. 257. edit. Mogunt. an. 1602: ac in Anſegiſi Colloquiis lib. 1. cap. ſeptuag. 81.*

τιος, τυπτηθήν. Item, Κοπαιστήριον, *battuarium*. Malim verò *batuit, batutus, batualium*. Ex *batualium* est corruptum *batalia*, vel *battalia*: de quo mox in *batalare* dicam. Sic igitur statuimus, *battere fœnum* Carolo M. idem esse ac *batuere fœnum*, sive percutere, & tundendo purgare. Valdeque hoc eo firmatur, quòd similiter dixerint *triticum battere*. Ut in Karoli Calvi Edicto Pistensi can. XXIX, *battere in scuria*; ubi *sturia*, horreum, ut Belgis schuyr. Adde quòd ἀπαλῶς pro percutere crebrum sit in legibus Longobardicis: in quibus & *battura**, vel *battitura*. Etiam *battudo*, pro *batutus*; ut Latinis *percussus*, pro occisus. Formularum Sollemn. CXIX: *In sua culpa, secundum legem, ipsum ferro battudo fecit*. Fortasse autem à verbo *battere* est *tribattere*, hoc est, ter sive sæpius battere seu percutere. Lex Salica tit. XL. §. XIV: *Si quis caballos, aut jumenta aliena, tribatterit, vel debilitaverit*. Similiter §. IX. Planè falli censeo, qui (ut Ducangis editor) putant *tribattere* esse ex Germanico triben/ quod est, agere, abigere.

* Battura à battere, vel batuere: sed battitura, à battidere, de quo proximè.

Battidere itidem dixere, pro percutere: dubium, an à Saxonico battefustis: unde & Gallicum *batton*: an potiùs à Latino *batuere*; quod, ut ostendi, similiter notat ferire. Leges Longobardicæ lib. I. tit. VIII, leg. XXX: *Si duo porcarii inter se battiderint*. Ac sequenti §: *Sic aldium* †, *aut aldiam, servum, aut ancillam, battiderit, & per ipsam battituram ponderosi facti sunt*. Ubi *battitura*, ictus.

† De aldii, & aldiæ vocibus, dictum lib. 2. cap. 2.

Blasphemo, pro exsecror, classicis est ignotum. Theologis verò, Jurisconsultis, atque aliis, est crebrum.

Beatificare, pro beatum facere, vel beatorum ordinibus inserere. Cinehardus epistolâ ad Lullum, inter illas S. Bonifacii LXXIV: *Dominus Bonifacius Archiepiscopus, Christique confessor beatificandus*.

Beneficiare, beneficio sibi obligare. Usus Carolus Calvus in diplomate apud Flodoardum lib. III. cap. IV, Baldericus Noviomensis in Chronico Cameracensi, Petrus Blesensis epist. LXX, Matthæus Parisius in an. CIↃCCXLV, & Turocius in Historia Hungarica. Vide Goldasti Not. in Burchard. c. 2. p. 213. Somnerum in Glossario.

Bombizare, pro quo Varro *bombum facere*, apud Cæsarium de apibus legas lib. IX. Miracul. cap. VIII. Et videtur posse defendi, cùm in nonnullis Festi libris sit *bombizatio*. Sed rectum est *bombitatio*; quod à frequentativo *bombito*; uti hoc à *bombio*, istoc à βομβεῖν.

Bovinari, convitiari. Nusquam ait Josephus Scaliger reperiri verbum *bovinari* pro convitiari; sed pro *tergiversari*. Bovinator igitur, *tergiversator*. Videatur Gellius lib. II. c. 7.

CAP.

CAP. III.

De Verbis barbaris Latinæ originis, inchoatis à C, sequente A, E, H, I, L.

Caballicare, *caballo, & laxiùs etiam, quovis equo vehi: unde* caballicata, *equitatus; item* cavalcata, *equus militaris.* Camio, *&* procamio, *commuto.* Cancerare, *cancrum incutere.* Canonicari, *canonicum fieri, sive certo spirituali vitæ canoni adstringi. Unde* excanonicari, *deleri è canonicorum numero.* Canonizari, *sanctorum in cœlis ordinibus adscribi.* Captivare, *capere, captivum detinere.* Capulare, *vulnerare, secare.* Caputiari, *monachali caputio indui.* Cardinare, *&* incardinare, *dignitate aliquâ Ecclesiasticâ augere.* Carire, *carriosum esse, sive cariem sentire.* Carrico, *carrum onero, vel carro apporto.* Cassare, *vanum atq; irritum reddere.* Cateno, *catenis ligo.* Cattare, *specularis ad instar catti, sive felis, quando muribus captandis studet.* Caussare, *efficere.* Cauterizo, *cauterio uro.* Centonizo, *centones sarcio.* Characterizo, χαραχτηρίζω, *sive notam rei imprimo.* Charaxar, *&* caraxare, *pingere, scribere: unde* charaxatura, *scriptura;* charaxarius, *&* charaxator, *scriba;* incharaxare, *scripturam adulterare.* Chirographizo, *chirographo caveo, vel promitto.* Chorizare, *choreas ducere.* Chrismare, *oleo sacro inungere: unde* chrismarium, *olei sacri receptaculum.* Cloaco, *polluo, sive inquino. Ac obiter de* cloacario, *pro vinctorum custode in carcere.* Cluor, *pro cluo, sive clareo.*

ACcipe nunc, quæ initium sumunt à literâ tertiâ.

Caballare, vel *caballicare*, equitare, à *caballus*; unde Gallicum *cheval:* quamquam Latinis *caballus* non ἀπλῶς *equus*; sed vilior, cujusmodi ille, cujus usus in pistrino, agriculturâ, ac vecturis mercium; non item generosior, quali honestiores in militia, vel domi etiam ornatus gratiâ utuntur. Lege Salicâ Tit. XXVI: *Si quis caballum extra consilium domini sui adscenderit, & eum caballaverit.* Lege Alemannicâ Tit. LXXII: *Si quis homo in equo suo caballicaverit, & aliquis eum super ipsum plagare voluerit.* Imò & sic Werebertus in vita Karoli M. *Caballicans contra ventos, & pluvias.* Item Anastasius bibliothecarius in Conone Papa LXXXIV: *Papa ad caballicandum utilicentiam ei concessit.* Hinc *caballicata*, pro equitatu. Luitprandus Ticinensis lib. III, cap. ult. *Cumq; eodem pervenissent, & caballicatas, uti vulgò ajunt, circumcirca dirigeret, Bojaoriorum quadam pars —— pugnare cœpit.* A *caballicata* κ*ῦ*

συγκοπὴν fecere *cavalcata*, vel *cavalcada*; hoc est, excubiæ, quæ fiunt equo. Vide, quæ dixi lib. III cap. XLVII, in *Senica*. Sed & *cavalcata* equus non quivis, verùm major, sive parafredus, ut dixere; qualis ad militiam idoneus: vel saltem agminalis, hoc est, agmen sequens ad impedimenta convehenda. Hujusmodi interdum debuere Franci Regi suo. Unde Frater Guilhelmus de Nangys, in gestis S. Ludovici, Francorum Regis, cap. XLII, refert hanc memorati S. Ludovici legem: *Subditos nostros novis exactionibus, vel consuetudinibus, baillivi, & alii officiales, non affligant. Cavalcatas, extorquenda pecunia causâ, non mandent; sed ex causâ omnino necessariâ. Et tunc volentes facere personalem cavalcatam, ad eam redimendam pecuniâ, non compellant. Caballicatam* pro eo dicit Luitprandus lib. III historiæ suæ cap. ult. Quod etymon antè allatum firmat. B, & V consonum, commutari crebrò, satis est notum.

Camio, pro *cambio*; *procamio*, pro *procambio*, dixere: *camium* item legas pro *cambium*; *concamium*, pro *concambium*; ut observat Ludovicus De-La-Cerda Adversariorum sacrorum cap. XLIV. Sic Wilhelmus in fundatione Cœnobii Cluniacensis: *Neq; aliis Principum secularium, non Comes quisquam, nec Episcopus quilibet, non Pontifex supradictæ sedis Romanæ, per DEUM, & per DEUM, omnesq; Sanctos ejus, & tremendi judicii diem contestor, & deprecor, ne invadat res ipsorum DEI servorum, Non distrahat, non minuat, non procamiet, non beneficiet aliquam personam, non aliquem prælatum super eos contra eorum voluntatem constituat.* De nomine, & verbo *cambio*, dictum lib. I cap. XVIII. Uti & alibi de voce *concambium* * agimus.

*In Addendis.

Cancerare, cancrum adferre, sive cancri morbo afficere; & κατὰ μεταφορὰν, venenatum aliquod dogma in populum injicere, quod, cancri instar, longè lateque serpat. Sic *cancerari*, cancro adfici, item in dogmatis alicujus virus incidere, quod instar cancri se diffundat, ac fœtorem & putredinem adferat. Lucifer Caralitanus, ad Constantinum Imperatorem, libro de non conveniendo cum hæreticis †: *Sic est de corpore Ecclesiæ excisus Sabellius, ut est condetestabilis tuus excisus Arrius iste; cujus sermo, ut cancer, in te fortissimè adeò serpserit, ut totus jam cancer esse cernaris. Nec poteris dicere, te non Arrii cancerâsse sermonem, cùm fœtor cancerationis tuæ ad omnem pervenerit regni tui locum, & cunctis te vitare statuerimus, ne & ipsi peste tuâ Arrianâ cancerarentur.*

† Pag. 205. edit. Paris. ap. Io. Benenatum

Canonicari, & *canonizari*, verba sunt à *canone* facta. Sed & *canoni-*

zari

Zari à canone eo, qui sanctorum est indiculus. De hoc verbo mox dicam. *Canonicari* verò à canone sive regula vitæ, quam quis elegerit. Usurpat Ivo Carnotensis epist. CCXXVII. Uti & Petrus Blesensis serm. in Augustin. qui est XXXII: *Super paupertatem spiritus afferenda est voluntas canonicari volentis.* A *canone* igitur est *canonicus*; à *canonicus*, *canonicari*. *Canonici* vox est apud Arnulphum Lexoviensem epistolâ ad Papam Alexandrum, plurimosque alios. Indeq; & *canonicalis* Ivoni epist. CCXIX, CCLXVI, & CCLXXXVI; uti & munus ipsum *canonicatus*, in concilio Pisano II*. Non possum verò, quin apponam insigne monitum apud Wolcuinum Abbatem Homiliâ de zizaniâ: *Rara avis in terris hodie Canonicus à canone vitæ. Unde ergo? audi unde, est namq; canon vitæ, ut dictum est; & est canon pecuniæ, videlicet alicujus pensionis certæ. Unde solet dici: Solve mihi canonem meum, id est, pensionem meam. Ejа ergo, ô canonice, inveniamus canonem tuum, à quo derivaris: id est, à canone pecuniæ, non à canone vitæ: id est, à canone regionis, non à canone religionis.* Sanè si omnes, qui Christiani dicimur, canonici esse, hoc est, secundùm canona Christi vivere debemus: quanto id strictiùs agendum iis, qui singulari ratione *canonici* vocantur, ut & aliis præluceant vitæ exemplo, & bene de seculo, & quà possunt, bene etiam de secuturis mereantur temporibus. A *canonicari* est *excanonicari*. Petrus Blesensis epist. XXI: *Cùm esses literatoria artis omnino ignarus; scis, quia amici tui epistolæ, quas depravasti, te fecerunt canonicum; teq; per easdem facilè excanonicari posse.*

* Pag. 90.

Canonizari, Ecclesiæ judicio in canonem sanctorum, sive cœlitum referri. Sæpe legas in vitis Sanctorum. Sed pro eo potiùs dixeris, consecrare memoriam beatorum, in numerum referre sanctorum, inserere numero cœlitum, atque aliter.

Captivare, capere, captivum abducere. Legas apud Bekam in vita Theodorici I, & alios permultos.

Capulare à gladii capulo factum puto. Notum illud Æneid. secundo:

\- - - *Lateri capulo tenus abdidit ensem.*

Sed ἀπαλῶς hîc gladius attenditur, vel simile telum. Est enim *capulare*, gladio, vel alio telo, ferire: item secare, vulnerare, truncare. Lex Salica tit. XXXI. §. 11: *Si quis pedem alterius capulaverit, & ibi mancatus remanserit.* Hinc *capulatura*, pro vulnere ictu ensis facto. Veterum formularum, secundùm legem Romanam, cap. XXX: *Violenter super ipsum evaginato gladio venit: unde livores, vel capulature, atq; colaphi manifesti appa-*

apparent. A *capulare* opinor esse Belgicum **cappen**/ minutim concidere; uti & **Cap-meß**/ culter.

Caputiari, caputio sive cucullo monachali indui. Petrus Blesensis serm. 1 ad monachos: *Verumtamen hunc ordinis rigorem, quasi jurejurando professionis sancitum, quædam vitia latenter emolliunt; maximè si vitium curiositatis ebulliat; qua, quod deterius est, sola esse non potest. Erubescibilis est viro manifesta curiositas. Quocirca caputiari se appetit, ne vilescat.*

Caraxare, vide *charaxare.*

Cardinare, & *incardinare*, constituere in aliqua dignitate Ecclesiastica; sive, ut vulgò dicunt, ordinare Unde *cardinati*, qui parochiæ præfecti. Gregorius M. lib. v. epist. CXI, quæ ad Fortunatum, episcopum Neapol. *A nobis petiisse recolimus, ut Gratianum, Ecclesiæ Venefranæ diaconum, tua concederemus Ecclesiæ cardinandum.* Item *incardinati*, & *cardinales*, non Romæ solùm, sed aliis etiam urbibus. Gregorius M. lib. IX. epist. LXXXI: *Si* à decessore tuo non est factus presbyter cardinalis; abstinendum ab ejus incardinatione.* Idem apud Gratian. in can. Pastoralis can. VII q. 1: *Ut si prædicta civitas continuâ captivitatis calamitate premitur, in qua à nobis incardinatus debeas Ecclesiæ permanere.* Videplura apud Juretum in Ivonis Carnotensis epist. CXXXI, & Spelmannum in Glossario, voce *Cardinalis.*

* *Ita verba ejus adducit Fr. Juret. ad Ivon. epist. 131. Apud Gregor. ipsum in edit. Paris. anni 1542. sic legitur:* Si eũ posthęc cardinalem facere voluerit, nisi pontificis sui cessionem solemni more meruerit, abstinendũ ab omni ejus incardinatione memineris.

Carire, quod Columellæ *cariem vetustatis recipere*, vel *carie infestari.* Habes apud veterem Juvenalis interpretem, sat. XIV. 203. *Quæ puteat, id est, careat.* Sic legendum esse, in codice suo Jos. Scaliger adnotârat; ubi vulgò *caria.*

Carricare, pro onerare, ac propriè carrum onerare, carro aliquid advehere. Carolus Calvus tit. XXXI, sive Edicto Pistensi, cap. XXIX: *Debent margilam, & alia quæq;, carricare.* *Margila* est pinguior terra, quam debent carro apportare ad agrum stercorandum. Eapse *carricandi* vox frequens in Longobardicis, & aliis legibus antiquis. Usus quoque Interpres Vitæ Macarii cap. IV sect. XIX †: *Carricavit animal cum illo.* Ubi alii: *Juvabat eum in onerando jumento.* Gloss. vett. *Carrico, onero.*

† *In Vitis SS. apud Bolland. 15. Jan. pag. 1009 & 1010*

Cassare, cassum reddere; hoc est, inane, atque irritum, delere, exauctorare. Id rejecimus jam lib. I cap. XXIII. Habes non modò in Kapitulari Karoli M. de quo dictum; sed etiam Longobardicis lib. III tit. I leg. XLVIII, Legg. Burgund, LI. §. IV. Constitut. Siculis in prooemio,

mio,& lib. I tit LI § IV. Præterea usurpat Hincmar. epist. VII cap. XX, Ivo Carnotens. epist. XLVIII, secundùm meliores libros,& LIX, LXII, LXXXVII; ubi legas: *Si & in hoc cassata fuerit experientia nostra.* Item CLV: *Virtutem sacramentorum cassare non possunt merita usurpatorum.* Adhæc CCIX. & CCXXI. Præterea Fulbertus epist. LVI: *Pastoris nomen negligentiâ non cassatis.* Henricus Huntingtonensis Histor. regum Angl. lib. X: *Vitâ cassatus est.* Sueno in Compendio Hist. Danic. cap. I: *Ut minatur, cassetur ampullositas.* Vita S. Canuti, ex Saxone Grammatico * cap. IV sect. XVII: *Igitur antiquæ dignitatis speciem intuentis, titulum injustâ collatione prærepsum, novo Regis electu cassarunt.* Ac alibi etiam idem Saxo. Ut lib. I Hist. Dan. *Imminentium sibi piratarum insidias celeri navigatione cassavit.* Et lib. XIV: *Profectamq; à crapulâ indulgentiam solâ animadversione cassavit.* Petrus de Vineis lib. I epist. XV: *Cassare Romanum principem.* Ladulphus Ardentius, Guiljelmi IV. Aquitaniæ Ducis Ecclesiastes, Homil. XV post Trinit. *Hæc autem gloria inanis sive vana dicitur, quia à vera gloria cassatur.* Ordericus †: *Dumirâ, & dolore torqueretur, quòd omnes ibidem conatus ipsius cassarentur.* Omnium verò antiquissimus, apud quem me legisse hoc vocabuli meminerim, est Cassiodorus Variarum lib. V. epist. XIV: *Ut qua subalius facta est, omnium redemtione cassatâ, pro possessionum atq; hominum qualitate, assis publicis imponatur.* Mirum verò nec seculo nostro refugisse Bellarminum in Chronologia ad annum I3XXX: *Bonifacius II successorem sibi elegit Vigilium: sed cassavit paullò post electionem illam, quam sentiebat omnibus displicere.* Fœdus cassare, apud Henric. Rosam, Poetam veterem in Herlingsbergâ V. 52, ubi in Notis Joh. Henr. Meibomius.

* Pag. 775.

† Pag. 775.

Cateno, pro catenis vincio, apud Bekam in vita Henrici I. *Districtissimè catenari.* Scio interim, *catenatus* dixisse ævum Augusti; imò *catenatio* etiam apud Vitruvium legi.

Cattare, pro *videre*. Isidorus lib. XII Orig. cap. II: *Hinc alii cattum à captura vocant. Alii dicunt, quòd cattat, id est, videt. Nam tam acutè cernit, ut fulgore luminis noctis tenebras superet.* Glossæ Arabico-latinæ: *Musium, cattam, quod cattat, id est, videt.* Nec tamen putandum, *cattare* esse origine barbarum. Planè, ut Salmasius ad Solinum observavit *, *cattare* corruptum ex *captare*, pro speculari, & observare.

* Pag. 1209.

Caussare non dicam; sed *efficere*, *caussam dare*, *gignere*, *procurare*. Non desunt, qui *caussor* usurpent pro *efficio*, sed ne ita quidem *barba-*

rinſcals Philoſophi, ut loquitur Philoſophus Goclenius Syllogevoc.obſolet. & barb. p. 294.

Cauterizo à Græco καυτηριάζω, cauterio inuro. Ut 1. ad Timoth. cap. IV: Καυτηριασμένων τὴν ἰδίαν συνείδησιν. Ubi vulgatus interpres *cauteriatam* maluit, quàm *cauterizatam*. Poſterius uſurpat B. Odericus Peregrinationis ſuæ cap. III §. X: *In eâdem* (inſula) *Lomori eſt quoddam territorium, nomine Zumptloc, in quo habitat hominum quædam generatio ſingularis: hi quodam ferro parvo, & calido, cauterizánt ſe in duodecim locis in facie conſignandâ.*

Centonizare non tam notat ſcribere; quàm ex variis deſcribere, ac centones ſarcire. Uſus Sigebertus Gemblacenſis in Chronicis.

Characterizare, pro notam imprimere, apud Petrum Bleſenſem, ſerm. XXX: nempe more Græco. Nam χαραχτηρίζειν eſt apud Plutarchum, Hermogenem, & alios.

Charaxare, pro quo poſterioribus ſeculis ſæpius *caraxare* invenias, ex Græco χαράσσειν, *ſculpere*, ſcribere, pingere. Prudentius hymno X, qui de Romano: *Charaxat ambas ungulis ſcribentibus.*

Genas, cruentis & ſecat faciem notis.

Etiam Gregor. Turonenſis cùm alibi utitur, tum lib. VII Hiſtor. Franc. cap. XXVI: *Tunc es pictor ille, qui tempore Chlotarii Regis per oratoria parietes, atq; cameras, caraxabas?* Hoc eſt, conſcribillabas, picturarum figuris ornabas. Idem lib. IX cap. V: *Vaſa, per domos diverſorum, ſignis neſcio quibus caraxata ſunt; quæ res nullo unquam modo, aut eradi potuit, aut deleri.* Unde liquet, *caraxare* non eſſe delere, quod vir doctiſſimus ſcripſit; ſed fingere, pingere. Similiter Cinehardus epiſtolâ ad Lullum, quæ inter illas S. Bonifacii eſt LXXIV: *Quæ te meliùs recoluiſſe credimus, in caraxatis commendata.* Et quid apertiùs eo, quòd, qui ſubſcribebant nomina tabulis, velut teſtes, hi *caraxare* nomen ſuum dicebantur? Unde tabulæ Eadgari, Angliæ regis, hæc ſubſcriptioni præmittunt †: *Anno Incarnationis Dominicæ* IↃCCCCLXVI *ſcripta eſt hujus Privilegii ſyngrapha, his teſtibus conſentientibus, quorum inferiùs nomina ordinatim caraxantur.* Idem liquet è vita S. Deicoli, abbatis Lutrenſis *, cap. II. §. XI: *Venerandi fratres, Gallus, atq; Deicolus, quorum & ſuperiùs vocabula caraxavimus.* Hoc eſt, quorum nomina ſcripſimus, ſive expreſſimus ſuperiùs. *Caraxatura* tamen nomine etiam comprehenditur, ſiquid in priùs ſcriptis immutetur: Ut in Teſtamento B. Remigii †: *Huic autem teſtamento meo dolus abeſt, aberitq;. In quo ſi qua litura,*

† *Apud Seldenum Notis in Eadmerum pag.* 159.

* *In vitis SS. ad* 18. *Ian. ap. Boll. T.* 2. *pag.* 202.

† *Apud Flodoardum lib.* 1. *Hiſt. Rhem. c.* 18

litura, vel charaxatura fuerit, inventa; facta est me præsente, dum à me relegitur, & emendatur. Ac similiter in Testamento Bertchranni, Cenomanensis Episcopi, apud Brissonium: item apud Marculfum lib. II cap. XVII *. Isidorus item in Glossis: *Charaxatis scriptis.* Hinc eidem Isidoro inibi, *Charaxarius* est *notarius, scriptor.* Apud Flodoardum quoque est *charaxator* lib. I Histor. Remensis cap. IX. Legas & compositum *incharaxare*, pro *deturpare*, apud Irenæum lib. III cap. III: *Ne verbo tenus communicarent alicui eorum incaranti veritatem.* Græcè, ut constat ex Eusebio †, μὴ ὃ μέχρι λόγου συγχαραχατούντων † ἀληθείαν. Loco adducto, *incaraxanti* etiam ex veteribus libris retinet Spelmannus. Sed in excusis reperias vulgò, *qui adulteraverant.* Etiam dicitur *intercharaxare*, pro aliquid inserere. Quod Hincmarus usurpat apud Flodoard. lib. II Histor. Remensis. Vid. Goldastus Not. ad Ekkinhard. cap. I. p. 185.

* Pag. 140.

† Hist. Eccles. lib. 3. cap. 22.

Chirographizare, manu suâ subscribere; unde χειρογράφω nomen. Razo, Gauceræ Dominus, in donatione anni CIↃCCI *: *Ut hæc firma in perpetuum maneat, scripto nostro chirographizato, & hominum nostrorum testimonio fecimus confirmari.* At ne Græcè quidem χειρογραφίζω dicam; sed potiùs χειρογραφῶ.

* Ap. Miræum in Notitiis Eccles. Belg. cap. 183. pag 498.

Chorizare, choreas ducere. Guilhelmus eques auratus in Hodœporico, sive de Terra Sancta, cap. III: *Est elephas ----- animal disciplinabile: ad sonum instrumenti musici chorizat, & saltat.* Utitur & Cæsarius Heisterbachensis.

Chrismare, pro sacro oleo inungere, à Græco χρίσμα, *unguentum.* Gregorius Turonensis de miraculis S. Martini lib. I cap. XI: *Rex unitatem Patris, & Filii, & Spiritus Sancti confessus, cum omni domo suâ chrismatus est.* A *chrismare* est *chrismarium*, vas in quo sacrum est oleum. Idem ejusdem operis lib. IV cap. XXXII: *Elevato chrismario contra ignem, exortus subitò ventus, vento illi contrarius, flammas à tecto Ecclesiæ avertit.*

Cloaco idem ac commaculo, conspurco. Sanè in Glossis Mssis exponitur μολύνω. At glossæ Cyrillo tributæ: μολύνω, *attamino, contamino, inquino, polluo, incesto.* Est à *cloaca*, quæ sic dicitur quasi *colluaca*; nempe à colluendo, quia sordium ibi est colluvies ac confluxus. Sed & *cloaca*, carceris locus, ubi vincti detinerentur captivi. Unde in Glossis iisdem: *Cloacarius*, δεσμοφύλαξ.

Cluor, pro *cluo*, vel *cluco*, hoc est, *ando*; ut Græcis παπῶς κλύων, *ma-*

† *In vitis SS. ad 17. Ian. ap. Bolland. T. 2 pag. 94.*

lè audire. Vita S. Gemulphi episcopi † cap. III. §. XVIII: *Magni servi DEI, per illam, quâ piè videris bonitate clui, te supplico, ut meo te conferas diversorio. Cluere* antiqui dixissent, hoc est, inclytum esse; quæ ipsa *inclyti* vox ejusdem originis. Nam à κλύω, κλυτὸς, unde *inclytus:* quod Festus interpretatur, *nobilis, clarus.*

CAP. IV.

De inchoatis à (O, *vel* (V. Coadjuto, *adjuvo.* Coanxiari, *pariter animi discruciari.* Coëssе, *unà esse.* Collimare, *collineare.* Combinare, *connectere.* Comminare, *immittere.* Compaginari, *conjungi.* Compatescere, *unà pati.* Compati, *convenire, vel misericordiâ commoveri.* Compatriare, *idem patrium habere solum.* Comprandere, *unà prandere.* Concathedrare, *suæ facere dignitatis consortem.* Concernere, *ad aliquid pertinere.* Condescendo, *alienæ sententiæ adsentio.* Confœderare, *fœdus jungere.* Confortare, *firmare.* Congaudere, *unà gaudere.* Conquestare, *industriâ suâ acquirere.* Conregnare, *esse regni consortem.* Consilior, *consulto.* Contentare, *facere, ne quis præsentibus sit contentus.* Controverti, *controversiam esse.* Contumeliari, *contumeliâ vexare.* Conventare, *convenire.* Conventionare, *venire ad pactionem.* Coordinare, *ordine locare, reponere, disponere.* Cornari, *occanere cornu.* Correspondere, *respondere, convenire.* Coutor, *commercium habeo.* Crapulor, *crapulâ laboro.* Crassare, *crassum reddere, pinguefacere.* Cucurbitare, *stuprare, pudicitiam alicujus attentare.* Cultellare, *de sartorum artificio in vestibus, ornatus gratiâ, cultello incidendis.* Cuso, *&* cusio, *pro consuo.*

PRosequar nunc, ubi, post tertiam literam, quarta, aut quinta vocalis consequatur.

Coadjuto, pro simul adjuto. Anonymus de Genealogia regum Daniæ*: *Fratribus devotè coadjuvantibus.* Hinc vulgare *Coadjutor.*

* *Pag. 214. edit. Sorana.*

Coanxiari, alterius malis angi. Simplici *anxiari,* apud Petrum Blesensem epist. CXLVI, utitur Aleonora Regina: *Tota interiùs, & exteriùs anxior.*

Coëssе, simul esse. Usurpat Bernardus epist. CXVIII, & Petrus Blesensis epist. CXXXIV, & serm. XLVII. *Coessentia, coessentiare, & coessentiatum* Philosophis, barbarici assuetis in usu esse notavit Goclenius Syllog. voc. obsol. p. 299.

Colli-

Collimare probant ex Ciceronis lib. II. de Divinat. & Agellio lib. IX. cap. I. Sed pro eo in optimis Mſſis eſt *conlineare*, ſive *collineare*.

Combinare barbarum, pro jungere, connectere. Legas Conſtitutionum Sicularum lib. I. tit. LIX. leg. II: *Plura volumus inſimul combinari*. Sic *combinata dilectio*, apud Petrum Bleſenſem epiſt. I.

Comminare, agere, dirigere. Legum Longobard. lib. I. tit. XIX. §. XXVII: *Si qualibet perſona in finibus regni noſtri ignem in ſylva comminare auſa fuerit*. Hoc eſt, ferre, ſive immittere ignem in ſylvam, ad eam accendendam. Quod & prohibitum Legibus Wiſigothicis, lib. VIII, tit. II, leg. II. Eſt verò à verbo *minare*: de quo inferiùs agemus.

Compaginari, pro *conjungi*, apud Prudentium Περὶ Στεφάνων, Fulbertum Carnotenſ. epiſt. I, Petrum Bleſenſem ſerm. IX. Gloſſ. vett. *Compagino, συναγμολογέω*. Eſt à *compages*; quod à *pago*, uti hoc à πήγω, ſive Dorico πάγω. Imò à *pago* etiam *pepigi*, & *pagina*.

Compateſcere, pro unà pati; pro quo vulgò *compati*, συμπάσχειν, Wicbertus, epiſtolâ, in farragine epiſtolarum S. Bonifacii, LXXXII: *Veſtra volumus compateſcere infirmitati*.

Compatior quandoque ſumitur pro convenire. Nam, ut dicit poeta,

Non bene conveniunt, nec in unâ ſede morantur
Majeſtas & amor:

Sic pſeudo-Ovidius in primo de Vetula ait:

——— *Nec ſe bene compatiuntur*
Livor, & ambitio; quamvis in utroque duorum
Eſſe ſimul poſſint.

Sed uſitatiùs accipi pro eo videas, quod Græcis ſimiliter eſt συμπάσχειν: ut idem poetaſter lib. II:

Tale nihil paſſus paſſis non compatietur.

Evagrius in vita S. Antonii † *Æquum* * *eſſe, nos nobis compati, & invicem onera noſtra portare*. Similiter Petrus Bleſenſis epiſt. LXXXIV, quæ ad Alexandrum Papam; *Patientibus compati*. Et ibidem; *Compatientior nullus*. Cæſarius lib. VI. Mirac. cap. I: *Compaſſus eſt ei Everardus*. At verbum hoc neſciunt antiqui. Cicero pro eo, *miſericordiâ moveor*, vel *commoveor, miſericordiâ alicujus capi, moveri, & moleſtè ferre*. In epiſtolis verò ſubinde, Græca verba συμπάθεια, συμπάσχω, συμπαθῶς, maluit. Nec abludunt, quæ de *condoleo* cap. XXXIV. dicebamus. Sanè Ciceroni *condoleo* idem ac ſimplex *doleo*. Pro eo autem, quod vulgo *condoleo*, dicit, *affici alicujus caſu*, aut ſimile.

† Pag. 50. edit. Antverp. an. 1615.
* Gal. 6.

Compatriare, pro eodem solo natum esse, legas apud Thomam Walsingamum in hypodigmate Neustriæ.

Comprandere, unà prandere, Joanni Saresberiensi epist. CCLXIV, quæ ad Petrum Scriptorem †,

† Pag. 447. edit. Paris. an. 1611.

Concathedrare, cathedræ suæ imponere, consortem facere imperii. Poetaster Ovidii nomen ementiens prope finem libi III. de Vetula;

Te superexaltans, cœlosque locans super omnes,
Et sibi concathedrans.

Sermo est de Jesu, & honore, quem habiturus matri. De quo & postea idem:

Non opus est, ut eam velit exaltare gradatim,
Sed simul assumet, simul & sibi concathedrabit.

Concernunt ista me, barbarum est, pro *ad me pertinent*; vel, *meum est*. At *concerno* pro *cerno*, dixerit Q. Cicero lib. de Petitione Consulatus ad Marcum Fratrem, si vera hæc lectio est: *Quid si satis grati homines essent, hæc omnia parata esse debebant, sicut parata esse concerno.* Ita quidem habet editio Roberti Stephani. Ac legit similter Nizolius. Sed in codd. aliis, præcipueque postea ad Mssorum fidem emendatis, non *concerno* est, sed *confido*.

Condescendere, pro in alicujus sententiam abire, consentire. Ivo Carnot. epist. V. ad Adelam Comitissam, & epist. XIX. ad Guiljelmum abbatem. Atque inde *condescensio*, Bedæ Histor. Angl. lib. II. cap. 1, Ivoni Carnotensi epist. CCXXXVI, & in vitis Patrum. Usus quoque Agobardus, Lugdunensis episcopus, à Fregedisio accusatus, quòd contemtui haberet vulgatum Scripturæ interpretem, quia parùm scriberet Latinè. *Diximus, quia Interpres divinorum voluminum, vel expositores, non curaverunt omnino tenere indeclinabiliter regulam Grammaticæ artis: quod utique neque imperitiâ, neque malitiâ, fecerunt; sed ratione condescensionis; ut sicut usus sanctæ Scripturæ est verbis condescendere humanis, quatenus vim ineffabilis rei, humano more, loquens, ad notitiam hominis deduceret, & mysteria insolita solitis ostenderet rebus: ita & interpretes ejus, eam sequendo, illud studuerunt summopere transferre, unde manifestiorem sensum legentibus præberent.* Ac mox: *Ut nobis condescenderent, & simplicitatem veritatis non desererent.* Chrysostomus similiter id dicit συγκατα-βαίνειν una descendere; uti συγκατάβασιν, quod Agobardo Theologisq; quibusdam quum dicunt, *Deum condescendere fragilitati seu infirmitati nostræ*, i. e. accommodare aut attemperare se nostræ infirmitati, videmus esse *condescensionem*.

Con-

Confœdero, pro *fœdus* jungo. Guntherus Ligurini lib. x. 29:

Aſt aliis magna confœderat arma Cremona.

Ubi Pithœus maluit, *conſederat*: ſed ſententia prius exigit. Atque inde malè Latinum *confœderati*, pro *fœderati*: de quo diximus lib. I. cap. XIX.

Confortare, corroborare, firmare, Petrus Damiani lib. VI. epiſt. XXXI: *Antiquorum Patrum nos exempla confortant.* Et mox: *Præcedentium confortemur exemplis.* Suppoſiticius Ovidius lib. I. de Vetula.

Sed quod ſic fauces ſitibundas impleat, ut non
Confortetur eo ſua virtus.

Congaudere, cum aliquo gaudere. Pſeudo-Ovidius in ſecundo de Vetula:

—— *Multis venientibus illi* *Congaviſuris.*

Conqueſtare ἀμέσως à Gallico *conqueſter*, hoc eſt, imperio addere, finibus ditionis adjicere: hoc à *quæro*, vel *conquiro*. Sic *conqueſti*, quæſita. Itaque Guiljelmus Notus, Britanniâ, devictâ, *Conqueſtoris* nomen accepit. Uſurpat Thomas Walſinghamus*: *Parati ſunt recognoſcere terras, quas tenent à præfato Domino Rege, & tradere in manu ſua, quas poſſunt, & reſiduas pro viribus conqueſtant. Honqueſtrare* legas apud Joannem de Thwrocz in Chronicis Hungaricis Part. II. cap. IX: *Conſtat itaque non tantùm ſeptem capitaneos Pannoniam conqueſtrâſſe: ſed etiam alios nobiles, qui de Pannonia deſcenderunt.* Verùm, puto, legendum, *conqueſtâſſe*: hoc eſt, acquiſiviſſe. Ut ſit à *conquæſtu*; uti inde dictus Guilhelmus *Conquæſtor*, poſtquam Angliam ſubegiſſet. * Pag. 573.

Conregnare, unà regnare, conſortem eſſe imperii. Severus Sulpicius Hiſtoriæ Sacræ lib. II: *Helena, mater Principis Conſtantini, quæ Auguſta cum filio conregnabat.* Etiam Paullinus epiſt. XI, quæ ad Severum hunc ipſum, de eadem Auguſta uſurpat. Quid poſteriores dicam? in his Pſeudo-Ovidium in primo de Vetula:

Sicque vides, quod ubi conregnant ambitioſus
Livor, & ambitio liveus; non ambitioni
Succumbit livor, ſed inebriat ambitionem.

Conſilior, pro conſulto, conſilium capio, conſilia confero. Paul. Diaconus de geſtis Longobardorum lib. VI, cap. VI: *Domine mi Rex, tu ſcis, quia, poſtquam hoc conſiliati ſumus, ego à tuo conſpectu non exivi: & quòmodo hoc alicui dicere potui?* Leges Alamannicæ tit. XXIV: *Si aliquis homo in mortem Ducis conſiliatus fuit, & inde convictus fuerit: aut vitam perdat, aut ſe redimat; ſicut Dux, aut principes populi, judicaverint.*

Con-

Contentare, facere, ut quis contineat, quod animo satisfaciat. *Contentari*, acquiescere, contentum esse. Thomas Kempensis de imitatione Christi lib. III, cap. LVIII: *Illi bene, & optimè contentantur, si homines scirent contentari.* Joannes de Thwrocz in Historia Hungarica. Sic Sigismundum Imperatorem inducit soquentem: *Chari mei filii, summum rerum conditorem mea vita de rebus, ut ipse mei corporis sentio ex debilitate, contentâsse arbitror.*

Controvertitur vulgare; sed, ut censeo, parùm est Latinum. Pro eo autem dixerim *controversantur*; ut apud Ciceronem in Protagora†: *Nunc à vobis, ô Protagora, & Socrate postulo, ut de istoc concedatis alter alteri, & inter vos de hujusmodi non controversemini, non concertetis.* Possis & dicere, in controversia est, in controversiam vocatur, aut venit, controversia movetur, ea res in controversia versatur, controversia est de eo, atque aliis modis.

Contumeliari, barbarum, pro contumeliam dicere, imponere, in aliquem jacere, contumeliâ afficere, vel insequi.

Conventare, pro convenire, conventum celebrare, apud Cæsarium, Miraculorum lib. v. cap. XXII.

Conventionare est super aliquibus paciscendo convenire, ac ea, de quibus convênit, promittere. Matthæus Parisius in an. CIↃCCXLIV: *Omnia, qua conventionavit eidem domino meo, nomine præfati viri, pro liberatione suâ.* Hoc est, omnia pacta, conventáque; sive quæcunque domino meo constituit pacto. Usus & Rogerus de Hoveden Tom. II. Annal.

Coordinare dicunt semibarbari; ut Latini *cooriri*, *coeptare*, & similia. Græci pro eo συντάττειν, quod Latinis, unà cum aliis ordinare, ordinem dare, in ordinem adducere: ac de militibus præcipuè obtinet, quando in acie in ordinem diriguntur. Unde σύνταγμα, *acies militum in procinctu stantium.*

Cornari, pro cornu inflare. Joannes Angliæ Rex apud Matthæum Parisium in an. CIↃCCLII: *Quicunque Episcopus, Comes, vel Baro, transierit per forestam nostram, licet illi unam, vel duas bestias occidere: sin autem faciat cornari, ne videatur furtivè facere.*

Correspondeo improbum est, pro respondeo, consono. Sic *correspondentia*, consensus; item συμμετρία, pro qua & Vitruvius *partium responsus.*

Contor est apud veterem Scripturæ interpretem: ubi Græcè est συν-

συγχρῶνται. Nec interpretem damno, quia ad verbum expressit. Nam *uti* (sicut aliqui reddunt) non satis exprimit vocem Græcam. Ideo Erasmus mavult, *commercium habere*: sanè Latinè, & ad sententiam convenienter. Locus est Joannis XII. IX: Οὐ γὰρ συγχρῶνται Ἰουδαῖοι Σαμαρείταις. Ubi satis liquet, non ἀπλῶς usum signari; sed usum mutuum, quem *commercium* dicimus.

Crapulari est apud vulgatum interpretem Psal. LXXVII: *Tanquam potens crapulatus à vino.* Nempe à Græco κραιπαλᾶν, quod signat, ex nimio potu laborare capitis dolore, vel etiam desipere. Origo δὸπὸ τῦ κάρα πάλλειν, quia caput dolore quasi vibretur. Lexicographi κραιπαλίζειν exponunt *crapulari.* Verùm metuo, ne non magis Græcum sit κραιπαλίζειν, quàm Latinum est *crapulari.* Nec tamen vulgati, quem dixi, interpretis tempore in usu fuisse, negare præfractè velim. Adhæc agnoscunt Cælius Secundus in Foro Romano, & Calepinus qui Passeratii vocatur: sed sine idoneo auctore. Poggius inde format *crapulator* quinctâ in Vallam invectivâ *: *Scio illum* (Guarinum) *te* (Valla) *reputare, non doctissimum, sed dementissimum crapulatorem.*

* Pag. 94. b. edit. a. 1513.

Crassare, pro saginare, est apud Optatum Milevitanum lib. II.

Cucurbitare mulierem, pro, ei vitium afferre; quod qui faceret, *arga*, vel *cucurbita* vocabatur. De *arga* vocabulo superiùs dictum. Eundem verò notari *cucurbita* convicio, cognoscimus, ex istoc veteris glossarii: *Argam, cucurbitam.* Origo à Longobardis, quibus *corbita*, stuprum, & infamia; ut in legibus sumitur Longobardicis. Nec longè abit chaldæum חרבתא *charbta*; quod notat probrum, ignominiam. *Cucurbitare* verò ita, ut dixi sumitur Feud. lib. I, tit. V. §. I, & lib. II. tit. XXXVIII. §. LVII, & lib. III. tit. II. §. I. Inprimis autem (ut Zasio, & aliis, observatum) eo verbo utebantur, si vasallus domini uxorem adulterio pollueret, vel ad hoc sollicitaret: vel etiam filiam, neptem, nurum, aut sororem. *Cucurbitatio*, stupri illatio.

Cultellare vestem, est artificiosè eam variis locis incidere quibusdam punctis, ac lineolis, quandoque etiam majoribus scissuris. Nempe quia ad eam rem non forficis, sed cultelli sit usus. Cæsarius lib. IV. Mirac. cap. XV: *Superbia verò sic in eis regnavit, ut cogitare non sufficerent, quali modo vestimenta sua inciderent, stringerent, atque cultellarent.* Et lib. V. cap. XV: *Dæmonem in specie, viri tunicâ indutum cultellatâ, contra se stare confixit.* Et lib. X. cap. XI: *Erat enim indutus vestibus purpureis, atque cultellatis.* At Plinio *cultellatum* dicitur, quod cultrum formâ refert, & ejus

† Pag. 59. edit. Vvesel. an. 1600.

instar scindit. Apud Thwroczium Histor. Hungaricæ lib. II. cap. LII † lego: *Solus Opus super gilvo equo in lorica cutullata evulsiu, in modum fulminis, ictu lancea ruptâ loricâ per medium cor transfixit.* Quid si & hic *cultellata* rescribamus; ut lorica intelligatur exconio, ad modum panni, vel serici, sciſſa, apertáque?

Cusio videtur corruptum ex *consuo*. Glossæ Mſæ: *Cuſet*, ραπτει. Glossæ Arabico-latinæ: *Cusire, consuere.* Unde liquet, tum *cusio* dixisse, à quo *cusire*; tum *cuso*, unde *cuset*. Atque hoc posteriùs legas in Vitis Patrum, cùm alibi, tum libro ex tralatione Pelagii, Romanæ Eccl. Diaconi. Verba ejus sunt libelli quincti §. v: *Faciebat quoque plectam de ipsis palmis, & cusabat usque ad horam sextam.* Ejusdem originis est Gallicum *coudre*.

CAP. V.

De incipientibus à D, sequente A, vel E. Damnificare, *damno afficere.* Debitare, *debitis gravare.* Debriare, *inebriare.* Decalvare, *calvum facere, radere.* Decapitare, & decervicare, *caput, vel cervices resecare.* Decriminare, *criminis arguere.* Deferculare, *ferculum auferre.* Defortiare, *per vim aliquid adimere.* Defrustare, *frustatim decerpere.* Defurere, *multum furere.* Defustari, *fuste percuti.* Degeniare, *genio, ac formæ gratiâ fraudare.* Degradare, *de gradu dignitatis suæ deficere.* Degregare, *vel* decongregare, *segregare.* Deguttare, *guttatim adspergere.* Deificare, *deum facere.* Demunire, *reddere locum minùs munitum, quam priùs erat.* Deorno, *ornatum adimo.* Depalare, *nunc à palis, dici, nunc verò à palàm.* Depersonare, *imminuere, vel infringere dignitatem personæ, quam quis sustinet.* Depilare, *scripta aliorum compilare.* Deplicare, *priùs complicata separare.* Deprædari, *spoliare.* Desagmare, *exonerare.* Descidere, *abscindere.* Desociare, *à sociis disjungere.* Desolari, *vastare.* Deteriorare, *depravare.* Deviare, *aberrare à via.* Devotare, *devovere.* Dextrare, *sinuere, uter à dextrâ, vel sinistrâ, sit sinus.*

COnferam me nunc ad illa, ubi literarum quartam A, vel E, excipit. *Damnificare*, pro damnum inferre, est apud Cæsarium Haisterbachensem, Bielem & alios. Ac similiter Pseudo-Ovidius in primo de Vetula:

Damnificansque hostem numeris quibus egerat illas.

Item *damnificari*, pro damnum accipere. Ut ejusdem operis lib. II:

Si

Si sit ei luorum, pro parteque damnificetur.

Et Jacobus de Vitriaco Histor. Orient. lib. III*: *Unde de hoc castro nove plurimùm damnificantur Sarraceni, & terrore divino ipsos fugante, loca inclyta deserere coguntur.*

* Pag. 1131.

Debitari, pro *deberi*, verbum à nomine *debiti* formatum. Utitur Nicolaus Clemanges libro de Annatis non solvendis. Sic *indebitare*, ad Capitularia Karoli M. Additione IV. cap. XCIII†: *Nullus presbyter aut diaconus, vel quilibet clericus, aut laicus, decimas vendere, aut dare, vel pignorare, aut indebitare, præsumat.* Hoc est, gravare debitis, quibus non persolutis, decimarum pars, vel totæ, ad alios redeant.

† In editione Pithœana: sed illa Lindebrogii cap. 94.

Debriare, pro *inebriare*, est apud Gregorium Pastoralis Part. III, Admon. XXVI; ac *debriatus*, pro *inebriatus*, ibidem, & Admonit. XIII. Item apud Hilduinum abbatem, in epist. ad omnes abbates, Hincmirum in vita S. Remigii*, & Baldericum Noviomensem lib. III. cap. XXII: *Sicque debriatus, adscenso equo, — mox divinâ ultione percussus, de caballo corruens, spiritum exhalavit.*

* Apud Surium tom. 2.

Decalvare, pro *tondere*, vel potiùs *radere*. Aliud enim *tonsura*, aliud *rasura*; ut & aliud longè *rasura* est, ac *vulsura*. *Decalvandi* verbo utitur Notkerus Balbulus, sive quisquis ille monachus est Sangallensis de vita Karoli M. cap. X; ac similiter, qui vitam B. Fulgentii scripsit, cap. IX. Est & in glossis vett. *Decalvo*, δατσιλόω. Puto, Græcam vocem sumi pro σιλόω, vel σιλαίνω; quæ notant *alicui dicteriis illudere*. Sanè petulantes homines, quos ludibrio habent, in somno, vel quando eos vident aliud agere, detendent, vel radunt. Unde & Belgis scheren/pro illudere; cùm propriè sit *tondere*, ex Græco *xείρειν*, S, ut sæpe fit, præmisso.

Decapitare, pro securi ferire, vel cervices *re*locare; Tiberii ævo etiam *decollare*; velut Belgis ont-halsen. *Decapitare* est apud Rogerum de Hoveden Annal. Tom. I. in vita Wilhelmi Senioris an. CIↃ LXXV: *Crudeliter securi decapitatur.* Ut iidem Belgæ, ont-hoofden.

Decervicare, idem ac decollare, cervices præcidere. Sidonius lib. III. epist. XII, quæ ad Hæcdicium: *Quos humari nox succincta prohibuerat, decervicatis liquere cadaveribus.* Eumque ad locum observat Savaro, uti quoque anonymum, sed veterem Philonis Judæi interpretem, quæst. LXXVI: ac *cervicare* itidem esse apud Eusebium Papam, epistolâ ad Episcopos Hetruriæ & Campaniæ.

Decriminare in Legg. Longobardicis usurpatur, pro criminis alicujus arguere.

Deferculare, fercula de mensa auferre. Andreas, Abbas Michaelis prope Bambergam, de vita S. Othonis, Babebergensis Episcopi, lib. II. cap. XL: *Quod mirum dictu, mensa illorum nunquam disarmatur, nunquam deferculatur.* Hoc est, semper sua habet fercula.

Deforciare, pro fortitudine suâ, hoc est, per vim, aliquid auferre, vel impedire, à Gallico *force*, pro *vi*, Matthæo Parisio; qui & inde *defortiatores* dixit. Sed de hoc jam actum in verbis origine Gallicis. Nempe *ἀμίασμα* quidem est à Gallico; sed quod ipsum Romanæ sit originis.

Defrustare, frustatim, sive frustulatim decerpere. Ammianus Marcellinus initio lib. XXXI: *Sed semel obsoleti coloris tunica, collo insuta, non antè deponitur, aut mutatur, quàm diuturna carie in pannulos fluxerit defrustata.* Sidonius Apollinaris lib. IX. epist. IX, quæ ad Faustum Regiensem: *Quæsitum volumen invenio, produco, lectito, excerpo, maxima ex magnis capita defrustans.*

Defurere, pro multùm furere. Euagrius in vita S. Antonii, quam ex Athanasii Græcâ reddidit Latinè †: *Cùm hujusmodi terroribus visus est princeps dæmonum, inquit Antonius, & ingentia sæpe promittens, impietatis sua defurit lingua magniloqua.* Ac post ea: *Sæpe me à dæmonibus non denego verberatum. Canebam autem sic: Nullus me separabit à charitate Christi. Ad cujus vocis auditum, in se invicem defurentes, non meo, sed Domini fugabantur imperio.*

† *Pag. 42. b. edit. Rosweydiana.*

Defustari eos dicunt, qui, ut Cicero loquitur in Philippicis, fustuarium meruerunt: sive qui fustibus cæduntur, ut pro eo inquit Marcellus J. C. Aliqui pro eo ajunt *fustigare*, voce *ἀναλόγως* formatâ, quando, ut à *clarus*, & *castus*, *clarigo*, & *castigo*; sic à *fustis* fuerit *fustigo*. Ac reperio in Glossis: *Defustat*, *ξυλοκοπεῖ*. Item, *Ξυλοκοπῶ*, *τὸ τύπτω ξύλῳ*, *fusto*, *fustigo*. Sed apud classicorum quempiam non memini me legere.

Degeniare, pro dedecorare, à *geniando* verbo; quo usus Julius Capitolinus in Luc. Vero: *Fuit decorus corpore, vultu geniatus.* Sic enim legi oportere, Salmasius ostendit. Alterum verò illud est apud Cassiodorum lib. V: *Præterea commonemus, ut præpositorum commoda non præsumas; nec quicquid eos potestatis habere reverenda sanxit antiquitas, aliqua usurpatione degenies.* Ita est in Mssis; non, uti editis, *deneges*, vel *degeneres*.

Degradare sacerdotem, pro infulâ exuere, exaugurare, resecrare; ut dicere jubet in Forensibus Budæus. Usurpat *degradandi* verbum Lucifer Caralitanus, libro adversus Reges Apostaticos. Item Synodus à S. Bonifacio, & Francorum Episcopis, sub Carolomanno habita

anno

anno Ɔ ccc xl iii: †: *Falsos presbyteros degradavimus, & ad pœnitentiam coegimus.* Legas & apud Fulbertum epist. xl, & alios multos; in his Rogerum de Houeden Annal. Tom. i: *Pontifex non legitimè degradabatur.*

† *Capitularium Caroliorum lib. 5. cap. 2.*

Degregare, vel *decongregare*, pro segregare. Scriptor vitæ S. Genovefæ * cap. iv §. xv. *Dum degregata ab pastum forte pecora sollicitè vestigarent.* Ubi aliqui libri *degregata*; aliqui verò reponunt *segregata.*

* *In Vitis SS. ad 13. Ian.*

Deguttare, adspersione, vel infusione guttarum, seu butyri, seu alius liquoris, hùmectare. Matth. Paris in Stephano Rege, ubi describit militi visa intra speluncam S. Patricii: *Nec minori tormento vexabantur hi, qui verubus transfixi adignem assati deguttabantur à dæmonibus.*

Deifico, pro in Deos refero, confecro. Sic *elementa deificare.* Cassiodorus lib. x. Histor. Tripart. cap. xxx. Quippe nationes elementa singula in Deos retulerunt: ut fusè persequimur opere de Theologia gentili, sive de Idololatriæ origine, ac progressu. Usus quoque Joan. Sarisberiensis lib. iii Policratici cap. x: *Suos quoq; Imperatores, quos de more Romanus populus fideliter jugulabat, desiccavit fidelius, inani solatio perfidiam prætexens manifestam.*

Demunire urbem est ex munita facere infirmam. Utitur Petrus Blesensis serm. xxxiii.

Deorno, pro *dedecoro*, apud Claudianum Mamertum; si credimus Caspari Barthio lib. i. Adversar. cap. iii.

Depalare nunc legas pro palis impactis constituere; ut *depalare civitatem*, apud Tertull. in Apologetico; ac ab eadem origine *depalationes horologiorum*, Vitruvio lib. ix cap. viii: nunc pro palam facere, divulgare; ut apud Constantinum presbyterum de vita S. Germani cap. xvi; *Virtutum suarum ostenta depalavit.*

Depersonare, detrahere de honore alicujus personæ. Matth. Paris. ad annum Ɔ ccc xlvi: *Hoc verbum consonum fuit dicto Henrici Regis Angliæ junioris, qui patri suo Henrico II Regi, in festo coronationis suæ ministranti, ait: Non es depersonatus mihi ministrando, cùm sis filius Comitis; ego Regis, & Reginæ.*

Depilare, pro excerpere ex alienis scriptis, reperias apud Petr. Blesensem. Sed & apud Macrobium in VI Saturnalium legi, monet Joan. Busæus Noviomagus, in glossario ad Blesensem. Nempe putarunt, se posse sic dicere, *depilare*; ut *compilare scrinia* ait Horatius. Recta interim *depilis*, & *depilatus*, de eo, qui sine pilis.

Deplicare, & *applicare*, contraria sunt. *Applicare* est admovere; *deplicare*, amovere. In miraculis S. Genovefæ † §. xxx: *Cujus pedes tantâ erant contractione nativis complicati, ut nullâ inde possent arte deplicari.* Et §. xxxv: *Mulier, præ contractione manuum, opus artificio non exercens, veniens ad S. Virginem, manus post orationem extendit, & articulorum restitutâ reflexione, in argumentum salutis porrectas manus plicavit sæpius, & deplicavit; opusq; textrinum, sine ullâ nervorum aridutate, exercuit.* Ubi *plicare manus* est complicare, sociare: at *deplicare* idem ac removere, sejungere.

† *In vitis SS. apud Bollandii ad 5. Jan.*

Deprædor, pro *prædor*, *spolio*, vix putem Latinum. Quamquam agnoscat can. xviii. caus. xxiii. q. 8. Thesaurus L. L. & *deprædatio* fit in Codice Theodosiano lib. ii de Re milit.

Deprædare, est in 2. f. 22. fine.

Desagmare, exonerare, sagma auferre mulo, vel alteri animanti. Petr. Damiani in vita S. Odilonis, Abbatis Cluniac. cap. xii, sive §. xxv *: *Accedit, ut mulus, qui hominis Dei supellectilem, libros scilicet ac lectulum, deferebat, à publico vado procul aberrans, in profundiorem alvei voraginem caderet. —— Qui tandem, è naufragio protractus, educitur; ad perscrutandum, utrùm res, & maximè libri, perierint, desagmatur.* Vide *Sagmarius* lib. iii cap. xlix.

* *Apud Boll. 1. Jan.*

Descidere, pro *decidere*, barbari est seculi. Imposuit, quòd *discindere* dicatur. Walsingamus in Hypodigm. Neustriæ †: *Si verò aliquod occurrat tam arduum, quod pro arbitrio descidi nequeat.*

† *Pag. 481.*

Desociare, pro *separare à sociis*, apud Petr. Blesens. serm. xxxiii. *Cùm enim imprudens ille, & impudens Lucifer, se à Deo & socialibus desociaret Angelis; ipsi in societate suâ perstiterunt, in mansuetudine suâ roborati.*

Desolor, pro vasto, everto, non dixero.

Deterio, pro deterius facio. Cæsarius lib. iv. Mirac. cap. lix: *Dominus verò non immemor vindictæ, anno eodem, totum penè vinum, quod monasterio creverat, ita deterioravit, ut nullius esset saporis, vel coloris.*

Devio mediæ ætatis scriptoribus haut infrequens. Sed cum idoneis Latinitatis auctoribus dixeris *deflecto*, vel *declino de via.*

Devotare, devovere, dicare. Andr. Abbas in vita S. Othonis lib. iv cap. ix: *Divino invocato nomine, beato Ottoni, si per ejus sanctæ merita sibi incolumis redderetur, offerendum cum oblationibus devotaverunt. Mirum dictu, ad obligationem voti, nulla cælestis medicina mora fuit.* Mox pro eo subdit, *Ut devoverant, offerentes.* Gloss. Mss.: *Devoto, [illegible]*

Dex-

Dextrare, pro jungere equos, sic ut unus dexter sit, alter siniſter. Ita usus, nescio quo auctore, Laur. Valla, de Donant. Constat. *Triumphâsse primâsse Cæsarem, quoties prodibat, ut nunc solet Papa, præcedentibus equis albis, quos stratos famuli dextrant.* A *dextrare* fuerit *dextrarius*: quod nec ipsum reperio apud idoneos scriptores. Sed legas apud Hincmar Rhemens. Petr. de Vineis, Matth. Parisium; cujus hoc ad annum CIↃ CCXLI: *Insidebat equum nobilissimum dextrarium Italicum.* Sermo est de morte miserabili Mareschulli Gileberti.

CAP. VI.

De verbis, in quibus post D sequitur tertia vocalis, aliave hac posterior.

Diætare, *diætam observare.* Diamare, *valde amare.* Didrachmare, *distribuere per didrachmas.* Diescit, *dies oritur.* Diffacere, *gratiam ac decus adimere.* Difficere, *perimere.* Difficultare, *difficilius reddere.* Diffidare, *fide indignum judicare.* Diffiduciare, *fiduciam ulteriùs nullam reponere, atq; adeò pro hoste habere.* Diffigurare, *forma decus auferre.* Dijaculo, *jaculor.* Diminoro, *imminuo.* Discargare, *carnem exonerare.* Disciplinare, *castigare.* Discooperio, *tego.* Discopulo, *vincula demo, solvo.* Discoquo, *coctum à digero.* Dismembrare, *membra dividere.* Disparagare, *dispari sociare.* Disperquiro, *anquiro.* Disraro, *rarefacio.* Disrationare, *ostendere aliquid à ratione esse alienum, vel simpliciter prorabalienare.* Disrobare, *diripere.* Disremperare, *temperaturam dissolvere.* Disvestire, *vestibus exuere.* Divago, *divagor.* Diversifico, *vario.* Dulcoro, *dulce reddo.*

PRosequar nunc ordine verborum alia, quæ itidem à quartâ consonâ auspicantur.

Diatare, sive, ut scribi solet, *dietare*, pro diætam, sive victus modum observare. Petrus Blesensis epist. XXVII: *Cæteri, in eminentia cathedralis apicem sublimati, statim curam carnis propensiùs agunt; circumspectiùs se dietant; non minùs timent corporis ægritudinem, quàm gehennam; & in omnibus spatium vitæ productioris affectant.*

Diamare, ut censet Barthius, Abbo dixit, carmine de Obsidione Lutetiæ. Sed *deamo* scripsisse arbitror: quod apud Plaut. & Terent.

Didrachmo, pro per didrachmas divido. Balderic. in Chron. Cameracensi lib. III cap. XXXVII: *Aurum plurimùm didrachmavit.*

Die-

Diescit, Terentio lucescit, Maroni aurora diem reducit, Lucano dies exoritur.

Diffacere, pro deformare, faciem sive formam adimere; quomodo Belgæ dicunt, **mismaken.** Ut *hominem diffacere*, de eo qui oculum exsculpserit, vel nasum præciderit, vel simile egerit. Legas Legum Longobard. lib. I tit. XXV Leg. LXVIII. In iisdem lib. II tit. XXXV Leg. X, *charta diffacta*. In Capitul. Karoli M. III cap. XXVI, *Ad justitiam cujuslibet diffaciendam*. Simile est *difficere*; de quo proximè.

Diffamare, infamare, famam violare. In laude positum Augustino, tract. XLIX. in Joh. quum ait: *Diffamatur ubiq; Christus*, i. e. Evangelium ejus celebratur longè lateq;.

Difficere valet interficere. Nempe ut opposita sunt *facilis*, & *difficilis*; *fido*, & *diffido*; *fateor*, & *diffiteor*: sic *facio*, & *difficio*: quasi dicas, ut quis non sit. Carolus M. Constitut. cap. XI *: *Si per odium, aut malum ingenium, hominem diffecerit; honorem suum perdat, & legibus, contra quem injustè fecit, secundùm pœnam, quam intulit, emendet.*

* Pag. 228. edit. Moguntin. ann. 1603.

Difficultare, difficilem se præbere in aliquo negotio, sive propter aliqua, quæ scrupulum injiciant, moras nectere, nec facilè assentiri. Magnum Chronicum Belgicum †: *Missienses verò quosdam ex optimatibus direxerunt ad Coloniam, ac ad civitatis Consules, certificari cupientes ipsorum de assistentia intentum; qui diu hæsitando, propter mercaturas negotiatorum suorum, difficultaverunt negotium.*

† Pistoriana edit. pag. 411.

Diffidare, pro bellum indicere, hostem renunciare; quia ex eo fides, quæ antea fuerat, non durat. Nisi malis esse ortu barbarum, à *feida*, pro inimicitia: quo pacto *dis* habebit vim negandi. Legas apud Fredericum lib. II Feudal. tit. LIX §. IV: *Perpetua damnamus infamia, diffidamus, atq; bannimus.* Usus & Petr. de Vineis epist. lib. III cap. LXXXV; *Diffides eos, tanquam inimicos nostros, & imperii.* Est quoque in Legg. Longobard. tit. de diffidationibus, hoc est, de ratione bellum denunciandi hostibus. Item apud Petr. in Histor. Albigens. cap. LXXVII, Bekam in Joanne II, Turocium in Hist. Hungar. Vid. Hotomannus de verb. feud. v. *diffidare*; & verbo *Feida*. Contrarium *Affidare*, de quo hoc libro cap. I p. ----

Diffiduciare, à *fiducia*; ut à *fide*, *diffidare*; de quo dixi. Significat verò hostilitatem, vel inimicitias inducere. Usus Ivo Carnotensis epist. CLXXIII, & Matth. Paris. prologo Hist. Anglic. Item Thom. Walsing. in Richardo II *, *Ad diffiduciandum abbatem.* Atque alibi non semel.

* Pag. 255.

Diffi-

Diffigurare, figuram, sive speciem rei vitiare. Legg. Longobard. lib. 1 tit. XXV L. XLIII: *Si quis caballum alienum apprehenderit, ipsumque diffiguraverit, aut circinaverit; furti pœna sit culpabilis in electo ile.* Thom. Walsingam in descriptione Neustriæ †: *Papa Johannes, occultè diffiguratus, fugit cum Duce Austriæ.* † Pag. 579.

Dijaculare, jaculo ferire. Suppositicius Ovidius de Vetula lib. 1:

Confisos levitate suâ, promptosq; salire
De ramo in ramum, cirogrillos dijaculare.

Ubi *cirogrills* χειροχύλλοι, qui & χειροχύλιει *. * Scholiast. Aristoph. εἰς εἰλῶ.

Diminoro, pro *diminuo*. Carolus Simplex in privilegio apud Aimoinum lib. V cap. XLII: *Sine nulla subtractione, vel diminoratione, liceat securiter, ac perpetualiter possidere.*

Discargare, pro *discarrare*, propriè notat è carro ponere. Ac sic usurpat Lex Salica tit. XXIX §. XXI: *Si inde fœnum ad domum suam in carro duxerit, & discargaverit.* Postea per tralationem extensa significatio ad onera, quæ hominibus imponuntur. Unde *discargare*, pro ab aliqua re præstare immunem. Quomodo Gallis & Anglis, *discharge*.

Disciplinare, disciplinæ severitate in aliquem animadvertere. Scriptor de S. Genovefa §. XXXVIII *: *Disciplinat misericorditer filios suos pater misericordiarum, dum momentanea percussionis igniculo carnem simul, & gehennam exstinguit.* * In vitis SS. apud Bolland. ad 3. Ian. p. 151

Discooperio crebrò legas. Veteres pro eo operio, tego, celo. A Vossio abit Somnerus, & contrarium notare ait ob adversativam particulam *dis*, unde & Gallis *descouurir*, Hisp. *discubrir*, Ital. *discoprire* pro revelare, detegere, aperire, quod tectum erat; idemque firmatur ibidem exemplis Autorum Latinorum.

Discopulare, copulam canibus detrahere; ut Ovidius loquitur. Matthæus Parisius anno CIↃCCXXXIV: *Legistarum magnam catervam apud se Rex retinuit, quasi venator canes venaticos super electores Prælatorum discopulandos.*

Discoquere, pro *coquendo dissolvere*, Plinio Valeriano usurpatum. *Discocta malva*, coquendo resoluta, apud Scribonium. Utuntur Plinius, Apulejus, Palladius, quorum loca notat Joh. Rhodius Lexic. Scriboniano p. 375.

Dismembrare, disjungere, separare. Ut *dismembratus* opponatur *continuo*; idemque valeat, quod *discretus*. Charta ducum Normanniæ de saisina Paganelli, anno scripta CIↃCCXIII †: *Quod baroniæ non erunt dismembratæ, nisi pro parte, in qua escatæ erunt.* † In scriptorib. rer. Norman. pag. 1064.

Disparagare, dispares conjugio jungere, genere & opibus inæquales connubio sociare. A *disparagium*, quod est dispar conjugium; ut *paragium*, par sive æquale connubium. Voces à Gallis acceptæ. Matth. Parisius ad annum ɔlɔ ɔ ɔ xxxiv: *Puellas nobiles, & alias mulieres nubiles, cum wardis, ac maritagiis, quas dant suis, disparagant.* Hinc *disparagatio*, ad annum ɔlɔ ɔ ɔ xv: *Hæredes maritentur sine disparagatione.* Verbum ipsum etiam habes in legibus Baronum Scotiæ, opere, quod à primis verbis, *Quoniam attachiamenta*, inscribitur, cap. xc iii: *Si aliqui domini maritaverint hæredes suos, quos, vel quas, habent in custodia, villanis, vel burgensibus, ubi disparagentur; si talis hæres sit infra quatuordecim annos, & talis ætatis, quod consentire non possit; tunc, si parentes ejus conquerantur, dominus ille amittet custodiam, usq; ad ætatem hæredis.*

Disperquiro, anquiro, sedulò, vel circumquaque disquiro. Walsingamus in Richardo II *: *Cui Dux, Et ego, ait, non laudo plures insultus fieri, quia* (Anglici) *& ingeniosi, & fortes sunt viri, & quotidie novas contrà adinventiones disperquirent.* *Fag. 304.

Disraro, rarefacio. Sanè in Glossis Mssis exponitur ἀραιῶ.

Disrationare, contrarium ratione, & lege μονομαχῶ, comprobare. Matth. Parisius in ɔlɔ ɔ ɔ xliv: *Quod si renuentes præsumant inficiari; paramur judicialiter duello super eos veritatem, Deo judice, discutere, & disrationare.* Similiter in vita Guilhelmi, abbatis XXII. S. Albani: *Definitum fuit judicialiter, ut illa quæstio per duellum disrationaretur.* Legas etiam Reg. Maj. Scotiæ lib. iii cap. xvii §. 1: *Cùm maritus aliquis —— de dote ipsius uxoris aliquid amiserit, vel disrationaverit de jure ipsius uxoris.* Ubi Joann. Skenæus interpretatur: *In judicio recuperaverit.* Puto, & hic idem esse, ac facere, ut quid, rationis judicio, potiùs alterius esse videatur, sive ἀπαλλῶ; abalienare. Alia dabit exempla Somnerus in hujus Verbi glossario.

Disrobare, spoliare à Germanico **roouen**/quod ex Latino *rapere*: ut *disrobare* sit diripere. Nam *a* sæpe in *o* abit; *p* in *ph*, vel *v* consonans. Argumentum Petri de Vineis lib. v epist. xlviii: *Concedit licentiam quibusdam mercatoribus faciendi præsalias contra rebelles, qui eos disroboverunt.* Hac verò epistolâ abunde, quid repræsalia sit, explicatur.

Distemperare, Plinio Valeriano idem ac dissolvere. Utitur lib. i cap. vi.

Disvestire, vestibus exuere. Thom. Walsingamus in Descriptione

Nor-

Neustriæ †: *Cujus corpus post paululum ad se relatum cùm disvestirent,* †Pag. 428.
argenteam clavem in ejus strophio reperiunt dependentem.

Divago, & *evago*, agnoscit Glossarium nostrum Mssum: nec alio defenderim, quàm quòd *vago* sit apud Plautum.

Diversifico, vario. Pseudo-Ovidius in primo de Vetula:

Quinquaginta modis, & sex diversificantur
In punctaturis.

Ac postea:

\- - - - - - - - *Diversificantur*
In punctatura propriè.

Ac lib. III: *Et fidei species debent diversificari.*

Parlam. Syl. Prolegom.

Et dictus stilus quandoq; diversificatur.

Dulcorare, pro *edulcare*: quomodo Mattius apud Agellium:

Quapropter edulcare convenit vitam,
Durasq; acerbas sensibus gubernare.

De-La-Cerda in Adversariis Sacris cap. XLVIII legit, *edulcorare*. Sed sic non erit jambicus scazon. At Ambrosii est de Instit. Virgin. cap. V: *Fons mara per lignum dulcoratus.* Rectiùs Tertullian. adversus Judæos cap. XIII: *Hoc enim lignum tunc in Sacramento erat, quo Moses aquam amaram indulcavit.* Perperam & hîc De-La-Cerda *edulcoravit.*

CAP. VII.

De inchoatis ab E. Efflorare, *carpere flores.* Effocare, *strangulare.* Efformo, *effingo.* Effortio, *munio.* Elaterare, *ad latus abire.* Elongo, *longe amoveo.* Elucido, *illustro.* Episcopo, *episcopum facio.* Epulo, *epulor.* Essendo, *pro si fuero.* Exactionare, & exactare, *exigere.* Exadoniare, *idoneum reddere.* Excerebror, *cerebrum amitto.* Excondicere, *purgare se.* Excopiare, & exemplare, *exscribere.* Exemplificare, *probare exemplis.* Exentricare, *viscera eximere.* Exfestucare, *honorem alteri adimere, vel se eo abdicare.* Exhonoro, *honore privo.* Exmerare, *puro puto auro, vel argento annumerare.* Exoccupor, *labore levor.* Exoniare, *sonticam afferre causam, cur non stiteris te judicio.* Explantare, *radicitus evellere.* Exsalsescere, *salsuginem deperdere.* Expressare, *expressim dicere.* Exsufflare, *spiritu suo difflare, aspernari.* Exulari, *exulem esse.*

VEnio ad Verba à secundâ vocali auspicantia.

Efflorare, pro eo, quod Lucretio *flores decerpere*, cùm alibi legas; tum apud scriptorem Chronici à Nicolao Camúsæo editi.

Effocare, pro fauces elidere. Vetus Juvenalis interpres in sat. XV. vers. CCXXII: *Quæ in somnis effocabitur propter dotem.*

Effermo sæpiùs reperio. Sed classici pro eo, exprimo, fingo.

Effortiare, pro *munire*. Rogerus de Houeden Annal. Tom. II: *Veniens in Pictaviam, terram suam, castella nova firmavit, & vetera effortiavit.* Unde *effortiatus*, uti hinc *effortiatè*: de quo inferiùs.

* *In vitis SS. ad 8. Ian. apud Bolland.*

Elaterare, ad latus alterutrum se inflectere. Anonymus in vita S. Severini, episcopi Septempedani. §. XI *: *Ingrediens quendam locum, credens iter Rectorem Provinciæ noctu ingredi, paulatim se ex aggere elaterat pavens, ut è vicino cauſſam disceret.*

Elongare, pro longè amovere. Concilium Cistercienſe: *Et quasi inauditam plus corde, & corpore elongare.*

† *Pag.* 124.

Elucidare, pro lucem afferre. Concilium Pisanum II†. Unde & proavorum ætate barbara inscriptio *Elucidarii Poetici.*

Episcopare, episcopum facere. Petrus Blesensis epist. X: *Intendit episcopare fratrem Comitis.* Fulbertus Carnot. epist. XXXI: *Ne quibusdam episcopandis citò manus imponam.* Bernard. Clarævall. in vita Malachiæ, & Hiberniæ episcopi *: *Quod si & posset ire, episcopari reformidabat*; hoc est, episcopus fieri.

* *Col.* 1947. *edit. Antverp. anno* 1609.

Epulo, pro *epulor*. Passio S. Maximi † presbyteri & martyris, cap. II. §. XII: *Vocavit uxorem suam, & conservos suos, ut stipendia copiosa post eum adferrent, & cum magno gaudio epularent.*

† *Apud Boll. in vitis SS. ad 2. Ian.*

Essendi, essendo, essendum, barbara sunt. Etsi non refugerit Floretus, sive florum scriptor, qui creditur B. Bernardus Clarævall. cap. III *:

* *Colon. excus. anno* 1501.

Quantumcunq; bonus fueris, essendo superbus,
Totum depravas.

Pro, si esse voles superbus.

Exactionare, pro exactione vectigalium, vel tributorum gravare. Beka in Chronico, vitâ Ottonis III: *Sæpe graviter exactionari sunt; adeò quòd in bonis temporalibus multùm inopes effecti sunt.* Sic *exactionantes*, in vita Frederici, episcopi XLIII.

Exactare, pro *exigere*: ut in Kapitularibus Karoli M. lib. III cap. LXVIII, & lib. IV cap. XXXI. Et in ejusdem diplomate *Cariaticum, & vinum, contra omnem justitiam ab eis exactare non cessant.* Ubi vide, an non *charteaticum*, vel *chartaticum* potiùs, debeat rescribi.

Ex-

Exadoniare, pro idoneum facere, est in legg. Alamanicis Tit. XVIII, & decreto Tassilonis Ducis §. XII. Non dubito, quin priùs dixerint *exsdoneare*.

Excerebrari, cerebrum amittere. Petrus Blesensis serm. XLVII: *Verumtamen homo à secretis, cùm in hac dignitate esset, non intellexit; sed quærens, quæ sua sunt, sedens in insidiis adversus Dominum suum; comparatur jumentis insantientibus, & insanior factus est illis, quæ vel artus suos morsibus discerpunt, vel in quæque obstantia ruendo excerebrantur, vel facto impetu in præceps summerguntur.*

Excondicere, ostendere se non obligari ad aliquid ex condicto, purgare se, excusare, alteri satisfacere. Carolus Calvus tit. XXIX. apud Carisiacum cap. III: *Ad mallum veniant, & ibi, aut se legaliter, ut permissimus, excondicant; aut si se excondicere non potuerint, quod malè fecerint, legaliter emendent.* Et mox: *Si eum nullus accusaverit, excondicat se prædicto modo, & juret, quòd deinceps testeiam vel latrocinium non faciet.* Hincmarus Rhemensis ad Hincmarum Laudunensem: *Quòd Hadulpho missaticum tuum commiseras, de quo missatico se non excondixit.*

Excopiare, pro exscribere; ex eo quòd vulgò *copiam* dicant, pro apographo, sive exemplo.

Exemplare, pro describere ad exemplum alterius. Gregorius Turonensis Miracul. lib. I. cap. LXIV: *Nocturno sub tempore, famulante lumine, celeriter exemplavit.* Utitur eo Pontifex in edict. de Fide instr.

Exemplificare, pro exemplis comprobare, apud Cæsarium Heisterbachensem, & alios.

Exentricare corruptum ex *exenterare*, quod est τὰ ἔντερα sive viscera eximere: uti cor in facinorosis. Hinc *exentricatio*; pro quo malim *exenteratio*. Thomas Walsingamus in Richardo II. †: *Adjudicatus est* † Pag. 354. *tractioni, suspensioni, exentricationi, combustioni interiorum, decapitationi, & quaternizationi.*

Exfestucare, & *infestucare*, *possessione abdicare*. *Festuca* signum possessionis traditæ. Verba sunt feudalia, & ex eo originem trahunt, quòd traditione festucæ, aut virgæ, possessio prædii, aliusve rei, traderetur, vel honos aliquis, aut dignitas conferretur: ut ex Marculfo videre est. Estque *infestucare* idem, ac quod dicunt *investire*; *exfestucare* idem ac *devestire*. Otho Frisingensis Chron. lib. VII. cap. XXXIV: *At Eugenius Papa cum Romanis hoc tempore pacem fecit, ut patriciatus dignitatem exfestucarent, & præfectum in dignitatem reciperent.* Similiter idem in gestis

Friderici lib. I. cap. VIII, Sigebertus in Chron. a. cIↃCXXIII. Robertus de Monte in Append. Cæsarius Heisterbachensis lib. II. Miracul. cap. XII. Item Roso, Gaveræ dominus, in donatione anni cIↃCCI *. Hujus verba ponam? *Quicquid juris, vel querimonia habebat adversus Ecclesiam de Ninive in loco, qui dicitur Calf, & infra limites possessionum, quas ibidem præfata Ecclesia, de eleemosyna magnæ memoriæ Balduini Comitis, in præsenti tenet, in eleemosynam dedit, & exfestucavit.* Latini pro eo, abdicare se honore, aut possessionem abrenunciare, abjurare, reddere, resignare: ut Horatius lib. III. od. XXIX. de fortuna:

Laudo manentem: si celeres quatit
Pennas; resigno, quæ dedit, & meâ
Virtute me involvo, probamque
Pauperiem sine dote quæro.

Et secundâ ad Mæcen. epist. lib. I:

Hæc ego si compellor imagine, cuncta resigno.

Exhonoro, honorem adimo Ratbertus: *Quid putas, Imperator? Numquid vindicare te putas, hunc virum exhonorando, & qualibet terrarum parte exulare jubendo?*

Exiliare, in exilium conjicere. Dositheus lib. 3. *A quo exiliatus est.*

Exmerare, pro merum, sive purum putum præstare. Constitutio Caroli Calvi tit. XXXI, Edicto Pistensi, cap. XIII: *Contra eos, quorum argentum ad purgandum acceperint, ipsum argentum exmerent, & sine fraude, tam in pensa, quàm purgatione, denarios conambient.* Ubi duo videmus exigi in denariis, ut puro puto constent argento, & justi sint ponderis. Synodus Francofordiensis cap. V: *De denariis si mero sunt argento, & pleniter pensantes.*

Exoccupor, occupationibus libero, ab occupationibus relaxor: cui contrarium, distineri, vel impediri occupationibus. Joannes Saresberiensis de nugis Curialium lib. I. cap. IV: *Si majoribus, quod quidem rarum est, eos* (magistratus) *exoccupari contigerit.* Hinc *exoccupatus*, otiosus. Vide de eo lib. præcedentis cap. XI.

Exoniare, impedimentum justum adferre, cur quis non steterit se judicio, vel jurare se ob caussam sonticam non potuisse esse præsto. Hujus sit loci, si sit à *sontica* caussa, vel potius Græco ἐξόρνυσις. Atque hæc ducem capiunt ex iis, quæ de *Sisonia* alibi dicimus.

Explanto, pro eradico, ut contrarium sit, ac *planto*. Petrus Blesensis epist. CXXIX: *Moneo enim te, si fortè exaudias, si fortè velis avellere iniquæ plan-*

* *Apud Miræum in Notit. Eccles. Belg. pag. 494.*

plantationes, radicesque vipereas, quas non plantavit pater meus cœlestis; ideoque tanto fortiùs explantandæ sunt, quanto enormius sunt plantatæ.

Exsalsescere, apud Plinium Valerianum, pro *amittere vim salis*, sive salsuginem, vel salsilaginem, aut salsitudinem.

Expressare, Cornificio *expressè ponere*, Plinio in epist. *expressè dicere*. Thomas Walsingamus in Richardo II †, de Edmundo: *Post expressata negotia sua*. Hoc est, postquam in capitulo exposuit, quorsum illud convocâsset. † Pag. 2 Ri.

Exsufflare, verbum Tertulliano de Idololatria usurpatum, & aliis scriptoribus Ecclesiasticis. Notat, flatu dissipare, & μικροψυχῶς contemnere. B. Augustinus epist. CLXII. contra Donatistas: *Conscinditur unitas Christi, blasphematur hæreditas Christi, exsufflatur baptisma Christi.* Ac similiter postea: *Iterata baptismata, exsufflata sacramenta.* Sed & *sufflare* pro eodem ait epist. LVI. ad Dioscorum: *Nomen Anaxagoræ quod propter literatam vetustatem, ut militariter loquar, literatiores libenter sufflant.* Videtur igitur is castrensis fuisse sermo. Et simplici, & composito istoc, similiter usus Dungalus in prologo Responsorum contra Claudium Taurinensem.

Exulor, pro *exulo*. Anastasius in exilio Martini: *Rogabat enim sanctus ille, ut sineretur in eadem custodia, quousque exularetur, & ad horam auferretur de custodia.* Ac ibidem: *Dictum est ergo, quia in Chersonam exulatur.*

CAP. VIII.

De inchoatis ab F. Fabulo, *pro fabulor.* Fallire, *falli, decipi.* Falsare, *falsè assimulare.* Falsificare, *comprobare aliquid esse falsum; item adulterare.* Famatur, *famâ vulgatur.* Famesco, *famem patior.* Famigero, *famâ celebro.* Familiaresco, *familiaris reddor.* Fascio, *fasciis ligo.* Ferior, *ferias agito.* Festo, *vel* festivo, *festum celebro.* Filare, *fila rhombo circumvolvere.* Fistulor, *fistulâ cano.* Follico, *follis instar tumeo.* Forconsiliare, *vel* forsconsiliare, *malè malo animo consulere.* Forisfacere, *vel* forefacere, *crimen committere, quod vitæ, vel bonorum privatione, solet puniri.* Forjudicare, *vitâ, aut bonis multare.* Fragasco, *odorem fragantem spiro.* Fructifico, *fructum fero.* Fultrare, *fulcire.* Furniare, *panes coquere in furno.* Fustare, *fuste aliquem excipere.*

Venio

VEnio ad literarum sextam.

Fabulo, pro *fabulor*. Regula Monasterii S. Cæsariæ cap. II. §. 2: *Similiter dum psallitur, fabulare omnino, vel operari, non liceat.* Primus eam Regulam edidit Bollandus in Vitis Sanctorum ad XVI. Jan. Usurpat quoque Joannes Sarisberiensis epist. CXC, quæ est ad Radulphum de Bello-monte †: *Credideram profecto te philosophantis habere verba, non animum: sed nunc recolo te aliquatenus esse magni discipulum Aristippi, qui omni conditione temporis æquanimiter utebatur, & in ipsis philosophabatur nugis, jucundus omnibus, nulli gravis. Qui aliquando interrogatus, quid ei Philosophia contulerit, dicitur respondisse, ut cum omnibus hominibus intrepide fabularet.*

† Pag. 340.

Fallire, pro errare, decipi, in L. Salica, tit. XXIX, de vulneribus §. 1: *Si quis voluerit alterum occidere, & colpus* (hoc est, colaphus) *ei falluerit; vel cum sagitta toxicata eum percutere voluerit, & ei ictus fallierit*, &c. Germani similiter, ac Belgæ **faelen**, & **faljeren**. Galli *faillir*. Dubium, Germanicumne à Latino *fallere* sit; an à **vallen**, quod est labi, cadere; quomodo **val** (Gallis *faulte*) sit à **val**, lapsus.

Falsare, adulterare, παραποιεῖν. Sigebertus in Chronicis CIↃ. IV, ubi de hæresibus Græcorum: *Convictus chartam excommunicationis falsasse Michael.* Nec tamen hoc mihi admodum notæ, cùm eo utatur Modestinus L. XXXII. ff. ad legem Corneliam de falsis: *Decretoque Divi Adriani præceptum est, in insulam eos relegari, qui pondera, aut mensuras, falsassent.* Ante Adriani tamen tempora, ut puto, non fuerit in usu.

Falsificari sermo is dicitur, quem falsum esse ostenditur: falsificantur nummi, cùm adulterantur. Priori modo ait Ivo Carnot. epist. CLXXIII: *Dictum est ex altera parte, quòd possent omnes istas depulsiones veridicis assertionibus locis suis, & temporibus, falsificare.* Posteriori ratione accipit Theodericus de Niem lib. de privilegiis, & juribus Imp. *Otto fuit vindex, & justitiarius magnus; ut patet in multis ipsius exemplis; & præsertim quando Mediolanenses falsificarunt ejus monetam auream, & argenteam, injunxit eis, ut moneta facta de corio uterentur.* Idem de Schismate lib. I. cap. XXIII: *Quod ipse secretum concilium Joanna regina falsificari facere, dictoque Ottoni scribere vellet.*

Famatur, pro famâ celebratur, fertur, vel jactatur. Chronicon magnum Belgicum à Pistorio editum †: *Propter quod non exigua sacerdotum multitudo exercitum sequebatur, fratrum mendicantium, ac aliorum ordinum; quemadmodum etiam mere tricum multitudo, quarum numerus ad duo millia se extendebat, ut famabatur.*

† Pag. 416.

Famesco.

Fameſco, pro famelicus ſum, vel eſurio, deteriorum eſt temporum.

Famigero non auſim dicere; ſed pro eo famam diffundo, famâ celebro, vel ſimile. In Gloſſis tamen Latino Græcis lego: *Famigero*, διαφημίζω, *Famigerabilis*, διάδοξος. *Famigerator*, διαφημιστής. Imò *famiger* eſt Varronis: *famigerator*, & *famigeratio*, Plauti Trinummo;

Familiareſcere, pro familiarem fieri, eſt Sidonii Apollinaris.

Faſciare, pro faſciis ligare, legas apud Plinium Valerianum, & Gariopontum, non ſemel.

Ferior, pro ceſſo, non auſim dicere extra participium, quod C. Trebonius uſurpat ad Ciceronem ſcribens. Sic enim ille epiſtolâ, inter Tullianas, ſextadecimâ libri XII: *Ne putes in Aſia feriatum illum ab iis ſtudiis, in quæ tuâ cohortatione incitatur.* Pro *feriari*, malim cum Cicerone, *ferias habere*; vel *ferias celebrare*, cum Livio.

Feſto, vel *feſtivo*, ne dixeris: ſed feſtum diem ago, ferias habeo, vel celebro, In Gloſſis tamen Mſſis eſt: *Feſtivo*, ἑορτάζω.

Filare, ut vir doctus exponit, idem eſt, ac *nere*, *in fila tenuare*, *fila ducere*. Sed priùs feminæ nent; poſtea filant, hoc eſt, fila rhombo circumvolvunt. B. Odericus Peregrinationis ſuæ cap. I. §. IV: *In ea* (terra Ur) *ſunt pulchri ſenes: ibi viri nent, & filant; mulieres verò non.* Utitur Monachus verſificator:

Si mulier filas, ſi fortè cadat tibi fuſus;
Quando te flectis, fac ſit culus tibi clauſus.

Fiſſulo, vide *Fiſtulor*.

Fiſtulor apud Iſidorum in Gloſſis, pro fiſtulâ cano. At *fiſtulo* rectum. Uſus Plinius. Et Ciceroni inde *fiſtulator*. Gloſſ. Mſæ: *Fiſſulo*, συρίζω, Sed ſcribendum *fiſtulo*, quod Plinianum eſt.

Follico, intumeſco ad modum follium fabrilium, de quibus Maro VIII. Æn.

——Ventoſi follibus auras
Accipiunt, reddunt que.

De chamæleonte uſus Tertullianus lib. de Pallio cap. III: *Oſcitans veſcitur, follicans ruminat, de vento cibus.* Gloſſæ: *Follico* διασαλαχωτεύω. Græca hæc vox eſt à Salacone, Autolyci patre, luxu ac deliciis diffluente: ut διασαλαχωνίωνται propriè dicantur, qui iſtius Salaconis inſtar, languidè, & fluctuantes incedunt. At *follico* eſt à *folleo*, ut à *vello*, *vellico*; à *fodio*, *fodico*. *Folleo* autem eſt à *follis*: ut *follere* ſit turgere inſtar follis.

aëre pleni. Usus B. Hieronymus ad Eustochium: *Omnis his cura de vestibus, si bene oleant, si pes laxâ pelle non folleat.* Item Petrus Damiani lib. II. epist. III: *Nec alutam aere turgentem follere compellat.* A *folleo* item *follescere*, stulteſcere, vanum esse instar follis aëre turgentis. Et ab hac tralatione etiam stultus Gallis *fol*; nisi malis à Græco φαῦλος, malus, vitiosus. De nominibus *Follex*, & *Follicum*, suo loco vidimus.

Forconsiliare, pro malè *consulere*. Annales Francici scriptoris incerti à Pithœo editi *, in an. Ɔ CCC LX: *Nec in vita, nec in membris, neque in regno eos forconsiliabo in hoc, ut ipsi erga me similem promissionem faciant, & conservent.* In Constitutionibus Caroli Calvi tit. XXVI, in Sacramento firmitatis Ludovici Regis: *Nec in vita, nec in membris, neque in regno illorum eos forconsiliabo.* Item tit. XXVII, & XXXVI. Puto, ut posterior verbi pars est *consiliare*, pro consulere: ita priorem esse *foris*: quomodo, ut lib. II. cap. VII. dictum, *forbannitus* est foris *bannitus*. *Forconsiliare* igitur sit consilium dare, foris speciosum, intus noxium. Hoc est, siniſtra agitare consilia, de vita alicui, aut honore eripiendo. Ac firmat hanc sententiam, quod in libris nonnullis sit *forsconsiliare*.

Forisfacere, *forifacere*, *forefacere*, ex *foris*, & *facere*, videtur simile esse ac quod Belgis, **te buyten gaen**; quod penè ad verbum sonet, *foras ire*, hoc est, egredi officii limites, delinquere; quomodo etiam interpretatur Skenæus, notis ad leges burgorum à Davide, primo ejus nominis Scotiæ rege, latas, cap. IV. Nec multùm abit hoc Isidori in Glossis: *Forisfacio, offendo, noceo.* Verùm illud *foris* non respicit juris limites, vel officii cancellos: sed bonorum, vel alius, quo quis fruatur, privationem. Est enim *forisfacere*, delicto aliquo res suas sibi facere extraneas; sive aliquid facere contra leges, quod amissione vitæ, bonorum, vel privilegii, soleat puniri. Ivo epist. CLXXIII: *Cùm praditus Ivo Rodrocum dominum suum diffiduciâsset, & pradam ejus prior cepisset, homines suos eâ die, quâ captus esset, in vinculis haberet, & ad forisfaciendum eidem armata manu militum ea die procederet.* Ubi *ad forisfaciendum* valet, ad inferendam injuriam, quæ capite æstimaretur. Crebrum quoque est Thomæ Walsingamo. *Forefacere* pro eo est in Historia Albigensi cap. LXVII *. Hinc *forisfactor*, *forisfactum*, *forisfactura*. Vide, quæ Sirmondus ad memoratum Ivonis locum annotavit: item Spelmannus in Glossario. Etiam Watsius Matthæum Parisium, & Lindenbrogius ad

* Pag. 223.

LL

LL. antiquas, rem attingunt. Sed pluribus illi, quos dixi. Habent verò easdem voces Galli, *forfaire*, ex *foris facere*; *forfait*, ex *foris factum*; *forfaicture*, ex *foris factura*. Vide in Nominibus *forfactum* lib. III, cap. XII. Vocem ductam putat Somnerus Glossario suo, sub hac voce, non à *foris*, sed à *for*, & *facere*, i. *male facere*, & per translationem, *malè agendo mulctam incurrere*; illud a. *for* in Gallicis vocabulis multis idem sonare, quod *malè*, *pravè*, *illicitè*, *injustè*, vocesque fori esse, *forfaire*, *forfait*, *forfaicture*, unde *foris facere* sit delinquere, peccare, transgredi, injuriam inferre.

For judicare, à *judicandi* verbo esse, satis est apertum. Sed dubium, an prior pars sit *foras*; ut propriè notet, foras publico judicio ejicere; an verò Gothicum for, pro vor, aut ver; ut significet damnare: quomodo Germani ac Belgæ verordelen. Interim nonnihil discriminis esse inter *exilium*, *damnationem*, & *for judicationem*, usus verbi ostendit. Constitut. Neapolitanæ lib. I. tit. LIV: *Nisi fortè exulibus, vel forsitan fugitivis, aut for judicatis, præsentes alimoniam subministrent publicè, vel occultè: quo quidem in casu bona, per excellentiam nostram dimissa, præsentibus publicentur.* Lib. II. tit. III: *Bannitus, aut for judicatus:* Et tit. VI: *For judicatorum bona, veluti damnatorum, (liberos, vel parentes, neque ad tertium gradum nisi habeant) fisci nostri commodis volumus applicari.* Ibid. *Ante bannum edictum, & for judicationem emissam.* Galli similiter *for juger*.

Fragascere, pro odorem emittere fragrantem. Petrus Cellensis lib. V. epist. IV: *Sententia dubia, quæstionibus ventilata, clarescit: species aromatica pistillorum tunsione fragrascit.*

Fructifico ignotum antiquis: qui pro eo ajunt, *fructum edo*, aut *fero*, aut *fruges fundo*.

Fultrare in Gemma Gemmarum exponitur aliquid subdere lecticæ, quod eam sustineat. Deducitur à *fultrum*: ibidem dicitur, notare, quod vulgò vocamus *schragam*. Sed omnino & *fultrare* est barbarum, & *fultrum*, quod corruptum ex *fulcrum*.

Furniare, panem in furno coquere. Matth. Parisius in an. MCCLVIII: *Inveniemus eidem conventui domos convenientes, & necessarias ad brasiandum, & furniandum*, hoc est, cervisiam, ac panem coquendum.

Fustare, pro *fuste percutere*. L. Alemann. Tit. XII. § 1. Item Tit. XIII. & XIV.

CAP. IX.

De habentibus principem literam G. Galeare, *galeam imponere.* Galaparе, *equum urgere adcursum exsultantem.* Gargarare, *superbè se jactare.* Garrulare, *garrire.* Gavesco, *&* gavisо, *pro gaudeo.* Genare. *genere, sive gignere.* Geographare, *terrarum orbem describere.* Germasco, (*nisi potiùs* Germanasco) *germen produco.* Glebare, *glebam efficere.* Glossare, *interpretari.* Governare, *gubernare.* Gratare, *in aliqua re gratificari.* Gratiari, *gratias agere.* Gregorizare, *vigilare.* Grossescere, *crassum reddi.* Grutillare, *sonum instar crotali edere.* Guttare, *stillare.*

TRansgrediar hinc ad verborum illa Latino-barbara; ubi litera G initium facit.

Galeare, & *galere,* nisi posterius sit à librarii culpa, ridiculè distinguit Gemma: nempe ut prius sit galeam imponere alteri: posterius galeam induere.

Gallapare, vel *galopare,* sive *calupare,* à Gallis quidem acceptum; sed hi à Græcis habent, quibus id est καλπάζω, Hoc verò est à κάλπις vel κάλπη, de quo Pollux lib. VII. cap. XXXIII. Etiam Hesychio κάλπη, βαδισμὸς ἵππου, καὶ εἶδος ὀχήματος. Vide & Salmasium Notis in Capitolinum *.

* Pag. 345.

Gargarare, pro grandia de se promittere, vel prædicare, Thrasonum more. Matthæus Parisius in Histor. Henrici, III. ad an. CIↃCCLII: *Hæc verborum deliramenta Francis innata superbia, & jactantia, reboavit,* Francis tribuit, quod Franci Hispanis; in quibus *rotomontados* nuncupant. Vox *gargarandi* est à γαργαρεών, gurgulio, qui etiam ad vocis modulationem confert: eoque à vocabulo est γαργαρίζειν, aquam, aliumve liquorem, circumvolvere ore, atque ita fauces colluere. *Gargarare* igitur generatim foret gutture resonare: sed particulatim jactabundo sermoni attributum, quia ut absonus, ingratusque ille sonus gargarizantium; ita & oratio eorum, qui vanas de se jactant glorias.

Garrulare, garrire, à *garrulus.* Hoc verbi etiam invenio in scriptis aliquibus, quæ primorum trium dicuntur seculorum. Sed supposititia esse, ex barbarie ejusmodi non obscurè liquet. Infimæ Latinitati vox est frequens. In hac usus Thomas Walsingamus in Hypodigmate Neustriæ †: *Impertinenter garrulare cœpit, donec summus justitiarius jussit,*

† Pag. 592.

jussit, ut responderet finaliter. Agnoscit & vocabularium, quod Gemma inscribitur.

Gavesco, & *gavisо*, legas in Philoxeni Glossis: ubi utrumque exponitur χαίρω. *Gavisо* sit à supino *gavisu*; ut à supino *visu*, *visо*; à *versu*, *versо*; à *pulsu*, *pulsо*. At *gavesco* non possis ἀναλόγως formare, nisi à *gaveo*; ut à *caleo*, *calesco*; ab *ardeo*, *ardesco*. Sanè *gaveo* dixisse veteres, colligo ex præterito *gavisus*. At à *gaveo*, *gaudeo*; ut ab *aveo*, *audeo*; à *caneo*, *candeo*; à τρωτῶ, *rondeo*; à *tenno*, (quod ab Æolico τίννω, pro τείνω) *tendo*. Fortasse igitur *gavesco*, & *gavisо*, potius in obsoletis, quàm in Latino-barbaris, debeant reponi.

Genare, pro *genere*, invenias in Gemma. *Geno* est à γηνάω: à *geno* verò *genui*, *genus*, & similia. *Genere* est apud Lucretium, Varronem, Censorinum, atq; alios: uti ostensum nobis lib. IV de Analog. cap. XXIX.

Geographare agnoscit gemma, pro terram describere. Nempe ut Græci dicunt γεωγραφεῖν. Sic γεωγράζαντες, *describentes orbem*, Aristoteli, vel alii potiùs, libro de Mundo.

Germascere est apud Petrum Cellensem lib. II epist. VII: *Repentina quoq; non omnimò approbanda est amicitia; sed quæ germinat cognatione, crescit familiaritate, frondescit consuetudine, germascit cordis amplitudine, fructificat perfectâ identitate. Hic arbor fici plantanda, & circumfodienda est, ut dulcedinis fructum in agro amicorum afferat.* Ubi liquet, *germascere*, (si lectio hic sincera, quam Ludovicus de La-Cerda retinet in Adversariis Sacris) esse medium inter *frondescere*, & *fructificare*; ut quando cum flore fructus germen, sive primordium, protuberat. Quid si *germinascere* rescribamus? Nempe ut à *germen germino*; sic à *germino* sit *germinasco*. Sanè ut à *labare* est *labasco*; sic à *germinare* fuerit *germinasco*. Omnino hoc ἀναλογία requirit.

Glebare, in glebæ formam redigere: ut est in Vocabulario, quod Gemma inscribitur.

Glosare in Gemma exponitur interpretari: ut *glosator*, interpres; *glosatus*, interpretatus. Geminari sibilum oportuit. Sunt ex eo, quòd Græci γλώσσας, Latini *glossemata*, dicunt de vocabulis ξενικοῖς, & minùs notis: unde *linguam secretiorem* Quinctilianus exponit.

Governare, pro *gubernare*, ut Galli *gouverner*: quod est ex affinitate literarum B. & V. Habes in Legg. Longob. tit. I §. VI.

Gratare, pro gratis conferre, vel concedere. Charta Joannis, Ducis Britann. cIↃccxxxix*: *Insuper gratanius, & concedimus, quod hæ-*

* In Hist. de des Bret.

des noſtri, &c. *Gratiari* utitur Haymo Explicat. cap. IV ad Romanos, cùm refertur gratia.

Gregorizare, in Gemma exponitur vigilare. Pleniùs Gloſſarium noſtrum vetus in membranis Muſum: *Gregorizare, vigilare, excubare, nictare, nictitare, pernoctare, elucubrare, manubiare* †, *expergiſci*. Græcis γρηγορεῖν, vigilare. Unde proprium nomen Γρηγόριος, quod ἐγρήγορσιν ſonet Vigilantius. Ab hoc Gregorii nomine formarunt *gregoriare*, q. d. γρηγοριάζειν, hoc eſt, Gregorium imitari.

† Puto, pro manubiare, primò ſcriptū fuiſſe manicare: de quo dicam cap. 14.

Groſſeſcere eſt ex *craſſeſcere*, Columellæ, ac Plinii verbo: nempe uti *groſſus* ex *craſſus*. Beda presbyter de vita S. Cuthberti cap. II: *Subito dolore genu correptum illius, cœpit & acri tumore groſſeſcere*; hoc eſt, intumeſcere. Simile *ingroſſare*; de quo cap. XI.

Grummare, cumulare, ut exponit Gemma; à *grumus*, quod clivulum notat.

Grutillare legas apud Cæſarium lib. X. Miracul. cap. LVIII: *Ciconiæ, ---- eum crebrius grutillando circumvolantes, omnes in admirationem verterunt.* Nempe dicitur de ciconiis roſtro crepitantibus. Ex voce *crotalus*, quaſi *crotillare*; unde *crotaliſtria* hæc avis Publio Syro Mimo:

Pretaticultrix, gracilipes, crotaliſtria,
Avis exul-hiemis. - - - - - - -

Guttare, ſtillare. Gloſſæ Philoxeni: *Guttat*, στάζει. Ut Gemma: *Guttare, ſtillare*. Similiter gloſſæ noſtræ Mſæ. In quibus etiam: *Gutire, pluitare*. Recta interim *guttans*, & *guttatus*.

CAP. X.

De verbis barbaris Latino, Græcove fonte, ortis, quibus initium eſt ab H.

Habenare, *habenis regere*. Hæreditare, & hæredare, *hæreditatem adire*. Haſtiludiare, *haſtâ velitari*. Herbidare, *herbam producere*. Hiſtoriare, *hiſtoriam condere*. Hortare, *hortari*. Hoſtitare, *hoſtiam cadere*. Humiliare, & humilificare, *ſubmittere*. Hymnizare, *hymnum canere*.

DEinceps pauca adferam, quibus initium ſit ab adſpiratione.

Habenare, habenis moderari. Unde *habenatus*, habenis preſſus. Utrumque in Gemma etiam habes.

Hæreditare, & *hæredare*, ibidem, & in Gloſſis noſtris Mſſis. Latini pro eo hæreditatem adire, accipere hæreditatem. Imò & ab *hæreditate* bar-

barbari I. C. finxere *hæreditamentum*: pro quo & *hæreditagium*, & *heritagium*, usurpant.

Hastiludiare, de ludicrâ hastis velitantium pugnâ; in eâdem nihil minùs, quàm gemmeâ Gemmâ.

Herbidare, graminis herbam proferre, in Chron. Cameracensi.

Historiare, pro historiam scribere, vel posteris mandare, apud Henricum Huntingdonensem in præfat. Histor. Anglic.

Honorificare, ab *honorificus*, pro ad honorem evehere. Eâdem in Gemmâ habes.

Hortare, pro *hortari*. Philipp. Osullevanus, Bearniæ Princeps †, in vita S. Mochuæ Ballensis, sive Cronani, cap. III §. XI: *Atq; hujusmodi responso prolato omnino, quod hortaverant, facere distulit.*

† *Apud Bolland. in vitis SS. ad 1. Jan.*

Hostiare in Gemma exponitur victimare, placare. Fortasse *hostiare* rescribendum: ut ab hostia sit, uti *hostiatus*, apud Plautum Rudente *, pro hostiâ instructus.

* *Act. I. sc. 5.*

Humidare, in eâdem Gemma exponitur humidum reddere.

Humiliare se, demisso, ac supplici esse animo. Thomas à Kempis lib. IV. de imitatione Christi cap. XII: *Ille nihil aliud habeat adretribuendum beneficiis ejus, nisi se humiliando, & regratiando.* Verbis istis utuntur Itali; sed & gentes aliæ; quod de *regratiando* inferiùs parebit. Ut imbecilli nimis argumento scriptorem ejus operis Italum potiùs, quàm Belgam, fuisse, probare inde conetur Joannes Gersen, Abbas Vercellensis, Benedictinus. Ab humiliando etiam nomen datum *Humiliatis*, postquam, abjurato errore, à Clemente Papa in Ecclesiam recepti. Sed de hoc alibi.

Humilificare, submittere. Tertullianus de Pœnitent. cap. IX: *Exomologesis, prosternendi, & humilificandi hominis, disciplina est.*

Hymnizare, ὑμνεῖειν, sive ὑμνολογεῖν, apud veterem Irenæi interpretem lib. II cap. IX. Similiter liber de Miraculis S. Adelardi, abbatis Corbeiensis * cap. VIII §. XIX: *Cùm simul Ecclesiam hymnizantes repetissent.* Formatum quasi ab ὑμνίζω: quomodo Græci non solent loqui. Hinc tamen *hymnista*: qui facit hymnos; ut exponitur in Mssis Glossarii nostri membranis. In quibus & *imnio*, pro hymnum cano. Vide lib. III cap. XIV in *Hymnista*.

* *Apud Bollandi. ad 2. Jan.*

CAP. XI.

De verbis ab Ducentibus initium. Janctari, *pro jantare, seu jentare*, Jantaculare, *pro eodem.* Idololatrare, *idola colere.* Idoneare, *insontem compre-*

probare. Jectiscere, *foro dejicere, velut vadimonii desertorem.* Jectigo, *fortè sit tremulo motu agito.* Ignire, *accendere.* Illecebrare, *illicere.* Illibertare, *libertatem adimere.* Imbrico, *imbricibus tego.* Immanto, *inauguro.* Immurare, *intra muros concludere.* Impalare, *impingere in palum.* Impejorare, *corrumpere.* Implacitare, *in jus vocare.* Implagare, *plagis implicare.* Implano, *decipio.* Impostúro, *impono, fallo.* Imprósperare, *infeliciter cedere.* Inanimare, *animare.* Inaustro, *corruptum ex* inlustro. Inauxilior, *auxilii careo.* Inbeneficiare, *pro beneficium conferre.* Inbreviare, *in breve, sive acta publica referre.* Incapito *librariis culpâ corruptum ex* incœpto. Incarcero, *in carcerem compingo.* Incardinare, *majoris alicujus Ecclesia antistitem creare. Ac similiter sumi* cardinare, incardinatus, incardinatio. Incastellare, *in castellum se recipere ad defensionem sui.* Inchartare, *chartâ, sive diplomate ea, qua promiseris, confirmare.* Incibare, *cibum dare.* Incopriare, *stercore conspurcare; & κῦ μετφορὰν, convitiis impetere.* Incortinare, *cortinis, ac similibus ornamentis, ornare.* Incrementare, *augere.* Inculpo, *vitio verso.* Indeptari, *adipisci.* Induciare, *inducias inire.* Indulcoro, *edulco.* Industiare, *induere.* Inervare, *pro enervare; ut* inormis, *pro enormis.* Infiduciare, *pignori dare.* Infiscare, *fisco addicere.* Inflorare, *admiscere, qua florum instar exornent.* Influctuare, *in aliquo fluctuare.* Inforo, *litigo; pro quo &* incomitiare *dixerunt.* Infortiare, *munire.* Infrascribo, *subscribo.* Infrigido, *refrigero.* Ingrossari, *crassescere.* Ingraminare, *gramen producere.* Inhabilito, *inhabilem, ac ineptum publicâ auctoritate pronuncio.* Injuriare, *injuriam inferre.* Inlagare, *restituere eum legis patrocinio, qui antea eo fuerat orbatus.* Insellare, *ephippium imponere.* Insignare, *signare.* Installare, *stationem assignare.* Instipare, *constipare, atq; ingerere.* Insufflare, *flatu indere.* Intartizare, *adversus supremam potestatem insurgere: nempe ab* intarta *pro adversario.* Intercapedinare, *intercedere.* Interprindere, *intermedio tempore prendere, atq; invadere.* Intertiari, *apud litigantes eâ conditione reponi, ut postea, id quod repositum, victor auferat.* Intertexo, *intexo.* Intimare, *in intima insinuare: item indicium alicujus rei facere.* Intoxicare, *dare venenum.* Intronizare, *in regali, vel etiam episcopali solio collocare.* Invadiare, *oppignorare.* Invanescere, *in fumum abire.* Jocare, *&* joculari, *pro jocari.* Irrotulare, *referre aliquem in numerum advocatorum, vel aliquid adscribere in catalogo causarum.* Itinerare, *vel* itinerari, *iter conficere: uti* itineratio, *profectio.* Jucundor, *voluptatem capio.* Justitiare, *judicare.* Juventare, *juvenum mores sequi.*

Dein-

Deinceps me conferam ad barbara Latinæ, Græcæve originis, quibus initium sit à tertia vocali.

Janctor, jento. Sic Gemma, & adstruit inepto versu:

Janctamur mane, cœnamus vespere facto.

Interim verum est, dixisse *janto*, & *jantaculum*, per A: prout non modò in veteribus Glossis, sed etiam optimæ notæ Mssis invenio.

Jantaculare ibidem est pro *jantaculum* sumere.

Idolatrare, pro divinum idolis cultum præstare. Odoricus de Foro-Julii † Peregrinationis suæ cap. II §. V: *Hic populus autem idolatrat.* Nempe ut *idolatria* pro *idololatria* dixere. Et nomen, & verbum in Gemma habes: sed additur, meliùs LO syllabam adjungi.

† *In vitis SS. à Bollando editis*

Idoneare, pro *idoneum* reddere: ubi *idoneum* significat insontem, à crimine liberum: ut sæpiùs accipi à posteriorum seculorum scriptoribus solet. In his Gregor. Turon. Histor. Franc. lib. IX cap. XIII: *Sed veniens * Parisios, nullius de parte memoratæ mulieris adfuit, qui idoneum reddere posset.* Hoc est, qui ejus innocentiam comprobaret. Ac similiter sumitur cap. XIV, item Capitul. Karoli M. lib. III cap. LXXXIX. At *idoneare* pro eo est eorundem Capitul. lib. III cap. LXIV: *Si negaverit, cum duodecim suis juratoribus, se idoneare faciat.* Idem Legg. Ripuariis tit. LXVII, & LXXI; Longobard. lib. II tit. XXXV leg. IV; Legg. Alamann. tit. XLIV.

* *Proventientium vel, ubi venit.*

Jectiscere, foro dejicere, ut vadimonii desertorem. Adnunciatio Caroli Calvi apud Pistas cap. XXXIII †: *Multi inde contendunt, & se inter se jectiscunt.* Ac paullo pòst: *In tantum,---- ut suum sacramentum se jurare debere non contendant, & contra causatores suos, si ad hoc audiendum non venerint, jectiscant. Jectivus* verò is, qui adimonium deseruit. Vide, quæ dixi superiùs in *Jactivus*.

† *Capitularia Caroli Calvi tit. 32.*

Jectigo arbitrer esse à jactu, dicique à jactatione membrorum, orta ex depravatione facultatis animalis. Usurpat suppositicius Ovidius in primo de Vetula:

Sicut jectigat is, cujus nervi resoluti.

Ut à *fumus*, *fumigo*; à *clarus*, *clarigo*; sic fortasse à *jactus*, *jectigo*. Sed alii meliora conjectent, si tanti videatur.

Ignire, pro accendere. Hincmarus ad Karolum Calvum cap. XV: *Qui* (Deus) *ad orthodoxæ fidei scientiam ignivit.* Habes apud Flodoardum lib. I Hist. Rhem.

Illecebrare, pro illicere, ab illecebris, in Gemma.

Illibertare, pro *libertate exuere*, apud Nicolaum Clemargium libro de annatis non solvendis.

Imbrico, contego imbricibus, sive tegulis figuram habentibus semicanalis, vel formicis. In Glossis vett. exponitur καλυπτειζω; in aliis item ὑπογειόω. Utitur Sidonius Apollinaris lib. II epist. II, quæ ad Domitium: *Cùm ab angulis quadrifariam concurrentia dorsa cristarum, tegulis interjacentibus imbricarentur.* Non adsentio Ludovico de La-Cerda, qui *humidarentur* exponit in Adversariis sacris cap. LXXXVIII, §. XLIII. Volunt Plinium voce *imbricor* uti: fortè quia ille, uti & Vitruvius, dicant *imbricatus*. Sed hoc denominativũ videtur, ut *tunicatus*.

Immanto, valet inauguro; quasi induo manteâ, vel manto; sive pallio, aut chlamyde; ut fit, cùm quis in locum alterius inauguratur. Radevic. Frisingensis de gestis Friderici I lib. II cap. LII: *Rolandum Cancellarium immantaverunt.* Et lib. IV cap. LXV: *Accepto manto volverunt immantare Dominum Rolandum Cancellarium.* Sic *immanatus*. Idem cap. LXXI: *In Romanum Pontificem electus, & immantatus est.* Idem lib. IV. cap. LXXV, in epistola Synodi Papiensis: *Victoris immantatio prior, illa posterior.* Vulgò & *investitio* vocatur. Vide, quæ lib. III cap. XXIII dicebamus in *Mantea*, & *Mantus*. Ubi & de origine vocabulorum actum. Nec displicet, ut ambo ejusdem sint originis, sive à *mantela*, sive à μανδύας.

Immurare, muris includere. Th. Walsing. in Hypodigm. Neustriæ, anno CIↃCCXXII†: *Rusticus quidam seipsum crucifigens, & stigmata vulnerũ Christi superstitione quadam circumferens, perpetuò immuratur.*

†Pag. 461.

Impalare, In palum incurrere, sive impingere. Est in Legibus Burgundicis, tit. XXIII §. II. Ripuar. tit. LXX §. III. Longobard. lib. I tit. XIX L. X. Quæ loca satis ostendunt, id significare, quod dixi: non verò *impugnare*; prout exponunt Papias, & glossaria quædam.

Impejorare: aliquid pejus facere. In Addit. Legg. Frisonum tit. XI §. I: *Rem ejus impejoravit.*

Implacitare, in jus vocare. Usurpat Eadmerus, Cantuariensis monachus, in Historia sui temporis; cujus editionem clarissimo Seldeno debemus. Item Matth. Parisius in Stephano Rege anno CIↃCXXXVI: *Vovit, quòd nullius clerici, vel laici, sylvas in manu suâ retineret; sicut rex Henricus fecerat, qui singulis annis eos implacitaverat.* Est ab ea *placiti* significatione, quâ significat conventum indictum ad judicandum. Unde similiter *placitare*. Vide, quæ in *Placitum* dicemus, in nominibus alienâ positis significatione.

Implagare, plagis capere, sive irretire, ut *inhamare*, capere hamo. Sidonius Apoll. lib. IX epist. IX: *Mox te magistro ligati vernaculis implicaturis in retia sua præcipites implagabuntur.*

Implano, decipio, à *plani* appellatione, pro impostore. Gloss. *Plano*, ὑποπλανάομαι. D. Cyprian. etiam dicit *implanator* pro impostore. Vid. ejus carm. C. de crin. stell.

Imposturo, pro *impono*, *fallo*. Hincmar. Rhemensis ad Hincmarum Laudunensem cap. XV: *Alienis à B. Gregorio verbis impostura sti.* Atque eâdem voce idem utitur alibi.

Improsperare etiam est in Gemma. Dixerim pro eo, *non prosperare*; vel cum Columella, *improsperè cedere.*

Inanimare, pro animare, vel animos addere. Galfridus Monemuthensis lib. VIII Hist. Britann. Reg. cap. IV semel, iterumque usurpat. Atque idem lib. X cap. IX: *Deinde, maximo clamore concivium suorum turmas inanimando, hortabatur hostes irruere.*

Inaustro, φωτίζω, in Glossis exponitur. Sed optimè ὁ μαχαιρεὺς nobilissimus Guil. Noomsius, Arlandervenix dominus, vidit, legendum esse *Inlustro.*

Inauxilior, pro auxilio, atq; ope destituor, non dicimus; etsi rectum sit *auxilior.* Est tamen Sapient. XII. 6: *Et auctores parentes animarum inauxiliatarum perdere voluisti.* Græcè ἀβοηθήτων.

Inbeneficiare, pro prædium aliquod beneficii loco dare; pùta in feudum, vel hæreditatem. Burchardus Monachus de Casibus Monasterii S. Galli cap. III: *Simoniacè Ecclesias vendidit, res Ecclesiæ inbeneficiavit, thesauros dissipavit.*

Inbreviare apud Nithardum Histor. lib. IV *: *Mitterentq; per universum imperium, & inbreviaretur*; hoc est, in scripta referretur. Carolus Calvus Capitul. XI. cap. I †: *Ecclesiæ quoq; luminaria, & ornatum debitum ordinent, & thesaurum, ac vestimenta, seu libros, diligenter inbrevient, & breves nobis reportent. Inbrevient, quid quisq; Ecclesiarum prælatus, quando prælationem Ecclesiæ suscepit*, &c. Nempe est ab eâ significatione, quâ breve significat πιττάκιον; quomodo *breve Apostolicum* dicitur, & Germani inde Brief formant, pro epistola: ut pluribus dico in Nominibus falsâ significatione usurpatis. *Inbreviare* igitur est in breve, sive inventarium, sive acta publica referre. Unde *Inbreviator*, in Examinatione Willeberti, Episcopi Catalaunensis: *Inbreviator, sive descriptor stipendiorum regalium.* At, si viros quosdam doctissimos audimus, longè aliter usurpat Hincmarus Rhemensis. Hoc enim dicere

* Pag. 484 v. 24. & p. 485.
† Pag. 86.

ajunt: infantes, nisi baptizentur, inbreviari; hoc est, maledictione quadam divinâ breviculos permanere, nec adsequi staturæ decus. Ut pareat, quàm eos fugerit ratio, ponam ejus verba ex præfatione opusculi LV capitum ad Hincmarum Laudunensem episcopum: *Quia homines ejusdem villæ excommunicaverim: & habebas inbreviatos, quot infantes sine baptismate, & quot homines sine communione inde obierint: quæ mihi in publicum objicere nolles.* Quid apertiùs, quàm hîc etiam sumi, pro referre in breve, sive scripta publica? Vide & quæ in *Breve* diximus in verbis alienâ positis significatione.

Incapito, ἐπέχομαι, ut est in Glossis. Sed legendum *incæpto*.

Incarcero, in carcerem conjicio. Ita utitur Concilium Pisanum *. *Pag. 1330.

Incardinare, certo Ecclesiæ cardini, sive titulo adstringere. Quomodo, qui Ecclesiæ alicui adnexi forent, dicebantur *in cardine constituti*. Ut in Capitibus Karoli ab Ansegiso collectis lib. I cap. CXXXIX: *Diaconus, in cardine constitutus, nisi* XXXVII *testibus non damnabitur*. Hinc liquet, unde *Cardinales* Romæ sint vocati. Primitus tamen non solùm Romani presbyteri, vel diaconi; sed etiam primi aliarum civitatium sacerdotes, quibus nempe titulus, sive parochia, foret commissa, *cardinales* dicebantur. Itaque *incardinare* non erat creare cardinalem Romanum; sed ἁπλῶς in cardine Ecclesiæ constituere, hoc est, majoris alicujus Ecclesiæ antistitem creare. Flodoardus Histor. Rhemensis lib. III cap. XXIX: *Petente clero, & plebe provinciæ Turonensis, convenientibus Episcopis, in eâdem Metropoli fuit incardinatus.* Similiter lib. II cap. XXI, & lib. IV cap. VI. Ac tribus amplius seculis antiquior Gregorius Magnus lib. II epist. XXV: *In hac, in qua à nobis incardinatus es Ecclesia, debeas permanere.* Qui & simplex *cardinandi* vocabulum usurpat lib. V epist. III ad Fortunatum, Neapolitanum episcopum: *A nobis petiisse recolimus, ut Gratianum, Ecclesiæ Venefranæ diaconum, tua concederemus Ecclesiæ cardinandum.* Adrianus Papa in privilegio concesso Arctardo, Nanneticæ Ecclesiæ Episcopo: *Quo* (pallii decore) *cùm fueris, auctore* DEO, *nostroque decreto, aliquem vacantem adeptus episcopatum, scias à nobis te eidem stabiliter incardinatum.* Etiam *incardinatio* apud Gregor. legas lib. I epist. LXXXI. Plura si voles, adi Sirmondum ad verba illa Ivonis epist. CXXXI: *Qui ei legitimè incardinatus est Ecclesiæ.*

Incastellare, castello munire, sive in castelli formam redigere, apud Othonem Frisingensem de gestis Friderici I. lib. VII. cap. XXXI. Thomas

mas Walsingamus in Henrico V †: *Ioannes se Ecclesiæ incastellavit, & inforticavit.* Hoc est, ad sui defensionem, templo, velut castello, se inclusit, ac munivit. † Pag. 383.

Inchartare, chartæ committere, donationem suam tabulis sancire. Matthæus Parisius: *Rex Gasconiam fratri dedit, & inchartavit.*

Incibare, σιτίζειν. Vetus Juvenalis interpres sat. x. 230: *Ut pulli hirundinis, quæ pleno ore volat, dum incibat filios suos.*

Incopriare propriè est alium fœdare stercore, quod Græcis κόπρος: unde & *copreis* nomen apud Suetonium in Claudio: *Interdum ferulâ, flagrove, velut per ludum, excitabatur à copreis.* Ubi Beroaldus *topreis* malebat; sed recta est lectio omnium Mssorum, quam & expressere vett. editiones. Inde & S. Cyprianus, κατὰ παροιμίαν, dicebatur à malevolis *Coprianus.* Cæterùm *copreis* non est à recto *coprius*; quod putavit Ludovicus de La-Cerda in Adversariis Sacris lib. CXLI: sed à *coprias*; uti Græcè, ὁ κοπρίας. *Coprias* igitur dicendum in recto: eoque significatur scurra, cujus est alios convitiis, velut stercoribus, impetere. Unde Isidorus in Glossis: *Scurrula, qui incopriat.* Hoc est, dicteriis impetit, & scurriliter exagitat.

Incortinare, pro cortinis, aulcis, tapetibus exteriùs suspensis plateas exornare, ad lætitiam festâ die testandam. Matthæus Parisius an. CIↃCCLIX: *Præcipit Rex, acclamante Londini prætore, ut civitas mundata stipitibus, truncis, luto, & fimo, incortinaretur; & amotis omnibus, quæ possent oculos intuentium offendere, multipliciter eam facerent novitatibus resplendere.*

Incrementare, incrementum dare. Sic II. ad Corinth. III, pro illo, ὁ αὐξάνων Θεὸς, apud B. Augustinum est, *Dominus, qui incrementat.*

Inculpare, pro *culpare, culpæ arguere*; sive, ut in Gemmâ exponitur, increpare, accusare. Sed metuo, ne barbarum sit.

Indeptari, ab *indeptus*, quod ab *indipiscor*; uti hoc ab *apiscor*, unde *aptus*, & *adipiscor*. Itaque *indeptari* idem ac *apisci, adipisci, indipisci*. Usus, puto, Lucifer Calaritanus ad Constantium Imper. lib. II, pro S. Athanasio. Vulgò istic legitur: *Conspicis interea mandâsse Apostolum, ut vos, veritati resistentes, indentemini Episcopi interventu, ut per sanam doctrinam vestra punita esset blasphemia.* Ubi Ludovicus de La-Cerda legit *integerrimi: nam*, inquit, *indemtemini quid sit, me latet.* Vide eum si in Adversariis Sacris cap. XLVI, & XIV. Sed ne sic quidem sententia constabit: quæ plena erit, si legamus *indeptemini*, hoc est, consequamini, indipiscamini.

Induciare, pro facere, vel pangere inducias, etiam in Gemma est.

Indulcoro, dulce reddo. Onomasticon, *Indulcor*, ἡδύνω. Cn. Mattius apud Agellium pro eo *edulcare*. Tertullianus *indulcare*, lib. adverſ. Jud. cap. XIII. Vide, quæ cap. VI. dicebam, verbo *Dulcorare*.

Induſiare in Gloſſis noſtris Miſſis exponitur *induere*. Nempe quâ formâ *induſiatus* eſt apud Plautum.

Inervare quarto, quinctoque, à Chriſto ſeculo dixere, pro *enervare*: unde & prima erat porrecta. Ut apud Prudentium hymno poſt jejunium:

Humor in venis dominetur ægrum
Corpus inervans.

Sic vett. libri, ut clariſſimo Salmaſio obſervatum ad Spartiani Ælium Verum. Item lib. II. adverſus Symmachum:

— — Ne torpens, & non exercita virtus
Robur inervatum gereret ſine laude palæſtræ.

Atque idem Salmaſius ſimiliter in veteri libro reperit apud Aldhelmum de Virginitate:

— — Flammis combuſſit inormem.

Ubi *Inormis*, pro *enormis*: uti & Spartianus *inormior*, pro *enormior*. Atque hæc, poſt Salmaſium, etiam monita Ludovico De La-Cerda in Adverſariis Sacris cap. CXXXIV, ſect. XIII.

Infiduciare, pro oppignerare, obligare, in Legibus Longobardicis, cùm alibi; tum lib. II, tit. XXIX, L. II: *Si infans res ſuas cuicunque vendiderit, vel infiduciaverit*. Similis compoſitio in *diffiduciare*: ſed ſignificatio diverſa; ut vidimus cap. VI.

Infiſcari, fiſco regio addici, vel adjudicari. Flodoardus lib. I. Hiſt. Rhemenſis cap. XXIV: *Quod ubi Rex annuiſſet, audiens Domnus Hincmarus Præſul, qui ſedem tenebat Eccleſiæ Remenſis, hanc infiſcari villam, regalis præcepti chartam, in archivo hujus Eccleſiæ repertam, dationis hujuſce ſeriem continentem, Carolo mittit*. Etiam habes in Legg. Alamann. tit. XXV, & apud Baldericum Noviomenſem in Chronico Cameracenſi lib. II. cap. XVIII.

Inflorare idem ſit, ac deflorare, ſive flores decerpere; ſi audimus Ludovicum de La-Cerda in Adverſariis Sacris cap. LXXV, §. IX. Sed fallitur. Nam *deflorare* quidem eſt flores decerpere; unde Anaſtaſio bibliothecario *defloraciones* dicuntur opera ex aliis decerpta, inque unum corpus congeſta. Sed *inflorare* eſt ſertis ſive corollis ex herbis immiſcere

scere flores: quomodo campi non toti floribus constant, sed in gramine flores resplendent, ut stellæ in cœlo. Etiam καὶ μεταφορᾶν multitudini viri inflorantur clari, ut turba sit honoratior. Odo Cluniacensis Abbas Sermon. de S. Benedicto: *Nam non quique pagenses, verùm etiam plebs urbana, nobilibus viris conserta, clericorum etiam honestis quasi inflorata personis, lætabunda conflavit, & commune patrocinium devota requirit.* Nobiles ait consertos, honestos clericos inforatos; ut satis liqueat, alludere ad serta, quibus flores inserti.

Influctuare habes in oratione S. Galli. Nempe ut à *fluo* obtinet *influo*; sic à *fluctuo*, *influctuo* formarunt.

Inforare Isidoro in Glossis exponitur, *in foro placitare*: hoc est, litigare. Nam *placitum* posterioribus seculis idem ac forum, sive locus, ubi causas agerent. At veteribus *inforare* tum *perforare* notabat, tum in forum vocare: quâ ambiguitate verbi lusit servus nequam Curculione. Ac ibidem *incomitiare*, pro in comitium vocare, dicitur. At Latinobarbari *incomitare*, vel *incomitiare*, usurparunt pro litigare in comitio, hoc est, foro. Nam *comitium* pro *foro* dixisse, alibi ostensum nobis.

Infortiare pro fortius, & munitius reddere. Richardus rex Angliæ in Charta de pace Exolduni inter duos Reges anno clɔcxcv*: *In uno, & eodem pacto erimus nos, & Comes sancti ÆGidii, quòd nos tenebimus totam terram, quam tenebamus in vigilia sancti Nicolai, & faciemus, & infortiabimus in terra nostra, quam tunc tenebamus, sicut voluerimus, tanquam de nostra.* Charta regis Angliæ Henrici II, & ejus filiorum, apud Hovedenum in anno clɔclxxiv: *Castella, quæ firmata sunt, vel infortiata, postquam guerra incepit.* Hinc Digestum infortiatum.

Inforticare, est apud Walsingamum. Verba adduximus superiùs in *Incastellare*. Sed puto, & illic legendum, *infortiare*: de quo proximè dictũ.

Infrascribo, pro *suppono*, *subscribo*, non dixero.

Infrigido displicet, pro *refrigero*.

Infurcare, in Glossis Mssis nostris exponitur *suspendere*.

Ingraminat, in gramen erumpit. Ita Pythœana ex variis Glossis excerpta.

Ingranare, grana in horreum reponere; ut interpretatur Gemma.

Ingrossare in eâdem est Gemmâ, ac aliis, pro crassescere, vel etiam grandescere. Similis farinæ est *grossescere*: de quo cap. IX.

Inhabilitare, publicâ auctoritate aliquem pronunciare, ac reddere inhabilem, vel ineptum muneri cuipiam, vel dignitati sustinendæ. Sic *inhabilitatio*, in Promot. Concil. Pisan. sess. VI.

Inho-

Inhonoro etiam Tertullani est libro de Testimonio Animæ. At Ovidius pro eo *inhoneſto*; alii honorem imminuo, infringo, & aliter.

Inhumanicare, in membranaceis Glossis nostris exponitur vim inferre. Nempe ex eo quod Cicero dicit *inhumanè*, vel *inhumaniter facere*.

Injuriare, pro eo, quod Tullius, & alii, injuriam alicui inferre, vel facere. Cæsarius Heisterbach. lib. VI. cap. V †: *Misericordia viſceribus ita abundavit, ut ſuſtinere non poſſet, in quantum vetare potuit, ut aliquis caderetur, vel injuriaretur.* Agnoscit & Gemma. Inde *injuriator* est in Concilio Pisano II †.

† Pag. 449. edit. Bircmannica.

* Pag. 133.

Inlagare, pro *inlegare*, hoc est, exlegem restituere patrocinio legis: uti *exlegare*, exlegem reddere. Per A *inlagare* dicitur, ut Saxonibus *lage*, pro *lege*. Vide Spelmannum in *inlagare*, *inlagatus*, & *exlagare*.

Inſellare, in Gemma, ac variis, legas, pro strato equum ornare, vel equum ephippio sternere.

Inſignare, pro σφραγίζω, apud Juvenalis interpretem sat. X. 55.

Inſtallare est stationem adsignare. A *ſtallum*, pro statione: quod factum è *ſtabulum*. Sic Germanis, & Belgis, **ſtal-meeſter**, stabuli magister, sive præfectus; qui & *Comes ſtabuli*.

Inſtipare, pro stipando confertim ingerere, apud Plinium Valerianum.

Inſufflare, apud eundem, pro flando ingerere. Simile est *exſufflare*, spiritu difflare: de quo dictum cap. VII.

Intartizare, pro *antartizare*, est ab *antarta*, quo usus incertus in vita S. Martinæ †: *O Alexander, antarta Chriſtianorum.* Est planè Græcum ἀντάρτης, adversarius διὰ τὸ ἀνταίρειν, quia se adversus alium attollit tyrannus, qui contra regem insurgit; ut Hesychius exponit. *Antartizare* igitur, pro quo dixerunt *intartizare*, significat insurgere contra aliquem, ejusque imperium invadere. Sic usus Anastasius de vitis Pontificum, ubi de Adeodato Pontif. LXXVIII: *Hujus temporibus Mezzetius, qui erat in Sicilia cum exercitu Orientali, intartizavit, & arripuit regnum.* Ubi quidam *tyrannizavit* reponunt. Sed sequitur mox: *Et multi ex judicibus ejus truncati, perductiſunt Conſtantinopolim, ſimul & caput ejus intarta.* Etiam Abbo Floriacensis in vita ejusdem Pontif. cap. LXXIX. sic scribit: *Arrepto regno intartizavit, & exercitus Italiæ per diverſa fugit, quousque, Deo auxiliante, idem interemtus eſt, & caput ejus intartâ Conſtantinopolim perductum.* Ubi itidem legendum puto, *intarta*, hoc est, tyranni, sive ejus qui imperium invaserat. Nam *Intarta*, pro *antarta*, τῦ ἀντάρτυ.

† In Vitis Sanctorum apud Bollandum sect. 10.

Inter-

Intercapedinare, intercapedinem sive intervallum facere. Ursio, Abbas Altimontensis, in vita S. Marcelli Papæ lib. II. cap. III. §. X: *Intercapedinante etiam tantummodo noctis spatio, addidem rediit spatium.* Sic *intercapedinatus* in Glossis nostris membranaceis.

Internectare, occidere; ut *internectus*, occisus. Ita Glossæ eædem. Nimirum ejusdem est originis ab *interneco*; unde & *internecio*, & *internecinus*.

Interprendere, vel *interprindere*, signat, intermedio tempore prindere seu prendere, hoc est, invadere, atque usurpare. Carolus Calvus tit. XXVIII, sive edicto in Garisiaco, cap. extremo: *Nec lex est, ut, sicut audivimus aliquos interprendere, advocatus Francus suam legem; sed coloni, vel servi, de sua advocatione legem componant.* Atque hinc *interprisum*. Hincmarus Ludovico Balbi filio: *Ut sicut in nomine interprisum est; ita sit & in ambasciato.* Vide *misprindere*, lib. II. cap. XXIV: & quæ de *preprindere* inferiùs dicemus.

Intertiari dicitur, quod apud sequestrum deponitur; sive quod, duobus sibi aliquid vindicantibus, tertio datur adservandum, ut postea auferat, cui ab judice, vel arbitris, res fuerit adjudicata. Habes in L. Salica tit. XXXIII, & XLIX; Capitul. Karoli M. lib. III. cap. XLVI, & lib. VI. cap. CCIX; Legg. Inæ Missis cap. LXXIV, apud Spelmannum; item LL. Eduardi Confess. cap. XXV. Habes & in Chartis Ducum Normanniæ, & Regum Franciæ. Uti ea, quæ inscribitur, Stabilimentum Communiæ Rothomagi, & Falesiæ, & Pontis Audomari †: *Si contigerit aliquem intertiare aliquid de suo super latronem, vel falsonarium, in Rothomago, vel castello Falesiæ, captum, & convictum; & possit ostendere legali testimonio vicinorum suorum, esse, quod clamat: reddetur ei latro* &c. Vide, quæ superiori libro cap. XVI. diximus in *Intertiata*. Dicitur vera significatione, censente Somnero, *intertiari*, quod quis penes alium deprehensum sibi vendicat à possessore, ut suum, de quo pluribus in Glossario. † Pag. 1066.

Intertexo licet multis usitatum, longè tamen malim *intexo*.

Intronare, vide *introna re*.

Intimare, intimum facere: ut cùm quid alteri infunditur, vel infigitur. Solinus cap. XLV: *Inde usque dum mari intimatur, Nili nomen tenet.* Ac similiter Ammianus Marcell. *Oceani gurgitibus intimatur.* Tertulliani verò est de habitu muliebri: *Nullus clavus argentum intimat tabulis.* Κατὰ μεταφορὰν etiam dicitur de animo, ac cogitationibus. Appulejus de Philosophia: *Constantem facit eum, cui fuerit fideliter*

intimata. Item: *Immensitati mundi, volucrique curriculo cogitationum nostrarum nos pernicitas intimaret.* Est & altera significatio, quam indicat Glossarium Philoxeni; ubi est: *Intimare*, Τνωείσαι, ἐμφανιῶσαι. Item quæ Cyrilli dicuntur, quia Cyrilli operi in Mso jungerentur: Ἐμφανίζω, *allego, intimo.* Glossæ nostræ Mss: *Intimare, demonstrare, patefacere, enucleare, indicere* &c. Gemma: *Intimo, notifico.* Capitolinus in Divo Vero: *Ut priorem Verum intimandum legentibus darent.* Sive, ut Salmasius legit, *intimatum darent*, hoc est, intimarent; sicut *effectum dare*, pro *efficere*, Martianus Capella lib. VI: *Quæ etiam ipsos edocui, quod nunquam fere accidit, Romuleis, ut potero, vocibus intimabo.* Ac lib. VII. *Cuncta ejus auribus intimavit.* Ac deinceps alii passim: in his Aimoinus de gestis Francorum lib. III. cap. LXII, Ivo Carnotensis epist. L. ad Richerium, Senonensem Archiepiscopum, & epist. XCV, CXXVIII, & CLXXXI.

* *In vitis SS. ad 2. Jan.* Uti & S. Gerardus*, abbas Sylvæ majoris, in Vita S. Adelardi abbatis Corbeiensis cap. III: *Studebat Imperatoribus scriptis intimare.* Hinc *intimator*, pro delatore, apud Capitolinum in Pertinace: & *intimatio* in Stylo Curiæ Parlam. cap. IV. Eos verò, qui arbitrantur, *intimare* ipsius esse Livii lib. IV. ab. V.C. corrupta lectio decepit; cùm in melioribus libris pro *intimâsse filio*, sit *instituisse.*

Intitulo barbarum, pro inscribo. Vide, quæ inferiùs in *Titulo* dicam.

Intoxicare in Gemma, & apud varios legas, pro venenum dare bibendum, toxico dare letho. Ex tam multis suffecerit Henricus, rex Angliæ, apud Petrum Blesensem epist. CXXXVI: *Sic familiarium meorum animos intoxicavit clandestina conjuratio.*

Intronizare, vel potiùs *Inthronizare*, propriè est regem creare, inque regali solio collocare. Quomodo cùm alibi sæpe legas, tam apud Joannem Majorem de Scotorum gestis lib. IV. cap. XVII: *Licitum est regem ambiguum in simili casu exauctorare, & ambiguum inthronizare.* Sæpius verò sumitur pro inaugurare episcopum, tralatione à throno regum ad solium Episcopale. Nota potestatum mundanarum, & Ecclesiasticarum dignitatum, collatio; quæ exstat apud Walafridum Strabonem cap. ult operis de rebus Ecclesiasticis. Usus sic eâ voce Flodoardus Historiæ Ecclesiæ Remensis lib. IV. cap. XXXIII: *Sicque Reges cum episcopis, & principibus, ingredientes urbem, domum Arnoldum præsulem, qui dudum fuerat ejectus, iterum inthronizari fecerunt.* Similiter Luitprandus de vitis Pontificum †, & Ivo epist. CLXXXIX. Item Petrus Damiani epist.

† *Pag. 20.*

epist. IX *: *B. Valerius Episcopus, dum sibi providet successorem, magnum Augustinum Hipponensi Ecclesiæ intronizat Antistitem.* Hebernus in præfatione Miraculorum S. Martini: *In sede episcopali sublimavit Hebernum senem, sanctum beati Martini monasterii abbatem, & ministrum.* Et eâdem: *Consulem Ingelgerium intronizaverunt, & defensorem Ecclesiæ fecerunt, & tutorem omnium possessionum ejus, ubicunque essent, delegaverunt.* Item Beka in vita Theodardi episc. v. Et Chronicon Reichersbergense *: *Convocans Imperator omnes Episcopos, in hunc eos consensum induxit, ut omnes Victorem Papam susciperent: & statim sequenti die* II. *Kal. Februar. ab ipso Imperatore susciptur, & intronisatur.* Gemmæ auctor, cùm dixisset, *intronizare* esse idem, ac novum Episcopum in templum inducere, addit: *Potest etiam pertinere ad mulieres, quæ, post partum,* (Ecclesiæ) *introducuntur.*

* Pag. 17. ed. Paris. 4. 1610.

* Pag. 199.

Invadiare, sive *invvadiare*, est vadio sive vvadio supponere; ut loquitur Guntherus in Ligurino. Latinis id est oppignerare; quia *vadium*, sive *vvadium*, nunc pignus notat, nunc mulctam; ut abunde dictum libro superiori cap. LIV. Leges Longobard. lib. I. Tit. XIV. Leg. X: *Semet ipsum invvadiare studeat, usque dum plenam compositionem adimpleat.* Similiter Burchardus de Casibus S. Galli, cap. XI: *Possessiones pro CXC. marcis, & libris denariorum, invadiavit, vel etiam infeodavit.* Guiljelmus Neubrigensis lib. III. cap. XII: *Si reditus suos antè invadiaverit.* Ab *invadiare* est Gallicum *engager*; ut à *vvadium*, vel *vadia*, est *gage*. Sanè *invadiatus*, qui vadibus, obsidibus, vel fidejussoribus datis, dimissus. Sic usus Ingulphus Saxo in Historia Croiland. *Ut suspectus de aliquo latrocinio per suam centuriam, vel decuriam, vel condemnatus, vel invadiatus, pœnam demeritam, vel incurreret, vel vitaret.* Simile est *revvadiare*; de quo inferiùs. Hinc Salmasio de modo usurarum c. 14. p. 587. deducantur ἀντιβαδιαζαι. Vid. Goldasti Notæ in Burchard. c. 11 p. 219.

Invanescere, in Gemma, & alibi, pro vanescere, in fumum abire.

Invectare, portare. Sic veteres Glossæ nostræ mss.

Ioco, pro *jocor*, non facilè hoc ævo aliquis dixerit. Sed in superioribus seculis sæpius se offert.

Ioculari, jocari, à *joculus*, pro jocus. Suppositicius Ovidius in primo de Vetula:

— — *Sicut agant pastores, cùm joculantur.*

Agnoſcunt & Gloſſæ noſtræ Mſcriptæ. *Ioculatores*, circulatores, Gauckler/ludiones.

Irrotulare, inſcribere, vel digerere in rotulam, hoc eſt, catalogum cauſſarum. Is enim dictus Latino-barbaris *rotula*, ἐκτικῶς, à *rota*: ut Belgis rol, quod vocabulum eſt vetus pro *rota*. Bractonus lib. 1. cap. 11. num. 11: *Et ſuper his acta conficienda, ſive irrotulationes.* Cur *rotæ* deciſiones, & auditores, dicamus, meliùs referetur in alienâ ſignificatione uſurpatis.

Itinerare, vel *itinerari*, pro iter facere, in Capitularibus Caroli M. & Ludovici Pii, lib. v. cap. cxxx, & lib. vii. cap. cc: item apud Notkerum, ſeu monachum Sangallenſem. Præterea Petrum Cellenſem lib. iii. epiſt. iii: *Itinerantibus per deſertum ad viam trium dierum.* Adhæc Theodulphum cap. xxiv, atque alios. Sic vox eſt forenſis *itineratio*, pro circuitu eorum, qui per terras ſibi commiſſas iter capeſſunt ad munia juſtitiæ obeunda. Sed *itinerare* non arbitror inveniri apud quemquam antiquiorem Appulejo.

Iucundor, pro *oblector*, vel *jucunditas mihi eſt*, vel *in voluptate ſum*; quæ Tulliana ſunt; reperias non modò apud vulgatum Bibliorum interpretem, ac B. Auguſtinum in xviii. de Civitate Dei, ſed Lactantium etiam lib. iv. cap. vi: *Quotidie autem jucundabar ante faciem ejus*, hoc eſt, ἡσυχαζόμην. De filio Dei ſermo eſt. Sed claſſici ſcriptores id verbi neſciunt.

† Pag. 206. *Juſtitiare*, pro *judicare*. Philippus Gall. Rex in Edicto de Feudis †: *Nec in præjudicium noſtri, vel feudatariorum noſtrorum, dominari, vel juſtitiare, permittantur.* Ut verò ab *amare*, vel *amatum*, *amabilis*; ſic à *juſtitiare*, ſive *juſtitiatum*, *juſtitiabilis*; de eo qui in jus vocari poſſit. Idem Rex in Edicto de Offic. &c. *Hoc perpetuo prohibemus edicto, ne ſubditi, ſeu juſtitiabiles prælatorum baronii, aut aliorum ſubditorum noſtrorum, trahantur in cauſſam coram officiariis noſtris.*

Iuventare, à juventa, νεωτερίζειν, ut exponitur in vett. gloſſ. *Iuvenari* eſt apud Horatium, pro juvenum more agere.

CAP. XII.

De verbis inchoantibus ab L. Laceſſio, *laceſſo*. Lanare, ἰεροφόρον *ſive lanigerum eſſe*. Lanceari, *lanceâ*, *vel aliter vulnerari*. *At* lancinare *idem*, *ac* lacerare; *ut* lancinator, *carnifex*; *deque verbi ejus origine*. Lauſare, *laudibus ornare*. Libertare, *libertate donare*. Licentiare, *dare licentiam abeundi*. Licere, *implicare*, *ut in licio ſit*. Lido, *allido*.

Liti-

Litigor, *litigo*. Lituro, *deleo*. Livoro, *lividum, aut lividulum facio*. Lixo, *coquo*. Logicare, *ratiocinari, sive dialecticorum more disserere*. Longo, *longius reddo*. Loquacito, *loquacitate utor*. Lucifico, *luce illustro*.

HInc me conferam ad ea verba à Latinis, vel Græcis, barbarè deducta, quibus initium facit liquidarum princeps.

Lacessio, pro lacesso. Scriptor de Vetula, ineptè Ovidius dictus, lib. I:

Mittere furonem, qui dente lacessiat ipsum.

Lampare, pro lucere, sumitur; ut ostendimus lib. I cap. XXIII.

Lanare, lanâ vestiri. Glossæ Mss: *Lano, as*, ἐριοφορέω. Notum istoc Virgilii: *Sic vos non vobis vellera fertis oves.* Id Græcè sit, ἐριοφορεῖτε, sive Latino-barbarè, si rectè sit in Glossis, lanatis.

Lanceari, propriè lanceâ vulnerari, & extensâ significatione, etiam vulnerari aliâ re. Priori modo accipit Petrus Blesensis serm. XLI: *Vides DEUM, & hominem, coram te in cruce pendentem, ---- inclinato capite mortuum, in dextero latere lanceatum.* Idem serm. I. ad Monachos: *Crucem sibi bajulans, inter sceleratos deputatus, in ligno extensus, clavis confossus, post mortem lanceatus.* Ac similiter in eâdem re serm. XXXIII. Item Cæsarius de Miraculis lib. X cap. XX: *Semel adhuc mortalis crucifixus, atq; lanceatus est in terris.* Posteriori modo sumit Matth. Parisius in anno CIↃ CXCII: *Tot missilium ictibus impeti, tot jaculis lanceari. Lanceatus*, pro lanceâ perfossus, etiam apud Julium Firmicum legas. At in Onomastico Latino-Græco *lanceatus* exponitur λογχωτὸς: quod est lanceâ instructus. Aliud verò *lanceare*, aliud *lancinare*. Illud est lanceâ ferire: hoc secare, concidere. Nec tamen à lance est, quia lance dividimus: sed à Dorico λαχῶ, unde & λαχίζω, & Latinum *lacero*, quod idem notat. A *laco* est *lacino*, ut à *suffarcio, suffarcino*, à *lurcor, lurcinor*: cujusmodi plura attulimus lib. III de Analogia cap. XLVI. N verò insertum, quomodo à πήγω, sive *pago, pango*. *Lancino* igitur fuerit lacero, dilanio. Arnobius lib. I adversus Gentes †: *Æthiopicis solibus Isis furva mœrens perditum filium, & membratim conjugem lancinatum.* Quid hic aliud *lancinatum*, quàm *laniatum, ac discerptum?* Hinc *lancinator*, pro carnifice. Flodoard. Hist. Rhemensis lib. IV cap. LII: *Eodem tempore, quo hæc sacra virgo passa est, lancinator ejus Ricionarius per urbem Remorum transiens, & quosdam Christianos ad culturam dæmonum compellens, ut eos superare nequivit, trucidari præcepit.*

† Pag. 25. edit. Paris. anno 1605.

Lausare, laudare; *lausans*, laudans: ut est in veteri Vocabulario. Sed barbara sunt.

Libertare, libertum facere, in LL. Wisigothicis lib. XII tit. II. L. XIV.

Licentiare, pro dimittere, vel licentiam, sive veniam abeundi dare, missum facere, *libertatem concedere, potestatem facere.* Guillelmus Parisiensis de septem Sacramentis cap. XIV: *Propter hoc* Missa *dicitur, quia Sacerdos per Angelum preces mittit ad Deum.* Et postea: *In fine Diaconus populum* licentiat, *dicendo:* Ite Missa est, *sc. hostia ad Deum per Angelum.* Joann. Throcius Chron. Hungar. lib. II cap. LIX: *A nobilibus Hungariæ licentiatus est.* Et ante eum sic usi Dionys. Carthusian. in Ecclesiasticum; Cæsarius Haisterbachius, Matth. Paris. & paullò Throcio antiquior Thom. de Kempis, lib. II de Imitat. Christi cap. VIII: *Omnibus*, inquit hic, *evacuatis, & licentiatis, solus cum solo uniaris.*

Licere, penultimâ correptâ, *implicare* notat; ac est à *licio*, quo stamina utrimq; ligantur, & implicantur. Sic quidem Perottus: *Veteres* LICERE *implicare dicebant, à licio; quod est filum, quo in tela textrices implicant stamen.* Eandem verbi *licere* significationem agnoscit vetus Vocabularium. Sed non *licere* à *licio*; verùm *licium* à *licere* deducit. *Licium*, inquit, *filum innodatum telæ, per quod stamen trahitur, & licitur.* Atqui verbum *licere* non vetus est, quod Perottus putat: sed commentitium, ac scriptoribus Romanis, etiam veteribus Grammaticis, ignotum. Etymon verò *licii* meliùs perspexit Isidorus; qui lib. XIX cap. XXIX, *licium*, quasi *ligium*, ait dici: quia eo stamina ligentur. *Licium* per C in usu remansit, more antiquo, quo C pro G scribebant: ut ex Columna Duilliana, & vett. Grammaticis, alibi ostendimus.

Lido, pro allido, humi affligo, est in Legg. Bojorum tit. III. L. I. Sed barbarum est; etsi & in Onomastico sit, *Lido*, κρούω: & Perottus putârit, *allido*, & *elido*, esse à *lido*; hoc à *lino*. Omnino enim sunt à *lædo*; ut *incido*, & *occido*, à *cædo*.

Litigor, pro *litigo*. Utitur lex Salica. Item Ludovic. Imper. cap. XI: *Et is, qui cum eo litigatur, si velit, sequatur eum in patria sua, ad recipiendum illud sacramentum.*

Lituare, lituram facere, delere, expungere. Sidonius lib. IX epist. II, quæ ad Faustum, Regiensem episcopum: *Tunc certiùs te probâsse reliqua gaudebo, si lituràsse aliqua cognovero.* Etiam *lituratum agrum*, legas in veteri inscriptione, quæ in Collectaneis Gruterianis est pag. CCVIII. Onomasticon: *Lituro*, ἀφανίζω.

Livorare, ita ferire, ut caro liveat, sive livescat. Legas apud Marculfum lib. I form. IX, XXIX, & XXXVII. Item Formularum Roman. cap. XXXI:

XXXI: *Me malo ordine adsalvit, vel livoravit.* In formulis solemnibus à Lindenbrogio editis habes form CXI.

Lixo, pro coquo, agnoscit Forum Romanum, ac Calepinus. Imò & in veteri Onomastico est: *Lixo*, ἑψέω. Similiter vetus Vocabularium: *Lixare, in aqua sola coquere.* Acidem agnoscit composita hæc: *Collixare, simul lixare*; *elixare, valde lixare*; *relixare, iterum lixare.* Ex quibus *elixare* non refugit Laurentius Valla. Sed apud veteres, ac probos Latinæ linguæ auctores, non invenio.

Logicare, quasi λογικίνειν, vel *logicissare*, à *logicus*: quâ formâ à ῥήτωρ dicimus ῥητορίνειν & *rhetorissare*. Nicol. Monachus ad Petrum Cellensem, qui S. Bernardi, ac Petri Cluniacensis (uti & Hugonis, ac Richardi de S. Victore) σύγχρονος fuit. Locus est in epistolis Petri Cellensis lib. IX. epist. IX: *Lapis itaq; lapidem offendit in eo, quod dixi*; *Virginis ipsius animam pertransivit gladius*; *non solùm olim in filii passione*; *sed etiam nuper in conceptionis suæ condemnatione. Et ironico typo, subsannans hic bonum dormitâsse Homerum, Aristotelico more logicat.*

Longo, longum facio. Onomasticon: *Longo*, μακρύνω. *Prolongo* Senecæ ac Plinii est.

Loquacito, garrio, loquax sum. Onomasticum: *Loquacito*, ἀπερμολογῶ.

Lucifico, illustro, lucidum reddo: quâ formâ dicimus *clarifico*. Gloss. Mss: *Lucifico*, φωτίζω.

CAP. XIII.

Accessum ad ea, qua ab M initium ducunt. Magistrare, *obire munus magistri.* Mammo, *nutrio.* Mancare, *mutilare.* Manicare, *manè exire.* Mannire, *corruptum ex monere.* Manubiare, *manubias facere.* Martyrizare, *vitam oppetere pro veritate Christianâ*; *vel ob Christum professum crudeliter necare.* Masticare, *manducare.* Matrimoniare, *pro in matrimonium ducere.* Mensuro, *metior.* Mercandizare, *mercari.* Minare, *propellere.* Mingere, *mejere.* Minuare, *minuere.* Minutare, *in minutias redigere.* Misculare, *mittere*: *sed* commisculare *potiùs pro commiscere.* Modifico, *modum constituo.* Mœro, & mœstifico, *mœrorem adfero.* Molesto, *molestiam adfero.* Mollifico, *mollio.* Momento, *expendo.* Monachare, *monachum facere.* Monoculare, *oculorum altero privare.* Moralizare, *moribus accommodare.* Mortificare, *morti addicere.* Murrare, *murmurare.*

Sequi-

SEquitur nunc de liquidarum secundâ.

Magistrare pro regere, moderari, non ausim dicere: etsi apud Spartianum legam, Hadrianum vitam militarem magistrâsse: ac *magistratio* sit in Cod. de stud. liber. XI. Nam melioris ævi auctores desidero. Sexo, Festum dicere, ipsum *magistratus* vocabulum esse à *magistrando*. Verùm mihi videtur, ut à *triumviri, triumviratus*; sic à *magistri* esse *magistratus*. Sunt enim magistri populi, ut ovium pastores. Juniorum, qui hac voce usi sint, multos possim dicere: sed in re nota contentus nunc ero adducere ista à S. Gerardo abbate Sylvæ-Majoris in vita S. Adelardi abbatis Corbeiensis cap. VII: *Praterea jubetur etiam omnibus Ecclesiis magistrare: quibus consilio, & prudentiâ, magister; sed discipulus apparet humiliate.*

Malaxare, mollire, ἀπὸ τῦ μαλάσσειν.

Mammo, mammam præbeo; ut in Glossis Græco-barbaris, μαμμίζειν, pro nutrire. Propriè autem fuerit, mammâ, sive uberibus alere.

Mancare, mancum ac mutilum facere. In Testamento Karoli Magni * : *Occidere, aut membris mancare, aut excæcare.* Lex Salicâ tit. XXXI §. II. *Si verò manus ipsa ibidem mancata pependerit.* Lex Alamannica tit. XII §. I: *Si quis Episcopo aliquam injuriam fecerit, vel plagaverit, vel fustaverit, vel mancaverit, omnia tripliciter componantur.* L. Ripuar. tit. LXVIII §. VI: *Si digito, vel quocumq; libet membro mancaverit.* In iisdem *mancatio* est tit. V §. VI. Gregor. quoq; Turonensis ait Hist. Franc. lib. VII cap. XV: *Spoliatosq;, ac demancatos reliquit.*

* Pag. 287.

Manicare est, quod Græcè ὀρθρεύειν, à *manè*, quasi manè ire, sive accelerare. Usus vetus interpres Luc. XXI. 38: *Et omnis populus manicabat ad eum, in templo audire eum.* Ubi in nonnullis codd. est, *mane ibat.* Quod & monitum Jansenio Concordiæ Evangel. cap. CXXVII. Sed non dubitandum, quin *manicabat* scripserit interpres. Quomodo & Judic. IX. 33 in quibusdam libris fuit: *Ut oritur Sol, manicabis, & tendes super civitatem.* De quo auctor nobis B. Augustin. ad Jud. quæst. XLVI. Vetus etiam Juvenalis interpres ad illud sat. V,

\- - *Et multò stillaret panula nimbo.*

notat hæc: *Propterea semper manicasti per pluviam.* Usurpat & venustus scriptor Petr. Chrysologus LXXXII, Petrus Damiani lib. VI epist. XXXI, & Ordericus Vitalis lib. VIII. Eccles. Histor. † Video Ludovic. de La-Cerda in Adversariis Sacris cap. CXLIV, putare, ut à *fodio* est *fodico*, à *fello, fellico*: etiam à significatione câ *manandi*, quâ manare So-

† Apud Boll. 17. Jan.

lem

lem dixere veteres, teste Festo, *manico* feciſſe. Mihi verò obstare videtur, tum illud, quòd non Sol, sed homo dicatur *manicare*; tum quòd vetus interpres religiosè soleat attendere vocis proprietatem. At Græcè apud Evangelistam est ὀρθρίζειν, quod venit ab ὄρθρος, h. e. diluculum, tempus matutinum. Quare itidem *manicare* deflexum sit à nomine *mane*, quod idem notat: ut III Georg.

– – *Dum mane novum, dum gramina canent.*

Glossæ; *Manico, mane surgo.* Atque hæc faciunt, ut malè putem reprehendi vulgatum Scripturæ interpretem, quòd hoc verbo utatur. Accommodare se voluit mori sui seculi, non ita locuturus, si primo seculo à Christo scripsisset. Serarius tamen tom. I. in Josuam cap. III. quæst. I. *Qui Latinæ*, inquit, *antiquitatis scrinia excussit penitiùs Justus Lipsius, in quadam ad me epistolâ Latinum esse probavit è vetere Juvenalis interprete.* Sanè eum sic loqui jam agnovimus: sed non hinc sequitur, Latinum esse. Nam interpres ille demum post Constantini M. seculum vixit; ut alibi ostensum nobis. Quare idem dixero, quod Augustinus, quæst. XLVI in Judicum librum, non occurrere mihi Latinum esse verbum. Nec sanè hactenus repertus, qui ostenderet, inveniri apud idoneum Latinitatis auctorem. Atqui ratio non est, cur, postquam desiit vulgus Latinè loqui, non malimus loqui cum iis, qui sermone usi sint verè Latino: nisi antiquitatis caussâ animus sit verba Evangelistæ adducere, prout leguntur apud vulgatum interpretem. Cùm ita animatis religio sit super eo serram reciprocare. At extra hoc negotium, qui politiori longè seculo sic loqui amet, per me quidem licet suo judicio fruatur; me tamen rivalem non habebit. At inquit Sandæus*, *Istud, quod vetus interpres, ex iis quos legerat auctoribus, etiamsi hodie ii fortasse non exstant, aut à nobis certè lecti nondum sunt, conservavit: cur fasto tanto abjiciant?* Quasi non possimus abstinere sine fastu, solùm amore puri sermonis. Nec probare possit Sandæus, Scripturæ, vel Juvenalis interpretem, id legisse apud meliorem temporum scriptores. Credibilius est, voce usos, quæ eorum temporibus, vel paullò ante, irrepsisset. Fortasse, inquit, periere scriptores, qui id verbi usurparunt. Non arbitror: atque ut hoc esset, quis, in re incerta, non malit sermone uti, quem rectum esse omnibus constet, quàm de quo id liqueat nemini?

* *In Grammatico Profano Commentar.* 9

Mannire, pro *monere*, sive *commonere*, ut Germanis **mahnen** / in Kapitulat. Karoli M. lib. I cap. CXXI, & lib. III cap. XLV, & lib. IV cap. XXV. Indeque *mannitio*, ejusdem operis lib. III cap. XLV. Fortasse au-

tem **mahnen** / sive **maenen** / est à Latino *monere*. Saltem illud verisimilius est, quàm quod Petrus Nannius tradidit Miscellan. lib. v. cap. II, venire à Dorico μάνα, pro μήν, *Luna*: nempe quia fœnebres usuræ essent menstruæ; eoq; fors repeteretur, cùm esset νουμηνία; † quam, cùm aliis sanctissima haberetur, fœneratores faciebant ἀποφράδα καὶ σύγιον *, ut ait Plutarchus ἐπὶ τῷ μὴ δανείζεσθαι.

† *Nova luna.*

* *Horribilem, ac tristum.*

Manubiare, si rectum sit, fuerit quod Ciceroni in Verrinis *manubias facere*; vel pecunias ex præda in ærarium inferre. Sed in Glossario Isidori legas: *Manubiare, vigilare, pernoctare.* Id sine dubio falsum. Quid si Isidorus scripserit *Manicare*? Propiùs sanè significatio accedit; ut ex iis liquet, quæ hoc de *manicandi* verbo superiùs diximus.

Martyrizare, martyrem fieri, sive obire martyrio. Cuthbertus ad Lullum: *Unde in generali Synodo nostrâ---- ejus diem natalitii, illiusq; cohortis cum eo martyrizantis, insinuantes, statuimus annuâ frequentatione solenniter celebrare.* Usitatiùs pro eo dicitur *martyrizari*: quomodo *martyrizare* sit eum, qui Christum profitetur, tormentis excruciare. Sigebertus in Chronicis anno CIↃ XIV: *Hoc tempore S. Guicteth, qui & Adelphus, Pragensis episcopus, apud Bruchnos martyrizatur.* Ridiculè verò, & pro seculi barbarie, usus verbo is, qui, ut est in Chronico Colmariensi ad annum CIↃ CCLXXXV, sic lusit in Martinum Papam ejus nominis V, eopse anno anguillis comedendis enectum:

† *Epistola 70 in collectaneis epistolarum S. Bonifac. à Serario editis.*

Instituit anguillis, mortem gustavit in illis:
Assas, & coctas, martyrizabat eas.

Ubi generatim sumitur, ut in linguis vulgaribus solet, pro tractare, sicut tyranni solent martyres.

Masticonotat, mando cibum, dentibus tero, manduco. Legas apud Cæsarium lib. VIII Miracul. cap. LIV: *Est enim magnus, & fortis, & tanto magis ad curandas infirmitates validus, quanto minùs in masticandis cibis delicatis est usitatus.* Et eopse lib. cap. XLIV: *Cùm per aliquot dies agrotaret, & penè quotidie communicaret, in agonia posita* * (Christina) *viaticum sibi dari petiit, cum quo nondum plane masticato, spiritum reddidit cœlo.* Ludovicus de La-Cerda in Adversariis Sacris cap. LXII §. XI, vitioso fortasse codice deceptus, ait *mastico* legi; sed *masticato* scribi oportere. Verùm *masticato* quoq; est in editione Bircmannicâ †. Medicis inprimis est frequens. A Græco παστάζειν venire, superiùs diximus.

* *Hoc est moribunda.*

† *Colon. anno 1598.*

Matrimoniare est, quod Ciceroni in matrimonium ducere; Curtio, & aliis, matrimonio jungere, vel in matrimonio conjungere. Legas in Legib. Longobard. lib. II. tit. 1 leg. VIII.

Mem-

Membrare, pro eo, quod Lucretio est *articulare*. Onomasticum: *Membrare*, ἀρθρῶσαι.

Mensuro, pro metior; uti & *mensurator*, pro metator, male-Latina.

Mercandizare, mercaturam exercere, à Gallico *marchander*, quod ipsum à Latino *Mercari*. Thom. Walsingam. in Richardo II *: *Hostibus prævalentibus, nulli peremti; plurimi verò ad redemtionem gravissimam sunt servati, amissis viginti millibus librarum, quas ad mercandizandum comportaverant.* * Pag. 357.

Minare, pro *ante se agere, propellere*, βουλατεῖν: nempe quia hoc fit baculo, vel aliter, jumentis minando. Usurpatum Appuleio lib. III Metam. ubi & *prominare* similiter reperias in IX ejusce operis. Simplex quoque usurpat Festus, sive potiùs Paulus, in *Agere*, & *Agasones*: item Vetus Scripturæ interpres. Adhæc Gregorius Papa Dial. lib. I cap. II: *Tolliteut habeatis, qualiter hoc jumentum minare valeatis.* Leo Marsicanus lib. II Chron. Casinensis cap. LXXXIV: *Onustosq; feno saumarios minare.* Cæsario Haisterbachensi est frequens. Vide eum lib. V. cap. XLVIII; lib. VI cap. II; lib. VIII cap. LXXV; lib. IX cap. XLVIII. Habent & leges Salic. Alaman. Burgund. ac Longobard. Nec dubito, quin à *minare*, sit Germanis, ac Belgis, aurigarum vocabulum **menen**. Hinc Gallorum *mener* & *pourmener*. Vide Goldast. Not. ad Ekkinh. c. V p. CXCIV.

Mingere, pro *mejere*, penè pro barbaro habeo. Utitur Flodoardus lib. II Hist. Remensis cap. XIX: *Dum temere propè fenestram hujus cryptæ accessisset mingere, terribili quadam quasi armati cujusdam visione deterritum.* Sed de hoc verbo abunde actum lib. I cap. XXII.

Minuare, pro minuere. Lex Longob. lib. I tit. XXI l. V: *Dominus, qui suum animal intricatum invenerit, aut forsitan jam marcidum, aut minuatum.*

Minutare, minutè diffindere, vel minutim comminuere; ut loquitur Columella. Thom. Walsingam. in Histor. Angl. de Richardo II †: *Ribaldi claustrum ingredientes ---- lapides levaverunt, asportaverunt, & ad communes detulerunt; & ibidem minutarunt, & confregerunt.* † Pag. 267.

Misculare corruptum ex *missiculare*; quod à *missum*, ut à *fissum fissiculare*. Hincmarus ad Regem Carolum Calvum epistolâ scriptâ anno IↃCCCLIX: *Per plurimorum ora vulgatur, vos dicere, quoniam de istis rapinis, atq; depredationibus, nihil vos debeatis misculare; unusquisq; sua defendat, ut potest.* Sic *commiscular*e; nisi hoc potiùs à *commiscendo*.

Constitut. Caroli Calvi tit. XVI, ad Francos, & Aquitanos, cap. VII: *Qualiscunq; de vobis tali modo in isto facto commisculatus est.* Potiùs hîc interpreter *immistus.*

Modifico, sine veterum exemplo, usurpant pro *modum facio*; quod Ciceronis est; sive pro eo est, quod ad modum aliquem restringo. *Modificor* tamen legas apud Agellium *; sed pro dimetior. Apud Senecam † quoque est *versuum lex, ac modificatio.*

* *Lib. 1. cap. 1.*

† *Epist. 89.*

Mœro in Onomastico exponitur συγκλῶ. Id notat contraho, coarcto. Si igitur rectum est *mœro*; notet mœrorem, vel angorem animi affero.

Mœstifico, pro mœstum reddo. Epist. Synodalis episc. Afric. quæ præmittitur B. Fulgentii libris de veritate Prædestin.*: *Accepimus itaq; vestra caritatis epistolam; qua nostrum ex parte relevavit, ex parte vero mœstificavit exilium.* Matth. Westmonasterienſis, ætatis quinctæ cap. XXXIII †: *Licet*, inquit, *Herodes Mariamnen in nullo mœstificare vellet; illa non curabat parem viro gratiam refundere.*

* *Pag. 2. edit. Paris. 1612.*

† *Pag. 39.*

Molestare, pro molestiâ afficere, non admodum damnem; cùm eo usum videam Modestinum. Sed hoc refugiam quidem, magis verò averser *molestator*, quod est in Concilio Pisano II *; ubi *molestatores*, & *perturbatores*, conjunguntur. Item *molestatio*, quod est apud Bekam in Joan. I, episc. XXXIX.

* *Pag. 333.*

Mollifico, pro mollio, agnoscit Calepinus: sed sine idoneo auctore.

Momentare, momenta rei expendere. Est in Glossis veteribus ad Persii sat. IV.

Monachare, monachum facere, ac tondere. Matth. Parisius in ann. clɔ ccLVI: *Intrusus —— monachavit decem & octo, & tertiâ die fecit professos.* Diploma Herluinianum †: *Præfato cœnobio dederunt, per consensum Comitis Normanniæ, Wilhelmus Crispinus, & uxor ejus, filium monachandũ, & cum eo beneficium, quod Osbernus filius Vallonis tenebat.*

† *Apud Ludovicum de La Cerda in Adversar. sacr. cap. 284. 9. 38.*

Monoculare verbum est è barbaro barbarè magis factum. Quippe ne *monoculus* quidem probum est; pro quo *unoculus*, vel *luscus*, dicendum; ut monitum lib. I cap. XIX, & lib. III cap. XXVII. Usus barbaro illo Matth. Parisius ad annum clɔ ccLIII: *Persecutor Joannes, quem ulzor Dominus monoculaverat, propter præcedentia merita.* Latinum foret, *luscum reddiderat*, aut *altero oculo privârat.*

Moralizare, morum petere aliunde exemplum, morum doctrinæ accommodare. Passim apud semibarbaros occurrit.

Mor-

Mortificare, morti tradere, occidere. Lucifer Carallitanus Episcopus ad Constantinum Imperatorem lib. I: *Et mortificavit ipse Sacerdotes Domini.* Item lib. II: *Venerunt duo presbyteri, pleni iniqua mentis, adversus Susannam, ut mortificarent eam.* Flodoardus lib. I. Hist. Rhem. cap. IV: *Iratusque præses dixit, istos si non mortificavero, alii multi ad novam sectam venturi sunt. Sic dedit adversus eum sententiam, ut interficeretur.* Est etiam de literis usurpatum ex instrumentis.

Murrare, pro *murmurare*, Isidoro in Glossis. Similiter Belgæ **morren**. Nec referre arbitror, utrùm dicas, κὴ συγκοπὴν esse à *murmurare*, an integrum à sono factum. Nam & ipsum *murmurare* fictum à sono.

CAP. XIV.

De verbis, quæ ab N incipiunt. Ut sunt, nablizo, *nabliis cano.* Nago, *pro vacillo, fluctuo.* Nardifico, *odorem nardi refero.* Naturare, *creare, vel secundùm vim nativam agere.* Naufragare, *&* naufragari, *navem frangere.* Navitare, *&* nautitare, *bona deportare in naves.* Nebulare, *&* nebulari, *pro nebulonum more agere.* Neceo *à librario factum* è negligo. Necessito, *necessitatem impono.* Nervare, *vires nervis dare.* Nihilare, *redigere in nihilum.* Novercari, *novercalia agere.* Noxare, *noxæ dare.* Nubor, *uxorem duco.* Nullo, *&* nullifico, *facio, ut quid nullius sit momenti.*

ACcedo ad cœpta à tertia liquida.

Nablizo, nablâ, sive nabliâ cano. Glossæ Mss: *Nablizo, psallo.* Id convenit opinioni Suidæ; qui nablam, & psalterium, idem esse arbitratur. Nempe ut ψαλτήριον sit Græcum à ψάλλω: νάβλα Hebræum à נבל nebel. Quomodo differant κιννύρα, νάβλα, & κύμβαλα (quæ tria Hebræorum instrumenta musica præcipua erant, & junguntur Nehemiæ cap. XII) Josephus optimè dicet lib. VII. Antiqu. cap. X: & è nostris Basilius, Chrysostomus, Hieronymus.

Nago videtur esse à Gallico *nager*, hoc est, nare, natare: sed Gallicum hoc est à Græco νήχειν, quod idem significat. Isidorus in Glossis: *Nagare, vacillare, huc & illuc fluctuare.*

Nardificare est spirare odorem nardi. Unde Glossæ Arabico-latinæ: *Nardificat, fragrat.* Græcis ναρδίζειν est imitari nardum, odorem nardi referre.

Narire à naribus. In vocabulariis nunc exponitur nares fricare; nunc naso suspendere.

Naturare in Gemma Latinobelgica explicatur creare naturam, vel sequi. Atque ibidem *naturans* exponitur Deus; *naturatum*, creatura. Hac mente Scholastici distinguere solent naturam in naturantem, & naturatam.

Naufragare, & *naufragari*, pro navem frangere, agnoscit Gemma. Habes prius non modò in LL. Wisigothicis, & Longobardicis; item Formulis Sollemnibus: sed etiam veteri Scripturæ interprete 1. Tim. 1, 19; ut jam ejus seculo verbi hoc obtinuerit,

Navitare, & *nautitare*, in eadem Gemma Latino-belgica exponitur, **'t goed t' scheep laden.** Nempe quia navitæ seu nautæ bona in navem deferant, ac recipiant, priusquam oram solvant. Sed idoneum utriusque verbi auctorem requiro.

Nebulare, vel *nebulari*, in eâdem dicitur idem notare, ac nebulonem agere, vel non pluris esse, quàm nebulam. Ac firmando isti adfertur versus ille:

Nolo tuas nebulas, quas nebulo nebulas.

Quem versiculum amavere illo seculo: nunc nemo emittet nebulæ cyatho. Nec tamen omnino recens id verbum. Nam & Glossæ ad calcem quorundam Cyrilli scriptorum repertæ habent; Ἀχρηστῶ, *nebulor*.

Neceo est in glossis Mssis, atque exponitur ἀμελῶ. Sed rectè vidit vetus discipulus noster, & amicus, ὁ μαχαιρίτης Arlanderveniæ dominus, Guilhelmus Noomsius, pro *neceo*, *negligo* legi oportere.

Necessito est in Gemma Latinobelgica; ac philosophis est frequens. Sed cum veteribus dixeris, necessitatem adfero, vel impono.

Nervare ibidem legas. At non si rectum sit, *vires enervare*; dicere etiam liceat *nervare*; verùm vires dare.

Nihilare eadem Gemma agnoscit. Rectum, in nihilum redigere.

Novercari in veteri Vocabulario exponitur, *more novercæ se habere, sævitiam novercæ exercere*. Similiter Onomasticon, *Novercari*, μητρυάζειν. Sic dicunt, *Novercante fortunâ*. Sed non puto apud antiquos inveniri.

Noxare, noxæ dare, ἐνδικεῖν. Glossæ Philoxeni: *Noxatio*, ἐνδικία, hoc est, pœna, quæ corrigendi caussâ infligitur. Martinius tamen ambigit, an non pro *noxatio* legi debeat *noxæ datio*, vel *noxæ deditio*. Sed posterioribus seculis *noxare* dixerunt à *noxa*; uti à *noxia*, *noxiare*, & *obnoxiare*; de quo cap. proximo loquar.

Nubor non dicitur; sed impersonaliter solùm *nubitur*: quod apud Plau-

Plautum Persâ. Excipe, si *nubor* sumatur pro velor, tegor: quamquam nec sic arbitrer inveniri: nihil tamen caussæ video, cur non liceat sic dicere. Sed loquimur de eâ significatione, quâ sumitur pro uxorem duco. Quomodo vetus interpres Matth. cap. XXII: *Neque nubent, neque nubentur.* Ac similiter plurimi scriptores Ecclesiastici. In his Cæsarius lib. VIII. Mirac. cap. LXXIX: *Tanta est gloria virginalis, ut angelis comparetur; quia qui non nubent, neque nubentur, erunt sicut angeli Dei.*

Nullare, nullum facere, mutare. Glossæ Arabicolatinæ: *Nullatio, mutatio.*

Nullifico est apud S. Gallum Confessorem.

CAP. XV.

De verbis, quæ ab O incipiunt. Obelare, *expungere.* Obesare, *obesum reddere.* Obnoxiare, *obligare.* Obsoleto, *obsoletum ac sordidum reddo.* Obstaurare, *obstaculo esse.* Obtenebro, *tenebras offundo.* Oculare, *visum reddere.* Odio, *odio habeo.* Opprobriare, *exprobrare.* Organare, *& organizare, organo canere.* Osculo, *osculor.* Ossare, *ossa facere.* Ovicare, *ovi albumen admiscere.*

HAbemus de iis, quibus initium est ab aliqua trium priorum liquidarum. Sequitur, ut videamus de cœptis à quarta vocali.

Obelo fictum à barbaris ad exemplum Græci ὀβελίζω, quod est veru, sive obeliscо, noto; quomodo Aristarchus versus, quos non esse Homeri, sed nothos, putaret, obeliscі notâ signabat. Latinè pro *obelare* dixeris expungere, inducere: vel Græcum retineatur, exemplo Ciceronis lib. IX. epist X. ad Dolabellam. *Obelare* veteri Vocabulario agnoscitur. Est & in Glossis Isidori: *Obilat, limpidat.* Ubi legendum, *Obelat.*

Obesare in Gemma exponitur, pingue facere; nempe ab *obesus*; quod cùm propriè notet arrosum, eoque jejunum, & gracile; tamen pro pingui solet sumi; ut est apud Agellium lib. XIX. cap. VII.

Obnoxiare, pro obnoxium reddere, obligare. Petrus Blesensis in Canone Episcopali: *Quidam tamen per usurpatas seculi admirationes se vinculo curiali obnoxiant.*

Obsolito in Gloss. Isidori exponitur *obtero, inquino.* Sed rectè corrigunt *obsoleto*: quod ab *obsoleo*, unde & *obsoletus*; uti ab *exoleo, exoletus.* Apud S. Zenonem, episcopum, & martyrem Veronensem, serm. de

de Job legas, *obsoletatus*. Hoc fuerit sordidatus; ut quibus obsoleta vestis.

Obstaurare, in eadem Gemma explicatur contrà ponere. Ut *instaurare* dixerunt antiqui, ita jam Taciti ævo *restaurare*; infima autem Latinitas *obstaurare*, quasi obstare instauranti.

Obtenebro reperio apud juniores. At magis idonei scriptores pro eo tenebras offundo, obscuro.

Oculare, pro visum restituere, vel oculorum usum, Gemma agnoscit; & reperio apud Pacianum.

Odio, pro *odi*. Gloss. *Odio μισῶ. Μισοκακῶ, malos odio.* Ac *perodio* similiter; unde *perodiendus* dixerit Vopiscus in Aureliano; si vera est emendatio maximi Salmasii, ut arbitror: *Cùm alii dicerent perodiendum talem principem, non optandum.* Ubi vulgò *perfodiendum*; ineptè profectò.

Opprobriare, pro opprobria ingerere, in Gemma agnoscitur.

Organare, & *organizare*, pro organis sive instrumentis musicis canere. Posterius agnoscit eadem Gemma & utitur Vincent. Beluac. 30. Spec. Hist. 134. p. 428. *Monachorum operatio Christo cytharizat, organizat, cogitatio, psalterizat oratio, devotio lirizat.* Prius verò Monachus cœnobii Egolismensis S. Eparchii in vita Caroli Magni*: *Similiter Romani cantores suprascripti, cantores Francorum in arte organandi.*

* *In Annalibus Francorum à Pithœo editis, edit. Hanov. an. 1594. p. 250. vers. ult.*

Osculo, pro osculor. Ita Spartianus in Hadriano, *genua osculare.* Sic enim plerique editi, ac codex etiam Mus, teste Salmasio. Acta Gordiani Martyris: *Quem ego videns merear pedes ejus osculare, per quæ salvus sum.* Similiter posterioribus seculis per O extulere *iraſco, reminiſco*; quorum posterius ridet Ausonius.

Ossare, pro ossa facere; ut Gemma exponit.

Ovicare, pro ovi albumine subigere, apud Plinium Valerianum lib. I. cap. XVII.

CAP. XVI.

De cœptis à P, sequente A, E, H, I, L. Pactare, *pactiones facere.* Pagare, *persolvere.* Pagellare, (*si codices integri*) *pagellarum more conjungere.* Palangare, *palangis onus transvehere, vel naves deducere.* Pandoxare, *à caupone emere.* Pangitare, *pangere, sive plantare.* Parabolare, *loqui.* Paralogizare, *falso argumento decipere.* Pariare, *parem esse.* Parificare, *adæquare.* Particularizare, *particulatim referre.* Pavefacio, *pavorem*

verem affero. Paxillare, *vineam pedare, statuminare.* Peculor, *peculatum facio.* Perdono, *condono.* Percataprat, *& percatapsere, unde corrupta videantur.* Peregrinare, *peregrinari.* Perendinare, *die uno, & altero, vel diutius, apud aliquem divertere.* Pilare, *pilâ ludere.* Placitare, *litigare.* Plagare, *percutere.* Plagiare, *plagium committere.* Plasmare, *idoneâ fingere corporis constitutione.* Plebescere, *vulgo innotescere.* Pluvicinare, *pluere.*

AGgrediar nunc explicare verba ea barbara Latinæ originis, quibus initium est à P literâ.

Pactare, paciscei. Carolus IV. in vita sua: *Et cùm ibi exercitu diu stetisset, pactaverunt illi de castro cum eis.* Imò & Græco-barbari Jurisconsulti similiter dicunt πακτίνειν.

Pagare, persolvere, satisfacere; ut Italis *pagare*; & *paga*, solutio. Ac Galli similiter dicunt *payer*, & *payement.* Chartæ Ducum Normanniæ, & Regum Franciæ: *Si quis eorum admandatum, & summonitionem non venerit; præconstitutam sibi emendationem pagavit.* Robertus Stephanus, sive alius, in Dictionario Gallico-Latino, scribit, *payer* esse à *pagus, quòd pagorum incolæ sint velut solutionis officinæ: vectigalibus enim premuntur præ cæteris.* Mihi longè simplicius, ac verius, videtur, & Italicum *pagare*, & Gallicum *payer*, esse corrupta ex Latino *pacare*; eò quòd creditoris animus pacetur ac tranquilletur, si fiat persolutio. Sic *payement*, quasi *pacamentum:* quâ formâ dicimus *sacramentum*, & *juramentum.*

Pagellare, componere homines, ut pagellæ in libris solent. Leges Longobard. lib. I. tit. XVII. §. XI: *Adjutores eorum singuli alter ab altero flagellentur, & capillos suos vicissim, & nares suas, invicem præcidant. Ubi verò nihil mali perpetratum est; similiter inter se pagellentur, & capillos suos vicissim detundant.* Sed puto, quia antecessit *flagellentur*, & sequitur *similiter pagellentur*; pro *pagellentur*, oportere iteratò *flagellentur* referibi. *Detundant* barbarè positum pro *detondeant.*

Palangare à Martinio exponitur palangis transvehere. Sed non palangarum usus is solùm, ut onera iis vehantur; sed etiam ut carinis subjiciantur, quò naves subducantur. Vide Nonium in *Palanga:* ubi & de *Palangariis.* Interim id verbi veteribus ignotum puto.

Palmari, palmâ manus percuti. Petrus Blesensis serm. XXIV: *Attendamus filium Virginis, illitum sputis, palmatum colaphis, lividum plagis,*

confixum clavis. Depalmare tamen, pro palmâ ferire, apud Agellium est.

† Pag. 273. *Pandoxare* legas apud Thomam Walsingamum in Richardo II †: *Salliat abbas carnes, quas mactavit, ne putrescant; & vendat cervisiam, quam pandoxavit, ne acescat; & panes quos pinsuit, ne indurescant.* Ubi *pandoxare* non est gloriosè prædicare, à πᾶν, & δόξα: sed emere à caupone, quem Græci πάνδοκα appellant. Hesychius: Πάνδοξ, ὁ ἐν πανδοχείῳ οἰκῶν. Nempe abbati exprobatum, quòd non vinum in cella haberet, ut solent honestiores; verùm emeret à caupone, vel caupa, sive copa, vel cupa, quæ Græcis κάπηλος. Cicero in Pisonianâ similiter: *Panu, & vinum, de propola, & de cupa.*

Pangitare, laudes alicujus pangere. Isidorus in Glossis: *Pangitare, laudare.* Nisi *panegyricare* malis cum Ludovico de La-Cerda in Adversf. Sacr. cap. CXLI. Atque idem legas apud Matthiam Martinium in Etymologico. Sed magis altera placet conjectura, ut pro *laudare* legatur *plantare.* Sæpius enim apud Varronem, Columellam, alios, *pangere* accipitur pro *plantare.* Est & Festi Pompeji: *Pangere, figere: unde planta pangi dicuntur, cùm in terram demittuntur.*

Parabolare notat loqui: ac *parlare* Gallicum ex *parabolare* factum κατὰ συγκοπὴν. Id verò à Græco παραβολὴ, unde & Gallicum *parole*: nisi cum aliis malis à παραλαλεῖν. Habes in Capitulis Caroli Calvi, & successorum. Ut tit. XII. cap. I: *Nostri seniores, sicut audistis, parabolaverunt simul, & consideraverunt cum communibus illorum fidelibus de Dei servitio.* Tit. XXXI. cap. III: *Qua iste meus carissimus nepos cum dilectissimo fratre meo Hludovico parabolavit.* Tit. XXIII. cap. IV: *Quicquid cogitavit, parabolavit, & fecit.* Quomodo strictiùs *parabolæ* vox accipi soleat, diximus in quarto Institut. Orator. libro cap. XI. sect. VI. p. 216. *Parabola* juramenti in cap. 10. ext. de Usur. Panorm. & Vivian. in Ration. explicant, pro termini prorogatione.

Paragium s. *Paradagium* 2. feud. 10.

Paralogizare, παραλογίζεσθαι, falsâ supputatione, vel argumentatione, decipio. Usus M. Joannes Thwrocz in Chron. Hung.

Pariare, paria, sive pares rationes facere. Non videtur in usu fuisse Tulliano, vel proximo à Cicerone seculo. Sed usurpat Ulpianus leg. IV. §. V: *Proinde &, si ei nummos prorogavit emtor, cum ei pariaverit, poterit ad libertatem pervenire.* Inque iisdem Digestis *pariator*, & *pariationes* legas. Etiam Tertullianus, qui juris verbis gaudet, usurpat

pari-

pariandi verbum extra rationes. Ut lib. de Resurrectione carnis cap. VI, *pariari Deo*; ubi Apostolus, ἴσα εἶναι θεῷ. Et cap. LIII: *Pariant inter se Christus, & Adam.* Utitur quoque adversus Marcionem lib. V. cap. XX, & alibi.

Parificare, ad æquare, parem facere. Joannes Saresberiensis in Policratico, sive de Nugis Curialium lib. III. cap. XIV: *Egregiè Cæcilius Balbus; Imperator, inquit, Auguste, tum in multis, tum in eo maximè elucet prudentia tua, quòd isti nondum te omnino insanum reddiderunt; qui, ne tibi applaudant, non modò Diis, sed tibi ipsi, & populo, injuriam faciunt. Deorum siquidem minuunt reverentiam, quos parificant tibi. Te arguunt insipientiæ, dum, conditionis tuæ repugnante naturâ, te parem numinis esse persuadere præsumunt.* Prius inquit, *parificare Diis*: hinc, *parem esse numinibus persuadere.*

Particularizare ait barbarum vulgus, pro eo, quod est, non generatim, & universè; sed sigillatim, & particulatim edicere.

Pavefacio non dicam; sed pavorem affero, incutio, injicio.

Paxillare legas apud Petrum Blesensem sermone XXXVII: *Magnus namque labor impendet in vinea excolenda: utpote quæ primùm est putanda, secundò fodienda, tertiò paxillanda, ad ultimum stercoranda.* Ludovicus de La-Cerda in Adversariis Sacris cap. LXXIV, *paxillare* hîc ait idem esse, ac *evellere è toto tractu vineæ, quicquid herbidum nascitur, & nocuum est.* Equidem non possum non in eo à doctissimo viro abire. Nec enim dubium, quin sit à *paxillus*; ex quo χῦ συγκοπὴ, *palus*; ut *ala* ex *axilla*; è *vexillum*, *velum*. *Paxillus* autem à *paxo*; quod à *pago* sive *pango*; ut ab *ago*, *axo*; à *facio*, *faxo*. Nempe uti à πήγω, sive Dorico πάγω, est πάσσαλος sive πάτταλος, quod & ipsum notat *palum*. *Paxillare* igitur significet paxillis sive palis suffulcire ac sustentare. Hoc Columellæ, Plinio, atque aliis, est *vineam pedare*, vel *statuminare.*

Peculor, non memini me legere apud classicos; sed *depeculor*, vel *peculatum facio.* Nec tamen tam barbarum dixero, quàm obsoletum: ut colligere est ex verbali *peculatus*, & *peculator*; quo Cicero ipse utitur. Asconius quoque in II. contra Verrem, *Peculator*, inquit, *qui furtum facit pecuniæ publicæ.*

Perdonare, unde Gallicum *pardonner*, pro Latino *condonare.* Capitul. lib. IV. cap. XXXVII: *Omnino modò ad partem nostram persolvat; nisi fortè talem firmitatem de parte Dominica habeat, per quam ipsum tributum sibi perdonatum possit ostendere.*

Percatapirat, valde tædet; ut est in Glossis Isidori. Sed Martinius legendũ suspicatur; *Percatapirat, valde tentat*. Nempe ut sit à καταπειρᾶν.

Percatapsere, valde dividere; ut est in iisdem Isidori Glossis. Verùm Martinius ambigit, an non legi debeat, *Perdepsere, valde dividere*. Sanè *perdepsere* est apud Catullum. Et *dividendi* quoque vox in obscenis; ut ex Plauti Aulularia * cognoscere est.

* Act. 2. Sc. 4.

Peregrinare, pro peregrinari. Pseudo-Ovidius in primo de Vetula:

Vel fodiens in visceribus limi peregrinet,
Illudens nobis alienis ex elementis.

Sermo est de pisce, cui insidiæ hamo, vel aliter, fiunt.

Perendino, exponunt ingemino. Vita S. Pharaildis in Brabantia *, cap. III. §. XI: *Nec vir immoderata atrocitatis à consueta desistebat ferocia; sed usus quotidiano flagra perendinabat ferocia.* Verùm quid si *perennabat* sit scribendum? Ut activè sumatur pro continuare. Nam *perendinare* potiùs fuerit in perendinum diem differre. Unde Tullio, & Jurisconsultis, *comperendinare*, ut *procrastinare*. Sed hæc speciosè magis, quàm verè. Credibilius, quia in perendinum diem transferenti, atque id sæpius facienti, est, ut aliud cras, ita aliud perendie: eò *perendinare* dixisse, pro postero ac perendino die, vel etiam diutiùs, persistere, permanere, commorari. Utitur sic Petrus Blesensis epist. XIV, & LII. Item Walsingus in Hypodigmate Neustriæ †: *Accessit Regina ad Monasterium; & obtulit duos pannos aureos beato Albano; ubi etiam perendinavit per tres hebdomades.*

* Apud Bollandum, 4.

† Pag. 490.

Phlebotomare, φλεβοτομεῖν Ciceroni, & Celso venam secare, vel incidere. Usurpat Monachus Reomaensis in vita S. Joannis abbatis Reomaensis cap. II. §. VIII *: *Archiatrum accelerat adesse phlebotomandi necessitudine.* Sed de hoc alibi ex Cælio Aureliano, & aliis, fusiùs.

* Apud Boll. 28. Jan.

Pilare, pro pilâ ludere, barbarum est. Rectum tamen, pro pilos emittere, vel extrahere.

Placitare, pro disceptare, litigare, judicio experiri; unde Gallicum *plaider*, & Germanicum **pleiten**. Isidorus in Glossis: *Placitare, in foro litigare.* Legas in Capit. lib. IV. tit. XX. Item in Placito Monachorum sancti Albini, & S. Sergii, de controversia pro Campiniaco anno CIↃLXXIV: *Et cùm voluissent Monachi S. Sergii de minoribus rebus prius placitare, & postea de Campiniaco: visum fuit Judicibus, hoc esse injustum, ut causa illa posterior discuteretur, pro quo Abbates vocati fuerant, & in unum convenerant.* Similiter Cæsarius lib. III. Mirac. cap. XI. lib. IV.

cap.

cap. LXI; lib. VI cap. XII. Robertus Holkot Anglus, monachus Dominicanus, ad librum Sapientiæ cap. II: *Narrant historiæ, quòd cùm Wilhelmus, Dux Normannorum, regnum Angliæ conquisivisset; deliberavit, quomodo linguam Saxonicam posset destruere; & Angliam, & Normanniam, in idiomate concordare: & ideo ordinavit, quòd nullus in curia Regis placitaret, nisi in Gallico; & iterum, quòd puer quilibet ponendus ad literas, addisceret Gallicum, & per Gallicum Latinum; quæ duo usq; hodie observantur.* Quem locum eò libentiùs attuli, quia eâdem dilucet, unde fit, quòd Anglosaxonum sermo tantopere sit immutatus, multaque adeò habeat ex Gallico, sive Normannico. Vixit is monachus doctissimus ante annos trecentos. Alii quoque passim sic loquuntur. Gualterius Torvanensis de vita Caroli Comitis Flandr. cap. XV: *Accidit, ut quidam miles nobilis alium nobilem in Curia Comitis de treugarum infractione placitaret.* Henric. Huntingdon. Histor. lib. VIII: *Elatus igitur Rex hisce prosperè gestis venit venatum apud Bramtoniam, quæ abest miliario ab Huntendonia, & ibi placitavit de forestis procerorum suorum, de sylvis, & venationibus, & fregit votum, & pactum, DEO, & populo.* Ægidius de Roya in Annalibus Belgicis*: *Rex (Franciæ) mandat Papa, Papam non debere se intromittere de Regno, nec negotiis regni temporalibus: quòd posse haberet in foro justitiæ secularis judicandi, nec sibi necesse esset in curia Papæ placitare,* &c. Similiter Gothofredus Vindocinensis abbas lib. II epist. XXIV: item Leges Alamannicæ, Saxonicæ, Longobardicæ. Est verò *placitare* ab ea *placiti* significatione, quâ poneretur pro foro, sive loco, ubi jus diceretur, consessu Judicum, conventu ad causam dicendam; vel etiam pro causæ actione; quæ Gallis *plaid*, Belgis pleid/Scotis *pley*. Unde *Placitator*, litigator, disceptator, causidicus.

* Pag. 44.

Plagare, pro percutere, vulnerare, plagas imponere. Sic usurpat Augustin. lib. XXI de Civ. Dei cap. XI: *Lacessivit dominum, vel plagavit.* Vetus Juvenalis interpres: *Mars cum plagatus est Diomede.* Est & in Leg. Salicâ tit. XVI. Leg. XIX; item Legg. Alamann. Bojoar. & Longobard. Dicitur eodem sensu, unicâ voculâ auctâ, *Plagiare*, idque aliquoties in Legib. Alfredi apud Jo. Bromtonum col. 827.

Plagiare Latinobarbaris sumitur pro *plagium committere*; uti *plagiator*, pro *plagiarius*. Prius habes in Legg. Wisigothicis lib. VII tit. III Leg. II: *Si quis ingenuum servum, vel ancillam alienam, plagiaverit.* Similiter in lege Salica, & alibi. *Plagiator* autem legas apud Isidorum

lib. x Originum, & Legg. Wisigoth. lib. VII Tit. IV, Leg. III, &c.

Plasmare est apud vulgatum interpretem Psalm. CXVIII. 73: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me.* Græcè est ἔπλασαν: quod non modò signat, quis fecerit; sed præterea habilem, atque idoneam corporis constitutionem: unde Symmachus vertit, καὶ ἀπήρτισαν μι: hoc est, stabiliverunt me. Etiam usurpant Theodulphus Capit. cap. XXIII, Joannes à Leidis Chron. lib. I cap. I, Dionysius Carthusianus in rythmica Explanatione initii Evang. Joan. Hujus est:

Per te cuncta sunt plasmata,
Christe, virtus increata.

Est verò *plasmare* à *plasma*, quod est apud Prudentium, cui Adamus *plasma primum*, πρωτόπλαστος. At πλάσμα à πίπλασμαι, quod à πλάττω, *fingo*, quæ pueris etiam notissima.

Plebescere, per plebem diffundi, divulgari.

Pluvicinare, pluitare, sæpe pluere. Ita est in Glossis Isidori. Sed rectè corrigunt, *pluvitare, pluitare.* Veteres ut *fluvo*, unde *fluvius*; sic & *pluvo* dixere, unde *pluvius*; & *pluvito*, ut à *pluo*, *pluito*.

CAP. XVII.

De cæteris à P inchoatis. Pœnare, *afficere pœna.* Poëtare, *confingere.* Poire, ποιεῖν. Polimire, *induere polymito.* Pollitriduare, *pollinaria cribro incernere.* Pompare, *ornare.* Pontare, *pontem facere.* Pontificare, *pontificem esse.* Posttergare, *à tergo relinquere.* Potentare, *potentiâ suâ opprimere.* Practicari, *usu esse receptum.* Præbendari, *præbenda in aliquem conferre.* Preconiare, & præconare, *prædicare, annunciare.* Præconizare, *pro eodem: item* præconizari, *præconis voce in jus vocari.* Præmiare, *præmium dare.* Prædoror, *odoror.* Prænosticare, *præsentire.* Præposterare, *præposterè agere.* Præputiare, *circumcidere.* Præsagare, & præsagiare, *præsagire.* Præsulare, *præsulem esse.* Prætaxari, *antè memorari.* Pravare, *corrumpere.* Presbyterari, *presbyterum esse.* Primitiare, *exordiri.* Principiare, *creare.* Principior, *in principiis doctrinæ cujuspiam instituor.* Principor, *principatum teneo.* Priso, *pro penso, apprehendo: unde* prisona, *pro carcere: item* proprisere, & purprisum. Procamio, *commuto, vel permuto.* Proficui, *profui.* Prolificare, *prolem gignere.* Pronosticare, *prædicere.* Propalare, *divulgare.* Propriare, *proprium facere.* Proprindere, *aliquem invadere: unde* prisæ *res, quas aliquis involavit.* Prugire, *in Vi-*

terem

nerem prurire. Pulverizare, *in pulverem redigere.* Punctare, & punctuare, *punctis distinguere.*

SUbjungam nunc, ubi post P. sequatur O, vel litterarum alia, quæ in usitata elementorum serie, posteriorem nacta sit locum.

Pœnare, pro pœna afficere, vel pœnas irrogare.

Poëtare, pro poëtarum more, confingere. Lucifer Caralitanus ad Constantin. Imp. lib. II, qui inscriptus, pro S. Athanasio: *Quo possemus te falsum esse testem intelligere, te unum esse de viperarum progenie, falsa hæc cum sacrilegis suis poëtasse.* At *poëtari*, pro carmen condere, Ennii est: *Nunquam poëtor, nisi podager.*

Poire in Gemma exponitur fingere, facere. Nempe corruptum est ἐκ ποιεῖν; unde poëtis nomen.

Polimire in eâdem ineptè idem esse dicitur, ac ornare polytimo, sive veste multorum filiorum, eorumque diversi coloris.

Pollitriduare ibidem legas, pro Belgico **budelen.** Cato cap. XLVIII pro eo dicit *cribro incernere.* A qua *incernendi* significatione *incerniculo* est nomen. *Pollitriduare*, si priorem vocis partem attendas, est à cribro pollinario fictum. De posteriori hæreo, ac vitium subesse puto.

Pompare in Gemma legas. Ciceró pro eo in secundo de Oratore, *Adhibere speciem, atq; ornatum, in dicendo.* Usus Abbo de obsidione Lutetiæ lib. I:

- - - Donec noctis pompare tenebras
Luna, diem stellæ pariter componere discant.

Vita S. Tillonis Paulli, monachi in Gallia †: *Igitur cùm gentiles poëtæ studeant sua figmenta*
Prolixis pompare stylis - - - - -

† *Apud Bolland. 7. Ian.*

Videtur postrema verba hausisse ex Sedulio, qui opus Paschale sic orditur: *Cùm sua gentiles studeant figmenta poëtæ*
Grandisonis pompare modis. - - - -

Legas & in Chronico Cameracensi.

Pontare in Gemma, pro eo quod *pontem facere* est Ciceroni in Vatinium; unde *Pontifici* nomen, licet aliter Scævola J. C.

Pontifico, pro pontificatum gero, sive pontificalem dignitatem sustineo, pontifex sum. Antoninus Florentin. Chron. tit. XIX cap. II §. I: *Circa annum Domini* CIↃ CCVII, *pontificante Innocentio.* Pseudo-Ovidius in secundo de vetula;

Quem

- - - - - - Quem cum fas pontificare
Nusquam sit. - - - - - - - -

Sermo est de spadone sive eunucho. Idem postea:

Quem tamen infaustè Moses si pontificaret,
Veste videretur Aaron, vultuq; Maria.

Postillare, in Gemma exponitur, explicare, vel interpretari textum. Est à *postilla*; quâ de voce dictum libro superiori cap. XXXVI.

Posttergare infima Latinitas dixit, pro post terga relinquere, posthabere, aspernari. Habes in Gemma, & alibi. Dicæarcho id καταπατίζειν, in descriptione Græciæ; & inde hoc Latinum videtur expressum.

Potentiare, pro potestatem ac dominium in quempiam exercere, Luciferi est Caralitani: qui Jeremiæ locum cap. VII, sic reddit: *Proselytum, & pauperem, & viduam, non potentabitis.*

Practicari dicitur, quod in usu est. Legas Constit. Neapol. lib. III tit. XXXIV leg. II, & III. *Practicare*, Concil. Pisanum II*. *Practicatus*, idem concil. Pis.

* Pag. 164.

Prabendari in Gemma exponitur proeven geven. Id fuerit dare prębenda, sive, ut vulgò loquimur, præbendam.

Praconiare, κηρύτλειν, prædicare, prædicere, apud veterem Irenæi interpretem lib. II, cap. LV: *Quemadmodum prophetæ praconiant. Præconare* pro eodem est apud Petrum Blesensem serm. VI: *Quasi quidam galli fuerunt prophetæ, ortum quoq; Solis præconantes. Præconiare* fuerit à *præconium:* at *præcinare* à *præcone*; unde & *præconizare*, pro publicè, & voce clara, ut præcones solent, aliquid prædicare. Est hoc apud Matthæum Parisium in Vitis. Item Petrum de Vineis lib. V epist. CXXXVI. Etiam *præconizari* dicuntur, qui publicâ præconis voce in judicium vocantur. Thom. Walsinghamus in Henrico †: *Dominus Johannes se incastellavit, & fortificavit in castro suo, —— claves Ecclesiæ; & potestatem Archiepiscopalem, multipliciter contemnendo, fecit eum citari publicè, ac præconizari.*

† Pag. 383.

Præmio, pro *præmio adficio*, vel *dono*; *præmium do*, aut *tribuo*. *Præmiator* tamen rectum: sed pro prædone. Quomodo usus est Nævius apud Nonium. Imò & *præmiari* est apud Tranquillum in Tito cap. VII. Sed Passeratius *prædari* istic legendum putabat.

Præodorari juniorum est, ubi veteres simpliciter *odorari*.

Prænosticare dicunt barbari, pro eo, quod Cicero in I de Divinat. *præsentire, atq; divinare.* Walsingamus in Richardo II *: *Prænosticans*

* Pag. 161.

pro-

procul dubio, martyrem nolle eos dominos; sed velle dominari, ut hactenus, super eos. Nisi *pronosticans* scripsit, pro prognosticans. Vide *Pronosticare.*

Præposterare, invertere; non ordine, sed præposterè agere. Est in Gemmæ Vocabulario.

Præputiare in eâdem exponitur, præputium adimere. *Præputiari* igitur illi sit, quod Juvenali *præputium ponere*, vel *ducere*: aliis *verpum fieri.*

Præsagare, pro *præsagire*, est apud Baldericum Noviomensem in Chronico. Poterat σφάλμα librarii videri. Sed in Vocabulario Gemmæ itidem legas: *Præsagiare, & præsagare, idem ac præsagire.*

Præsulare, præsulis dignitate fungi. Anonymus Msus in vita S. Gundulfi †, qui temporibus claruit Guilhelmi Conquæstoris, an. cIↃ. LXXVII: *Redduntur & eidem possessiones quædam Roffensis Ecclesiæ; quas, præsulantibus Antecessoribus suis, Lanfrancus in sua tenuerat ditione.*

† *Apud Seldenum in Notis ad Eadmerum pag. 197.*

Prataxari, priori loco tangi, dici, memorari. Petrus Blesensis serm. III, qui in festo habitus S. Nicolai: *Utatur ad hos debiles mater Ecclesia verbis prataxatis.* Idem serm. XXVIII, qui in festo S. Augustini: *Revertamur ad historiam prataxatam, quæ insinuat nobis tria.* Similiter S. Bernardus serm. XXIII in Canticum Cant.

Pratitulare, vide inferiùs *Titulare.*

Prævare simplex in Gemmæ vocabulario se offert. Sed veteres, ut puto, semper, *depravare*; uti & *depravatio*, ac *depravatè.*

Presbyterari, in Gemma, pro esse presbyterum, presbyteri in Ecclesia munus sustinere.

Primitiare, ordiri. Petr. Blesensis epist. XX: *Omni petenti se tribuit. Munificentiam enim à tenera primitiavit infantia.* Similiter serm. XXI: *Dulce vehiculum est in via oratio fidelis, præcursor ad Dominum, primitians ei adventum adscendentis.*

Principiare, principium rerum esse: ut *principiatum*, quod aliunde principium sui habet. Pseudo-Ovidius in tertio de Vetula:

Ergo loqui liceat de primo principio, quòd
Sic est principium, quod non est principiatum.
Exempli causâ, sicut quidam posuerunt,
Ut bona principiet alter, reliquus mala.

Hoc est, ut deus bonus bonorum, malus malorum sit —— principium, ac causa: sicut Magi Persici, & eorum exemplo Manes statuebat. Non-

ne verò mirum, qui tam miſeros verſus condat, ſperâſſe, ſe poſſe ſic imponere lectori, ut Ovidius credatur? uti oſtendunt illa lib. II:

In nova fert animus
Corpora mutatas dicere: mirabilioră
Non reperitur ibi mutatio, quàm fuit iſta.

Plura qui hoc de poetaſtro deſideret, videat, quæ diximus in opere de Poëtis Latinis.

Principior itidem barbarum eſt, pro inſtituor in principiis ſive elementis ſeu religionis, ſeu artis, vel ſcientiæ alicujus. Quod Græcis eſt κατηχίζομαι.

Principari, pro principem eſſe, principatum tenere, regnare. Ita in A.B. tit. XXV §. II: Si non poſſet hominibus principari. Julian. Archiepiſcopus Toletanus in Hiſtor. Regis Wambæ *: *Clariſſimus VVamba Princeps, quem dignè principari Dominus voluit.* Ac mox: *Illum ſe, nec alium, in Gothis principari velle, unitis vocibus intonant.* Vita S. Lenogiſili Confeſſoris † cap. III: *Eâ tempeſtate, quando Clotarius genus Francorum principabatur.* Agnoſcit & Gemma.

Priſere eſt prenſare, prehendere, invadere: à *priſum*, pro *prinſum*, ſeu *prenſum*, hoc eſt, prehenſum: unde *priſona*, pro prehenſione, vel loco, ubi prenſi, captique, detinentur. Childeberti, & Lotharii pactum cap. VI: *Si ſervus minus tremiſſe involaverit, & malâ ſorte priſerit; dominus ſervi tres ſolidos ſolvat, & ſervus ille* CCC *ictus accipiat flagellorum.* Decretum Chlotarii cap. VII: *Si malâ ſorte priſerit; latro eſt tamen.* Similiter Legg. Longobard. lib. I tit. XXIX, leg. XVII: *Si liber, aut ſervus, voluerit foras provinciam fugere, & judex, aut quicunq; in finibus provincia reſidens, eum priſerit; teneat eum.* Ita Goldaſtus, & Clemangis editor. Sed pro *priſerit*, in illa Lindenbrogii eſt *comprehenderit*: fortè ex gloſſemate. A *priſere*, eſt *propriſere*, invadere. Lex Ripuar. tit. XXXV: *Si quis caballum, hominem, vel quamlibet rem, in via propriſerit, aut eum ſecutus fuerit; per tres marcas eum oſtendat.* Similiter Capitularis Anſegiſi, & Benedicti Levitæ, lib. V cap. CXL, & Collectionis veterum formularum Bignonianæ, cod. ult. cap. XII, cujus lemma, *Notitia de cruce evindicata.* Pactum regis Ludovici cum Ludovico conſobrino, apud Aimoinum lib. VI cap. XXXVIII: *Si aliquis noſtrorum fidelium de regno patris ſui purpriſum habet, juſſu noſtro illud dimittatur.* *Purpriſum*, pro *propriſum*, hoc eſt, vi occupatum. Pro *propriſere* etiam dicitur *proprindere*: de quo inferiùs dicetur.

* *Tom. Hiſtor. Franc. Script. pag. 821. edit. And. du Cheſne.*

† *Apud Boll. 13. Ian.*

Pri-

Privilegiare, privilegium dare. Petrus Blesensis epist. LXXXII: *Ut quid in alienam injuriam terras, & nutrimenta vestra, privilegiari facitis?* Et epist. XC: *Nec blandiatur sibi aliquis, quòd per privilegium Romanæ Ecclesiæ ab inobedientia excusetur. Deus, apud quem melior est obedientia, quam victima, quicquid emancipet, aut privilegiet homo, inobedientiam detestatur.* Hinc *privilegiati*, qui Ulpiano *privilegiarii*.

Procamio, procambio; ut & *cabium*, pro *cambium*, *concamium*, pro *concambium*, dixere: nempe à *cambire*, pro commutare. In feudatione cœnobii Cluniacensis, verba hæc Wilhelmi legas: *Neq; aliquis Principum secularium, non Comes quisquã, nec Episcopus quilibet, non Pontifex supradictæ sedis Romanæ, per Deum, & in Deum, omnesq; Sanctos ejus, & tremendi judicii diem, contestor, & deprecor, ne invadat res ipsorum Dei servorum. Non distrahat, non minuat, non procamiet, non beneficiet aliquam personam; non aliquem prælatum super eos, contra eorum voluntatem, constituat.*

Proficuit, profuit: pro quo & similiter dixere juniores, *proficuus fuit*. Joan. de Thvvrocz Chronicorum Hungaric. eâ parte, quæ est de Sigismundo Rege, & Imperatore, cap. I *: *Sed quid proficuit solitaria manus defensio?* Et cap. IV: *Sed hac fuga proficuit ei minimè.* Ita est in libris vett. Sed in editione Wechelianâ pro eo substituêre *profuit*: Latinè magis; verùm, ut puto, aliter auctor scripserat.

* Pag. 120. VVechel. edit. anno 1600.

Prolificare, prolem gignere. Quid mirum, hoc si damnem, cùm nec probem satis fontem, unde venit? *Prolificus* dico; de quo actum lib. I cap. XIX.

Prolito, à *lito*; ut Plinii *prolibo*, à *libando*. Usus est Zeno Veronensis †† in vita S. Arcadii: *Cogebatur Christi populus vanis * superstitionibus interesse, atq; in culeus nefandis ritus, nunc aut libamina incesta profundere, aut ornatas sertis victimas trahere, aut gravia nidoribus thura succendere, aut inter fumidos ignes, pallenti arvinâ, funesto sanguine, prolstare.*

†† Apud Surium & Bolland. 12 Jan.

* Al. variis.

Pronosticare, apud Bekam, corruptum ex *prognosticare*; quod à προγνωστικὸν, hoc à προγινώσκειν, prævidere, ac prædicere. Vide superiùs *Pronosticum*, & *prænosticare*.

Propalare factum quidem à *propalam*; quod apud M. Cic. in I de Orat. Livium lib. XV, & alios. Veteres tamen pro eo divulgare, palàm dicere, atque aliter. At Glossæ Philoxeni *propalare* interpretantur ἀναγορεύειν, quod planè aliud.

Propriare, in Gemma, pro facere proprium, sibi uni vindicare.

Proprindere puto esse à *prendere*, pro *prehendere*; ut *proprindere* sit antè prendere, hoc est, priùs invadere. Carol. Calvus tit. xxxix, apud Carisiacum, cap. viii: *Potest fieri, ut aliquis de fiscoregio, vel de rebus Ecclesiæ, aliquid proprindat, aut per fraudem obtineat.* Unde *propriſum*, & *res propriſa*, hoc est, ab alio invasæ. Ut in Collectione Benedicti Levitæ, Capitularis lib. v. cap. clx, cujus lemma; *De invasione alienarum rerum.* Caput ipsum sic habet; *De rebus propriſis, ut ante Missos, & Comites, & Judices nostros veniant, & ibi accipiant finitivam sententiam, & antea nullus præsumat alterius res proprindere; sed magis suam causſam quærat ante judices nostros, ut diximus, & ibi recipiat, quod justum est.* Ab eopse verbo *prindere* etiam est *misprindere*; de quo dictum in Verbis origine barbaris. Item *interprindere*; de quo cap. vidimus xi.

Prugire num corruptum ex *prurire?* quatenus Veneris appetitum designat. Lex Alamannica tit. xcix §. i: *Siquis bisontem, bubalum, vel servum, qui prugit, furaverit, aut occiderit*; xii *sol. componat.*

Pulverizare, in pulverem redigere, summisse adeò de se, vel alio, sentire, quasi nihil sit, nisi pulvis. Thomas Kempensis lib. iii de Imitatione Christi cap. viii: *Si autem me vilificavero, & ad nihilum redegero, atq; sicut sum, pulverizavero.* Est Pharmacopœorum verbum penè ubivis locorum: ut ex hoc loco Constantinus Cajetanus parùm solidè probet, Kempensem potiùs Italum fuisse, quàm Belgam. Vult autem, auctorem esse Joannem Gersen, abbatem Vercellensem, Benedictinum.

Punctare, & *punctuare*, punctis distinguere. Engelhardus in vita S. Mechtildis cap. iii: *Dum ad lineas punctaret, ſubulam incantè trahens, oculum transfigit.* Guiljelmus, eques auratus, in Hodœporico, sive libro de terra Sancta; ubi de mastiche in insula Chio: *Gummi est fluens de arboribus parvulis: punctuatur punctură instrumenti in cortice apertis tempore opportuno.* Sic *punctuatus* apud Thomam Walsingam, in descriptione Neustriæ. Scriptor incertus sub nomine Ovidii in primo de Vetula:

His punctaturâ tantùm venientibus unâ.

Et mox:

Una quibus sit punctatura, duoq; sequentes.

Et ibidem:

\- - - - - *Succedunt appropiando*
Quatuor ad medios, quibus est punctatio sena.

CAP.

CAP. XVIII.

De verbis, quæ à Q incipiunt. Quadrangulare, *figurâ quid facere quadrangulâ.* Quadrigare, *vehi quadrigis.* Quadripertior, *divido in partes quatuor.* Quartari, *deligere quartum quodque: ac videri non absurdè dici de Tragicis τετραλογίαις.* Quæstionari, *quæstiones adferre.* Quaternare, *quaterna jungere.* Quaternizare, *quadripartiri, vel potiùs dividere in quatuor partes.* Querimoniari, *conqueri.* Quinternizare, *canere certo instrumento musico.* Quitare, *fateri sibi à debitore satisfactum.*

EJusdem farinæ quædam se offerunt in verbis, quæ à Q initium ducunt. Aliqua ejus generis adferam.

Quadrangulare, τετραγωνίζειν, quadrangulum reddere. *Quadrangulare* non facilè dixero. *Quadrangulum* tamen non Plinii modò est; sed etiam Varronis Parmenone.

Quadrigare, uti & præcedens verbum, in Gemma habes. Dixero cum Tullio, quadrigis, vel curru quadrigarum vehi.

Quadripartior, vel *quadripertior*, τετραχῶς μερίζω. Agnoscit Gemma. Malim longè, in quatuor partes dividere. Etsi *quadripartitus*, vel *quadripertitus*, sit etiam Ciceronis *, ac Varronis †, cujus & *quadripartitio* *.

Quartari, quartum quemque legere. Glossæ Philoxeni: *Quartemur*, τετραλογηθῶμεν. De τετραλογίαις Tragicorum actum in libris de re Poëtica. Secundùm hunc Græcæ vocis usum, si novitas Latinæ non offendit, Tragicos dixeris *quartari*; quando, ut apud Laërtium est lib. III. in Platone, τετράσι † δράμασιν ἠγωνίζοντο, Διονυσίοις, Ἀθηναίοις, Παναθηναίοις Χύτροις. Ac de Platone similiter loquar κ) * τὸν τραγικὸν τετραλογίαν τοὺς διαλόγους ἐνδεκάτους: ut est apud eundem Laërtium. Nimirum quia dialogos suos divideret in IX. tetralogias; ita ut genuini in universum fuerint LVI.

Quæstionari, pro quæstiones movere, ut de omni penè argumento Scholastici solent. Est apud Cæsarium Haisterbach.

Quaternare in Gemma est. Malim quaternos jungere, vel chartam in quaterna complicare. De *quaternatis fundis* dictum lib. III. cap. XL.

Quaternizare, facinorosum in quaternas partes dissecare. Thomas Walsingamus in Richardo II †: *Adjudicatus est tractioni, suspensioni, exen-*

* *De Invent. & in Verrin. ac Tuscul.*

† *Lib. 7. 8. 9. de L. L.*

* *Lib. 4. & 6. de L. L.*

† *Quatuor fabulis certarent; Dionysiis, Athenais, Panathenais, & Chytris.*

* *Secundùm tragicam consuetudinem quatuor certandi fabulis, nos edente dialogos.*

† *Pag. 354.*

exentricationi, combustioni interiorum, decapitationi, & quaternizationi.

* Pag. 508. Idem in Hypodigmate Neustriæ *: *Expost decapitatus, & quaternizatus est.* Pro eodem, & magis barbarè, dixerunt *quarterizare*; unde Belgicum **kartieren.**

Querelare, vel *querelari*, generatim fuerit, querelas effundere. Arnobius junior, qui circa annum vixit quingentesimum, in psalm. LXXVI: *Memorans praterita bona, de malis præsentibus querelatur.* Sed præsè sumunt de querimoniis, & accusationibus contendentium in judicio.

† Pag. 202. Sic usurpat Matthæus Parisius in Additamentis †: *Si videatur eis, quod pertineat* (negotium *ad forum Regium, querelatur Index: qui confiteatur, se post interdictionem processisse, amerciatur.* Item Thomas Walsingus in Hypodigmate Neustriæ *: *Eligantur hinc inde arbitri, qui se provideant, quomodo querelantibus satisfiat, & Rex Franciæ se obliget.* Usus & voce eâ interpres Methodii in sermonibus. Etiam in Hattonem, XV. archiepiscopum Moguntinum, (quem ob avaritiam à muribus comestum Trithemus, quinquaginta post Hattonem annis, scripsit) est in codice Mso epigramma apud Serarium lib. IV. rerum Moguntiacarum cap. II:

* Pag. 481.

Parcis, & infelix, quæ te dementia ludit,
Pauperibus Christi ut commoda nulla feras?
Cum judex solùm hoc querelabitur ipse futurus,
Nescis quòd posthac te ulcio dira premet?

Ubi & secundam in hoc verbo malè corripi videmus. Perperàm in Gemmâ, & alibi sæpe, per V scriptum *querulare*; quasi à *querulus* foret.

Querimoniari, querimonias effundere, vel jactare. Dialogus de statu S. Ecclesiæ †: *Tu ergo eo tempore querimoniari cœpisti, de quo psalmista canit.*

† Inter Hincmari opuscula pag. 663. edit. Paris. an. 1615.

Quinternizare est in Gemmâ. Notat canere instrumento musico, quod vulgò vocant *quinternam.*

Quitare, κ) συγχωλῶ *è quietare*, pro condonare debitum, vel satisfactum fateri, atque ita quietum reddere debitorem. Hoc verbum jam ante quadringentos annos fuisse in usu, vel fidem fecerint, quæ Radulphus Fornerius lib. VI. Rerum Quotidianarum cap. XXVIII. excerpsit ex veteri libro, qui in cœnobio S. Maximini adservatur. Vide superiùs * *Acquietare*; item lib. III. cap. XL. in *Quietantia.*

* Cap. primo hujus libri.

CAP.

CAP. XIX.

lium ad verba ab R incipientia: ac primùm, prima ubi sequitur vocalis. Rabulare, *garrire instar rabularum forensium.* Radifico, *radices ago.* Rancere, *rancidum esse.* Rapporto, *refero.* Rapinari, *rapere.* Rareo, *rarescо.* Rasare, *radere.* Ravit, *rancedine laborat.*

PLuscula quoque se offerunt verba barbara, quibus à litera canina initium sit. De iis nunc videamus.

Rabulare, instar rabularum de foro nimiâ verbositate ferire aures auditorum. Est in Gemmæ Vocabulario; atq; inde Belgicum **rabbelen.**

Radifico in Onomastico exponitur ῥιζοφυῶ. Malim cum Tullio, & aliis, radices agere, vel capere, aut mittere radices: vel si unâ voce omnino exprimere visum, dicam cum Seneca, *radicescere*; aut cum Plinio, *radicare.*

Ranceo in eodem Onomastico transfertur ἰυγαντιάω. Græcum notat finu obducor, mucidus fio, marcesco, putresco. Agnoscit & Gemma. Ac facilè credo, veteres *ranceo* dixisse; & inde esse *rancidus*, ut à *caleo*, *calidus*: sed obsoleviſſe videtur. Dixero igitur, *rancidus sum*, vel *rancidus fio.* Usurpatur de iis, quæ putrescentia gravem spirant odorem; item quæ vetustate saporem amittunt. At *ranceare* aliud est: quo de tigridum voce utitur Philomelæ auctor.

Rapporto, pro reporto, refero, apporto; ut Gallis *rapporter*. Carolus VIII. in Edicto de fid. instr. *. *Ordinatum est insuper, quod secretarii cancellariam Tholosæ insequentes, aliquas literas, quas signabunt, non rapportent.* Sic *rapportum* pro Gallico *rapport*, hoc est, relatio, renunciatio. Stil. Antiq. parlam. cap. xvi: *Possunt superiorem suum in garendum vocare: nisi opponatur eis de falso rapporto facto superiori.* * Pag. 1961

Rapinari, pro rapere, barbarum. Flexum à *rapina*.

Rareo, *rarus*, in Gemma reperio. Sed agnoscit, non esse in usu. Nempe quia *calesco* est à *caleo*; eò judicatum, esse *rarescо* à *rareo*: nec repugno, dummodo ne in usum revocemus.

Ratificare est in Concilio Pisano †, & alibi. Dicendum *ratum facere.* Perottus ait, veteres *ratare* posuisse, pro *ratificare*; & inde esse *irritare*, pro *irritum facere.* Sed *irritare*, cùm mediam habeat correptam, à *ratus* esse nequit. Potiùs credidero, esse ab *irrio*; quod canum, cùm provocantur; teste Nonio, ac Donato. † P. 8.

Rasare,

Rasare, à *rasum*, in Gemma est. Sed non occurrit idoneus scriptor, qui utatur. Rectum tamen *rasitare*; quod apud Agellium lib. III. cap. IV. Ut videri possit & alterum aliquando fuisse in usu; sed obsoleviſſe.

Ravit in Glossis Isidori exponitur *ravie loquitur*; ubi reponendum *rauce*. Nam *ravis*, raucedo. Pro *ravire* dixero, raucum fieri, vel esse; item raucum quid sonare; unde Poëtis *raucisonus*.

CAP. XX.

De verbis à RE incipientibus, sequente aliquâ primarum octo literarum

Reagere, *resistere agenti*. Rebaptizare, *iterum baptizare: ubi & obiter de vocabulis* condiaconi, *&* compresbyteri; *quibus & simile* coepiscopi. Rebellissare, *in obloquendo rebelles imitari*. Recapitulare, *summa rerum capita adferre*. Recensare, *recensere*. Recidivare, *recidivam pati*. Reciduare, *sæpius recidere*. Recommendo, *&* recompenso, *pro commendo, & compenso*. Recorporare, *reparare aliquam partem corporis male affecti*. Recredere, *reddere*. Redebere, *obstringi ad reddendum*. Redentitare, *reclamare*. Redequito, *equo, unde veneram, redeo*. Redinserare, *iterum inserere*. Redoccare, *denuo comminuere*. Redoperire, *aperire*. Reduncare, *curvare*. Reduplico, *conduplico*. Referro, *nihili verbum, ab errore librarii*. Refibulo, *fibulam laxo*. Registro, *regero*. Regnifico, *regem facio*. Regratio, *gratias ago*. Rehabeo, *recupero*.

VEnio ad cœpta à RE syllabâ.

Reagere, & *reactio*, in scholis philosophorum non damnâro. Est enim vox idonea rei, quam illi signant. Aliàs malim, vicissim agere, resistere agenti in se. Similiter statuendum de *repatior*, & *repassio*, ubi passio est reciproca.

Rebaptizare pro eo, quod Græcis ἀναβαπτίζειν, est perusitatum. Sed quid opus uti voce compositâ ex Latina, & Græca; cùm liceat dicere, *iterum*, vel *denuo baptizare*? Scio interim, multas id genus hybridas voces obtinere, præsertim apud Ecclesiasticos; quibuscum nolim litigare de verbis. Talia sunt *condiaconus*, & *compresbyter*. Ea nec Augustinus refugit epist. LIX, quæ ad Paulinum *coepiscopum*. Sic enim vocat.

Rebellizare, vel potiùs *rebellissare*, in Gemma exponitur contradicere. Credo, ut *patrisso*, patrem imitor: ita finxere *rebellisso*, pro obloqui, & opponere se, ut solent rebelles.

Reca-

Recapitulare, ut Græci ἀνακεφαλαιοῦν. Gennadius Massil. in vita Vincentii Lirinensis: *Recapitulato ejus paucis sermonibus sensu.* Hincmarus vel alius, in dialogo de statu S. Ecclesiæ *: *Peto recapitulari breviter ea, quæ prohibentur, ut ad concessa postmodum veniamus.* Amalarius de divinis Officiis: *Desideramus recapitulare omnem ornatum clericorum.* Hoc est, quasi per capita, & generatim referre. Amalarii ea verba legas quoque apud Fulbertum Carnotensem epist. LXXIX. Vide & quæ de hoc diximus Oratoriarum institut. lib. III, cap. VI, sect. I.

* Inter Hincmari opuscula p. 954. edit. Paris. an. 1615.

Recensare, in Gloss. Mssis exponitur numerare. Puto, rescribendum *recensere*. Nisi simile sit, ac *redinserare*; de quo inferiùs.

Recidivare apud Cæsarium Hailsterbachensem, & in Gemma, pro relabi, denuo incidere in delictum, aut morbum: quomodo febres dicuntur *recidivæ*. In Glossario Mso reperio, *reciduare, restaurare*. Puto & hic legendum esse *recidivare*: nam hoc sit instaurare: quomodo Maro in quarto magni operis ait, *recidiva ponere Pergama*: hoc est, recidivare Trojam. *Recidivatum animæ* legas apud Tertullianum lib. de Resurrectione animæ cap. I, XVIII, XXX, & LIII.

Reciduare in Gloss. Mssis exponitur sæpius cadere: ut *reciduus*, sæpe cadens. Nempe *reciduare* fecerint à *reciduus*, hoc à *recido*: quomodo à *cado, caduus*; à *pasco, pascuus*; ab *irrigo, irriguus*. In iisdem glossis etiam *recidivare* idem esse dicitur, ac *restaurare*. Sed de eo jam in superiori verbo egimus.

Recommendo obtinet pro *commendo*, more Gallico. Ac similiter *recompensare*, pro compensare, vulgatum; at parùm Latinum.

Recorporare Cælio Aureliano, pro recreare partem corporis malè affectam.

Recredere, reddere, restituere. Incertus scriptor veterum formul. c. I: *Ipse homo in præsenti pro colono ad casam sancti illius, vel ipsius Abbatis, recognovit, vel recredidit.* Ivo epist. CCLXXV: *Dicet Comes, quòd libenter reddet, aut recredet Comitem Nivernensem.* Etiam Bignonius adducit ex veteri instrumento in tabulario S. Martini Turonensis an. III. Rodulfi R. *Et sic ex ipsis decimis sese recredidit, & per fistucam guerpivit* †.

† Guerpire idem ac gurpire: de quo lib. 2. cap. 23.

Redebere, obligari ad reddendum. Legas in Formulis à Lindenbrogio editis CLXXIII, & seq. Falli arbitror, qui idem esse ajunt, ac *redhibere*.

Redentitare in Glossario Mso nostro exponitur, iterum atque iterum clamare. Quid si à *dente* sit, ac notet remordere, dente vicissim aliquem petere, vel rodere, genuinum in aliquo frangere?

Redequitare, retro equitare, sive eâ equitantem viâ reverti, quâ & antè equo veneris. Fulbertus Carnotensis epist. xxi: *Hæc ille non gratanter accipiens ad Comitem (Theobaldum) redequitat.*

Redinserare in Gloss. nostris Mss exponitur, iterum inserere. Fortè scribendum *redinserere*, vel potiùs *redinsertare*. Nam *insertare* ipsius est Maronis.

Redoccare, scindere; ut est in Glossis Mss. Propriè idem, ac iterum occare; hoc est denuo glebas comminuere, & confringere.

Redoperire, aperire; ut est in Gloss. nostris Mss.

Reduncare in glossis Mss membranaceis exponitur curvare. Nempe idem, ac reduncum facere.

Reduplico non dixero; sed conduplico.

Referro in membranaceis nostris glossis ineditis exponitur *impleo*. Ac subjicitur versus iste Marbodi:

Si fur plaustra domus spoliis, gazisque, referret.

Ubi Marbodum vocat, qui vulgò Marbodæus Gallus Cænomanensis, ac carmine de gemmis, & lapidibus pretiosis scripsit. Eum scriptorem cum scholiis suis ante seculum edidit Alardus Amstelodamensis. Sed pro *referret*, editum *referta*. Locum, è capite de Magnete, apponam:

Si fur claustra domûs spoliis, gazisque referta,
Ingrediens, prunas ardentes per loca ponat,
Et super adspergat magnetis fragmina prunis,
Ut per tetragonum fumi vapor alta vaporet;
Mentibus eversis, velut impendente ruinâ,
Diffugient omnes, in eâ quicunque manebunt;
Et fur securus rapiet, quæcunque libebit.

Hic sanè si *referret*, à *ferro*, scripserit Marbodæus; non pro *impleo* capi oportebit, sed pro *referet*. Verùm sententia omnino exigit *referta*: ut editum ante seculum ab Alardo, quem dixi, viro eruditionis non aspernandæ.

Refibulare invenio apud juniores. Verùm licet *fibulare* sit Columellæ, *infibulare* Celsi in septimo cap. xxv: *refibulare* tamen non arbitror veteres dixisse. Quare malim, fibulam laxare, solvere, aut simile.

Registro displicet. Dixero, in codicem, vel tabulas retero. Vide, quæ de *registri* voce attuli lib. iii. cap. xli.

Regnifico, regnare facio. Lucifer Caralitanus libro de regibus Apostaticis:

ſtaticis: *Regnificarunt eum in Iſrael.* Hoc eſt, ad regiam dignitatem evexerunt.

Regratiare, pro gratias agere, eſt apud Cæſarium Haiſterbach. Similiterque Philippus Mazzerius †, Cancellarius regni Cyprii, in vita S. Petri Thomaſii, patriarchæ Conſtantinop. cap. VI: *Vale ergo Regi, & Reginæ faciens, ipſis regratiando de beneficiis, ad viam Ieruſalem ſe diſpoſuit.* Etiam apud Petrum de Vineis lib. III. cap. XLVII, lemma eſt tale: *Regratiatur communi Mutinenſi, dolenti de caſu regis Sardiniæ.* Item apud Walſinganium Hiſt. Angl. ſub Richardo II*: *Eâ horâ Regina fuit adducta ad tentoria Regis noſtri. Rex Franciæ donavit eam Regi noſtro, quam Rex noſter cepit per manum, & oſculabatur eam, regratiando patre ſuo Regi Franciæ de dono tam honorabili, & gratioſo.* Thomas à Kempis de imitatione Chriſti lib. IV. cap. XII: *Ille nihil aliud habent ad retribuendum beneficiis ejus, niſi ſe humiliando, & ei regratiando.*

Rehabere, recuperare, recipere. Joannes Thwrocz in Chronicis Hungaricis an. clocclxxv, ſive cap. LXXVI: *Cujus* (Belgæ regis) *corpus Philippus, archiepiſcopus Strigonienſis de eccleſia memoratâ auferri exhumando fecerat contra jura, & in ſua Eccleſia Cathedrali indebitè tumulari. Super quo facto, coram ſummo pontifice cauſâ diutiùs ventilatâ; fratres minores, cum honore maximo, rehabere ex integro meruerunt.*

CAP. XXI.

De cæteris à RE inchoatis. Reincipere, *ordiri.* Reintro, *iterum intro.* Rejuveneſco, *recipio faciem ac vires juvenis.* Relucido, *illumino.* Remando, *iteratò mando, indicium facio.* Remendo, *corrigo* Remedior, *remedium adfero.* Remeliorare, *reſtituere priſtinæ integritati.* Remoneo, *commoneo.* Renego, *abnuo.* Renovellare, *renovare.* Repaginare, *denuo componere artus ac membra.* Repatriare, *in patriam reverti.* Repauſare, *pauſam facere.* Repluere, *abundare.* Repſudit, *à librario corruptum fortè ex* recidivat. *Tutiùs multò* inſtauro *dici, quàm* reſtauro. Reſolidare, *vulnerare.* Reſtare, *ſiſtere.* Revadiare, *vel* rewadiare, *vadem ſe conſtituere.* Reverſare, *denuo circumagere.* Reveſtiri, *priſtino honori reſtitui.* Revitare, *à librario corruptum ex obſoleto* rebitere. Reunio, *unitatem facio.*

REincipio, pro incipio, ſæpius eſt apud Thomam Walſingamum. Hiſt. Angl. ſcriptorem, in Richardo II. & alibi. Nec ſimile eſt, ac *redordior.* Nam hoc Plinio eſt orſa retexere, ſeu diſſolvere.

Reintrare, regredi, redire, unde sis egressus. M. Joan. Thwroczius Histor. Hungar. an. clɔɔccxxxviii. cap. xxv *: *In clausſtrum S. Ioannis Evangelistæ, unde exierat, reintravit.*

* Pag. 138. edit. VVechel. a. 1600.

Rejuvenesco non dixero lubens, quandoquidem veterum auctoritate destitutor. Malim igitur *renascor, revivisco, recipio faciem* vel *formam juvenilem*, aut *vires juventutis*, vel aliter, prout argumentum requiret.

Relucidare in Glossis membranaceis Mssis exponitur *relucere*. Origo tamen exigit, ut potiùs signet lucem affundere, vel luce convestiri.

Remando, & *remendo*, barbara sunt, ac significatione differunt. *Remando* est à *mando*: ac cùm ἀναλόγως accipi posset pro iterum præcipere; συνεκδοχικῶς posuere pro significare, sive alicujus facere certiorem. Priori modo usurpat vetus Scripturæ interpres Esaiæ xxviii. 10: *Quia manda, remanda; manda, remanda; exspecta, reexspecta; exspecta, reexspecta; modicum ibi; modicum ibi.* Pro, præcipe, ac ubi id egeris, iterum iterumque præcipe. Ut imitetur prophetes sermonem eorum, qui riderent verba sua, mandata Dei annunciantis. At posteriori ratione usurpat Petrus Mauricius, cognomento Venerabilis Cluniacensium abbas lib. i. epist. ii: *De statu domini Papæ, & vestro (quem prosperari, tam pro communi utilitate, quàm pro vestra requie, avidissimè desidero) mihi, quod est, remandate; ut cognitis, quæ circa vos sunt, aut congaudeam, aut collaborem.* Item epist. xxiv: *Tractatum autem B. Hilarii super Psalmos ideo non misi, quia eandem in nostro codice, quam & in vestro, corruptionem inveni. Quod si & talem vultis; remandate, & mittam.*

Remendo autem est ab *emendo*; uti hoc à *menda*. Unde Onomasticum; *Remendo*, ἀνορθῶ. Sed ab *emendo* ἀναλόγως foret *reemendo*. Calepinus tamen, ut è veteribus editionibus cognoscere est, Columellam sic loqui putavit lib. iii. cap. xvii. Nempe legit, *Tale oleaster remendaverunt*, ubi nunc è melioribus libris *, *taleolas terræ mandaverunt.*

* Vet. edit. Asulani. Ioa. Parvi, Rob. Stephani.

Remediare & *remediari*, pro, curare, sanare, mederi, est apud Joannem Saresberiensem lib. viii. de Nugis Curial. cap. viii: *Unde & morbi ex saturitate nimiâ concitantur, multique impatientiam gulæ vomitu remediantur, & quod turpiter ingesserunt, turpiùs egerunt.* Mirum verò & legi apud Scribonium Largum in Epist. & alibi; imò & apud Tertullianum, de quo Rhodius in Lexico Scriboniano p. 434.

Remeliorare, corrigere, reficere, restituere. M. Joannes Thwrocz in Chro-

in Chronicis Hungaricis, in temporibus Regis Stephani cap. XXXI: *Fracturas, sive scissuras parietum ac tectorum, perspicacibus oculis, & more suè inspiciebat; & statim remeliorare procurabat.*

Remoneo non puto, pro iterum moneo, vel ἀναλῶς commoneo, legi apud ullum Appulejo antiquiorem. Hujus est Metam. lib. VII: *Hic benivolè remonebam.*

Renego; pro *nego, denego*, planè cuspandum.

Renovellare, pro *renovare*. Optatus lib. I †: *Hoc modo iterum renovellata sunt partes.* Sermo est de recrudescente Carthagine schismate Donati. Ut à *novus, renovo*; sic *à novellus* fecit *renovello.* † Pag. 31. edit. Commel.

Repaginare, denuo sociari ac compingi. A πήγω, pago, hoc est, pango, est *pagino.* Unde *pagina*, & *repaginare*, quasi repingere, vel compingere, dicas. Petr. Chrysologus serm. LXII in Symbolum Apostol. *Hos est totum fidei documentum, si carnem, quæ corrupta est, quæ putrefacta est, quæ periit, per DEUM resurgere, repaginari, videre posse credas; quem posse omnia, quando omnipotentem confessus es, tunc jurasti.*

Repatriare, pro patriam repetere. Bernard. Claravallens. in vita S. Malachiæ, Hiberniæ episcopi *: *Psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus prosequimur amicum repatriantem.* S. Ealredus, sive Aelredus, in vita S. Eduardi Confessoris, Angliæ Regis, cap. IX: *Cùm summâ prosperitate vos repatriaturos non dubitetis.* Usurpant quoque Cæsarius Halberstatensis, Matthæus Parisiensis †, Rogerus Houedenus, Guilhelmus Malmesburiensis * Chronicon Cistercense †, Beka in vita Guiljel. episc. I. Joann. Turocius in Chron. Hungar. ann. clɔ c CLXXXV, sive cap. LXXX: *Sed nihil in rege proficiens repatriavit.* Gerardus, abbas Sylvæ-majoris, in vita S. Adelardi, abbatis Corbeiensis, cap. VI §. XXIX: *Quia enim repatriaret assertor veritatis, lætabatur: sed supramodum dolebat, quòd tanti viri præsentiâ privabatur.* Nec mirum eos usurpare, cùm nota hæc fuerit vox jam Solini temporibus. Ejus est: *Aliquot leombus obviis* (vel potiùs *obvii*) *intacti repatriaverint.* Unde & Isidorus lib. Origin. XII cap. II: *Prostratis parcunt, captivos obvios repatriare permittunt* Isidori Glossæ: *Repatriat, ad patriam redit.* * Col. 1957. edit. Antverp. anno 1609. Legas & col. 1943. vers. 9. † In Ioan. pag. 229. * Pag. 38. † Pag. 61.

Repausare, pausam facere, quiescere. Usurpat Guilhelmus Malmesburiensis *. Uti & Joannes Turocius Chron. Hungar. part. cap. LVI †: *Cum venisset ad quoddam nemus magnum; dixit suis, ut pro recreandis equis paullùm repausarent.* * Pag. 39. † Pag. edit. VVechelb. an. 1600.

Repluit propriè foret rursum pluit: quia verò, si iterum iterumque

pluat, redundant aquæ; eò Isidorus in Glossis: *Repluentibus, redundantibus.* Et Papias: *Replut, abundat.*

Repsudit in Glossis Philoxeni exponitur ἀναχωρεῖται; hoc est, redit, recurrit. Sic enim quandoque Græcum illud accipi, ex Phrynicho * constat. Itaque placet conjectura Martinii, pro *repsudit* legentis *recidivat*; quo de verbo superiùs diximus.

* In Ecloga vocum Atticarū.

Resolidare, vulnus infligere, ut in Legg. Longob. lib. I tit. VII leg. VIII.

Restare, facere ut aliquis cogatur substistere. Est à *stando*: nisi malis dici pro *arrestare*, ex Gallico *arrester*; quod notat retinere, gradum, vel impetum alicujus sistere, manum homini injicere.

Restaurare non dixero; sed *instaurare*: nec ævo Augusti quisquam aliter locutus. Hoc movit Claudium Verderium, suâ in varios scriptores Censurâ, ut esse Latinum negaret. Improbat quoque Andr. Schottus lib. III Tullianarum Quæstionum *. Imò etiam Cæsar Scaliger adversus Cardanum Exercitat. CXCV † ait: *Medicorum libri illacerare te, Cardane: qui non semel infelici verbo restaurare uteris.* Sed asperior hæc censura, quàm vellem. Nec enim solùm sic loquuntur recentiores Medici; verùm & veteres Jurisconsulti: ex quibus solis Latinam linguam, si deperiisset, instaurari posse ajebat Laurentius Valla. Sic apud eos legas, *Restaurari artes*, L. XIV. D. qui in fraudem. *Restauratio servitutis*, L. VII. D. de feudo dotium, & eremodicii. L. VII §. ult. D. de minoribus. item *restaurare accusationem*, L. IV §. D. ad leg. Jul. de adult. *restaurare litem*, L. XXIX §. I D. de minoribus. *restaurare actionem.* L. XXXVII D. de noxalibus, & alia alibi non semel. Quid verò dico Jurisconsultos? Etiam Justini est lib. II: *Interea & Darius, cùm bellum restauraret, in ipso apparatu decidit.* Et alibi: *Ita factâ societate, & auxiliis Gallorum auctus, bellum, velut ex integro, restaurat.* Neque istoc Verderius nescivit; sed ut supercilium hominis videas, IMPERITISSIME ita Justinum loqui ait, & sine exemplo. Ut disertim ficalios loqui neget. At quid si aliquis contendat, eo verbo Trogum esse usum, cujus ἐπιτομὴν scripsit? Is verò Augusti ævo vixit. Verùm neutiquam puto, tum hoc pacto locutos. Interea priores esse secutum, arguit, quòd Justino antiquior Tacitus usurpat. Ut lib. III Annalium: *At Pompeji Theatrum igne fortuito haustum, Cæsar exstructurum pollicitus est, eo quòd nemo è familiâ restaurando sufficeret.* Et lib. IV: *Et Segestani edem Veneris, montem apud Erycem* (malè vulgati; *Erycum*) *vetustate delapsam, restaurari postulavere.* Aliquis contendat, sic Cæsarem ipsum

* Pag. 239.

† Pag. 635.

loqui

loqui lib. 1 de bello Gallico, ubi vetus codex habet: *Vicosq; quos incenderant, restaurare jussit.* Sed non huic insistam. Verius enim censeo, *restituere:* quod in vulgatis, imò & optimæ notæ Mssis, reperio. Potius igitur expendam, quæ pro hoc verbo de origine ejus dissertant. Ajunt, *instauro*, & *restauro*, esse à *stauro*; hæc à σταυρὸς, non prout crucem notat, sed palum †, à στάω, sive ἱστάω, vel ἵστημι. Vel ἀμέσως venire à *sto*, ac idem notare *stauro*, quod stare facio. At quanto verisimilius, venire *instauro* ab *instar*; ut propriè sonet, ad prius instar, sive pristinam similitudinem, reficio. Ita Varro, Festus, Isidorus: nec aliter quisquam veterum. Qui ab optimo ævo recesserunt, *restaurare* dixere, pro *rem* seu, & duobus incerti versiculu originem utriusq; verbi inde adstruit. *restaurare*. Imò & *præstaurare*, pro *præinstaurare*, usurparunt; si stare liceat autoritate Diomedis, qui eo usus pro præstruere. Ita enim scribit lib. 1: *Secundo verò suo usu materiam præstaurat primo dicenti.* Sic igitur statuimus, nihil causæ esse, cur dicamus *restauro*, cùm nulla urgeat necessitas, ut deteriora usurpemus, ubi in promtu certa, tutaque.

† Hanc stauri significationem pro stipite etiam Gemma auctor agnoscit, & duobus

Retari, irretiri. Philipp. Franciæ Rex in Charta Rhotomagensi*: *Volumus etiam, ut nullius eorum possit retari, de usura, nec jurea fiat super eum, vel super heredes ejus.*

* In Chartis Ducum Normanniæ, & Regum Franc. pag. 1063.

Revadiare, seu *revvadiare*, est à *vadium* sive *vvadium*, hoc est, pignus; id verò est à vocabulo *vadis*. Itaque *revadiare* est vadis instar debitorem se agnoscere. Frodoardus in præceptione Caroli R. lib. III cap. IV: *Jubemus, ut quisquis aliquid tenore aliquo ex præfictis rebus tenere, vel possidere cernitur, nonam, & decimam, in Missorum nostrorum præsentia, Misso Ecclesiæ sanctæ Mariæ, vel sancti Remigii Remorum, sive Hincmari venerabilis, revadiet, & annis singulis ad eandem præfatam, & memoratam Ecclesiam persolvere, absq; ullius occasionis contradictione, cum omni vigilantia studeat.* Ut verò *revadiare*, sic & dixerunt *invadiare*; de quo superiùs vidimus.

Reversare, pro denuo versare, vel iterum in orbem agere. Thomas Kempensis lib. III de Imitatione Christi cap. XV: *In manu tua sum; gyra, & reversa me.*

Revestiri, dignatione principis restitui pristinæ dignitati. Legg. Wisigothicarum lib. XII. tit. 1 leg. III: *Quos Celsitudo nostra una cum filiis, per hujus nostræ Legis edictum, & testimonio nobilitatis pristinæ uti, & rebus, quas per auctoritatis pristinæ vigorẽ perceperint, decernimus revestiri.* Similiter postea Leg. XXVII. At in Legg. Alaman. Leg. XIV *revestiri* dicitur, qui induit sacrum habitum, quo in templo fungitur officio.

Revi-

Revitare, in glossis Isidori exponitur reverti. Puto, legendum *rebitere*: quod est redire, à *bitere*, ire; ut *perbitere*, perire, apud Plautum. Vide, quæ dixi Oratoriarum Institut. lib. IX cap. I sect. VII.

Reunio, pro unitatem facio, est apud Manethonem Sebennitam, si audimus doctissimum Matthiam Martinium †: ut qui inde citet in Etymologico: *Balthassare interfecto, reunitam monarchiam in Persas transtulerunt.* Sed Manethos genuinus Græcè scripsit: iste Manethos, unde hæc citantur, suppositicius est fœtus Annii Viterbiensis. Imò neque sic Manethos, sed Metasthenes Annii, qui dici debuit Megasthenes *.

† *In Etymologico.*

* *Virumq; esse suppositiū scriptum, abunde ostensum opere de historicis Græcis, ac Latinis.*

CAP. XXII.

De ordientibus ab RH, vel RV. Rheumatidio, & rheumatizo, *fluxione, sive distillatione laboro.* Rhythmizare, *rhythmicorum more scribere.* Romanizo, *sævio.* Rubiginare, *rubiginem contrahere.* Rubricare, & rubificare, *rubefacere.* Rudio, *rudo.* Rumigero, *divulgo.* Rumigo, *rumino.*

Rheumatidio sæpius pro ῥευματίζω legas apud medicum Theodorum Priscianum. Ut: *si oculi rheumatidiaverint*; qui Græcè ὀφθαλμοὶ ῥευματίζοντες, vel ῥευματιζόμενοι, ut Dioscorides loquitur. Latinè dixeris, fluxu, vel fluxione, vel distillatione laborantes.

Rheumatizare, à Græco ῥευματίζειν, quod itidem Latinè sit fluxione laborare; à ῥεῦμα, fluxio; unde & Gallis *rheume.* Sic ῥευματικὸς, Gallis *rheumatique.* Sed *rheumaticus* nec Plinius refugit. At *rheumatizare* non dixisset. Sanè ubi Dioscorides de elatine ait, φύλλων πλήρης φυφρῶν ὢν τῇ γεύσει· δύναμιν δ' ἔχει ῥευματίζοντας ὠφελεῖν ὀφθαλμούς: id Plinius vertit: *Acerba gustu, & ideo oculorum fluxionibus efficax.* At non aversatur Fulbertus Carnotensis epist. LXXXIII: *An morbus reumatizantis, & nauseantis stomachi.*

Rhythmizare, à Græco ῥυθμίζειν, in Glossis nostris membranaceis exponitur modulari. In Gemma pro eo est *rhythmari.* Id quod Belgæ dicunt rijmen.

Romanizare, in Gemma exponitur, tormentis subjicere, trucidare. A sævitia est Romanâ in martyres, vel gentes devictas.

Rubiginare, rubigine obduci, apud Appulejum lib. III Florid. Onomasticon: *Rubigino*, ἰῶμαι.

Rubricare, in Glossis nostris Mssis, pro rubore inficere, sive rubefacere;

cere; quod apud Silium lib. XVI. Utitur priori Petrus Blesensis epist. V: *Ecclesia dignitates, quas gloriosius martyr rubricaverat sanguine suo.* Imò jam obtinuerit ævo Claudiani: ex quo citant,

\- - - - - - - *rubricaverit ensem.*

Etiam *rubifacere* pro eo est in Glossis nostris Mssis.

Rudio, pro erudio, legas in primis Calepini editionibus. Item in Onomastico est: *Rudio*, ἐκπαιδεύω. Et aliquando obtinuisse, arguere videtur vox *rudimentum*.

Rumigero, divulgo. Glossæ in Cyrilli calce inventæ: Θρυλλῶ, *rumigero, vulgo*. Non memini legere alibi. Sed *rumifero* pro eo est apud Plautum Ampitr. act. II sc. II:

Quamq; adeò cives Thebani verò rumificant probam.

Ita est in omnibus penè Mssis, & editis. Nonius tamen legit *rumiferant*.

Rumigo non ausim dicere, sed *rumino*; etsi utrumque ἀναλογίᾳ nitatur. Appulejus tamen lib. IV Met. *Tunc ventri tam profundo serviens, jam ferme tertium qualum rumigabam.* Papias; *Ruma, gula, unde rumigare. Ruma* est apud Varronem †; & inde *agni subrumi.*

† *Lib. 2. de R. R. cap. II, item Cat. sive de liberis educ.*

Rusare est apud Papiam; sed corruptum è *rugare*. Plautus Casinâ act. II. sc. III: *Vide, palliolum ut rugat.*

CAP. XXIII.

De auspicantibus à syllaba SA. Sabbatizare, *septimo die requiescere.* Sacire, saicire, saisire, *possidendum dare.* Sacrilegare, *sacrilegium admittere.* Sagiminare, *in arvina, seu sebo; coquere.* Sagmare, *onus imponere jumento.* Salvifico, & salutifico, *salvo.* Samiare, acuere. Sanctire, *sancire.* Sannare, *subsannare.*

A Biis, quibus initium facit litera canina, ad ea nunc venio, quibus idem præstat illa ὀφιώδης, ut vocat Halicarnassensis, hoc est, serpentina, seu viperina. Ac primùm adferam, ubi post S consequitur princeps vocalis.

Sabbatizare Tertulliani est adversus Judæos. Sed malim, septimo die requiescere, feriari, sabbathum observare more Judæo.

Sacire à Gallico *saisir*; nisi hoc ab illo. Notat apprehendere, occupare, possidendum dare. Ac pro eodem, cum altera vocali, dicitur

saicire; unde *saisina*, vel *seisina*; de quibus omnibus lib. II cap. XV actum, in verbis barbaris barbaræ originis. Sed hujus etiam loci videri possit, si Gallicum *saisine* factum sit à *sessione*. Sanè jungi solent, *saisine*, & *possession*. Ac *possidere* dicitur ex eo, quòd quis sit *potis sedere*, hoc est, sedem ac domicilium figere. Ut Belgæ à **sitten**/quod est sedere, **besitten** dicunt, pro possidere. *Sacire* per *c* habes in Formulis Solennibus num. XXIX: *Ut ipsas nec vendere, nec donare, —— nec ad proprium sacire, nec hæredibus meis in alode relinquere, —— pontificium habeam ad faciendum.* Ac propè eadem verba legas formulâ sequenti. Sic form. CL: *Ipsam terram ad proprietatem sacire.* Sed frequentiùs in aliis scriptoribus reperio *saicire*; cujus rei varia superiori libro exempla adduximus. Similiterque in vita Karoli, Flandriæ Regis, cap. XXXVIII: *Totum feodum ejus saicivit.* Item *saisire*. Ut in Chartis Ducum Normannorum, & Regum Franciæ *: *Dimittet idem Rex tenementa illa, de quibus prædictâ die saisiti erant, si venerint ad hominagium, & servitium ipsius Regis.* Et paullo pòst † similiter. Ac post multa *: *Item diximus per sacramentum nostrum de clerico, qui tenet laicum feodum. Quòd si clericis injuriosus existit domino, à quo tenet feodum super feodo illo: dominus feodi potest saisire omnia catella clerici.*

* Pag. 1058.

† Eadem pag.

* Pag. 1060.

Sacrilego, sacrilegium admitto. Glossæ in Cyrilli calce inventæ: Ἱερόσυλος, *sacrilegus*. Ἱεροσυλῶ, *sacrilego*.

Sagiminare, in arvina, sive pinguedine, coquere; ut dixi lib. III cap. XLV. *Sagimen*, & *sagimentum*, porcorum pinguedo; ut exponit Gemma. Corrupta esse arbitror à *sagina*; unde *sagmare*.

Sagittare, pro sagittam emittere, sagittâ ferire, rejecimus lib. I cap. XXIII. Nec agnoscit Cælii Secundi Forum Romanum. Quamquam verò non optimæ sit notæ verbum: tamen nec improbæ prorsus. Utcunque enim nec Augusti ætate, nec toto postea seculo videatur fuisse in usu: tamen sub Antoninis obtinuit. Habes enim apud Justinum lib. XLI de Parthis: *Hos pari curâ, ac liberos suos, habent; & equitare, ac sagittare, magnâ industriâ docent.* Usurpat quoque Solinus cap. XXI, ac LXI. Glossæ Cyrilli in calce inventæ: Τοξίνω, *sagitto*. Quid mirum igitur, si reperias apud vulgatum Scripturæ interpretem Psalm. X. 2, & LXIII. 5? Legas quoque in actis Sebastiani: *Sub titulo Christianitatis jussus est ligari in medio campo, & sagittari.* Legg. Burgund. tit. XLVI: *Si servus ille fuerit sagittatus.* Comes S. Pauli epistolâ ad Lovanii sive Brabantiæ ducem †, quæ est apud Godefridum Monachum S. Pantaleonis,

† In scriptoribus veris Germanicarum à Pithœo editis.

leonis, ad annum cIↃIIII: *Exibant turrim, & introibant; sicut, & quando volebant, ad sagittandos nostros.* Ac postea: *Sarjanti in turri latitantes nostris gentibus sagittando importunos faciebant assultus.* Joann. de Hesse, Trajectensis presbyter, qui paullò ante annum vixit cIↃcccc, præfatione Itinerarii sui: *In mari rubro vidi pisces volantes ad tantum spatium, quantum balista posset sagittare.*

Sagmare, onerare clitellis à sagma: quod onus est jumenti sarcinarii. At σάγμα ἀπὸ τῦ σάττειν, quod est onerare. Vox *Sagma* depravata in *sauma* & *summa*, unde *saumarius* & *summarius*, docente Somnero in Glossario.

Salvifico, salvo. Est in Gemma: atque usus vetus interpres Scripturæ Joan. XII. 27. & 47. Glossæ Cyrilli dictæ: Σωτηρία, *salvificatio, incolumitas, salus.*

Salutifico, nihil melius est: licet Christus *salutificator* dicatur Tertulliano lib. de carne Christi cap. XIV, & de Resurrectione carnis cap. XLVII, item lib. V adversus Marcionem. Nempe *Salvatoris* vocabulum, ut videtur, necdum in Africa erat receptum. *Servatoris* verò vocem putavit non satis exprimere Græcum Σωτῆρος nomen. Quamquam hoc Græcum cùm signaret, *conservatoris* pro eo dixerit Tacitus in XV Annal. *Conservatoris sibi nomen Graco ejus rei vocabulo assumsit.* Vide, quæ de *Salvatoris* vocabulo * *inferiùs* dicam in falsò damnatis.

* *Vbi ? fortè altero volumine quod promisit.*

Samiare, Nonii Marcelli ætate, dicebant, pro acuere: atque ait idem, hoc verbi esse ex eo, quòd *Samius* ponatur pro *acutus*. ut illo Lucilii:

Testam sumit homo Samiam. - - - - - -

quâ videlicet sibi præcideret virum, sive genitalia. Sed testa Samia hîc dicitur, quæ ex Samo advecta. Quam acutam quidem esse oportuit, si eâ præciderentur testes. At non eò *Samius* idem, ac acutus; non magis, quàm ut eò acutum notet, qui Pythagoras Samius erat acutus: unde de eo Ausonius *:

* *Epist. 5.*

Anticipesq; tuum Samii Lucumonis acumen.

Interim rectè Nonius ait, *samiare* usurpatum pro acuere. Nam & Aureliani Imperatoris est in quadam epistolâ: *Arma tersa sint, ferramenta samiata, calciamenta fortia.* Ac similiter *samiarius*, ἀκονητής †. hoc est, qui cote gladios, & similia, acuit. Sic & Mauritius * Imperator σαμιάτωρας appellat. Sed ut hæc Nonio favent, *samiare* exponenti *acuere*: ita nihil juvant in eo, quòd *Samius* exponit *acutus*. Nam vera ratio est

† *Vide Rigaltii lexicon ex* Σαμιάτωρες

* *In primo Strategemat.* ex *cap. 7.*

ex eo, quòd in acuendis gladiis, cultrisque, & aliis, uterentur Samiâ cote, quæ acuta.

Sanctire in Gloſſarii noſtri membranis exponitur affirmare. Puto, librarii eſſe errorem, ac reponendum *ſancire*. Sanè, ſi ἀναλογία attendatur, altero potiùs uſi forent pro ſanctum facere, conſecrare.

Sannare in Gemma legas. Sed veteres prætulere compoſitum *ſubſannare*. In Gloſſis tamen Philoxeni eſt: *Sannator*, μυκτηριστής.

CAP. XXIV.

De inchoantibus à SC. Scalpitare, *crebrò ſcalpere: ut* ſculpitare, *ſæpius ſculpere.* Scapellare, *ſcalpello incidere.* Scarifico, *ſcarifo, ſive cutem ſcalpello aperio.* Scarpinare, *fodere.* Schematizare, *ſchemate, ſive figurato ſermone, latenter aliquem tangere.* Scopare, *ſcopis verrere*: ſcopere, *pro eodem*; *vel pro conſiderare*: ſcobare, *fodere.* Scrutino, *ſcrutor.*

COnſequuntur ea, ubi literam S excipit C.

Scalpitare, & *ſcalpitare*, in Gloſſarii noſtri membranis exponuntur crebrò ſcalpere, vel ſculpere. Nam utrâque vocali hæc duo ſcripſere; ut Græci dicunt γλάφω, & γλύφω. Sed frequentativis hiſce tum demum utar, ubi idoneum invenero auctorem. In iisdem Gloſſis reperio *ſcalpturio*, & *ſcalpurio*. Quorum poſterius improbant multi. Sed immeritò, cùm Plauti ſit, & inde *ſcalpurigo* legamus apud Solinum: quemadmodum dicam in verbis falſò damnatis.

Scapellare, pro ſcalpello, vel aliter, incidere: Gallicum *ſcapeller*. Gloſſ. Philox. *Scapellat*, καταχίζει, καταχνίζει. Aliæ, *Scapellare, incidere, frangere.* Rotharis Rex Legum Longobard. lib. 1 tit. xi x leg. v: *Scapellare alterius molinum.* L. vi; *ploum, aut aratrum.* L. vii; *vitem alienam*; item, *tranicem* * *de vite alienâ.* L. viii; *clauſuram.* L. xx; *Siquis caballo alieno caudam capellavit* (lib. ſcapellavit) *id eſt, ſetas traxerit*; *componat ſol.* vi. Item ejusdem lib. 1 tit. xxv leg. Lxvii: *Siquis latro de uno furto probatus fuerit, perdat oculum: & ſi de duobus furtis probatus fuerit, naſus ei ſcapelletur: & ſi de tribus furtis probatus fuerit, moriatur.* Minùs placet, quòd Ludovicus de-la-Cerda, ait †, *ſcapellare* junioribus idem eſſe, ac ſcapellis, ſive fuſtibus, batuere. Nempe quia in Iſidori Gloſſis legere ſit, *Scapulum, fuſtis longus.* Quod à *ſcapus*; quomodo etiam dixere radium textorium licio involutum. Lucretius lib. v:

* Tranicem *dixerat barbarè, pro* traducem.

† *Advers. Sac. cap.* 141. §. 179

In-

Infilia, ac fusi, radii, scapique sonantes.

Scarifico, scalpello incido, sive cutem aperio. Doctus noster amicus putabat, dici sic, quasi *schasifico*, ut vox composita sit; posterior autem pars *facio*; quod inde adstruebat, quia & *scarifico* dicatur passivè. Ut apud Scribonium Largum *: *Malagma ad lumborum dolorem, qui antè leniter scarificant.* Priorem partem censuit esse χάσαι vel χάσις; quæ χάζω, cutem incido; ut χάσματα, incisuræ cutis scalpello factæ. Hæc speciosè dicerentur, nisi duo obstarent. Prius est, quòd Græcè σκάριφος sit scalpellum, eove facta scissio, rasio: atque inde σκαριφάομαι, & σκαριφίνω, scalpello incido, vel aperio. Hesychius: σκαριφᾶσθαι, ξύειν, σκάπτειν, γράφειν, ὅθεν καὶ ὁ σκάριφος. Alterum est, quòd & Latini à σκαριφῶ dixere *scarifo*. Plinius lib. XVII. cap. XXVII: *Scarifatio quædam in mediis.* Et lib. XXII. cap. XXIII. de lasere: *Pedum clavos circumscarifatos ferro.* Ita in vetustis esse libris, ὁ πάνυ Salmasius notavit ad Solinum †. Glossæ Philoxeni: *Scarifat*, καταχίζει, καταχίζει, καταγράφει. *Scarifo*, χαράσσω, καταχίζω. Sic igitur statuo, rectiùs dici *scarifo*, & hoc esse à σκαριφῶ: à *scarifo* autem * corruptum esse *scarifico*.

* Cap. 262.

† Pag. 590.

* Plinio tamen scarifico placuit, notante Rhodio ad Scribon. p. 327

Scarpinare in Glossis nostris exponitur fodere, more gallinarum. Id Plauto est *scalpturire.* Quare censeo, legendum *scalpinare*: quod à *scalpo* erit; ut à *suffarcio suffarcino*, unde *suffarcinatus*; à *sto*, sive *stare*, *stano*, unde *destino.* Pluraque id genus adduximus in tertio de Analogia cap. XLVI.

Scenofacio in Catholico exponitur funes facio, sive restio, vel restiarius sum. Sed confundit σκηνὴν ποιῶ, tabernaculum facio, à quo sit σκηνοποιὸς: & σχοῖνον ποιῶ, funem sive restem facio, unde est σχοινοποιὸς, ac, Latinâ ratione scribendi, non *scenopœus*, sed *schœnopœus.* Quare *scenofacio* sit tabernacula facio; *schœnofacio*, funes facio. Quam interpretationem etiam Catholicon postea adducit: utcunque ὀρθογραφίαν non observârit.

Schematizare in Glossis nostris missis exponitur *figuratè*, *umbraticè loqui.* Ubi ea attenditur significatio vocum σχῆμα, & σχηματίζεσθαι, qua præsertim his utimur: nempe cùm latentem injicimus suspicionem rei, quam apertè nolumus dicere. Quomodo Martialis ait lib. III. epigr. LXVIII:

Schemate non dubio, sed apertè nominat illam.

Vide, quæ in Oratoriis Institutionibus diximus lib. V. cap. VI. sect. VII.

Scopare, scopis verrere, ac mundare. Ita Fortunatus de vita S. Rade-

gundis lib. 1: *Scopans monasterii plateas simul, & angulans.* Imò multò antè legas apud Latinum Scripturæ interpretem Esaiæ XLV. 23: *Scopabo eam in scopa terens.* Et Psalm. LXXVI. 7: *Et scopabam spiritum meum.* Prout etiam est apud Petrum Blesensem epist. XIV. Hoc est, verrebam animum meum scopis cogitationum, ut sanum ferrem judicium de providentia divina. Quamquam posteriori loco libri aliqui non *scopabam* habent, quod Titelmannus mavult: sed *scopebam*; uti & legit Nestor Novariensis in Vocabulario. Si hoc magis placet, dubitem, num *scopebam* idem sit, ac *scopabam*; nempe scopis purgabam: an notet considerabam, ἀπὸ τῦ σκοπεῖν. Nisi scribendum sit *scobebam*, ut Bruno Carthusianus legit; vel *scobabam*, quando apud Papiam, inque glossis nostris membranaceis, est *scobare*, *fodere*, puta à *scobe*; uti hoc, & *scobina*, à *scabendo*. Et istoc magis convenit cum LXX, qui in Psalmis habent verbum σκάλλω, fodio, scalpo. Ut Aquila σκαλίνω, quod idem notat. *Scoparius*, cujus ministerium est scopis purgare.

Scrutino, scrutor, inquiro. Lucifer Carallitanus lib. 1. adversus Constantium sic Scripturæ verba adducit: *Scrutinabo Hierusalem cum lucerna.* Pro quo alii dixissent, *scrutinium faciam super Hierusalem.* De *scrutinii* voce antea * vidimus. *Scrutino* est ab antiquo *scruto*, pro scrutor, scruta verso, ut inveniam, quod quæro. Nimirum quâ formâ à *nego*, *negino*; à *runco*, *runcino*. Vide, quæ paullo antè dixi in *Scarpinare*.

* *Lib. 3. cap. 47.*

CAP. XXV.

De inchoatis ab S, sequente secundâ, tertiâ, vel quartâ vocali. Securiare, *securum præstare.* Sellare, *ephippium equo insternere, vel hominem dignitate aliquâ ornare.* Sententiare, *sententiam ferre.* Sentito, *paullatim intelligo.* Serrare, *serrâ præcidere, vel secare.* Setaciare, *cribro subcernere.* Setare, *penicillo è setis mundare.* Sigillare, *pro obsignare.* Signio, *pro signo.* Simonizare, *pretio acquirere munus aliquod Ecclesiæ.* Simplificari, *magis magisque abhorrere à moribus subdolis.* Simultare, *simultatem exercere.* Singulare, *singulatim constituere, vel memorare.* Sinjugare, & sinjugiare, συζυγεῖν. Situari, *situm esse.* Sobriefacio, *sobrium facio.* Solatiari, *consolari.* Solemnizo, *solemni ritu festum celebro.* Solo, & insolo, *Soli expono, ut quid calore ejus siccetur.* Solvisare, *notis Musicis canere.* Sophisticare, *sophistas imitari.* Sororisso, *sororio similis.*

Secu-

Securiare, securum reddere. Gesta Francorum, & aliorum Hierosolymitanorum, lib. IV. cap. XIII †: *Congregati itaque sunt omnes Majores nostri, & ordinaverunt consilium, dicentes: Faciamus castrum in vertice montis Maregart, qui mons est super hostem Boamundi, quod securiat, ut tuti possimus permanere de Turcorum formidine.* † Pag. 10.

Sellare quandoque accipitur pro sellam equestrem, sive ephippium potiùs, jumento imponere: quandoque etiam pro in sella constituere. Cæsarius lib. XII. Miracul. cap. V: *Fratrem autem tuum Lambertum sic sellavimus, ut nostrum jus evadere non posset.*

Sententiare, apud Matthæum Parisium in Historia, & Vitis, pro judicare, sive sententiam, ut judex solet, pronunciare. Usurpat etiam Philippus IV. Gall. R. in Edicto de lib. Oblat.*. Et Thomas à Kempis lib. III. de imitatione Christi cap. I: *Non me sinas, secundùm auditum aurium hominum imperitorum, sententiare.* Damnatus sententiâ Ecclesiæ *sententionatus ab Ecclesiâ* dicitur Thomæ Aquinati. * Pag. 192.

Sentito, pro *sentio*. Isidorus in Glossis: *Sentitare, in animo sensim dijudicare*, Analogia requireret *sensito*, à sensum: ut à pensum, *pensito*; à venditum, *vendito*. Quamquam & dicere possis, ut ab ago, *actito*; à quæro, *quærito*; sic à sentio esse *sentito*. Sed quis veterum sic locutus?

Serrare, serrâ dissecare, ut exponit Gemma. Imò & id verbi agnovit Calepinus; & ab eo deceptus is, qui Thesaurum R. Steph. exscribens, Forum dedit Romanum, aliique. Tuentur se illo Silii lib. VI.

— — — — — *Comantes*
Anno serravit ramos lunonis anguis.

Sed in bonis omnibus codd. est *servavit*: quod sententia requirit. Signat draconem aurea Hesperidum mala servantem: de quo, præter Græcos, Valerius Flaccus in IV. Argon. imò & Maro IV. Æn.

Setaciare in Gemma exponitur cribrare, **buydelen**. Nempe formatum à *setaceus*: quia cribrum pollinarium fit è setis. Dixerim, *subcernere cribro** vel *incernere* †, vel *cribrare**. * Plautus Pseud. Cato cap. 18. Plin. lib. 18. cap. 11. † Cato cap. 48. * Columella, & Plin.

Setare ibidem transfertur **boorstelen**. Malim περιφράζειν hoc pacto, caput setis mundare; vel penicillo è setis purgare à sordibus, sive furfuribus, ac pedibus.

Sigillare epistolam, non ausim dicere; sed, ut Cicero, *signare*, *consignare*. Contrà afferunt, quòd Cicero Verr. VI. dicat, *scyphos sigillatos*. At unde hoc, inquiunt, nisi à *sigillare*? Atqui non omnia in *atus* sunt à verbis. Nec enim *togatus* est à *togare*, sed *toga*: parque ratio in *capillatus*, & simili-

† *Apud Nonium in* Sugillare.

similibus. Præterea obducunt hoc Varronis in Geminis †: *Contrà lex Menia est in pietate, Ne filii patribus luci claro sigillent oculos.* Quod interpretantur, *claudant, & quasi obsignent.* Nempe ut sententia sit, ne filii parentibus adhuc spirantibus oculos claudant, atque ita eorum mortem maturent. Sic cepit Antonius Augustinus, Tarraconensis Archiepiscopus. Sed in melioribus Nonii codd. etiam optimis membranis nostris, est *ſugillent*, vel *ſuggillent*; quod est ὑπωπιάζειν. Et ut *ſigillare* malis, possit esse sententia, Ne officium hoc occludendi oculos liberi parentibus præstent, nisi creperâ luce; uti fenestris clausis, vel velario obductis.

Signio dicant, qui βαρβαρίζειν amant. Rectum *ſigno*, vel *insignio*.

Simonizare, in Gemma, Simonis magi exemplo emere velle honores sacros, sive Ecclesiasticam dignitatem. Magus tamen ille non tam emere voluit munus aliquod, ad sustentationem vitæ; quàm donum miraculorum, rem spiritualem. Quare licet utrumque sit improbum: tamen laxè nimis *Simonia* vox extensa. Vide, quæ de Simonia legere est in Summa Cajetani, & Scholasticorum aliis.

Simplificari, simplicem fieri; ut duplicari, duplicem reddi. Thomas Kempensis de imitatione Christi lib. 1. cap. III: *Quanto aliquis magis sibi unitus, & interiùs ſimpliſicatus fuerit.* Hoc est, quanto plus abhorrebit ab astu hominum versipellium, sive duplicium; quomodo *duplex* dicitur Ulysses Horatio lib. 1. od. VI. Ac similiter Græci versipellem διπλοῦν nuncupant; in his Euripides Rheso.

Simultare in eâdem Gemmâ, pro simultatem cum aliquo gerere, vel inter se simultatem exercere.

Singulare, apud Papiam, & in Gemma; pro seorsum constituere, sigillatim memorare, singulo equo vehi. In Glossis tamen est, *Singulator*, ἱππαρχὴς χίλης. Nempe qui privo equo currit: unde priùs *Celeres*, qui postea *Trossuli*.

Sinjugare in Gemma exponitur conjugare: ut *ſinjugia*, copula. Similiter veteres membranæ: *Sinjugiare, copulare, conjugare, confederare.* Nempe corrupta ex συζυγία, & συζυγεῖν.

Situare in eâdem docetur esse idem, ac collocare; ut *ſituatus*, ordinatus. Sed pro *ſituatus*, situs, dicendum; pro *ſituare*, statuere. Etsi non ignorem à situ *ſituoſus*, & inde *ſitnosè* legi; sed significatione longè aliâ; ut liquet ex Marcello.

Sobrie-

Sobriefacio, sobrium reddo, Appulejus lib. VIII. Metam. *Nec isto sermone sobriefactus Thrasyllus.*

Solatiari, solatio reficere ac recreare. Gregorius M. lib. I. epist. XIII: *Huic vos solatiari, in quo sibi necesse fuerit, admonemus; nullusque sit ei de quolibet molestus articulo.* Sic epist. XIX: *Solatiante Domino nobis.*

Solennizare, in Gemma, & veteribus membranis nostris, solenne festum ago, vel celebro, vel etiam ritu solenni cohonesto. Petrus Blesensis serm. XXIV, habito in festo S. Germani Confessoris: *Satagamus ergo sic solennizare, ut principi testium cedat ad gloriam, glorificatis testis ad venerationem, nobis venerantibus ad salutem.* Cæsarius lib. IX. Mirac. cap XV: *Solennizantibus eis in vesperis circa altare, & insanientibus, unus ex eis pyxidem, quæ super altare cum corpore Domini pendebat, casu evertit, & quinque ex ea hostias excussit.* Et lib. XI. cap. II: *Totâ nocte solennizabam.* Beka in Ridfrido: *Stephanus Papa, descendens ad Franciam, solennizavit imperialem benedictionem in civitate Senensi.* Suppositicius Ovidius lib. I. de Vetula:

Econtra durum est solennizare, quod ille Conculcat.

Solo, & compositum ejus *insolo*, ad solem calefacio, vel sicco; ut Græcis ἡλιάζειν ab ἥλιος. Compositum est in Glossis Cyrilli dictis: ἡλιάζω, *aprico.* ἡλιάζομαι, *insolor.* Simplex corruptum in lexico veteri: ubi est, *Solidatur*, ἡλιάζεται. Item, *Soliclatur*, ἡλιάζεται. Omnino enim *Solatur* utrobique legendum.

Solsatire, vide superiùs in *Solsatis.*

Solvisare in Gemma exponitur canere notis Musicis, quarum quinta est *sol*: uti quarta *fa*; eoque fortasse dixerint potiùs *solfasare.*

Sophisticare in eâdem, pro Græco σοφιστεύειν, sophistam agere, verborum laqueis decipere.

Sororisso in Gloss. Mss, sorori assimilor. At vetera sunt, & proba, *sororiare*, ac *fraterculare*: sed aliâ significatione, ut dicet Festus.

CAP. XXVI.

De iis verbis, quibus prima litera sunt SP, ST, SV, SY. Spadare, & spadonare, *castrare.* Spargitare, *sæpius spargere.* Spatulari, *delicias facere.* Spermatizare, *sementare, vel semen emittere.* Sponsare, *despondere.* Sportulare, *sportulam mittere.* Stancare, *sistere.* Stannare, *stanno illinere.* Stercorizare, *stercorare.* Stirpare, *stirpitus evellere.* Stragulare, *stragulum texere.* Strenare, *strenam mittere.* Stoppare,

occludere, sive obturare. Stupidare, *crebrò stupere.* Subalternare, *nunc superiorem esse, nunc inferiorem.* Subaudio, *in aliquo, quod non exprimitur, intelligo.* Subhasto, *hasta subjicio.* Subintelligo, *subaudio.* Subitare, *subitò prævenire.* Subnervare, *nervos succidere.* Substantificare, *substantiam creare.* Subtiliari, *attennari.* Subulare, *perforare corium ad suendos calceos.* Succulcare, *conculcare.* Sudorare, *sudare.* Sufferrare, *ferreas jumento soleas subdere.* Suffraginare, *poplites flectere, vel suffragio suo aliquem juvare.* Summare, *summatim enarrare; unde* Summator *Papa dictus.* Suppalliare, *occultare.* Supercapitare, *præcellere.* Superimplere, *accumulare.* Supervidere, *perlustrare.* Suppodiare, *innixi.* Surdare, *surdum reddere.* Sutelo, *consuo.* Syllogizare, *rationari.* Symphonizare, *symphonia canere.*

NUnc verba cætera, ab S inchoata, quæ se hoc tempore animo offerent, prosequamur.

Spadare, castrare; ut Lege Salica Tit. XL. §. III, *spadatus caballus.* Plura de hac voce apud Lindenbrogium in *Glossario* vide, voce *Spadare.*

Spadonare, cremasteres evellere, unde colei dependent. Habes etiam in Gemma, & in medicis junioribus.

Spargitare in Glossarii Missi membranis exponitur, frequenter spargere, aspergimare: quod nec ipsum in usu est.

Spatulari, delicias agere, σπαθᾶν. Vide superiùs *spatula.*

Spermatizo, σπέρμα, sive semen emitto. Agnoscit Gemma: sed nesciunt scriptores boni Latini dico. Nam σπερματίζω, & ἐκσπερματίζω, est apud LXX: ἐκσπερματίζω etiam apud Aristophanem, & Aristotelem.

* *Cap. 22. Observatum è vett. libb. Salmasio ad Solinum. In vulgatis, etiam illa Rob. Constantini, & Pithœana ejs, sanguinis restringendæ. In Manutiana autem ejs, sanguinis abstinendæ.*

Sponsare, pro despondere filium, vel filiam, non ante Antoninorum tempora in usu fuisse puto: attamen apud Paulum J.C. legas.

Sportulare, sportulam, sive munera, ab Ecclesia accipere. Cyprianus epist. LXVI: *In honore sportulantium fratrum, tanquam decimas ex fructibus accipientes, ab altari, & sacrificiis non recedant.* Vide de his Baronium in Annal. T. I. an. LVII. num. LXXXIV. De Romanorum sportulis varii ad Martialem, & alios adnotarunt.

Stancare, pro *sistere*, ex Græco στυγνῦν, constringere, non transmittere, ut solent vasa futilia, ac rimosa. Nempe ex στυγνῦν, *stancare*; ut, secundùm Varronem, & Festum, *stagnum* ex στυγνὸν, quia aquam contineat, & constringat. Habes in lemmate apud Sammonicum *: *Ad medendum rejectionem cibi, & sanguinem stancandum.*

Stan-

Stannare, stanno obducere, sive illinere; ut Plinius loquitur lib. XXIV. At *stagnare* aliud est: nempe λιμνάζειν. Quamquam in vett. Glossis sit, *Stagno*, ἐκτηκαλῶ, γανῶ, Ubi *stagno*, & *stanno*, confunduntur. Gemma: *Stannare*, verfinnen. Nempe à *stannum*, tin. Nec dubium, quin tin sit à *stannum*: quamquam significatione differant †.

† *Vide Plinii lib. 34. cap. 16. & Georgium Agricolam, in Burmanno cap. 24.*

Stercorizare, in Gemma, & alibi, pro eo, quod Columellæ, Plinio, atque aliis, *stercorare*: hoc est, agros fimo inspersо reddere fecundiores.

Stirpare, à *stirps*, pro stirpitus evellere, amputare, vel ablaqueare. Constitutiones Caroli Magni *: *Nec* (die Dominicâ) *in sylvis stirpare, vel arbores cædere*. Agnoscit & Gemma.

* *Pag. 257. edit. Moguntin. an. 1602.*

Stragulare, in Gemma, ad modum stragulæ vestis aliquid texere.

Strenare in Gemma, pro strenam novo anno mittere, & universè munusculum dare.

Stupidare, in Glossarii membranis exponitur frequenter stupere. Pro eo ἀναλόγως foret *stupitare*. At neutrum obtinet: imò nec *stupeo* supinum habet, unde id veniret.

Stuppare ἀμέσως ex Belgico stoppen: hoc à *stuppa*, sive *stupa*; vel Græco στύφειν †, unde *stupa*, στυππίον. Lex Alamannica Tit. LXXXII. §. II: *Medicus cum medicamento, aut serico, stuppavit, & postea sanavit.*

† *Occludere, obstruere stupâ.*

Subalternare, alternis superiorem esse, ac inferiorem. Pseudo-Ovidius in I de Vetula:

Seque subalternant, modo victores, modo victi.

Nempe ut genus, & species, ὑπάλληλα, sive subalterna, dicuntur; quia genera sunt inferiorum, & species superiorum. Quale in singularibus, quòd Atreus filius est Pelopis, pater verò Agamemnonis.

Subaudio in Gemma exponitur, aliud audio, aliud intelligo. Non arbitror, ante tempora Antoninorum inveniri. Primus, ut puto, ex iis, quos habemus, usus Ulpianus L. I. in fi. ff. de hæred. inst. *Sed & ipsa valebit, subaudito jubeo.* Papias: *Subaudis, intelligis, animadvertis.* At *subauscultare* longè aliud Plauto; cui notat leviter auscultare.

Subhastare idem, ac subjicere hastæ, sive, ut Cicero loquitur Philipp. II, *voci subjicere præconis.*

Subintelligo vox est Grammaticorum: pro qua Ulpianus, ut jam vidimus, *subaudio*. E. G. quando dico *natalis meus*, ajunt subaudiri, vel subintelligi *dies*. Hîc dixero, in *natalis* vocabulo intelligi *dies*.

Subitare, pro *inopinatò supervenire*, vel *subitò prævenire*. Pontius diaconus in vita B. Cypriani: *Cum militibus suis princeps repentè subitavit;*

ut verius dixerim, subitâsse se credidit. Unde enim posset, tanquam improviso impetu, mens semper parata subitari?

Subnervare, pro nervos succidere, in Gemma reperio.

Substantificare, substantiam creare. Arnoldus Ordinis S. Francisci in vita B. Angelæ de Fulgineo cap. XXII, §. CCLIV: *O divina persona, quæ dignasti nos substantificare in medio substantiæ tuæ.* Essentia substantiæ, sive id quo substantia est, *substantentas* Scholasticis dicitur.

Subtiliari, attenuari. Usurpat Petrus Cellensis lib. IX. epist. II: *Qui verò, calcatis grossioribus carnis faculentiis, cubilia spiritûs ingressi, subtiliari in spiritualibus consueverunt, in amicis quærunt gratiam, non pecuniam; fidem, non extrinsecam possessionem.* Etiam *subtiliare* dixerunt pro subtiliter agere: ut interpretatur Glossarium nostrum in membranis exaratum.

Subulare, in Gemma, subulâ perforare pellem ad suendum calceos.

Succulcare, in eâdem, sub se calcare. Etiam additur, pro eo dici *suppeditare*, quasi sub pedibus calcare. Sed *suppeditare* aliud est. Nec *succulcare* puto idoneo niti auctore.

Sudorare, in Gemma, & membranis nostris, exponitur sudare, sudorem emittere.

Sufferrare in Gemma est idem, ac ferreas equo soleas subdere, vel suppingere, Plinio calceare equum. Qui & meminit calceatûs camelorum, *ne fatiscant longiori itinere.* Idem narrat, ut Nero jumentis delicatioribus calceos induxerit argenteos, Poppæa etiam aureos. De ferrea mulæ solea est apud Catullum epigr. XVII. Nec fortasse antiquior est, qui jumentorum calceatûs faciat mentionem.

Suffraginare in Catholico, & Gemma, exponitur flectere genua. Sed aliud genua, aliud suffragines: genua anteriùs flectuntur; suffragines sunt ὀπισθίδια, atque ita dicuntur, quòd subtus fragantur. Papias confundit duo hæc, *suffragari*, & *suffraginare*, vel *suffraginari*. Nam ad posterius pertinet, quòd *suffraginatus* exponit *fractis cruribus.* Ad alterum, quod subdit, *vel in locum decidentis* (leg. decedentis) *substitutus.* Hoc vult, *suffraginatus*, vel potiùs *suffragatus*, esse idem ac suffragatione suffectus.

Summare agnoscit Gemma, pro, summa rerum capita annotare, summatim dicere. Sic usurpat Alexander VI, Papa, in bulla † de Institutione summatoris: *Cum itaque officium recipiendi, videndi, summiandi, & re-*

† Bull. Tom. 2 pag. 351.

& referendæ literas Apostolicas, &c. Hinc, qui in epistolis observat præcipua capita, eaque Papæ suggerit, *summator* dictus: ut paull pòst: *Motu proprio, non ad alicujus nobis super hoc oblatæ petitionis instantiam, sed de nostra mera deliberatione, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, officium Summatoris literarum per Cameram prædictam expediendarum hujusmodi, ad instar aliorum dictæ curiæ officiorum perpetuorum, auctoritate Apostolicâ, tenore præsentium erigimus, & instituimus.* De iis & videri potest Bulla Paul. V. Bullarii, ut vocant, Tom. II*. De *assummandi* verbo actum cap. 1 hujus libri. * Pag. 233. & 234.

Supercapitare, propriè, toto capite supereminere; κῦ μετφορᾶν, laudes, vel vitia aliorum, supergredi. Ascanius epist. ad Humbertum: *Quid Hunnorum rabiem commemorem, aut Normannorum fortitudinem? cùm hi sanguinales canes non tantùm Hunnis rabie, sed & robore Normannos, longè supercapiunt.* Nisi scripserint *supercedant*; quod simile fere sit, ac *supergredi*, & *antecedere*.

Superimpleo, pro cumulo, reperio. Sed Latinum non est.

Supervidere, quâ formâ Belgæ dicunt **oversien**/ hoc est, curiosè, attenteque inspicere. Thomas Walsinghamus in Richardo II †: *Præceperunt eis, ut diligenti scrutatione superviderent obligationes, & chartas præfatas.* Latinè sit relegere, perlustrare, atque aliter. † Pag. 262.

Suppalliare in membranis nostris explicatur occultare. Propriè sit, sub pallio abdere.

Suppodiare in membranis iisdem Glossas continentibus simpliciter exponitur inniti. Propriè foret, inniti podii parti eminenti, quæ est instar pulpiti.

Surdare, pro *surdum facere*. Leg. Bajuvar. cap. VII tit. X, §. IV. *Si eum surdaverit, vel sic plagaverit, ut claudus permaneat.*

Sutelo, suo. Gloss. Ῥάπλω, *sutello*. *Sutelo* autem à *sutela*, quod à *suo*. Festus: *Sutelæ, dolosæ astutiæ, à similitudine suentium dictæ sunt.* Gloss. Philox. *Sutela*; ἐνέδρα, ἐξαπάτησις, δόλος. Onomasticon: *Sutela*, κακοῤῥαφία. Nempe quomodo apud Comicum est, *consutis dolis*.

Syllogizare pervulgatum semibarbaris, à Græco συλλογίζεσθαι. Latini pro eo *ratiocinari*.

Symphonizare, in Gemma, pro eo, quod Ciceroni in Verrinis, *symphoniâ canere*. Unde & pueris symphoniacis nomen.

CAP. XXVII.

De incipientibus à T litera, sequente A, E, vel H. Tabulare, *tabulis construere.* Taciturio, *tacere statuo.* Tædeo, *tædet me, vel pertæsum est.* Taratantarizare, *tubâ clangere.* Tartidare, *tardiorem esse.* Taurobo-liare, *Deûm matri sacrificium facere taurorum.* Tegulare, *tegulis sternere.* Telare, *differre.* Tenebrare, *obscurare.* Tenebricare, *obscurum reddi.* Tenorare, *in symphonia canere eo cantu, qui* Tenor *dicitur.* Tensitare, *crebrò tendere.* Tepidare, *tepefacere.* Tescuare, *castrare.* Tesserare, *tesseris ludere.* Testimoniare, *testari.* Texitare, *frequenter terere.* Thesaurizare, *thesaurum congerere, vel in thesauris recondere.* Theologare, *de divinis disserere.* Theorare, *contemplari.* Thurificare, *thura incendere.*

ORdo nunc ducit ad T literam.

Tabulare, tabulis consternere, vel constituere; ut est in Gemma, Foro Romano, Calepino toties recocto. Sed auctoritatem desidero. Compositum tamen *contabulare* est Cæsaris, Plinii, Tranquilli. Imò fortasse & simplex aliquando in usu fuit: cùm dicatur *tabulatorum turris, tabulatus transitus*, & similia.

Taciturio novè formatum, pro tacere desidero. Sidonius lib. VIII epist. XVI. *Unde cognosce, quòd etsi tacere necdum cœpimus, certè taciturire jam deliberavimus*; hoc est, deliberavimus, an non deinceps tacere velimus. Vel *deliberavimus* μεταληπτικῶς ait pro *decrevimus*.

Tædeare, aversari, refugere, tædium capere, & præ se ferre. Lampridius in Alexandro Severo cap. XXIX: *Neq; unquam tadiavit, aut morosus, aut iratus resedit, fronte semper pari, & latus ad omnia.* Vegetius de Re Veterinaria lib. III cap. II: *Inter exordia igitur tadianti bovi adversus omnes morbos potio ista succurrerit.* Glossæ Philoxeni: *Tædeo*, ἀθυμῶ. Ubi ἀθυμῶ rescribendum. Glossæ Cyrilli: Σιχαίνομαι, *tædeo, tædesco.* Ibidem: Σιαίνομαι*, *tædo.* Sed rescribendum, ut antè, Σιχαίνομαι, *tædeo.* Gemma: *Tediare, fastidire,* verdrieten. In eâdem, *Tedere, movere, tremere.* Sed id ineptum. De *attædiare* vidimus libri hujus cap. I.

* Phrynichus pro barbaro habuit. Est à σιχὸς, quod Hesychio ἀνδρὸς.

Taratantarizare in Gemma legas, pro tubâ clangere: videlicet à *taratantara*, quod est Ennii de sono tubæ: ut Servio monitum ad IX Æneidos, & Prisciano lib. VIII.

Tar-

Tarditare est in membranis Glossarii nostri Mssis, pro frequenter tardare, ac ἀπλῶς, tardare, &, ut prisci dicebant, bovinari †. † *Agell. lib. xx. cap. 7.*

Taurobolari, Magnæ Deûm matri taurobolium facere. *Taurobolium* verò sacrificium taurorum; ut *criobolium*, arietum. Hinc in veteri inscriptione Romæ, *tauroboliatus*, qui taurobolium fecit. Ac in iisdem *tauroboliata*, de femina, quæ sacrum hoc feciſſet. Verbum ipsum usurpat Lampridius in Antonino Heliogabalo: *Matris etiam Deûm sacra accepit, & tauroboliatus est, ut typum eriperet.* Ita in veteri codice, eoque optimo, reperit Salmasius. Quem adi Notis ad locum memoratum, &, si tanti, nostra etiam, quæ adducimus lib. II de idololatriæ ortu, & progressu, cap. LII, & LIII.

Tegulare, ut in Gemma legitur, domum contegere tegulis. Quod primus fecit Cinyras; ut est apud Plinium lib. VII cap. LVI.

Telare, in Gemma, pro differre, prolongare. Sic scio in Digestis sumi *protelare*. Antiquioribus *protelare*, propellere.

Tenebrare, in Gemma, pro tenebras inducere. Tertulliani tamen in Apologetico est, *contenebrare incesta*. Ejusdem est, *tenebricare*, pro tenebricosum fieri. In Gemma pro eo *tenebrescere*.

Tenorare, in Gemma **underſingen**/à cantu, qui in symphonia vocatur *Tenor*. Unde in eâdem Gemmâ, *Tenorista*, **Underſanger**.

Tensitare, crebrò tendere; ut in Mssis Glossarii membranis reperio, ἀναλόγως satis formatum. Sed, nullo auctore, utar invitus.

Tepidare Gemma interpretatur, tepidum facere: pro quo cum Cicerone, & aliis, dixero, *tepefacere*. Tueatur aliquis *tepidandi* verbum Plinii auctoritate. Sed non tam ipse usurpat, quàm alios uti ait; non Romanos, sed Sulmonenses; nec in quovis argumento, sed vitium remediis. Hoc ostendunt illa lib. VII cap. XXVI: *Ne frigus vites aduras, circumfunduntur riguis, quod ibi tepidare vocant.* Sermo est de Sulmonensi agro.

Terrefacio, pro terrorem adfero, vulgare magis est, quàm probum.

Tesquare in Gemma exponitur castrare: uti *tesquator*, castrator. Nempe à *tesquis*; quâ voce, ut ibidem legas, loca signantur, ubi castrantur animantia. Sed quid *tesqua* sint, vel *tesca*, melius docet Varro. Et *tesquare*, ac *tesquare*, barbara sunt.

Tesserare, secundùm Gemmam, tesseris ludere. Sed non est in usu veterum. *Contesserare* tamen Tertulliani est lib. de Præscriptionibus cap. XXXVI. Ubi *contesseratio hospitalitatis*, ἡ τῶν ξενικῶν συμβόλων συμβολή.

Testi-

Testimoniare, testari. Marculfus monachus lib. 1 form. XXXVII.

Texitare, sæpe texere, in Glossarii nostri membranis. Nempe ut ab ago, *agito*; sic à texo, *texito*. Interea, ut puto, nemo sic veterum.

Thesaurizare Ecclesiasticis est scriptoribus frequens, pro pecuniæ vim ingentem congerere, thesaurum exstruere. Nempe Græcorum exemplo: apud quos classici etiam scriptores θησαυρίζειν, & θησαυρίζεσθαι, sic usurpant. At Latini malunt θησαυρίζειν.

Theologare, in Gemma, ut θεολογεῖν scriptori de Mundo, qui Aristoteles perperam creditus. Latini & hîc potiùs, de divinis differere, vel commentari. Sic Asclepiadi Mendetis θεολογούμενα, de quibus Suetonius in Augusto, dissertationes divinas, vel de rebus divinis, vocitemus.

Theorare, in eâdem Gemma, pro θεωρεῖν; quod est videre contemplari, ac propriè divina speculari.

Thurificare, in Actis Marcelli Papæ: *Deferatur tripoda, & thurificent majestatibus*. Etiam usurpat Optatus Milevitanus adversus Parmenianum lib. 1, & II. Bedæ item est* in Actis Justini martyris, quos qualibuscunque versibus scripsit, trochaicorum æmulis, si syllabas numeres potiùs, quàm appendas:

* Tom. 3.

Dabatur licentia
Antequam thurificent
Detestandis idolis.

Cicero pro eo, thura incendere, & odores.

CAP. XXVIII.

De iis, ubi post initiale T sequitur I, O, R, U, vel Y. Tingitare, *sæpius tingere*. Tinnipo, *pro tintinno, vel tintino*. Tirocinari, *tirocinium facere*. Titulare, intitulare, prætitulare, *titulo ornare*. Tonitruare, *tonare*. Tonsorare, *tondere*. Tormentare, *excruciare*. Toxicare, *veneno inficere*. Tractulare, *tractare, versare*. Transalpinare, *trans Alpes proficisci: cui simile* transfranciare, *per Franciam ire*. Transglutire, *&* transgulare, *per gulam trajicere*. Translaturare, *transferre*. Transparere, *pellucere*. Transpassare, *transire*. Tremulo, *tremisco*. Triangulo, *triangulare reddo*. Tribattere, *ter sæpiusve batuere, seu ferire*. Tripedare *usurpatum de equo in cursu ter feriente terram*. Truncare, *obtruncare*. Tubicinare, *tubâ canere*. Turbidare, turbicare,

ce, turbulentare, *turbas dare, perturbare.* Tyrannizare, *tyrannidem exercere.*

Tingitare est in membranis Glossarii nostri: nempe pro frequenter tingere, ut moris erat quartæ Judæorum sectæ: imò hæc, ad quotidiana abluendum peccata, quotidie tingebatur: unde & nomen ἡμεροβαπτιστῶν: de quibus Epiphanius Hæresi XVII.

Tinnitare, & *tinnipare*, in Glossarii ejusdem membranis exponitur sonare, tinnire. Puto, pro posteriori illo legendum *tintinare.* Dausquejus mavult *tintinno*, ut est in Glossis: eoque & *tintinnabulum* gemino N præfert. Sanè & secundam producit Juvenalis. Sed neque alterum damnandum, si rectè apud Catullum epigr. LII:

Tintinant aures, gemina teguntur
\- - - - - - - *Tempora nocte.*

Ubi secundam corripi videmus.

Tirocinari, tirocinium ponere. S. Gerardus, abbas Sylvæ-majoris, in vita S. Adelardi, abbatis Corbeiensis, cap. I §. IV: *Tirocinabatur in palatio* (Karoli) *puer bonæ indolis.* Vulgò ferè per Y in prima scribitur, cùm *tiro*, & *tirocinium*, vel Latini sint ortus; vel si Græci, veniant à τείρειν*, quia tiro exercitatione primùm teri incipit. Malè hac parte, ob unicam inscriptionem, in Rubiconis ripâ conspectam atque exscriptam, priorem suam sententiam mutavit Aldus Manutius †.

* *Affligere, atterere.*

† *In Orthographia.*

Titulare ajunt Pomponium dicere in Pannuceatis apud Nonium *, qui inde adducit:

* *In Trua.*

Mulier ubi adspexit tam mirificè titulatam truam.

Sed meliores libri *tutulatam.* Quid propriè *tutuli* sint, Varro docet in VI de L. L. Interea *titulare*, pro titulum, vel nomen indere, apud Tertullianum legas adversus Judæos. Est & Pontii diaconi in Vita B. Cypriani: *Nec enim aliud oportebat, quàm ut eum, qui intra secretam conscientiæ latebram religionis, & fidei, toto honore florebat, etiam publicè celebrata gentilium fama titularet.* Ambrosius, vel potiùs Hilarius diaconus Romanus, in epist. ad Colossenses cap. IV: *Domum salutat: tam enim devota fuisse videtur, ut omnis domus ejus signo titulata esset crucis.* Remigius in Testamento suo apud Flodoard. in Histor. Rhemig. *Remigius, cochlearia tria, quæ meo nomine titulata, transscribo*; hoc est, quibus nomen meum inscriptum. Idem Flodoard. lib. II cap. XVI: *Charta ipsius episcopi reperiuntur nomine titulata.* Hinc *intitulare.* Theganus

de gestis Ludovici Pii: *Quatuor Evangelia Christi, qua intitulantur nomine Matthæi, Marci, Lucæ, & Joannis.* Item *pratitulare.* Flodoard. lib. I Histor. Rhemig. cap. VI: *Hanc autem basilicam prafatus vir Jovinus, his verbis aureo pratitulavit decore.* Thom. Walsingam. in Hypodigmate Neustriæ †: *Rollone juranteſidelitatem Regi, & Regis filiam, cum terra pratitulata, donante.* De *attitulare*, dictum hujusce libri IV cap. I. In Gemma *titulare* exponitur, ad Venerem ac luxuriem incitare. Sed in animo habuit *titillare*, unde postea deducit ridiculam vocem *titillicus*, pro eo, qui incitat, vel incitatur ad coitum.

† Pag. 417.

Tonitruare, pro tonare, à tonitrus. Commodianus:

Insipiens ergo Jovem tonitruare tu credis?

Tonsorare, pro tondere. Anonymus in vita * Sigeberti Regis, Dagoberti filii: *Mortuo Sigeberto Rege, Grimoaldus, Major Domûs, Dagobertum, filium ejus, ſua fidei commendatum, ut Austraſiorum potiretur regno, tonſoravit in Clericum. Tonſuram* verò pro *raſura* dixit; modò hæc jam anno Ↄ CLVI obtinuerit in clericis apud Gallos.

* Non illa, quæ à Sigeberto, Gemblacensi monacho scripta, & apud Surium legitur: ſed quæ à Miſo codice primùm edita ab Andr. du Chesne, Tom. I. Historiæ Francicæ Scriptorum, p. 591. & seq.

Tormentare in Gemma, pro tormentis excruciare. Sæpe legas apud semibarbaros.

Toxicare, toxico perungere, veneno inficere. Petr. Blesensis epist. XX: *Si mihi domini vestri gratiam enormiter toxicavit lingua meretricantis adulatio, & invidia detractoris.* Eusebius sive Emissenus, sive potiùs Gallicanus, homil. III de Paschate *Hic toxicato ſpiculo in corde percuſſus eſt.* Petrus Cellensis lib. VII epist. III: *Intorquent ſagittas toxicatas veneno ſecularis gloriæ.* Inde, ut in Gemma est, *toxicator*, veneficus; *toxicatrix*, venefica.

Tractulare in Gemma exponitur versare, ut in tritico, & feno obtinet. Est à *tractum*, câ formâ, qua *uſtulo*, ab uſtum: *poſtulo*, ab inusitato postum, non pro positum, sed pro poscitum.

Traducare in membranis Glossarii Mſi exponitur traducere. Sed quis sic locutus?

Transalpinare, Alpes transcendere, transalpina loca petere. Petrus Blesens. epist. CXL: *Ut propter ſcientiam ſalutis, & via, jam te transalpinare non oporteat, aut maria transmeare.* Similiter idem epist. LIX. Item S. Bernardus epist. CCXLV, & Serm. I de Adventu. Adhæc Matth. Parisius in historia Henrici III. ad annum Ↄ CCLVII. Crebrò item apud eos se offert, qui de Feudis scripsere. Simileque eidem Parisio, *transfranciare*, pro *per Franciam transire Romam.*

Trans-

Transgulare, in Gemma, gulâ absumere, per gulam trajicere. Ac in eâdem similiter pro eo legas *transglutire*.

Translatare, pro transferre. Flodoardus lib. II Histor. Rhem. cap. XVII: *Ut nullus audeat, juxta Sanctorum Canonum traditionem, ex alio Episcopatu ibidem translatare, aut constituere Episcopum, post tuam de hoc seculo evocationem.* *Translari* legas apud Candidum lib. II vitæ Agil, Abbatis Fuldensis, à Christophoro Brouvvero editum è Mso codice Fuldensi. Sed non dubito, quin *translatari* scripserit Candidus: saltè ἀναλόγως magis, etsi & ipsum barbarum.

Transparere, in Gemma, pellucere: ut in eâdem *transparentia*, pellucida, διαφανῆ.

Transpassare, transire, ex *trans*, & *passus*. L. Alamann. Tit. LXXXIII. §. VI.

Tremulo, tremo. Flodoard. lib. III cap. III: *Nimio frigore horribiliter cum fletu, ac stridore dentium, tremulantes.* Agnoscit & Gemma. Etiam in Glossis Mss est: *Tremulare, trepidare, timere.*

Triangulare, in Gemma, facere aliquid triangulum, vel triangulare.

Tribatiere quid, & unde sit, dictum in *Battere*, cap. II hujus libri.

Tripedare, triplici pedum ictu procurrere. Gloss. Cyrilli: Τριποδίζω, *tripedo.* Τριπόδιον, *tripodium.* Etiam τρίποδον pro eo est apud Leonem Constitut. VII. Belgis id in equo similiter **Drieslag**: quod ad verbum triplicem ictum notat.

Truncat à Papia exponitur, caput aufert. Potiùs dixero *obtruncat*. Nec tamen alterum prorsus damnem. Nam, ut Claudianum, & posteriorum alios, mittam, jam Domitiani ævo sic locutus Valerius Flaccus: at de prioribus vix existimo.

Tubicinare in Gemmâ, tubâ canere.

Turbidare, in Gemma, pro perturbare, iram concitare. Sed Glossarium nostrum in membranis exaratum pro eo habet, *Turbicaretur, turbationem facere.* Etiam *turbulentare* reperio apud Zenonem Veronensem Serm. de Patientia.

Tyrannizare, in Gemma, tyrannidem exercere. Etiam Græci potiùs τυραννεῖν dicunt, quàm τυραννίζειν.

CAP. XXIX.

De verborum illis, quibus initium est ab V, W, *&* Z. Vaginare, *efficere vaginas.* Valedico, *dico vale, vel valere jubeo.* Valgire, *&* valgiare,

labra ad oſculum conformare. Vanitare, *vanis eſſe intentum.* Vanizare, *vanè ſe efferre.* Vantare, *pro eodem.* Ubertare, *acumdare.* Verbitare, *corruptum ex verberitare.* Verbigerare, verbocinari, & verboſare, *vel* verboſari, *verba facere.* Viare, *iter facere.* Vicinare, *vicinum eſſe, vel agere more convenientis in eadem habitantibus vicinia.* Victare, *victitare.* Victimare, *immolare.* Vilifacere, & vilificare, *vilem reddere, vel talem putare.* Vinculare, *vinculo conſtringere.* Virginare, *virginali more vivere.* Viſcare, *viſco implicare.* Vivificare, *vitam dare.* Unanimare, *unius eſſe animi, ac ſententiæ.* Unguentare, *ungere.* Unicolorare, *rem facere unicolorem.* Volucrare, *coire.* Votificare, *votafacere.* Vortare, *pro vertere.* Uſufructuare, *uſumfructum legare.* Uſurare, *pecuniam fœnore occupare.* Utitor, *uſitor.* Uvere, & uvidare, *uvidum eſſe.* Uxorare, *uxorem dare.* Wadiare, *pignora certare: unde* revvadiare. Zelare, & zelari, *vehementer amare.* Zelotypare, *nullum in amoris partem admittere.*

ULtimus inter vocales Latinas locus eſt literæ V. Eò nunc pergam, ut verborum, quæ, Latinæ licet originis, barbaræ tamen ſint formæ, cætera pertexam.

Vaginare, in Gemma, pro vaginas parare. Apud Juſtinum lib. I eſt, *gladio ſuâ ſponte evaginato*; pro, vaginâ excidente. Ut activum *evaginare*, ſit gladium è vaginâ educere; ſicut loquitur Cicero II de Inventione; pro quo, ducere ferrum vaginâ Ovidius ait Faſt. IV.

Valedico, unâ voce, timidè dixero: malim cum Tullio, *valere jubeo.* Sed, diviſis vocibus, obtinuit. Ut apud Tranquillum in Auguſto cap. XIII: *Vale ſingulis dicere in Senatu. Valedictus* de eo, cui vale ſit dictum, legas apud juniores. S. Gerardus, abbas Sylvæ-majoris, in vita S. Adelardi, abbatis Corbeienſis, cap. V. ff. XXV †: *Quibus cùm recedentibus valediceret, & ipſe valedictus ab eis recederet; recedunt cum lachrymis.*

† *In vitis SS. ad 2. Jan.*

Valefacio, pro quo veteres, vale alicui dico, vel valere jubeo. Utitur Joannes Thvvrocz Chronic. Hungariæ part. I cap. IV: *His geſtis, atq; perfectis, valefaciens, infra octavas S. Franciſci reverſa eſt Neapolim.* In Gemma *valefacere* mirificè exponitur, valetudinem reſtituere, vel alicujus meminiſſe.

Valgire, & *válgiare*, in Gemma dicitur idem eſſe, ac labia habere extorſum prominentia. Propriè *valgi*, quibus furæ in diverſum agun-

aguntur, ac foras vertuntur; ut videre est in cancris, ac lacertis. Sed transfertur ad labra foras prolata; unde Plauto * *valga suavia*, de labiis obtortis, & quasi ad osculandum conformatis. Quomodo & Petronius de Quartilla ait, *valgiter commoviſſe labra.*

* *Mostellaria act. 2. sc. 2.*

Vanitare, vanis rebus vacare; ut interpretatur, non Gemma modò, sed etiam Augustinus libro de moribus Ecclesiæ Catholicæ cap. XXI; ubi Ecclesiasten Salomonis incipere ait ab illis verbis, *Vanitas vanitantium.* Sed errorem postea vidit. Sic enim scribit lib. I. Retractationum cap. VII: *Quod posui de libro Salomonis, Vanitas vanitantium, in multis quidem codicibus legi: sed hoc Græcus non habet. Habet autem vanitas vanitatum, quod postea vidi, & inveni eos Latinos esse veriores, qui habent, Vanitatum. Ex occasione tamen hujus mendositatis quæcunque disserui, vera esse in rebus ipsis apparent.*

Vaniloquare, vaniloquum esse, sive vani instar hominis jactare. Usi S. Bernardus epist. XLII. ad Henricum Senonensem, & Yvo Carnotensis epist. LXVI, ad Hugonem Lugdunensem.

Vantare, vanè ostentare. Gloss. nostræ Mss: *Iactare dicitur pro vantare.* Quomodo Galli dicunt, *vanter*, pro *jactare se.* Est verò a *vento*: uti ab eo *ventosus*, pro *jactabundo.* Sic Maro Æn. XI:

— — — — *Num tibi Mavors*
Ventosâ in linguâ, pedibúsque fugacibus istis,
Semper erit?

Nisi *vanter* potiùs à *venditare*; quomodo *venditatio*, pro ostentatione, dixit Cicero II. Tusc. Quæst. similiáque alibi. Et hoc verius puto.

Vbertare, in Gemma, pro abundare, uberem ac fœcundum esse, ubertim habere.

Verbitare, in Gloss. Mss, sæpe verberare. Sed legendum, *verberitare.* Festus: *Verberitare. Cato frequentativè ab eo, quod est verbero, dixit.*

Verbigero in Onomastico exponitur λογομαχῶ. Scio, Appuleium uti in Apologia. Sed cur non cum classicis dicam potiùs, verba facio?

Verbocinari, verba fundere, loqui. In miraculis S. Fursei † cap. IV. § XVI: *Erchenaldus dixit, Cessa verbocinari, Leutsinda.* Sic Mssus Hibernicus, ut refert Bollandus. Alii *verbosare*: vel, *Cessa, verbosa Leutsinda. Verbocinor* si rectum, similis fuerit flexus, ac in *lenocinor, patrocinor.*

† *In Vitis SS. ad 14. Jan.*

Verbosari, in Glossis nostris Mss, verbosà loqui. Hæc res facit, ut facilè mihi persuadeam, in Actis S. Fursei, de quibus proximè dixi, *verbosare* legi oportere.

Viare, pro iter facere, est Appuleji, ac Solini: ut his juniores, Ammianum, Ambrosium, & alios, mittam. Imò jam Quinctiliani ævo notum id verbum. Sed reponit inter infeliciùs ficta; ut videre est lib. VIII, cap. VI, quod est de Tropis. Inde tamen est *viator*.

Vicinari, vicinum esse, appropinquare. Sidonius Appollin. lib. II. epist. II: *Cui continuatur, vicinante textrino, cella penaria, discriminata tantùm pariete castrensi.* Et lib. II. epist. XI: *Si nobis, prositu, spatiisque regionum, vicinaremur.* Item lib. VII. epist. II: Ac similiter non semel Cœlius Aurelianus, & sæpe posteriores. Ut in diplomate Henrici III, Brabantiæ Ducis*: *Mandamus quatenus finibus Brabantiæ vestram præsentiam vicinantes, vice nostrâ donationem approbare curetis.* Si Gemmam audimus, *vicinare* etiam sumitur pro vicini boni more agere. Cujusmodi sunt salutare, visitare, non denegare aquam, vel ignem, instar Euclionis istius Plautini.

* *Apud Miræum in Donat. Belg. pag.* 659.

Victare, pro victitare, vivere, in Gemma.

Victimare, immolare, victimam cædere; ut est in Glossa ii membranis. Non memini me legere apud antiquiorem Appuleio; cujus est lib. VII. Sed junioribus est frequens. In his est Anonymus de Genealogia regum Daniæ, à Stephanio nostro è Msis editus †: *Unicorum jubent hostiam Dominicam decollando victimare.* Unde *victimator*; qui Livio, Valerio, Plinio, *victimarius*. Gloss. *Victimarius*, Μαχαιρίτης, μαχαιρόμαγος.

† *Pag.* 212.

Vilefacere, & *vilificare*, in Gemma, exponitur parvifacere, pro vili habere. *Vilitare* Turpilii est apud Nonium; sed significat vilem reddere, in contemtum adducere. *Vilificare* autem, pro demittere, vel submittere se, est Thomæ à Kempis de imitatione Christi lib. III. cap. VIII: *Si me vilificavero, & ad nihilum redegero, atque, sicut sum, pulveri fuero.*

Vinculare, in Gemma, pro vincire. Anonymus de genealogia regum Daniæ*: *Captivantur nobiliores de hominibus Erici, capti vinculantur, vinculati custodia mancipantur.*

* *Pag.* 213.

Virginare, castè, more virginum, vivere: ut interpretatur Gemma, item Glossæ in membranis exaratæ. Atque addunt hæ, contrarium esse *devirginare*. Quod si est, *virginare* fuerit virginem facere. Atqui hoc, in devirginatâ, etiam Deo ἀδύνατον dicebat B. Hieronymus.

Viscare, in Gemma, pro visco implicare, capere, corripere. At *viscatus* rectum quidem; sed non verbale.

Vivificare, pro vitam dare, frequens est Theologis. Ac Græci similiter ζωοποιεῖν: quo & Theophrastus usus in tertio de caussis Plantar. Sic

pro

pro ζωοποιὸν dixeris *vivificum*. Sed Cicero de calore, qui Græcis ζωοποιὸς maluit dicere, vim habere vitalem.

Vnanimo, unanimus sum. Ammianus Marcell. lib. xxxi: *Vnanimanti ardore, summi, & infimi, inter se congruentes.*

Vnguentare, pro unguento inungere, ungere, est in Gemma. Sed deceptus ejus auctor ex eo, quòd dicitur *unguentatus*: quasi hoc verbale sit, non denominativum.

Vnicolorare, & *unicoloratus*, eadem agnoscit. Pro posteriori *unicolor* est apud Ovidium, ac Plinium.

Volucrare, pro subigere, de volucrum Venere, ibidem est.

Votificare, vota facere. Isidorus in Glossis: *Votificantibus, donalibantibus.*

Vortare, pro vortere, seu vertere, dici putavit Gemmæ scriptor, propter illud Terentii, *Dii bene vortant.* Quam opinionem nihil opus refellere. Ita error pellucet.

Vsufructuare, in Gemma est: est hoc Ciceroni pro Cæcinna, *usumfructum legare.* Ac additur in Gemma eâdem haut gemmeâ, contrarium esse *defructuare*: atque ut prius vromen, ita alterum ontvromen exponitur. Latinè hoc sit *usumfructum adimere*; quomodo *usumfructum amittere* Cicero ait in Topicis.

Vsurare, in Gemma, pro in fenore nummos ponere, dare fenori pecuniam. Prius Maronis est, alterum Ciceronis; cujus etiam, pecuniam fenore occupare.

Vsitor, sæpe utor; ut est in Glossis nostris Mssis. Malim *usitor*; quomodo Agellius lib. xvii. cap. i: *Verbo ipso alio quoque modo usitati sunt.*

Vvere, in Gemma, pro humere, vel pinguescere. *Vvescere* Lucretii ipsius est. *Vvidare* in eadem Gemma, pro uvidum facere, humectare.

Vxorare, pro uxorem dare, vel ducere: *uxoratus*, pro uxorem habens, in Gemma legas. Et sæpe sic barbari scriptores.

VVadiare Germanis, ac Belgis wedden; hoc est, deposito quopiam pignore certare. Nec tamen wedden est à *vvadiare*; sed wedden à *vvadum*, hoc est, pignus: quod à Latino *vas*: uti dictum libro superiori cap. xvi, in *VVadium*. A *vvadiare* est *invadiare*: de quo actum hujus libri cap. xi. Ab eodem est *revvadiare*; ut Constitut. Caroli Calvi tit. xxxi, sive Edicto Pistensi cap. xxi: *Revvadiatum persolvatur*; *& ubi revvadiatum non est, revvadietur, & solvatur.* Ac mox: *Audivimus, occasione acceptâ, pro revvadiato banno, quosdam plus à pauperibus accepisse, quam*

quàm bannus levet. Ubi *bannus* est mulcta judicio indicta. *Revvadiare bannum* est vvadium dare proimulta ea. Similiter loquitur Hincmarus Rhemensis ad Hincmarum Laudunensem. Alii item *rexvadiare servitutem*; ut Wichardus abbas Frotario, Leucorum Episcopo. Vide Sirmondum ad Capitula Caroli Calvi.

Zelare, & *zelari*, sunt ex Græco ζηλῶν. Dicitur utrumque de ardenti affectu, nunc pro aliquo, nunc contra aliquem. Papias: *Zelari dicitur, qui cum cruciatu mentis castitatem custodit uxoris. Zelare, amare, meliora æmulari, in bonam, & in malam partem; invidiari* (invidere) *felicitati alterius*. Glossarii nostri membranæ: *Zelari, æmulari*. Gemma, *Zelari, amare, vel odisse*. Crebrum est vulgato Scripturæ interpreti. Ac similiter est apud Augustinum contra Adim. lib. III. *Non frustra vulgò dici solet, Qui non zelat, non amat*. Ac lib. III. de Civit. Dei cap. III: *Dii non zelant conjuges suas*. Et contra Faustum lib. XXII. cap. LXXIX: *Moyses populum zelans*. Unde videmus, non ab imperitia, sed populari consuetudine esse, quòd vulgatus interpres simili structurâ dicat Psalm. XXXVI. 1: *Neque zelaveris facientes iniquitatem*. De zelo abunde egimus Oratoriarum Institutionum lib. II. cap. XIII.

Zelotypare in eadem Gemma idem esse traditur, ac suspicionem habere. **wantrouwen.** Factum istoc ex Græco ζηλοτυπεῖν, quod apud Plutarchum, & alios. Latini pro eo, præ amore magno non posse rivalem pati. *Zelotypi* tamen vocabulo nec Juvenalis abstinuit, vel Fabius; *zelotypia*, nec Cicero, vel ad Ciceronem Antonius,

CAP. XXX.

Transitur ad verba, quæ flexu, sive declinatione, barbara sunt. Vt in præsentis nult, *pro* non vult; pœnitetur, *pro* pœnitentia agitur. *Et fortasse huc pertinent præsentia contra naturam à præteritis formata; quale si non* odio *ab odi; saltem* memino *à memini. Ad præterita barbara referuntur*, furavi, *pro furatus sum*; possidui, *pro possedi*; existi, *pro exstiti. In futuris barbaris est* floriet, *pro florebit. In supinis*, pepercitum, *pro parcitum. In participiis, in TVS exeuntibus*, nocitus, *pro læsus*; sentitus, *pro sensu perceptus*; tultus, *pro sublatus. Item desinentibus in DVS, ut* fiendus, *pro futurus: ac pro eodem* essendus, *unde* interessendus, *pro interfuturus:*

HActenus actum de verbis in themate, sive radice ipsa, barbaris. Sunt alia, ubi proba est radix; sed vitium est in ramis, hoc est, declina-

clinatione verbi per tempora, numeros, vel personas. Ejusmodi plusculà adduxi hujusce operis lib. I. cap. XXIV. Eò nunc brevior sum futurus. Ac primùm dabo, ubi, peccetur in præsenti ipso, seu activæ, seu passivæ formæ.

Activæ formæ est, quando *nule* à *nolo* dixero, ut *vult* à *volo*. Scholastici nō refugiunt; qui cùm viderent, aliud esse NOLLE, aliud NON VELLE; distinxere etiam inter NULT, & NON VULT: nempe quia prius sit actus positivus, alterum privativus; ut ait Joannes Altensteigius in Lexico Theologico. Sed Stephanum Bruliferum audiamus Distinct. XLV. quæst. ult. *Quidam grosso modo loquentes dicunt* NULT: *sed hæc dictio non videtur Latina.* Sanè Latina non est: sed vellem, dum alios culpat Bruliferus, non, culpandus ipse, dixisset, *grosso modo*, pro *parùm Latinè*, *ineleganter*, *barbarè*, aut simili: quâ de re vidimus lib. III. cap. III.

Passivæ autem formæ est *pœnitetur*, pro pœnitet, vel pœnitudo subit. Eusebius sive Emisenus is, seu Gallicanus, homil. VIII. ad Monachos: *Sed quid in nobis medicinam pœnitentiæ quæro? Utinam interdum post desperatam veniam non pœniteatur. Utinam non pœniteret humiliari, quos non pœnitet præveniri. Pœniteatur*, pro pœniteat eos. Nempe à *pœniteo*: unde activè Justinus lib. XI. *Primi pœnitere cœperunt*: pro, *Primos pœnitere cœpit*.

Fortasse autem quandoque etiam ad præsentia referri mereantur quædam, quæ falsò radicem ipsam ementiantur. Ut cùm à præteritis *odi*, & *memini*, formarunt *odio*, & *memino*. De utroque igitur aliquid dicam.

Odio dixere posterioribus temporibus. De Petronio Arbitro non assentio doctissimi Wouwerii conjecturæ. Senecam, & Appuleium uti, planè agnosco. *Oditur* est Tertulliani. De quibus vide, quæ diximus in arte Grammatica lib. III. de Analogia cap. XXXIX. Est & Euagrii presbyteri in vita S. Antonii, quam ab Athanasio Græcè scriptam Latinè reddidit †: *Ne seducamini in saturitate ventris, odite vanam gloriam, orate sapissime.* Anonymus de Genealogia regum Daniæ*: *Ab annulis suis se invicem odientibus.* Imò, ex sententia maximi Salmasii †, dixerit Solinus *odientes*, Vopiscus *perodiendum*, pro maximo odio prosequendum. Vett. Glossæ: *Odio*, μισῶ. Item, Μισοκακῶ, *malos odio*.

† Pag. 50. edit. Antverp. a 1615. in Vitis Patrum.

* Pag. 121. edit. Sorantz.

† Ad Vopiscum p. 163.

Dixerit aliquis, *odi* esse ab obsoleto *odio*, sed postea in usum revocato: eoque esse in iis, ubi flexu peccetur. Non multùm adverser: sed incertum id tamen, cùm ne veteres quidem Grammatici ex priscis ullius

meminerint, qui *odro* usurpârit. At quicquid de eo est, *memino* saltem est à præterito *memini*, non contrà. Nam radix sit *meno*; unde *comminiscor*, & *reminiscor*. *Meno* autem à μίν Ω, unde *mens*; ut à γί Ω, *gens*. *Memino* non memini legere, præterquam apud Optatum Milevitanum: *Quas, si meminis*, in primo libro demonstravit.* At *meminens* non modò apud Livium Andronicum, & Ausonium est; sed etiam Sidonium lib. II. epist. x. lib. IV. epist. III, & XII, lib. VI. epist. III, & lib. VII. epist. VI, atque alibi: ut diximus lib. V. de arte Grammatica, qui tertius est de Analogia cap. XXIX; item de Analog. lib. IV. cap. XII.

* Forte tamen memineris scripserat.

Atque hæc de præsentibus. Venio nunc ad præterita. Tale est *furavi*, quasi à *furo*, pro furor. Lex Salica Tit. V. §. III: *Si quis buccam furavit*, Ubi *buccus* est caper, qui Germanis Bock. Ac similiter Gregorius Turonensis lib. VI, cap. XXIV: *Buccus olidus vocabatur.* τὸ τράγος. In eâdem L. Salica habes Tit. VII. §. I: *Qui acceptorem de arbore furaverit.* Ubi per *acceptorem* intellige accipitrem.

Ejusmodi quoque est *possidui*, pro possedi. Childericus II. Franciæ Rex in Donatione monasterio S. Dionysii factâ †: *Quicquid fiscus noster, tam de garantia, quàm de mercenia, ibidem tenuit, vel de qualibet consuetudine ibidem possidui.*

† Apud Miræum in Not. Eccl. Belg. cap. 12. sive pag. 17.

Existerit, pro *exstiterit*, est in Constitutione Karoli M. *Si quis adeò contumax, aut superbus existerit, ut, dimisso exercitu, absq; jussu Regio domum revertatur*, &c.

Nec falletur, ut puto, qui huc referat *fini*, pro *fivi*. Quamquam apud Terentium ita legendum esse, censeat Janus Guiljelmus; ac probet Conradus Rittershusius Notis ad Guntherii lib. IX, capite III. De quo diximus lib. III. de Analogia cap. XXIX.

Est item, ubi malè formetur futurum, quia conjugationes confundantur. Ita *floriet*, pro *florebit*, dixit inter alios S. Bonifacius epist. I: ubi sic adducit verba Psalmi CII: *Homo, sicut fœnum, dies ejus, & sicut flos agri, ita floriet.* Similiterq; est Psal. CXXXI. 18: *Super ipsum floriet sanctificatio mea.* Propter talia malè audit vulgatus interpres. Sed tum ita loquebantur vulgò; eoque interpres id prætulit, quia videret, quanto meliùs intelligeretur, tanto magis se animas ad pietatem instruere. Nec eruditiores mutabant, quia sic vulgò canere adsuevissent. Docet hoc B. Augustinus lib. II. de Doctrina Christiana cap. XIII: *Illud, quod jam auferre non possumus de ore cantantium populorum* †, *Super ipsum autem floriet sanctificatio ejus*; *nihil profectò sententiæ detrahit. Auditor tamen*

† Psal. 131.

perfacile

peritior mallet hoc corrigi; ut non floruit, sed florebit, decreverit. Nec quicquam impedit correctionem, quàm consuetudo cantantium. Ita ergo facilè etiam contemni possunt, si quis ea cavere noluerit, quæ sano intellectui nihil detrahunt.

Præterea est, ubi malè formetur supinum. Ejusmodi est *pepercitum* à *peperci*, pro *parsum*, vel *parcitum*. Usurpat Luciter Carallitanus libro adversus reges Apostaticos.

Sæpe item peccatur in participiis passivis præteriti temporis; per quæ præteritum passivum circumloquimur, addito verbo substantivo. Exemplo fuerit, *nocitus sum*, pro alius nocuit mihi, læsus sum. Gregorius Turonensis lib. de Gloria Confessorum cap. XIV: *Sustinuit, & nihil est nocitus.* Et cap. LXXVI: *Nihil nocitum est velamen ejus ab igne.* Similiter etiam idem de lib. I. miraculis Martini cap. II: *Ingressus flumen, & ulteriorem ripam petens, nihil nocitis, sed siccis est etiam vestimentis egressus.* Sic ex veteri codice S. Benigni Divionensis restituit Franciscus Juretus, Notis in Paulini lib. VI. de vita S. Martini.

Etiam *sentitus sum*, pro sensit me, dixit Philippus Mazzerius, Cancellarius Cyprius, in vita S. Petri Thomasii*: *Quidam suus Capellanus unâ vice, dum per suam cameram exstinctâ luce pergeret, super ipsum dominum fratrem Petrum,* (qui humi prostratus Deum precabatur) *transivit, nec ab eodem sentitus est; ut narrabat.*

* *Apud Boll. in Vitis SS. ad 29. Ian.*

Simile *sultus* à tuli, pro latus, sive sublatus. Catholicon: *Tultus, à, um, quod tollitur*, Gregorius M. in Job. cap. XXVIII, idque lib. XVIII. serm. XVI. II: *Matthæus, in terra inventus, telonei usibus serviebat? sed de terra tultus in fortitudinem ferri convaluit.* Sanè & Itali dicunt *tolto*, pro *prehensum, acceptum.* Apud Gregorium alii libri *tultus*; aliqui reposuere *sublatus*; ut Parisina editio Guillandi †, & puto, aliæ quoque.

† *An. 1742. p. 106. Sed pro* convaluit *aliqui libb.* coaluit.

Quandoque item aberratur in participiis temporis futuri. Ut in *fiendus*, pro *faciendus*, vel *futurus*, Gregorius M. in Regestis lib. IX. epist. XX: *Joannem, quem memoratus Epiphanius, in monasterio, quod, sicut dictum est, in domo suâ fiendum decreverat, Abbatem esse constituas.* Item epist. XXXI: *Quæ fienda sunt.* Hincmarus epistolâ ad Nicolaum Papam; quæ exstat apud Flodoardum lib. III. cap. XII: *Sed quoniam literas vestras, quæ inden nihil præceperunt, imò etiam nullam protelationem in eorum conjunctione fiendam significaverunt.* Item cap. sequenti: *Fiendum non creditur.* Similiter Carolus VI. Gall. R. in Edicto de Graph.*. Item Concilium Pisanum II, †: *Ecclesiasticarum jurisdictionum adoptiones fiendas.*

* *Pag. 183.*

† *Pag. 63. edit. Parisin. an. 1612.*

Habes & in Stylo Cur. Parlament. cap. v. *Quia nunquam remissio est futura ad postulationem subjecti.* Interim agnoscimus, veteres etiam dixisse, *fior, fiebantur, fitum est*; de quibus in tertio de Analog. cap. XXXVIII. Sed talia obsoleverunt.

Ab hujusmodi futuris veniunt Gerundia, sive potiùs Gerundiva: in quibus similiter aberratur. Nec enim *essendus*, pro futurus, dicitur; à quo tamen vulgò inflectere jubent *essendi, essendo, essendum*; sed nullo boni ævi exemplo. Superioribus verò seculis etiam in compositis utebantur. Ut in lemmate Formulæ, quâ Henricus VI, Angliæ rex, legatos suos misit ad Concilium Basileense*: *De potestate commissa Ambassiatoribus Regis ad interessendum Concilio Basileensi.*

* *Apud Seldenum in notis ad Eadmerum pag.* 214.

CAP. XXXI.

Adverbis acceditur ad Particulas male Latinas. Initioq; actum de cœptis ab A, C, vel D. Adplenè, *pro plenè, perfectè.* Æquanimiter, *pro animo bono, & æquo.* Æternaliter, *æterno, sive æternùm.* Amicabiliter, *amicè.* Amodo, *deinceps.* Angustiosè, *difficulter.* Antiphonatim, *contrariâ alternis voce respondendo.* Antonomasticè, *per antonomasiam.* Aventer, *avidè.* Authenticè, *cum auctoritate.* Calumniosè, *per calumniam.* Cameraliter, *publico consilio, ac decreto.* Canonicè, *secundùm canonas.* Capitosè, *iracundè.* Casualiter, *fortuitò.* Cautelosè, *cautè.* Certitudinaliter, *certò.* Cervicosè, *pertinaciter.* Charitativè, & caritosè, *ex charitate.* Circulariter, *in orbem.* Clamosè, *cum clamore.* Clanculo, *clàm culum.* Coactè, *vi.* Contrariò, *contrariè.* Conditionaliter, *cum conditione.* Consistorialiter, *ex decreto consistorii, sive collegii.* Contubernaliter, *contubernalium more.* Cordialiter, *ex animo.* Correctè, *emendatè.* Curialiter, *more obtinenti in Principum palatiis.* Deforis, *pro foris.* Delatus, *pro delatere.* Delectabiliter, *cum delectatione.* Diatim, *vel* dietim, *indies.* Dignanter, *æquo animo.* Disciplinatè, *secundùm præscriptum, ac canonas.* Discorditer, *animo discordi.* Diversimodè, *non uno modo.* Divisim, *separatim.* Dociliter, *intelligenter.*

EVasimus de Verbis: necdùm tamen remos dimittere, velaque inhibere, tempus. Priusquam enim portum subeamus, expediendum quoque de Particulis; quando & in his se offerunt classicis scriptoribus ignotæ: Ejus generis pluscula subjecimus; ac primùm inchoamus à prima vocali, vel secundâ tertiæve consonante.

Abbre-

Abbreviatè, brevibus verbis.

Adinvicem, invicem, vicissim mutuò.

Adplenè, sive *applenè*, idem ac plenissimè, cumulatè, abundanter. Dicitúrque *applene*, ut *apprimè*; quod idem ac imprimis, comprimis. Vita S. Leodegarii, Augustodunensis episcopi †: *Cumq; ad diversa studia, quibus seculi potentes studere solent, adplenè in omnibus disciplinis politus esset.*

† Tom. 1. scriptorum Francicorum edit. du Chesne p. 601.

Adsemper. Scholastici utuntur, cùm ajunt, præcepta affirmativa obligare *semper*, sed non *adsemper*, sc. ita, ut loco & tempore opportunis facias, quod est faciendum.

Æquanimiter probat Henricus Stephanus Expostulationis de Latinitate suspecta cap. VI*. Sed sine veterum exemplo. Terentius, Cicero, Horatius, pro eo, animo æquo, vel æquissimo.

* Pag. 231.

Æternaliter, æternùm, in omne ævum. Dionysius Carthusianus initio rhythmicæ explanationis Evangelii secundùm Joannem, & exinde Sixtus Senensis lib. III. sanctæ bibliothecæ:

Tu Verbum in principio
Eras nullo initio;
In parte æternaliter
Manens intemporaliter.

Hoc est, ab omni æternitate in omne ævum æternando.

Aliqualiter est apud Floretum, sive in floribus vitæ B. Bernardo Clarævallensi tributis, cap. III. Item ad Bekam in vita Jacobi ad Oudshoren. Latini pro eo, aliquâ ratione, modo, aut viâ.

Amicabiliter, pro amicè, vel amicabilem in modum. Nam *amicabilis* Plauti est; uti & Ulpiani. Adverbio usus Petrus de Vineis lib. III. epist. XXIV: *A quibus nos amari conspicimus, eos amicabiliter diligamus.* Incertus de Genealogia Regum Daniæ è Mssis à S. Stephanio divulgatus: *Quondam per Prophetam sunt amicabiliter, & dulciter, protestatus est.* Verbum *Amicare*, pro *amicum facere*, habet Alanus monachus, dicens: *Dum sibi blanditiis oris amicat eos.*

Amodo, posthac, deinceps. Ter id Veteris, septies usurpat Novi Fœderis interpres; sæpissimè autem scriptores Ecclesiastici permulti. Præterea incertus, sub Ovidii nomine, præfatione operis de Vetula: in initio libri III:

Ista sunt caussa, propter quas amodo nolo
Vivere, sicut eram solitus.

Ac post multa:

- - - - - Quod sit Deus, amodo saltem,
Non sine principio potuisse fore. - -

Et similiter paulò post.

†pag. 210. edit. Tigur.

Angustiosè, pro difficulter, & cum angore. Matth. Parisius†: *Nummos, quos ore hiantis angustiosè deglutiverat, angustiosiùs per vomitum rejicere compulerunt.*

Antiphonatim canere, pro, alternis choris, κατὰ τῶν ἀντιφώνων τρόπον, ut loquitur Hermias Sozomenus lib. VIII. cap. VIII. Habes in vita S. Caroli, Comitis Flandriæ: *Hymnum Ambrosianum, Te Deum laudamus, cum ipso antiphonatim decantare cœpit.* Nec tamen de hac voce, ut barbarâ, contendero; cùm in re nova novam licuerit fingere. Sanè S. Ambrosius, cujus hymnus ille proximè memoratus, primus ritum alternis choris canendi in Ecclesiam Latinam induxit, ut est apud Radulphum de Canonum Observant. Propositi. XII, & Sigebert. Gemblac. in Chronicis. Nec multò antiquior consuetudo ea apud Græcos; modò demum Constantii Imperatoris tempore cœpit Antiochiæ; quod iidem scriptores prodidere. Nempe anno Constantii XXIII; ut est apud Cedrenum. Sed longè vetustior is ritus, si sit ab Ignatio, Antiocheno episcopo tertio: quod scripsit Walafridus Strabo de ritibus Eccles. cap. XXV; & ita ferri, traditum quoque est Photio in Μυριοβίβλῳ.

Antonomasticè, pro κατ' ἀντονομασίαν. Petrus Blesensis serm. XXIV: *Martyres ipsi nomine testes indicantur, qui antonomasticè nomen generale sibi speciale vindicaverunt.* Ἀναλόγως magis dixisset, *antonymasticè*. Et fortasse ita scripserat. Sed quid opus adhibere tam absonam vocem, ac minimè necessariam?

Aventer, avidè. Sidonius Apoll. lib. II. epist. II: *Raptim subduceris, anhelantibus angustiis civitatis; & contubernio nostro aventer insertus, fallis clementissimo recessu inclementiam canicularem.*

Authenticè, ut Græci αὐθεντικῶς, hoc est, cum auctoritate, vel certo auctore. Ex eo, quòd αὐθέντης Græcis, non solùm αὐτόχειρ, sive qui propriâ manu occîdit; sed etiam αὐτεξούσιος, sive auctor. Atque inde apud Ulpianum, & alios, *tabulæ authenticæ, & lex authentica.*

Calumniosè non dixero; etsi & vocem eam Calepinus agnoscat: sed *contumeliosè, injuriosè*; vel quandoquidem hæc magis latè patent, *per calumniam. Calumniosus* tamen apud Appulejum in Apologia legas.

Camer aliter, non à *camera*, prout Latini utebantur, quibus notat forni-

fornicem: nec quatenus recentioribus notavit ἁπλῶς triclinium; sed prout iisdem κατ' ἐξοχὴν significavit collegium, cōcilium, auditorium. Belgæ vocant Raed camer: quomodo & Germani, atque alii nuncupant *cameram Spirensem*. Sic usurpat Thomas Walsingam in Richardo II *: *Statuit cameraliter non quidem dictum Edmundum deponere; sed quia clericus, & ejus creatura fuerat, ad quendam Episcopatum in Hiberniâ tunc vacantem transferre.* * Pag. 236.

Canonicè, secundùm canonas. Benedictus Levita præfat. in tres posteriores Kapitulorum libros: *Duo synodales conventus, quos Bonifacius Archiepiscopus unà cum Carolomanno, Francorum principe, canonicè tenuit.*

Capitosè, iracundè; ut Belgis pro eo hoofdig. Horatio similiter *cerebrosus*, ἐξύχολος. Thomas Walsingam in Hypodigm. Neustriæ †: *Rex juvenis, juvenum consiliis acquiescens, prævavit capitosè dominum Richardum Scrope officio Cancellarii.* † Pag. 535.

Casualiter, pro casu, vel fortuitò, apud Petr. Blesensem epist. 1.

Cautelosè, cum cautela, sive cautione, apud Thom. Walsingamum in descriptione Neustriæ *. Et apud eundem Eduardus Angliæ Rex literis suis †: *Cives, tanquam invalidi ad resistendum, cautelosè finxerunt, se velle* (civitatem Burdegalensem) *reddere Francis.* Sententia est, quòd sibi caverent, de alio cives hoc commentos. * Pag. 518. † Pag. 618.

Certitudinaliter, certò. Joan. Major de gestis Scotor. lib. II. cap. IV: *Futura contingentia certitudinaliter prædicere dæmon nequit.*

Cervicosè, contumaciter, pertinaciter, ad morem hominum rigidæ, duræque cervicis. Antonius Florent. lib. I. tit. XIX. cap. II: *Cumq; Teutonici Romanos protervè, & cervicosè, reprimerent.* Occurrit *Cervicosus* pro rebelli in Ecclesiastico.

Charitativè, pro *magno cum amore*, apud Fulbertum Carnotensem epist. LXXI, Bernardum lib. IV. de Consid. Petr. Blesensem epist. 1, Cæsarium Halberstat. lib. IV. Hist. cap. LXXI. Item in Chron. Cistercienſi *. Pro eo & *caritosè* legas apud Hincmar. epist. VI. cap. XXV †: *Contra quæ si aliquis nostratium præsumere noluerit, sed obaudiens Apostolum dicentem, nihil per contentionem, neq; per inanem gloriam, caritosè, sicut frater à fratre, quæ pacis & dilectionis sint, expeterit; audiet cum Apostolo, &c.* * Pag. 61. † Pag. 119. ed. Mogunt. anno 1602.

Circulariter, κυκλοδικῶς: Latinè, in orbem, cum ambitu, vel circuitione, circulatim; quod est Tranquilli.

Cla-

Clamosè non dixero, etsi *clamosus* probum. Prioriusus anonymus de Genealogia regum Daniæ è Mſis editus primùm à S. Stephanio: *Post factam igitur confeſſionem, clamosè vocatus ad jugulum.* Pro, *cum clamore quodam.*

Clanculo qui dixerit, qualemqualem patronum habet Apulejum lib. x. & Theodoſiani ævi ſcriptorem Macrobium lib. v. cap. xvii. Sed veteres ſemper *clam*; & *clanculum.*

Coactè in uſu eſt vulgò. Claſſici pro eo, vi addactus, vel aliter.

Comparativè ajunt. Malim comparatè.

Conditionaliter vulgare eſt, pro hâc, illâve conditione.

Conſiſtorialiter, decreto conſiſtorii, ſive collegii. Eſt apud Leonem Papam in Bulla. A *conſiſtorialis*, quod uſurpat Concilium Piſanum in Promotionibus. Hoc à *conſiſtorium*, quod nec Auſonius refugit.

Contemtibiliter, contemtim.

Contrariè, pro contrariè, perperam dici arbitror. Vide Emendat. Rhodii ad Scribon. p. 287.

Contubernaliter eſt libro de ſingularitate clericorum, qui in Cypriani operibus legi ſolet: imò & Hieronymi, atque Auguſtini; ex quo reſecuit Eraſmus. Sanè nullius eſſe ex iſtis, ſatis docent tot ſemibarbara: ut *contubernalitas*, *conjugalitas*, *inordinabilis*, & alia, quæ in his ipſis Particulis deinceps adducam.

Cordialiter barbarum eſſe, nemo nunc diffitetur. Veteres pro eo, ex animo.

Correctè eſt pervulgatum, etiam eruditis. Sed non memini me legere apud claſſicos, qui pro eo dicunt *emendatè.*

Curialiter, more curialium, ſive aulicorum, hoc eſt, in principum palatiis obtinenti. Uſus & Fulbertus epiſt. xxvi. ad Abbonem: *Plures habeat teſtes curialiter agitandi, quàm monaſticè vivendi.*

Deforis, pro foris, & extrinſecus. Quomodo eſt L. Foris, & extrinſecus: *Ut in ipſa arte inſis, non foris petatur exemplum.*

Delatus adverbium, idem ſignificans ac *de latere*: ut *detergus* pro *à tergo.* Nempe ut *decontra*, *deforis*, *deintus*, pro ſimplicibus. Sanè & *latus* adverbialiter pro *à latere*, vel *ſecundùm*, aut *juxta*, dixere. Pluraque id genus videſis apud Salmaſium † ad Capitolini Opilium Macrinum.

† Pag. 171. & ſeq.

Delectabiliter, pro *cum delectatione*, ait Willeramus, Babinbergenſis ſcholaſticus, Fuldenſis monachus, præfatione in Canticum Canticorum, quam integram primus edidit Martinus Opitius*: *Interdum mea legens*

* Notis in rhythmos incerti de S. Anno.

ſic

sic delectabiliter afficior, quasi hoc probatus aliquis composuerit auctor.

Desursum est apud scriptorem eum, qui Ovidii nomen ementiens de Vetula tres reliquit libros. Libro III legas:

- - - - - - Sed liber spiritus ipsum
Evolet ad dominum, qui desursum dedit illum.

Desuper pro eo dixit Tacitus lib. II Annal. *Soli Cheruſci juga inſederunt, ut præliantibus Romanis deſuper incurrerent.* Lactantius, & juniores, pro eo *celitus* ajunt.

Diatim, vel *dietim*, quotidie, indies, diebus singulis. S. Gerardus, abbas Sylvæ-majoris, in vita S. Adelardi † cap. IX §. LIII: *Cumq; diatim magis magisq; languor crudesceret.* Arnoldus in Vita S. Godehardi cap. XIV: *Decrescentibus dietim viribus.* Et postea non semel usurpat. Habes & in Concilio Pisano II *. Ac similiter apud Matthæum Parisium in anno CIↃ CC LII: *Non perduravit, sed diatim in effectu susceipit diminutionem.* Item Eckehardus Junior de Casibus S. Galli cap. I: *Cum lineis vestibus diatim introiit.* Legas etiam in Chron. Reicherspergense: *Maxima namq; adversitates eundem exercitum in eâdem via comprehenderunt; simulq; inopiâ turba confecta, morte consumi cœpit; ita ut diatim multitudines fame, ac morbo, depasta perirent.* Est & Joannis Majoris de gestis Scotorum lib. III cap. VIII: *Trecentos inopes dietim alebant.* Sermo est de Malcolmo, Scotorum Rege, & uxore Margarita.

* In Vita SS. ad 2. Jan.

* Pag. 133. ed. Paris. 1612.

Dignanter, animo benigno, nec munusculum, ut se indignum, aspernanti. Cineardus ad Lullum, epistolâ LXXXVI, inter illas S. Bonifacii: *Quod* (munusculum) *te — susceipere dignanter, & uti, suppliciter precamur*; hoc est, boni consulere.

Disciplinatè, disciplinæ convenienter; *disciplinatiùs*, rectiùs, ac disciplinæ convenientiùs. Baldericus in Cameracensi Chronico lib. II cap. XXXVII: *Secedere monuit, ut disciplinatiùs videlicet errata corrigeret, & emendatiùs viveret.*

Discorditer vivere non dixerim; sed aliquos esse *discordes*, vel *discordibus animis*. De hoc tamen disentit Henr. Stephanus Expostulationis de Latinitate suspectâ cap. VI †: *Discorditer*, inquit, *cur minùs Latinum sit, quam concorditer, non video. Concorditer* autem Plauti est Curcul. Imò nec Cicero ipse *concordissimè* refugit orat. pro Rabirio.

* Pag. 180.

Diversimodè timidè usurpem; quia non inveniam apud veteres: & Cicero pro eo in libb. de Divinat. dicat, *non uno modo.*

Divisim non probo. Cicero pro eo, *separatim, seorsum.*

Dociliter Latinum vix putem. Cicero in Partitionibus pro eo *intelligenter*. Henrici tamen Stephani opinio alia est, Expostulationis de Latinitate suspectâ cap. VI.* Nempe quia *docilis*, & *indocilis*, legantur; existimat, veteres etiam *dociliter*, *indociliter*, dixisse. Nolim tantùm indulgere conjecturis, sæpe inanibus.

*Pag. 280

CAP. XXXII.

De auspicantibus ab E, F, G, H. Effectivè, & effectualiter, *pro e, ienter*. Efforcialiter, & efforciatè, *pro vi*. Emicatim, *subitò se attollendo, atq; erigendo*. Enerviter, *enervium instar*. Enormatè, *convenienter normæ*. Episcopaliter, *more episcopi*. Eulogiosè, *cum maledicentia*. Exactè, *accuratè*. Excessivè, *supra modum*. Expost, *postea*. Extraordinariè, *modo extraordinario*. Faciliter, *facilè*. Favorabiliter, *cum favore*. Fiducialiter, *cum fiducia*. Figuraliter, *figurato sermone*. Finaliter, *denique*. Fixè, *acriter*. Fontaliter, *tanquam à fonte*. Fugaciter, *fugiendo*. Fusim, *fundendo*. Gaudenter, *cum gaudio*. Gentilitus, *secundùm cujusq; gentis morem*. Granditer, *admodum*. Gratanter, *lubenter*. Grossè, *crassâ ac vili veste*. Historialiter, *secundùm historiam*.

VEnio ad vocalem secundam, & consonas, quæ inter eam, tertiamque, in literarum serie interjectæ.

Effectivè, pro ἐνεργητικῶς, non dicam: sed potiùs *efficaciter*, vel *efficienter*; quod non refugit Tullius de Fato.

Effectualiter longè minùs usurpem; sed vel Græco utar, vel *efficienter* dixero. Legas tamen apud Scholasticos, & horum exemplo in Concilio Pisano I sess. IX.

Efforcialiter, & *efforciatè*, vi, potentiâ, à Gallico, & Anglico, *force*, quod è *fortiter*. Unde *forcia*, *deforcio*, & alia, de quibus suo loco dictum. *Efforciatè* usurpat Matthæus Parisius in Johanne †: *Quod tu ita efforciatè venias cùm equis, & armis*. Idem pro eo *efforcialiter* dicit in eadem aussi Vitis: *Promiserunt, quod efforcialiter vobis subvenirent de pecunia sua*.

† Pag. 224. ed. Tigur. Anglicana aussi 234

Emicatim, ab obsoleto supino *emicatum*; unde *emicaturus* apud Senecam, consolatione ad Albinam. Usus Sidonius Apollinaris lib. II epist. XIII, de Damocle, cujus cervicibus in convivio apud Dionysium tyrannum impendebat ensis setâ equinâ alligatus: *Unde post mixtas flentibus preces, atq; multimoda suspiria, vix absolutus, emicatimq; prosiliens, illâ refugit celeritate divitias, deliciasq; regales, quâ solent appeti-*

Lu-

Ludovic. de la Cerda Adversariorum Sacrarum *emicantum* cap. CLXXXV legit: quasi ab *emicando* sit. Verùm adverbia hujusmodi non à gerundio, sed supino fiunt: ut *cursim*, *raptim*, & similia.

Enerviter cedere, pro molliter, ut enervati solent, apud Petrum Damiani lib. III epist. VIII, quæ ad Archiepiscopum Bisuntinum.

Enormatè aliud longè, ac *enormiter*. In Glossis ab Isidoro exponitur, *cui addi minus nihil potest*. Ubi emendant, *cui addi, vel minui, nihil potest*. Malim eâdem mente, *addi, minuive*. Constat longitudines ad lineam sive amussim; altitudines ad perpendiculum; angulos exigi ad normam. *Enormatè* igitur fuerit convenienter normæ. Ut simile sit ac *examussim*, vel *amussitatè*, ab *amussitatus*, quod Plauti Milite.

Episcopaliter, pro, ut episcopo dignum, Lupo Abbati epist. XXI.

Eulogiosè venire putatur ac *eulogia* vocabulo, non prout signat munera Deo vota, sicut sæpe sumitur; sed quatenus pro elegia falsò accipitur. Itaque idem sit eulogiosè, ac cum dolore & luctu. Colvenerii hæc opinio est de illo Balderici in Chronico Cameracensi lib. II cap. I: *Dominum triste incusabant, ac maximè in S. Mariam eulogiosè fremebant.* Sed quid impedit, quo minùs exponam, quid, cùm in istac sententia parùm acquiescerem, postea in mentem venerit? Censeo, Balderico *eulogiosè* idem esse, ac *maledicè*, vel *maledicta ingerendo*. Talis ejus vocis usus inde fuerit, quòd εὐλογεῖν, licet propriè sit benedicere, more tamen Hebræo ponatur pro maledicere. Ut I sive III Reg. XXI. 10: Εὐλόγησας θεὸν, καὶ βασιλέα. *Benedixisti DEO, & Regi.* Et Jobi I. 5: Μήποτε ἥμαρτον, καὶ εὐλόγησαν θεὸν ἐν καρδίας. *Ne forte peccaverint filii mei, & benedixerint DEO in cordibus suis.* Nimirum usque adeò Hebræi abhorrebant à blasphemia, ut ne quidem nominare illam sustinerent: eoque καθ' ὑφημισμὸν, (de quo abunde actum nobis lib. IV Oratoriarum Institutionum cap. X sect. IX) ברך *barach*, quod est *benedicere*, *laudare*, dicebant pro maledicere, impiè loqui: ac Hebræorum exemplo similiter LXX interpretes usurparunt τὸ εὐλογεῖν. Ab hac igitur εὐλογίας significatione dixit Baldericus, eulogiosè infremuisse in B. Virginem: quod est ei benedixisse, hoc est, maledixisse, impiè de ea locutos.

Exactè, pro accuratè, etiam doctissimorum est hominum: uti quoque *exactius*, pro accuratiùs. Sed neutrum apud veteres invenio.

Excessivè displicet. Pro quo rectum, *præter modum*. Alterum cùm

alibi millies habes, tum in Promotionibus Concilii Pisani *: *Nec déferant cincturas excessivè sumptuosas.*

Expedientius, utilius, magis expedit. Apud Plautum *conducibilius* legitur.

Postè, postea, postmodo. Thom. Walsingamus in Richardo II †: *Postè tamen consilium regale decrevit, ut diversis monasteriis mitterentur.* Idem in Hypodigmate Neustriæ *: *Postè decapitatus, & quaternizatus est.*

* Pag. 156.

† Pag. 231.

* Pag. 508.

Extraordinariè cur novè dicam, cùm vetus suppetat, *extra ordinem?*

Faciliter, pro *facilè*, *perfacilè*, *nullo*, vel *exiguo negotio.*

Favorabiliter, pro *cum favore*, vel *faventiâ.* Petrus de Vineis lib. III epist. XXXIV: *Nuncios nostros per civitatem Venetiarum hinc inde transitum facientes, à te, ac Venetis aliis, favorabiliter comperimus honorari.*

Fiducialiter, cum fiducia. Vulgatus interpres Act. IX. 28: *Fiducialiter in nomine Domini.* Græcè, παῤῥησιαζόμενος, hoc est, liberè agens. Usurpat quoque scriptor libri de singularitate clericorum, qui Cypriani perperam creditur. Item Leo Ostiensis Chron. Casinensis lib. II cap. LXIII: *Omnes simul ad locum, ubi ferrum decidit, fiducialiter accedamus.* Joan. Saresberiensis, episcopus Carnotensis, epist. LXII: *Quod tanto vobis fiducialiùs commendamus.* Ac similiter Wipertus archidiaconus in vita S. Leonis IX, cui scriptor is coætaneus, cap. XLII.

Figuraliter, per figuram, ἀλληγορικῶς. Petrus Blesensis epist. XVII: *Dominus per Jeremiam* † *figuraliter dicit: Perdix fovit, quæ non peperit.*

† Jer. 17. 11.

Finaliter, pro tandem, denique. Floretus, qui creditur, sed temere, B. Bernardus Clarævallensis *:

* Colon. excusus cum comment. 1501.

Interimens animam, damnat finaliter ipsam.

Odericus Ord. Min. qui ante tria vixit sæcula, Peregrinationis suæ Asiaticæ cap. V: *Intrare volui, confidens in Domino, ut viderem finaliter quid hoc esset.* Usurpat etiam Henricus de Hassia in Spec. Anim. †.

† Pag. 3.

Fixè, pro *acriter*, *acri animo*, *& intento.*

Fontaliter, velut à fonte. Thomas Kempensis lib. I de imitatione Christi cap. XV: *Totaliter ad Deũ refert, à quo fontaliter omnia procedunt.*

Fugaciter, pro fugâ, vel fugientium more. Prior vita S. Leodegarii, Episcopi, & Majoris domûs Franciæ: *Quod consilium qui tunc noluit sequi, aut fugaciter evasit, aut cum periculo, incendio comminate, adquievit invitus.*

Fusim qui veterum dixerit, non occurrit nunc mihi; etsi sciam

vulgò

vulgò *fusè*, & *fusim*, sic distingui, quòd *fusè* sit quantitatis, pro *copiosè*: *fusim* qualitatis, ut *sparsim*.

Gaudenter, cum gaudio. Usurpat Fulgerius Carnotensis in Gestis Peregr. Franc. ad an. cIↃxcvii. Verba adferam in particula *Indilatè*.

Gentilitus, pro gentium more. Tertulliani est lib. de Pallio cap. iii. Qui nec refugit *nativitus*, *passivitus*, *planitus*. Hæc vel seculo condonanda, vel genti.

Granditer, pro vehementer, vel admodum. Chronicon Reichersperg-ense *, in descriptione malorum, quæ passus est exercitus in expeditione Hierosolymitanâ: *Unâ dierum super ripam, non magni cujusdam fluminis mare influentis, castra locaverant; cùm subitò, nullâ pluviâ — præcedente, fluvius idem, (nescitur adhuc, quâ ex causâ) granditer intumuit.* * Pag. 184.

Gratanter, pro lubenter, animo grato. Petrus de Vineis lib. i. epist. v: *Pacem oblatam nobis gratanter admittimus; sed nos eam offerre plurimùm adfectamus.* Ac similiter mox eâpse epistolâ. Multoque ante eum sic alii: in his S. Remigius in Testamento suo apud Flodoardum lib. i. Histor. Rem. cap xviii, & Fulbertus Carnotensis epist. xxi, & xxx. Est & Thomæ Walsingami in Descriptione Neustriæ †: *Cujus verba Rollo, consilium suorum, gratanter suscipiens, à vastatione paganicâ indulget Regi inducias trium mensium.* † Pag. 417.

Grossè corruptum ex crassè, ut ex crassus, *grossus*: de quo diximus libro iii. cap. xiii. in *Grossitudo*. Thomas de Kempis lib. primo de imitatione Christi cap. ult. *Pauperrimè comedunt, grossè vestiuntur.* Hoc est, panno crasso, loloci, vici.

Historialiter, pro *historicè*, apud Anonymum de ritibus veteris Eccles. *Quod primitiva quidem Ecclesia, persecutionis tempore, historialiter agebat: sed ea, quæ nunc est à Christo, pace jam redditâ, spiritaliter repræsentat.*

CAP. XXXIII.

Explicantur particulæ Latino-barbaræ, quæ incipiunt ab I. Ignobiliter, *ignobilium instar, vili habitu.* Ignominiosè, *cum dedecore, ac infamia.* Ignoranter, *inscienter.* Imperfectè, *opere imperfecto.* Imperialiter, *Cæsario, vel Regio more.* Impræsentiarum *non quidem rejectum; attamen tutiùs, majorique classicorum consensu, dici* in præsentia, *vel* in præsenti. Impudoratè, *citra pudorem.* Inantea, *deinceps.* Incessabiliter, *& incessanter, pro assiduè, vel indesinenter.* Incidentaliter, *obiter.*

Inconsolabiliter, *nulla admittendo solatia.* Indebitè, *immeritò.* Indilatè, *continuò.* Indisciplinatè, *adversus disciplinam.* Inenodabiliter, *nodo ejusmodi, quem expedire nemo posset.* Infederabiliter, *nullâ fide ris spe.* Infideliter, *malâ fide.* Infinities, *infinitè.* Infirmiter, *infirmè.* Infrontatè, *per fictâ fronte.* Inhospitaliter, *inhospitalium more.* Inordinaliter, & inordinatè, *sine ordine, sive incompositè.* Insolitè, *insolenter.* Insufficienter, *nimis parcè.* Integraliter, *plenè.* Intellectualiter, *ratione intellectus.* Intemporaliter, *citra temporis mensuram.* Invectivaliter, *acriter invehendo.* Inviolabiliter, *inviolatè.* Jocaliter, *jocosè.* Irrationabiliter, *citra causam ullam, vel more rationis expertium.* Irremediabiliter, *sic ut mederi nemo possit.* Irremissibiliter, *nullâ venia spe.* Irreparabiliter, *irreparabili jacturâ.* Irrevocabiliter, *irrevocabili conditione.*

PRoximum nunc est, ut ad eas me Particulas conferam, quibus initium facit tertia vocalis.

Ignobiliter, ignobili ac plebejo more; item sordidè, vili habitu. Petrus Damiani lib. III. epist. VIII, quæ ad episcopum Bisuntinum *: *Invenit* (Rex) *hominem contra illius convivii regulam ignobiliter residentem.*

* Pag. 303.

Ignominiosè non memini me legere apud classicos. Potiùs igitur dixero cum iis, per ignominiam; vel, cum ignominia.

Ignoranter nihilo melioris mihi notæ videtur. Quare præferam, inscienter, per ignorantiam.

Imperfectè, de iis, ubi quid deest, sive deficit, scio, quàm sit vulgare. Sed qui nihil admittit, nisi cujus idoneum habeat auctorem, is rectiùs abstineat. Melius igitur, *opus dare imperfectum*, quàm *imperfectè*. Item malim, *opus affectum potiùs, quàm confectum.* Est ubi *præcisè* pro eo cum Tullio, & aliis, dicam. Ut siquid in sermone deficiat, quod intelligendum relinquatur. Hujusmodi oratio ob concisionem minùs perspicua esse solet: unde Agellius conjungit, *præcisè, & obscurè dictum.*

Imperialiter, βασιλικῶς, §. penult. C. de caduc. toll.

Imperpetuum. In perpetuum. Utitur Scribonius, teste Rhodio in Lexico Scriboniano.

Impudoratè, pro *impudenter*, semel iterumque usurpat vetus Irenæi interpres lib. II. cap. XXI, quod est adversus Marcionem.

Impræsentiarum cur sit suspectum, monui lib. I. cap. XXV. Nec tamen, cum Grosippo †, damnare audeo, in tanto codd. consensu; quem ibi-

† Sive clarissimo Scioppio.

dem

dem tangebamus. Usus enim Cato de re Rust. cap. CXLIV: *Ne quis concedat, quo olea legunda, & faciunda, carius locetur, extra-quàm, siquem socium impræsentiarum dixerit.* Item C. Fannius * Annal. I: *Qua impræsentiarum † bona videntur.* Tacitus lib. IV. Histor. *Plerumque tamen, quod impræsentiarum conduceret, oblitum.* Post hos etiam Appulejus lib. III. Florid. *Mavult impræsentiarum gaudere, quàm prædicare.* Item Ulpianus lib. XI. tit. I. leg. XI, §. VIII. Ut mittam vulgatum Scripturæ interpretem Genes. cap. ult. vers. XX: *Sicut impræsentiarum cernitis.* Similiterque Hieronymus ad Algasiam. Difficile creditu est, in tot generis scriptoribus, & tam multis codd. vocem eam corruptam. Quare nullum, qui uti volet, culpâro. Et tamen, ut alterum præferam, facit, quòd omnes ante Tacitum, si Catonem priscum, paulloque juniorem excepero C. Fannium, *in præsentia* malint. Sic Terentius Phormione: *Provisum est, ne in præsentia hæc hinc abeat.* Cicero ad Att. *Spero etiam in præsentia pacem nos habere.* Et VII. in Verrem: *In præsentia Cleomenes, quoniam ita necesse est.* Præterea Servius Sulpicius epistolâ eâ, quâ Ciceronem solatur de obitu Tulliæ. Etiam *in præsenti* pro eo est apud Tullium epist. X. lib. II: *Hæc ad te in præsenti scripsi, ut speres te id adsequi, quod optasti.* Atque ita quoque est apud Scribonium Largum *; cujus verba adducebamus lib. I. cap. XXXIII. Nempe ut Græci dicunt, ἐν τῷ παρόντι. Ubi κατ' ἀλλοίωσιν reticetur χρόνου. Nec desunt, qui propterea *in præsentia* damnent. Sanè & Henricus Stephanus in Pseudo-Cicerone suo non dubitat scribere †, suspecta sibi esse loca omnia, ubi *in præsentia* est exaratum. Et tamen videas Stephanum ipsum paucis ante paginis * sic loqui. Verba sunt: *De hoc duntaxat in præsentia nunc agamus.* Ipsum adi fusiùs differentem.

* *Apud Priscianum lib. 13. cap. de secunda declinatione Prænominis.*

† *Sic etiam optima membrana nostra, & vetus edi tio Venetæ an. 1476.*

* *Præfat. ad C. Iulium Callistum.*

† *Pag. 98.*

* *Pag. 93.*

Inantea (pro quo & divisim, sed perperam, ut puto, *in antea* scribitur) idem valet, ac *in posterum*; more Gallorum, qui dicunt, *dor en avant*. Sic Marculfus monachus Formularum præfatione ad Landericum, Parisiensem antistitem: *Capitula prænotavi, ut facilius à quarenti inantea scripto reperiantur.* Baldericus in Chronico Cameracensi lib. I. cap. CXVIII: *Walterus pro admissis XX. libras argenteorum revadiaret, ac inantea se quieturum esse promitteret.* Similiter eodem opere alibi; & apud alios scriptores, quos indicat Colvenerius ad Chronicon Cameracense *. Vide autem, an non similiter sumatur Legum Longobard. lib. I. tit. IX. leg. XIX: *Et accipiant hæredes mortui inantea tantum, quantum antiqua consuetudo fuerat.* Pro *continuò*, vel *statim*, usurpari videtur, in illo Gregorii

* *Pag. 599.*

gorii Turonensis in Histor. Francorum lib. VII. cap. XXVIII: *Post hæc exercitus, ab urbe Pictavâ remotus inantea, post Gundebaldum profiscitur.* Quid verò antiquis *inante*, uti & *exante*, & *postante*, denotârint: liquebit ex iis, quæ diximus in Arte Grammat. lib. IV. de Analogia cap. XXIII.

Incessabiliter, & *incessanter*, barbara sunt, pro, nullo temporis puncto intermisso. Priori usus Petrus Damiani lib. III. epist. VIII, quæ ad episcopum Bisuntinum †: *Manibus in alta porrectis incessabiliter psallere.* Posterius usurpat vita S. Leodegarii, Augustodunensis episcopi *. Item Petrus Blesensis epist. CXLVI, quæ exarata nomine Alcoronæ, Angliæ Reginæ. Adhæc Bernardus Clarævallensis in vita Malachiæ episcopi †. *Indesinenter* pro eo dixit Varro lib. II. de R. cap. IX; nequis id barbarum putet, quia apud Latinobarbaros legat; in his Commentatorem in Jobum, qui Origenes falsò putatur, in ipso operis initio, & Bekam in vita Joannis II. episc. XL: *A somno suscitans indesinenter.*

† Pag. 304. edit. Paris. an. 1610.

* Tom. I. scriptorum Hist. Franc. p. 601. Andr. du Chesnus.

† Col. 1945. edit. Antverp. an. 1609.

Incidentaliter loquendo, quorundam est, pro obiter, sive, quia casu in hunc sermonem incidimus. Joannes Major de gestis Scotorum lib. IV. cap. VII: *Incidentaliter loquendo, non solùm in Britannia, sed in plerisque locis, nimis leviter homines censuris ecclesiasticis innodant.*

Inconsolabiliter est apud Leonem Marsicanum lib. I. Chronici Casinensis cap. I: *Atque ideo inconsolabiliter fleret.* Et sanè *inconsolabile vulnus* est apud Ovid. V. Met. Malim tamen cum Horatio *, *insolabiliter.* Græci pro eo ἀνεπιμυθήτως.

* Lib. I. epist. 4.

Indebitè, immeritò, injustè. Cæsarius Heisterbachensis lib. XII. cap. XXIII: *Immissione diaboli, cujus instinctu ab invidis indebitè vexabatur, campum solus intravit.* Ulpiani tamen est *indebitò*, per quartam vocalem.

Indilatè, citra dilationem ullam, continuò. Fulgerius Carnotensis in Gestis Peregrinat. Francorum ad ann. CIↃXCVII *: *Pervenimus tandem Roais: ubi Princeps urbis prædictus, & uxor sua, unà cum civibus suis, gaudenter nos susceperunt; &, quod Balduino pollicitis fuerant, indilatè compleverunt.*

* Pag. 319.

Indisciplinatè, adversus legum morumque disciplinam. Est in Speculo Saxonico; uti dictum lib. III. cap. cap. XVI. Ubi & vidimus de voce *indisciplinatus.* Simplex *disciplinatus*, pro disciplinis imbutus, est leg. VII. §. I. ff. De excusat. *Disciplinosus* vetus est, ac, ut Nonius observat, etiam locum habet in vilibus, & malis artibus. Unde Porcius Cato lib. de re militari: *Quam gladiator disciplinosus.*

Inenodabiliter, de eo, cujus nodus nequit solvi: ut Gordius ille, quem

Alc-

Alexander M. dissecabat, ut quomodocunque oraculo viderim satisfactum. Utitur eâ particulâ Chronicon Cistercienſe *. Interim *menodabile* ipsius est Ciceronis lib. de Fato. Sic ejusdem Tullii est *inexplicabilis*: qui, ut puto, *inexplicabiliter* non dixisset. * Pag. 54.

Infederabiliter, ἀσυνθέτως. Petrus Damiani in vita S. Odilonis cap. x. §. XXII: *Orationibus, & eleemosynis quorundam, adversus eos infederabiliter concertantium, frequenter ex eorum manibus eriperentur animæ damnatorum.*

Infideliter, pro malâ *fide*, de quo tamen non magnopere contendero, quandoquidem *fideliter* ipsius est Ciceronis: eoque, etiam compositum, ut Latinum, se agnoscere, Henricus Stephanus dicat Expostulationis de Latinitate Suspectâ cap. VI *. * Pag. 208.

Infinities, quod Ciceroni *infinitè*: cujus est, *infinitè concupiscere*, vel *secari*. Thomas Walsingamus in Richardo II †: *Patuit hoc, non semel, aut iterum, sive tertiò; sed puto infinites.* † Pag. 224.

Infirmiter, pro infirmè, non reperio, præterquam apud parum idoneos scriptores.

Infrontatè, pro impudenter, more hominum ferreæ frontis. Fulgentius Planciades: *Catillare est per alienas domos infrontatè gyrare.*

Inhospitaliter non temere dixero. Henricus Stephanus tamen, *Cur*, inquit, *potiùs refugisse istud Latinos putabimus, & insaturabiliter (quo Cicero quoque usus est) & insolabiliter, & implacabiliter, & admirabiliter?* Equidem non valde adversor utenti: sed non tam ob ea, quæ Stephanus hîc adfert, quàm quia *inhospitalem* Caucasum dicat Horatius: & *hospitaliter* Livii fit lib. I, ac VI.

Inordinaliter, ἀτάκτως, sine ordine; pro quo *incompositè* Livius lib. quincto, & vigesimo. Legas prius libro de singularitate Clericorum, qui Cypriano tribui solet, sect. II: *Ipsi ergo nos fallimus, quoties inordinaliter credimus, æstimantes per fidem nostram legis præcepta mutari.* Nisi *inordinabiliter* malis; quando posteà sect. V I. sequitur: *O quàm inordinabilis femina propinquitas jaculatur, cujus vicinia est delictorum latrocinium.* Sed profectò liber is Cypriano, elegantissimo scriptori, ineptè tribui solet. Abunde enim hanc sententiam tot semi-barbara refellunt: quemadmodum paullo antè dicebamus in *Contubernaliter.*

Inordinatè, ἀδιατάκτως, est apud Petrum Blesensem epist. CLI, quæ ad Innocentium III. Papam. Nec multùm adversor, cùm *inordinatus* sit apud Livium, ac ipsum Ciceronem. At planè rejiciendum, *inordinatè*, pro eo, quod Cicero *immoderatè*.

Insolitè, pro quo Cicero *insolenter*, defendunt Agellii illo lib. I. cap. II: *Intempestivè, ac insolitè disserebat.* Sed in melioribus libris pro *insolitè* est *insubidè*: quam vocem, qui non caperent, immutarunt.

Insufficienter sumtum præbere non dicam, sed *nimium parcè*: ut Terentius Andr. Act. II. sc. VI. *nimium parcè facere sumtum.* Vel *exiguè*, ut Heautont. act. I. sc. II: *Præbent exiguè sumtum.*

* Subaitur Aimoino, & Leoni Marsicano, edit. Paris. an. 1602.

Integraliter, pro integrè, plenè. Benedictina * cap. XIII, quod est de inventariis per novos antistites: *Prædicta verò inventaria, seu registra, clarè, ac integraliter, legantur in capitulo cujuslibet ecclesiæ cathedralis, ac monasteris.*

† Pag. 5.

Intellectualiter, secundùm intellectum. Usus Henricus de Hassia in Speculo Anim.† Opponitur ei *sensualiter*, de quo inferiùs.

Intemporaliter, ἀχρόνως, sine tempore, vel temporis mensurâ. Leges Wisigothicæ lib. IV. tit. V. leg. VI: *Deus, justus judex, qui justitiam intemporaliter diligit, non vult justitiam servire tempori; sed tempora potiùs æquitatis lege concludit.* Usus & Dionysius Carthusianus in rhythmo. Verba adduximus in *Æternaliter.*

Invectivaliter, ut solent invecti in aliquem; sive, prout invectivis fit, seu cum acri reprehensione. Sidonius Apoll. lib. I. epist. XI: *Qui satis invectivaliter absi nominum nuditate, carpebant plurimum vitia; plus homines.*

Inviolabiliter est apud Petrum Blesensem, ab *inviolabilis*, quo usus Silius. Sed hoc poëticum. Pro *inviolabiliter* autem *inviolatè* est apud Ciceronem lib. de Senectute.

Jocaliter est apud Ammianum Marcellinum: pro quo veteres, vel *jocosè*, ut Cicero; vel *joculariter*, ut Plinius.

Irrationabiliter est Tertulliani de Pœnitentiâ. Malim, sine ratione, nullam certam ob causam, ἀλόγως, malè. At longè minùs placet *brutè*: quod, utcunque Latinum foret, aliud sonaret. Nam quantum interest inter brutum, & ἄλογον, dictum alibi † fusè.

† Lib. I. cap. 33.

Irremediabiliter, de eo cui mederi non possis. Petrus Blesensis epist. CXLVI, nomine Aleonoræ Reginæ ad Cœlestinum Pontificem scriptâ: *Rex junior, & Comes Britanniæ, in pulvere dormiunt, & eorum infelicissima mater vivere cogitur, ut irremediabiliter de mortuorum memoria torqueatur.*

* Tom. 2. bullarii pag. 1.

Irremissibiliter, citra condonationis, aut veniæ ullius spem. Pius IV. bullâ de jurisdictione Gubernatoris almæ Urbis*: *Ultra prædictam sum-*

ſummam principalem in cambiis, & recambiis,—— à dictis mercatoribus irremiſſibiliter exigendam.

Irreparabiliter, ſic ut irreparabile foret. Sigebertus in Chronicis an. CIↃLXXII: *Godefridus palatium Neomagi incendit, & irreparabiliter deſtruit.*

Irrevocabiliter, ut probum, agnoſcit Gloſſarium noſtrum Mſcr. Dixero, irrevocabili promiſſo, pacto, dicto.

CAP. XXXIV.

De particulis auſpicantibus ab L, M, N. Lachrymabiliter, *cum lachrymis.* Laicaliter, *laicorum inſtar.* Lateraliter, *à latere.* Legaliter, *ſecundùm leges.* Licitè, *honeſtè.* Lineariter, *ad lineam.* Literatim, *per epiſtolam.* Magnanimiter, *animo magno.* Maſſaliter, *nomine univerſi civium, vel fidelium corporis.* Matrimonialiter, *matrimonii vinculo.* Medicinaliter, *ope medicâ.* Medieter, & mediè, *pro mediocriter, mediâ ratione.* Mentaliter, *mente, ac cogitatione.* Minabiliter, *cum minis.* Miſericorditer, *miſeratione aliorum.* Momentaliter, *momento.* Monachiliter, *monachi inſtar.* Multoties, *crebrò.* Mundialiter, *munditer.* Muſſitanter, *muſſitando.* Notoriè, *manifeſtò.* Nullatenus, *nequaquam.* Nullibi, *nusquam.* Nulliter, *nullo uſu.*

SUbjungam nunc particularum eas, quibus initium eſt ab aliquâ primarum trium liquidarum.

Lachrymabiliter, cum lachrymis, cum lachrymabili gemitu, ſic ut lachrymæ non teneantur.

Laicaliter, more laicorum. De hoc dictum in *Laicalis*, lib. III. cap. XVIII.

Lateraliter, à latere. Pſeudo-Ovidius in ſecundo de Vetula:

——— *Lateraliter intrans.*
Explorante manu, cameram lectumque requiro.

Legaliter, pro ſecundùm legem. Conſtitut. Caroli Calvi Tit XXX, quando Hlotharius ad oſculum receptus eſt, cap. VI: *Ipſe Dominus dicit de ſemel, ac ſecundò, ac tertiò commonito, & non correcto, ut ſit nobis ſicut gentilis.* Item Longobardicarum legum lib. III, tit. XXXIV, leg. IV, & Hincmaro epiſt. VIII. cap. I. †.

† *Edit. Mogunt. ann. 1602. pag. 15.*

Licitè invenio ſolùm apud juniores. Malim *honeſtè, juſtis*, vel *honeſtis de cauſſis.* Apud Solinum tamen *licitò* legas.

Lineariter vulgare eſt, pro eo, quod Tullius, *ad lineam.*

Literatim, per literas, sive epistolam. Fulbertus Carnotensis epist. CVIII: *Mandato mihi, ut literatim describerem vobis, quid mihi videtur de vestra, quantum dici fas, irreprehensibili conversatione.*

Magnanimiter, pro *magnoanimo*, improbat Nizolius: probat Henricus Stephanus, Expostulationis de Latinitate suspectâ cap. VI *. Vellem autem vocabuli ejus idoneum laudâsset auctorem.

* Pag. 281.

Massaliter à *massalis*; *massalis* à *massa*. *Massale* verò est, quod massam, sive totum quid constituit. Tertullianus lib. IV. adversus Marcionem cap. XVIII: *Redactam scilicet in Dominum, ut in massalem suam summam.* Hoc est, totam summam. Ac *massaliter* idem usurpat adversus Valentinianos cap. XVIII: *Atque ita massaliter solidata defixit seorsum in materia corporalem paraturam.* Ubi summa *massalis* est, quæ barbaris *totalis*. Idem de Fuga in Persecutione cap. XIII: *Massaliter tota Ecclesia tributum sibi irrogaverunt.* Hoc est, non sigillatim, pro hoc, vel illo; sed simul, pro omnibus, &, ut vulgò dici solet, in communi. Ita rectè interpretati Rhenanus, Junius, de la Cerda.

Matrimonialiter jungi, pro connubio, vel matrimonio jungi, est Joannis Majoris, lib. IV. de gestis Scotorum cap. XVIII.

Medicinaliter, ope, vel manu medicâ. Thom. Walsingam. in Richardo II. †: *Cùm sit frater noster peccabilis; subjacet legi correptionis fraternæ: & cum totum collegium patet esse defes in correptione, pro necessaria prosperitate ecclesiæ; patet quòd residuum corpus ecclesiæ, (quod possibile est secundùm plurimum stare in laicis) patet medicinaliter eum corripere, accusare, & ad frugem melioris vitæ reducere.* Ubi, pro *patet medicinaliter eum corripere*, legendum censeo, *possit medicinaliter, &c. Medicinabilis* tamen est Cornelii Celsi, Plinii, & aliorum.

† Pag. 208.

Medieter, pro *mediocriter*. Capitolinus in Albino: *Milesias nonnulli ejusdem esse dicunt, quarum fama non ignobilis habetur, quamvis medieter scriptæ sint.* Pro quo *mediè* etiam, ut Salmasio observatum, Spartianus in Severo: *Ortus mediè humilis.* Hoc est, origo illi utcunque, vel sic satis humilis; quasi dicat, minimè sublimis, nec tamen omnino infimæ sortis. Ulpianus de pigneraticia actione: *Mediè igitur hæc à judice erunt dispicienda; ut neque delicatus debitor, neque onerosus creditor audiatur.* Lactantius item lib. VI. de vero cultu cap. XV: *Vitia, quoniam tolli non possunt, mediè temperanda sunt.* Ubi Gryphius odidit; *Quoniam tolli non possunt, moderanda sint.* Ac similiter Xystus Betulejus. Sed in commentario ait: *Gryphius non sine ratione lectionem mutavit; nescio, an exem-*

exemplari vetusto aliquo fretus. In Aldina est, *medio temperanda sint.* Illa Thomasii cum Gryphiana consentit; verùm in margine annotavit, quod in aliis codicibus legi dicebamus, *mediè temperanda.*

Mentaliter, mentis cogitatione. Joannes Major Scotus de Scotorum gestis lib. III epist. XI: *Sicut piscis extra aquam non vivit: sic nec religiosus extra claustrum. Et quando est in claustro corporaliter; tunc mentaliter, & quoad vitam, est extra claustrum.*

Minabiliter in Glossis Mssis exponitur ἀπειλητικῶς. *Minaciter* pro eo Cicero, Liviusque. Ovidius etiam *minanter.*

Misericorditer, Chron. Cistercienſi *: *Sunt namq; milites in domo Dei, templiq; Salomonis, ad terminum misericorditer nobiscum degentes.* * Pag. 50.

Momentaliter, pro *momento*, *confestim*, apud Ursionem, abbatem Altimontensem, lib. II de S. Marcello Papa cap. III §. IX †: *Ut utrumq; officii momentaliter reciperet plenitudinem.* † In vitis SS. ad 16. Ian.

Monachiliter, pro *monachi more.* Matth. Parisius Histor. in anno cIↃ c verba hæc regis Guiljelmi II refert de visione monachi transmarini: *Monachus est, & lucri caussâ monachiliter somniavit.*

Mulsitanter, vide inferiùs *mussitanter.*

Multoties, pro sæpiùs, est apud Paulum Diaconum in vita S. Mariæ Ægyptiacæ cap. I, & II. Præterea crebrò est in Carmine Caroli M. apud Leonem Ostiensem lib. I cap. XVII:

Dicito multoties salve, pater optime, salve.

Item apud Rigordum in Gestis Philippi Augusti, & Petrum de Vineis lib. I epist. XV. Junioribus inprimis frequens: quorum aliquos nominavi lib. I cap. XXV. Ac multos adducere alios possim: ut Leonclavium in Histor. Turcicæ Pandectis cap. XXIII, Brissonium ad L. Dominico de Spectaculis in Cod. Theodos. Juretum notis ad Ivonis epistolas, Conr. Rittershusium Notarum ad Guntherum lib. I cap. IV.

Mundialiter, pro *munditer*, quod Plauti Pœnulo. At priori usus Fulbertus serm. de ortu B. Mariæ *: *Advocate angelos ad custodiam puritatis vestræ; quia ipsa in tenera sorte mundialiter posita, cum regina ipsorum etiam futura secum eorum suffragia, sedulâ oratione contrahebat.* * Paris. 147. edit. Paris. an. 1608.

Mussitanter, susurrando; à *mussito*, quod à *musso*; uti hoc à μύζω; id quasi μῦ dico. Isidori Glossæ: *Mulsitanter, lenter.* Num à *mulsitans*; hoc à *mulso*, vel *mulcendo*, sive supino *mulsum?* Non arbitror. Sed legendum censeo, *mussitanter*, hoc est, leni obscurâque voce; ut qui aliquid in aurem dicunt. Firmat quoque Nonius, cùm ait, *Mussare homi-*

num est occultè, & presâ voce loquentium, quod celatum velint. Ac Servius quoque in 1 Æn. *mussare* exponit susurrare, murmurare, muto esse vicinum. Glossæ Philoxeni: *Mussitare*, γρύζει. Onomasticon: *Mussitabundus*, μύζων. *Mussito, musso*, μύζω.

Notabiliter, valde, insigniter.

Notoriè, apertè, manifesto. Hieronymus Pragensis in Abjuratione sua, Concilii Constantiensis sess. XIX.

Nullatenus legas non modò apud superioris seculi scriptores: sed etiam aliquanto priores; ut scriptorem veterem præfationis præmissæ Commentariis in Jobum, quæ Origeni fallò tribuuntur: item Fulbertum Carnotensem epist. CX, Arnulphum Lexoviensem epistolâ ad Papam Alexandrum, Petrum Blesensem epist. CXLVI, nomine Aleonoræ, Angliæ reginæ, scriptâ ad Cœlestinum Papam. Dixi de hoc etiam lib. I cap. XXV.

Nullibi cur displiceat, ibidem exposui. Verùm iis exaratis, atque editis, ecce apud Basilium Zanchum in Verborum Latinorum epitome lego, vocabuli hoc usurpatum Vitruvio. Sanè aliquid hoc est. Interim is scriptor, suæ licet artis, Architecturæ videlicet, intelligentissimus, multa è vulgò haurit, quæ elegantiores omnes refugerunt.

* Pag. 169. *Nulliter*, inutiliter, re nullius momenti. Concilium Pisanum *: *Ne nulliter occupetur, & labatur in vanum.*

CAP. XXXV.

De particulis inchoantibus ab O, P, Q, R, S, T. Ocularitèr, *oculorum visu.* Offatim, *ad modum, quo cani, vel alii, offam objicimus.* Pacificè, *tranquillè.* Pariformiter, *æquè, similiter.* Perfectionaliter, *perfectè.* Pernicialiter, *perniciosè, exitiali malo.* Perpendiculariter, *ad perpendiculum.* Perpetualiter, *perpetuò.* Personaliter, *per sese.* Plausibiliter, *cum applausu.* Pœnitenter, *pœnitendo modo.* Pompaliter, *vel* pompabiliter, *quomodo fieri in pompis solet.* Potentialiter, *de eo, quod esse potest.* Præcordialiter, *ex intimo sensu.* Præsentialiter, *in præsenti.* Primordialiter, *in primordiis.* Proceriter, *procerius.* Processionaliter, *in morem sacrorum processuum.* Processivè, *pro eodem: item quasi gradibus quibusdam.* Prodigaliter, *prodigè.* Proditionaliter, & proditoriè, *proditione, vel proditorum more.* Proficuè, *utiliter.* Proportionaliter, *pro cujusq; opibus.* Pusillanimiter, *animo timido,*

fra-

fractoq. Quantitativè, *secundùm magnitudinem, aut numerum.* Quantocius, *quamprimum.* Rationabiliter, *probabili ratione.* Realiter, *revera.* Regionaliter, *regionatim.* Regulariter, *secundùm normam præscriptam.* Reprehensibiliter, *pravè.* Respectivè, *comparatè.* Robustè, *nervosè.* Secretè, *secretò.* Securè, *sine curâ.* Semotè *agere, pro semotum.* Sententialiter, *sententiâ judicum.* Septimanatim, *unaquâq; hebdomade.* Sequestratim, *separatim.* Seriatim, *secundùm seriem.* Singilatim, *pro singulatim.* Suadenter, *ad persuadendum aptè.* Subitaneè, *subitò.* Successivè, *progressu temporis.* Succinctim, *breviter.* Temporaliter, *ad tempus, sive dum durant res mundi caduca.* Temporatim, *pro varia anni tempestate.* Tibicè, *ineptè, pro* τυφικῶς. Totaliter, *penitùs.* Transeunter, *obiter.* Trebaciter, *vel* tribaciter, *vafrè, instar veteratorum.* Tunicatim, *ad modum, quo tunica continet interiora.*

DEinceps progrediendum ad particulas initium capientes à quarta vocali; uti hinc ordine ad eas, quæ incipiunt ab aliqua è quinque consonis sequentibus.

Oculariter, intuitu ipso, sive oculorum magis indicio, quàm animi judicio. Sidonius Apollinaris lib. VII epist. XIV: *Qui amicos ludificabundi non tam judicialiter, quàm ocularitèr, intuentur, dicant, velim, in hominis forma quid satis præstans, quid spectabile putent.*

Offatim, singulatim offerendo offam, ac ἀπλῶς particulatim. Glossæ Mss: *Offatim*, λεπτομερῶς. Videtur autem non minùs ab *offa*, *offatim*, potuisse formari; quàm à *particula*, *particulatim.* Solùm desidero idoneum auctorem.

Pacificè vide quis classicus dixerit. Malim ego, *cum pace*, vel *pacatè*; quod Cæsaris est in primo de bello Gallico.

Pariformiter, pro æquè, pariter, similiter. Inter alios usus in præfatione is, qui notis suis illustravit Flores B. Bernardi versiculis comprehensos: eâque ex operâ Floreti nomen obtinuit. Analogia similis, ac in *multiformiter*; quod Plinii est, Agelliique.

Perfectionaliter, pro perfectè, accuratè. Henricus de Hassia in Speculo Anim. *Ut verò contempleris, qualiter, & quanta sis, perfectionaliter perpende.*

Pernicialiter, quod Ciceroni, & aliis, *perniciosè.* Usurpat Ascanius epistolâ ad Humbertum: *Neq; ignoro, vos pernicialiter ab Ætnæis ignibus afflictos.* Similiter Henricus de Hassia in Spec. Anim. * * Pag. 57.

Per-

Perpendiculariter, pro *ad perpendiculum*. Nizolius, ac Cellarius, pro eo etiam jubent dicere, *ad lineam, rectis lineis, ad pares angulos*. Sed aliud esse *ad lineam*, indicat hoc Vitruvii lib. VII: *Longitudines ad regulam, & lineam, altitudines ad perpendiculum, anguli ad normam respondentes eligantur*.

Perpetualiter, pro perpetuò, sæpius usurpat S. Remigius in Testamento suo apud Flodoardum Histor. Remensis lib. I cap. XVIII. Apud eundem legas lib. II cap. XIX, in præcepto Ludovici, & Lotharii Imperatoris; *Debeant perpetualiter possidere*. Item Marculphi est Form. XIII: *Perpetualiter mansurum esse jubemus*. Utitur & Carolus Simplex apud Aimoinum lib. V cap. XLII. Item Ivo epist. CCLXXXV, *Perpetualiter habeat præbendam*. Et Fulbertus epist. XCV: *Non moriendum perpetualiter in sanguine suo*. Nempe est à *perpetualis*; quod timidè dixit Fabius, ac solus, lib. II cap. XIV: Καθολικὰ, *id est, (ut dicamus, quomodo possumus) universalia, vel perpetualia*. Dixerit aliquis, fortasse *perpetua* scripsisse. Sed alterum est in illa Ascensii, Aldi, Vascosani, Stephani, &, ut puto, cæteris.

Personaliter, coram, per se, non alium. Stilus curiæ Parlament. cap. II: *Inveniat ad ornandum in baillivia sua, vel seneschallia sua, personaliter*. Concil. Pisan. II†: *Procuratores, si commodè personaliter interesse non poterunt*. Utitur & Concilium Constantiense sessione XIX. *

† Pag. 38

* Fol. 529 edit. Quenteliana anno 1538.

Plausibiliter exultare est apud Petrum Damiani lib. III epist. VIII, quæ ad Archiepiscopum Bisuntinum. Dixerim, ut ad Atticum Cicero, *cum plausu, & approbatione*.

Pœnitenter, cujus aliquem pœniteat mox. Minucius Felix in Octavio: *Pœnitenter omissa, & observata feliciter*.

Pompaliter, in pompæ morem. Est apud Trebellium Pollionem in Gallienis duobus: *Gladiatores pompaliter ornati*. A *pompa, pompalis*, inde *pompaliter*; ut à *fortis, fortiter*; ab *acris, acriter*. Vel ἀμέσως, à *pompa*, ut à *potentia, potentialiter*; de quo mox loquar. Sed fortasse Trebellius *pompabiliter* scripsit; quod in veteri libro est Salmasio repertum. A *pompare, pompabilis*; unde *pompabiliter*. De *pompare* dixi cap. XVII hujus libri.

Possetenus, quantùm potero, quoad ejus facere potero. Utitur Wendel. Steinbach, Gabrielis Biel discipulus.

Potentialiter, non reapse, verùm τῇ δυνάμει, quod non est, sed esse potest. Sidonius Apollinaris lib. VII epist. XIV: *Illum Philagrium semper*

per inſpicio, cui me animus potentialiter notum, morum ſimilitudine, facit. Ejus cenſus eſt *Poteſtativè*, per modum poteſtatis ſeu virtutis; Goldaſt. in Ratp. cap. VIII. p. 177.

Præcordialiter, pro ex animo, ingenti affectu. Vetuſtus ſcriptor vitæ Sigeberti tertii, Dagoberti filii †: *Non tamen deſperans de Dei miſeratione, præcordialiter eum deprecabatur.* Eſt à *præcordialis*: quod apud Bekam in vita Henrici, epiſc. CXXI. † Tomo I ſcriptorum Hiſt. Franc. edit. Andr. du Chesnes pag. 592.

Præſentialiter eſt in diplomate Hludovici, & Hlotharii, Auguſtorum, apud Aimoinum Hiſtor. Franc. lib. V cap. X: *Quicquid ad ſuum opus præſentialiter habuit.* Item apud Henricum I Imperat. in privilegio Eccleſiæ Novarienſi conceſſo anno CIↃ XIV: quem ad annum id Baronius integrum refert in XI. Annal. Eccleſ. *Qui etiam nunc præſentialiter multa damna, Harduico devaſtante, recepit.* Pro, *hoc tempore.* Sic *præſentialiter loqui*, pro *coram*, dixere, Petrus Bleſenſis, epiſtolâ XIII; item CXLVI, ſcriptâ nomine Aleonore, reginæ Angliæ; & Conradus, epiſcopus Wormatienſis, epiſtolâ ad Hildegardim.

Primordialiter, pro initio. Petr. Bleſenſis epiſt. CLXVI: *Reducerentur cuncta in nihilum, quæ de nihilo primordialiter proceſſerunt.*

Proceriter, pro *procerius*, non reperio, niſi ad parùm idoneos Latinitatis ſcriptores. Cùm autem *procerius*, ipſius ſit Ciceronis; credo, nec *procerè* refugiſſet.

Proceſſionaliter, ut in ſacris fit proceſſibus. Joan. Turocius in Chronicis Hungar. parte III cap. IV, ſive in anno CIↃCCCXLIII: *Perveniens autem ante fores Eccleſiæ B. Petri Apoſtoli, totum Collegium Romanum recepit Reginam proceſſionaliter cum magna gloria, & honore.*

Proceſſivè, gradatim, ad inſtar ſacrorum proceſſuum. Joan. Turocius Chron. Hungar. ſive in an. CIↃCCCXLII *, ſive partis II cap. XCIX: *Proceſſivè pergentes, condolendo oculis lachrymantibus —— má, ad Danubium proceſſerunt.* Verùm & laxiùs *proceſſivè* dicitur, pro gradibus quibusdam procedendo de ætate una in alteram, ac quaſi lampada tradendo, ut in Eleuſiniis fiebat. Ovidius ſuppoſiticius in I de Vetula: † Pag. 90.

Sed proceſſivè generatio continuetur.

Prodigaliter, pro prodigè, vel largè, effuſeque, Latinum non eſt. Sed *prodigialiter*, pro prodigii inſtar, eſt Horatianum.

Proditionaliter, proditorum more. Thomas Walſingus in Hypodigm. Neuſtriæ, è literis Gregorii Papæ V †: *Nos cernentes tot damna, opprobria, & deſtructionem populi noſtri, proditionaliter irrogari.* Stil. † Pag. 495.

Antiq. Parlamenti cap. XVI: *Proditionaliter, & in occulto factum esse, proponatur.*

Proditoriè, proditione. Joannes Major Scotus, de rebus Scotorum lib. IV cap. VI: *Tandem Gothofredus à suis proditoriè capitur.*

Proficuè, utiliter, bono privato, vel publico. In Capitulat. Karoli & Ludovici Imper. lib. V. cap. CLIV: *Placuit, ut Ecclesiarum negotia, absq; ullâ dilatione, continuò à judice audiantur, & proficuè incremententur.* Est à *proficuus*, pro utili: quod est apud Sigebertum in Chronicis ad annum CIↃ XCVI, & alios: de quibus vidimus lib. III cap. XXXVIII.

Proportionaliter, pro rata portione, sive pro facultatibus cujusque. Joann. Scotus de gestis Scotorum lib. IV cap. ult. *Proportionaliter suis subjectis convivia faciunt.*

Pusillanimiter displicet Nizolio: probat autem Henric. Stephanus Expostulationis de Latinitate suspecta cap. VI *. At ego, donec idoneum alleget auctorem, dixerim cum Tullio, *timidè, vel animo timido, demisso, humili, fracto.*

* Pag. 281

Quantitativè in Gemma exponitur *non multùm.* Philosophis verò idem est, ac ratione quantitatis, sive magnitudinis, aut multitudinis.

Quantocius in Gemma est, pro citò, quamprimum. Sed auctorem requiro. In Philelpho culpat Valla. Atque ille se defendit Infectivâ primâ †; sed frigidè. Mirùm hodieque ita frequentari à multis non inerauditis.

† Fol. 73. edit. anno 1513.

Rationabiliter ne barbarum sit, metuo. Dicam, *probabiliter, certâ*, aut *probabili ratione*, aut *probabili conjecturâ.*

Realiter, re ipsa, reapse, reverâ, merito, jure. Joannes Major Scotus de gestis Scotorum lib. IV cap. VII: *Nec omnis decedens realiter excommunicatus, est damnatus, si pro absolutione sufficienter laboraverit.*

Regionaliter, Appulejo de Mundo; quod Livio, Suetonioque, *regionatim.*

Regulariter, pro secundùm leges, vel canonas, Ecclesiasticis crebrum. In his Hincmarus usurpat epist. VIII, cujus initium, *S. Georgius*, cap. I *: item Anastasius in Leone IV, Sigebertus in Chronicis anno CIↃ XXXII, ubi de Guidone Aretino Musico. Sed ut non planè damnem, facit, cùm illud, quòd Diomedes lib. I, & *regulatim*, & *regulariter*, agnoscit: tum præcipuè, quòd non semel usus sit Ulpianus. Malim tamen cum ævo loqui meliori.

† Pag. 15. edit. Mogunt. anno 1602.

Reprehensibiliter, pro malè, perperam, sic ut reprehendi mereatur, apud

apud Rufinum legas Apologiâ pro Origene; *Tertulliani libellum de Trinitate reprehensibiliter scriptum inferentes.* Meliùs postea; *Fidei, quæ à Tertulliano non rectè scripta est.*

Respectivè vulgare est. Latinum *comparatè.*

Robustè vulgò ajunt. Veteres *nervosè.*

Secretè, pro *secretò.* Posterius bonorum codicum consensu comprobatur.

Securè agere ajunt, ubi veteres, securum agere, vel sine cura. Multò minùs *securiter* usurpem; quod est apud Aimoinum lib. v de gestis Francorum cap. XLII, in privilegio Caroli Simplicis.

Semotè vivere à libris, vel curis, non dixero; sed *semotum.* Est ea particula apud Plinium Valerianum Gallum, in tertio de Re medica cap. IV †: *Folia elixabis in aqua, infundes panes, teresq; semotè.*

† *Fol. 77. edit. Basil. 1528.*

Sensualiter, in oculis, vel conspectu omnium. Est Fulberti Carnotensis. Agnoscit & Gemma. Opponitur *intellectualiter:* de quo cap. XXXIII.

Sententialiter condemnentur, est Legum Sicularum lib. III, tit. XXXIV. leg. IV. *A domino sententialiter postuletur*, Speculi Saxonici lib. I, artic. LIV. Etiam usurpat Petrus de Vineis lib. v cap. XXXI. Hieronymus Pragensis in Abjuratione suâ, quæ exstat Concilii Constantiensis sess. XIX: *Doctrina predicta sententialiter damnata.* Pro, *sententiâ, & decreto synodi damnata.*

Septimanatim in Gemma exponitur *hebdomadatim.* Sed utrumque ejusdem farinæ: nisi quod *hebdomas* rectè dicatur; *septimana*, pro spatio septem dierum, non item. Dixero igitur, quaque hebdomade, vel singulis hebdomadis.

Sequestratim, ut puto, seorsum, separatim. Vita Eugenii abbatis à discipulo conscripta, cap. XIV §. XXII *: *Non solùm faciebat alimenta convenientia ministrari; verùm etiam, propter laborem infirmitatis, donec sanitas supperet, præstitit sequestratim reficere, vel remanere.*

* *In vitis SS. ad 1. Jan.*

Seriatim, secundùm seriem, atque ordinem suum. Poëtaster sub Ovidii nomine, lib. II de Vetula:

Occultans oculos circumstat ibi seriatim
Palpebra, ne ladat extrinseca causa superbos.

Comes S. Pauli epist. ad Ducem Lovanienſem †: *Ordinatè procedere, & seriatim.*

† *Apud Godefrid. Monachū S. Pantaleonis ord. an. 1203.*

Seriosè, seriò, citra jocum, extra jocum.

Similitudinariè, per similitudinem, translatitiè.

Singilatim perperam scribunt pro singulatim, singillatim, vel sigillatim. A *singuli* est *singulatim*: inde *sigillatim*, utà *signum*, sigillum. Numverò & *singillatim* dicere licet? Negat Aldus Manutius in Orthographia. Sed eum refelli: Nonius illo Lucilii lib. sat. XIX:

Sic singillatim nostrûm unusquisq; movetur.

Suadenter, πιθανῶς: quo tamen usus Arnobius lib. II: *Ut loquamur suadenter in latibus.* Malim cum Tullio, Fabioque, aptè ad persuadendum.

Subitaneè, pro subitò, barbarum censeo.

Successivè philosophis est usurpatissimum: ut cùm dicunt, *motum fieri successivè.* Sed nihil urget; ut sic loquantur; cùm Latinè pro eo possint dicere, *progressu temporis.*

Superficialiter, populariter, leviter, obiter, ὑπεροχαίως.

Succinctim, in Gemma, pro breviter, ac succinctâ ratione. Eâ formâ, quâ dicimus, *casim*, *raptim*, *punctim*, *sensim*, aliaque. Imò dispiciendum etiam, ecquo idoneo auctore in palæstris scholasticis jubeantur interrogaturi succinctè sua argumenta proponere.

Temporaliter in Gemma est, pro eo quod tempus habet præfinitum; eoque opponitur æternitati. Theologis est frequens, de vitæ hujus rebus fluxis ac caducis.

Temporatim aliud est: nempe pro vario anni tempore, seu tempestate. Tertullianus de Pallio: *Terram si recenseas temporatim vestiri amantem.* Nam terra hieme candida, ob nives; vere viridis, cum messis in herba est; æstate & auctumno flava, ob flavam Cererem: ut poëta loquitur.

Tibicè in Gemma est: sed *typicè* legendum.

Timorate, cum timore.

Totaliter, pro penitùs, omnino. Odoricus Ord. Min. Peregrinationis suæ cap. II §. VII: *Cùm irem per mare versus civitatem, quæ Polumbum dicitur, ubi piper crescit, defecit totaliter necessarius nobis ventus.* Thoms de Kempis lib. I cap. XV: *Totaliter ad Deum refert, à quo fontaliter omnia procedunt.*

Transeunter, pro *obiter*, est apud scriptorem de singularitate clericorum, qui liber Cypriano perperam tribuitur. Sunt qui Origenis putarint, quasi non is scripserit Græcè: nisi hoc voluere, ex Origene esse translatum. Sed nihil eo incertius. Vide quæ dixi in *Contuberna-liter.*

Tre-

Trebaciter, vel *tribaciter*, Sidonio lib. IX. epist. XI: *Malui fatuum confiteri simpliciter, quam tribaciter diffiteri.* Videtur *tribaciter* idem esse, ac quod Ciceroni veteratorie. Uti *tribax*, pro veteratore, apud eundem Sidonium lib. I. epist. XI: *Collegit itaque sese tribacissimus senex.* Est à Græco τείβαξ ☞, quod Eustathio teste, usu tritus: ἀπὸ τοῦ τείβειν, unde & Plautus Mostell. act. II. sc. I:

Ubi sunt isti plagipatidæ, ferritribaces viri.

Hoc est, qui terunt ferrum, sive compedes ferreas. Ab eadem origine τείμμα Aristophani in Avibus: ubi scholiastes exponit ὃ τιτειμμένον ἐν τοῖς πράγμασι. Aliàs id, quod detritum: uti vestis detrita, vel etiam ramentum: quomodo, & quidem muliebri generi, non dubitavit hac voce uti Anastasius bibliothecarius in Sylvestro: *Fecit autem & cameram basilicæ ex auri trimma in longum, & in latum, pedibus quingentis.*

Tunicatim, ad instar tunicæ. Incertus poëtaster, sub Ovidii nomine, in tertio de Vetula:

Inque novem cœlos extrinseca dividitur pars:
Quorum forma quasi tunicatim continet se.

Hoc est, ut exterior tunica interiorem, sic illa corpus continet.

CAP. XXXVI.

De particulis ab V. incipientibus. Vanè, *inaniter.* Vecorditer, *animo vecordi.* Veneranter, *cum veneratione.* Versaliter, versabiliter, *aut* versatiliter, *proinconstanter, ac mutabiliter.* Victoriosè, *manu victrici.* Virtuosè, *honestè, fortiter.* Visceraliter, *penitissimè.* Ultimatè, *proximè.* Ultimatim, *denique.* Unanimiter, *unâ mente, concordissimè.* Universaliter, *universè.* Votivè, *ex voto.* Votoriè, *voventium more.* Usualiter, *usitatè.*

QUid nunc de Particulis Latinobarbaris supereſt, præterquam ut circumspiciamus, quæ se offerant ex inchoatis ab V, seu vocali, seu consono? Sunt autem istæ.

Vanè sæpius legi: sed cum Plauto dixero, *verâ vanitudine*; vel cum Tullio, *vanitate*, aut *inaniter*: quo non Horatius modò, & Ovidius; sed etiam Cicero utitur non semel.

Vecorditer in membranis Glossarii nostri Msi exponitur *trascibiliter.* Potiùs dixero valere, *animo vecordi.*

Veneranter, cum veneratione; ut est in Glossario nostro Mso.

Versaliter, in rerum incerto, versante omnia fortunâ, quæ solâ in levitate sua constans est. M. Joannes Thwrocz Part. I. Chronicorum Hungariæ cap. XCIX: *Heu me, quia hujus mundi decus, & gloria, à primævo temporis spatio nunquam in uno spatio permanens; sed, semper variando, versaliter, atque caducè, sed protendens in nihilum, tanquam aqua decurrens, incedit.* Sed fortasse scripsit *versabiliter*, vel *versaliter*; à *versabilis*, quod Senecæ; aut *versatilis*, quod Lucretii est. Saltem ἀναλογία alterum requirit. Neutrum tamen lego: sed *mutabiliter* est Varronis Satyrâ *, *Cras credo, hodie nihil.*

* *Apud Nonium in* Fastidiliter.

Victoriosè, quo inter alios usus Petrus de Vineis lib. I. epist. XV, non admodum discplicet, cum *victoriosius* dixerit Cato apud Agellium lib. IV cap. IX.

Virtuosè, ut & *virtuosus*, agnoscunt Glossæ nostræ Mſæ. Ac junioribus est frequens. Sed respuit utrumque usus veterum: quorum est, egregiâ virtute, fortiter, honestè.

Visceraliter, in intimis viscеribus. Anonymus vetustus de hæresibus lib. III, qui est contra Pseudo-Augustinum, ac hæresim Prædestinatorum †: *Nos concupiscentiam dicimus, esse rem naturalis certaminis: & hanc dicimus ad propagationem hominum à Deo creatore visceraliter esse firmatam.*

† *Pag* 208. *edit. Paris. an.* 1643.

Vltimatè, pro proximè, in Gemma legas, & philosophis barbaris.

Vltimatim ajunt pro denique, tandem, postremò. Joannes de Thwrocz in Chronicis Hungaricis lib. I. cap. II: *Vltimatim, cùm in terram quandam, quæ Hylea dicitur, devenissent.* Et cap. XXI: *Vltimatim considerata regis erga Ravennensem episcopum habita benevolentia.*

Vnanimiter est apud vulgatum interpretem Act. II. 14: ubi Græcè ὁμοθυμαδόν. Retinuit etiam Erasmus. Probat quoque Henricus Stephanus Expostulationis de Latinitate suspectâ cap. VI. Et hactenus assentio, quòd non verear Lucæ locum adducere uti habent, quos dici. Nec placet, quòd accusant interpretem vulgatum, ut barbarum. Locutus ille, ut suo soleret seculo. Sanè usurpat etiam Vopiscus in Tacito. Verùmm is scriptor exiguo est loco iis, quibus curæ est pura dictio. Quare utcunque non damnem vocabulum istoc, quod ἀνάλογως est formatum: malim tamen cum Tullio, *una mente, uno ore, uno animo, atque una voce, & consensu.* Etiam pro eo Ennii, ac Plauti, est *concorditer*; unde apud Ciceronem, *concordissimè*.

Vni-

Vnimodè, uno modo, una ratione.

Vniversaliter dicunt vulgò, pro *generaliter*, vel *generatim*, vel *universè*. Cicero Verr. VII: *Quid ego de cæteris civium Romanorum suppliciis sigillatim potiùs, quàm generatim, atque universè, loquar? Generaliter* verò dixit I. de Inventione: uti & Fabius, lib. I. cap. V.

Volenter, consultò, datâ operâ, de industriâ.

Votivè, in Gemma, pro ex voto, à *votivus*: quod non apud Poëtas modò, sed etiam Ciceronem.

Votoriè, ad instar eorum, qui aliquid voverunt. Thom. Walsingam Histor. Angl. in Eduardo III. † *Haymo, Episcopus Roffensis, sponte, & votoriè, renunciavit Episcopatui, resignans illum in manus Domini Papæ.* † Pag. 169.

Vsualiter est in Gemma, item Glossis Mssis. Malim, *ex usu vulgari*, vel simile. *Vsualis* est Marciani, L. interdum, ff. De publicanis. *Vsuarius* pro eo L. Neratius, ff. De usu, & habitat. Et ante eum similiter Agellius, lib. IV. cap. I.

Atque hic esto terminus. Interea quisquis hæc nostra legere, non gravaberis, iis utere, fruere, ut tuis; ac fave scriptori, si meretur.

FINIS.

INDEX

INDEX
VOCUM BARBARARUM, AC Glossematum, quæ in hisce IV libris de Vitiis Sermonis continentur.

Primus numerus, librum; alter, caput; tertius paginam signat.

A.

ABanec *perperam scribitur pro* Abaneth, *quo significatur balthæus sacerdotalis.* lib. 1, cap. 6. pag. 27.

Abare, *vocare Abbam.* 1,7.35.

Abbam, *pro* Abbatem. 3,57.670.

Abbas, *Syriacum.* 1,6.26.

Abbatissa, *cur Christiani formare maluerint ab* Abbate, *quàm vocare* virginem maximam, 1,6.26.

Abbatizare, *Abbatis munus sustinere.* 4, 4.675.

Abbreviatè. 4,31.797.

Abdicare. 1,34.155.

Abecedarius. 3.1.363.

Abhinc *est præteriti; non, ut creditur, futuri.* 1,35.164.

Abhominor, *pro* abominor, *vitiosum.* 1,22.91.

Abigare, *abigere.* 4,1.675.

Abimelech *non vocandus is, qui est* Achimelech. 2,1.167.

Abjurare. 1,34.155.

Ablativus *semper in* E *terminatur, quando is ponitur absolutè.* 1,20 83.

Abocellus, *oculis penè captus.* 3,1.363.

Abominabilis, *detestabilis.* ibid.

Abrenunciare. 4.1.675.

Abrogare, derogare, & obrogare, *multùm distant.* 1,34.155.

Absentare *qui dixerint, pro* absentem esse. 1,23.99.

Absis *quid Astrologis.* 2,2.179.

Absolescere, *abolere.* 4,1.675.

Absolon *non optimè dicitur pro* Absolom. 1,10.43.

Abusus *Ecclesiæ, pro* corruptelis. 1,32. 138. & 143.

Academia *rectè proximam ab ultimâ nunc corripit, nunc producit.* 1,12. 49.

Acalyphe *male, pro* acalephe. 1,11.47.

Acaptare, *acceptare.* 4,1.675.

Accentuare, *accentu genuino pronunciare.* ibid.

Acceptilatio *in Deo Patre male dicitur pro agnitione plenissimæ satisfactionis.* 1. 32.138 & 142.

Acceptio personarum. 1,32.141.

Accerso *improbatum, pro* arcesso, 1,22. 91

Accidia, *acedia.* 3,1.364

Accidiare, *negligenter agere.* 4,1.675.

Accognitare, *notum facere.* ibid.

Accommodare, *pro* commodare 1,34. 157.

Accubita, *stibadii lectulus.* 3,1.364

Acetosa, *rumex.* ibid.

Achæides, *vel* Achaiades. 1,2.50

Achivus, & Achaicus. 1,11 48

Acinaces *à Persis, non Græcis.* 1,5.23

Acinacis *in recto non dici, sed solum* acinaces. 1,12.52

Acinus *quid notet.* 1.28.122

Acipenser, & Acipensis, 1,20.83.1.28 121

Acquietare, *quietum reddere.* 4.1.676

Acquisitio, *comparatio.* 3,1.364

Acra, *ager.* ibid.

Actionarii, *actionibus præpositi.* 3,1.365

Actinosa Ecclesia. ibid.

Actu esse, *pro re ipsa, veterum consuetudini repugnat.* 1,31.133

Actuosus, *radians, sive splendens.* 3,1.365

Acua,

Acua, *pro* Aqua. 1.13.55
Acutiare, *acuere.* 4.1 676
Ad *præverbio abutuntur, pro* ante diem 1.35.165
Adaxim. 1.22.95
Additicius, *additus.* 3.1.365
Ademsim *Plautinum, pro* ademerim. 1.23.97
Adhamare, *hamo capere.* 4.1.676
Adhramire, *polliceri juramentum certâ die, & loco.* 2.22.343
Adjacentiæ, *loca vicina sub eodem domino.* 3.1.365
Adinvicem, *invicem.* 4.31.797
Adjurnare, *diem alicui dicere.* 2.22.343
Admiralius *quid notet, & unde ducat originem.* 2.2.175
Admiratus, admiraldus, admiravisus, *vide* Admiraljus. ibid.
Admallare, *in jus vocare.* 2.12.249.2.22.343
Adolescentiari, *agere more adolescentiū.* 4.1.677
Adon *non rectè dicitur pro* Ahod. 2.1.168
Adonim, *pro* Adonidem, *rejectum.* 1.20.83
Adoptatio, *adoptio.* 3.1.365
Adorsus, *pro* adortus, *vitiosum.* 1.24.105
Adplenè *pro* plenissimè. 4.31.797
Adrumo, *rumorem adfero.* 4.1.677
Adsalitura, *adsultus latrocinantium.* 3.1.365
Adsallire, *assilire.* 4.1.677
Adversitas. *vis adversa.* 3.1.366
Advisare, *deliberare* 1.1.32.22.343. *hinc* Advisator, *unde corruptum.* 344
Adunare *melius, quam* unire. 1.31. 37
Adunatus, *ἀθροισμὸς.* ibid.
Adytus, *malè pro* adytum. 1.14.60
Ædilitius *per T exarandum.* 2.1.170
Ædis *sacra differt à* templo. 1.10.128
Æmilius *Portus malè* Ciμῶνα *cum trocho confudit.* 1.26.111
Æquanimiter, *æquo animo.* 4.31.797
Æquidiale. 1.17.70
Æquilibrare, *æquatione libra ponderare* 4.1.677
Æquivocari, *eodem vocari nomine.* ibid.
Æra, *supputationis initium.* 3.1.366
Æruginare, *ærugine vitiare.* 4.1.677
Æternaliter, *æternùm.* 4.31.797
Æthiopissa *rejectum, ac ejus loco* Æthiopis, *vel quædam ex Æthiopia, dicendum esse.* 1.16.65
Affectuosus, *qui singulari est erga aliquem affectu.* 3.1.366
Affictio, *assimulatio.* ibid.
Affidare, *fidem obstringere: unde* Assitadura, affidatio, & affidia. 4.1.677
Affirmativa, *rectius, ajentia; ut* negativa, *negantia.* 3.1.366
Afflatio, *afflatus.* ibid.
Afforestare, *in sylvam convertere.* 2.7.206.2.22.344.
Afranii locus apud Nonium restitutus 1.8.38
Agagora, *circumforaneus.* 3.1.366
Agellius an rectè statuat, idem esse barbarum, *ac* rusticitatem. 1.1.2
Ἀγγαρεύειν *unde.* 1.5.24
Aggaudere, *gaudere.* 4.1.678
Aggaulizo, *adaulizo.* ibid.
Agibilis, *resgerenda.* 3.1.366
Agillimus *rejectum.* 1.21.90
Agistare, *pascua sua locare alteri; item, onerare tributo.* 2.22.344
Agnes, *in Genitivo, an vero* Agnetis, *dicendum disquiritur.* 1.10.83. *id nomen.* ibid.
Agonia, *carnis, & spiritus, in moribundo conflictus, unde* agonizare. 3.1.366
Ἀγορανὸς, *vox ambigua,* 1.17.1.8
Aimoinus correctius. 3.4.196
Aita *Cantabris pater.* 1.1.7
Alabrum, *muliebris rhombus. Unde* alabrare, *pro fila rhombo glomerare.* 3.1.366
Alambix, *vel* Alembix, *quid, & unde.* 2.2.176
Alapare, *colaphum infringere.* 4.1.678
Alauda, *nomen Romanis militibus impositum à lingua Gallica.* 1.1.8
Albedo, *vox barbara quibus excideris, & quomodo pro eo dici oporteat.* 1.16.66
Albelio *quid notet.* 1.16.67
Albor & albitudo, *dicendum pro* albedo. 1.16.167
Aldius & Aldiones, Aldiæ & Aldonæ. 1.2.176
Aleppo *perperam putatur Antiochiam esse: ejusque* Ἐτυμον. 1.30.127
Alibi, & alicubi *differunt.* 1.35.164
Alibrum, *muliebris rhombus.* 3.1.166

Aliqualiter, *aliquâ viâ* 1.25.107.4.31.797

Aliquatenŋ *rejectâ pro* quodammodo. 1.25.109

In aliter *desinentia multa sunt barbara.* 1.25.107

Aliunde & alicunde, *differunt.* 1.35.164

Allevamentum, *lenimentum.* 31.367

Allode, allodium, allodiarius, & allodialia. 2.2.177

Allox. *pro allex.* 3.1.367

Almitas, *sanctitas.* ibid.

Alta *vox, barb. pro* clara. 1.31.144

Alteragium, *vel* Altaragium, *oblatio in altari.* 3.1.367

Alternitas, *alternâ vice.* ibid.

Amantissimus, *barb. pro* carissimus. 1 33.145

Amarizare, *amarum reddere.* 4 1.678

Ambacht *Belgarum, & Ambt Germanorum, unde originem ducant.* 1.2.9

Ambactus, *prosignificatione diversâ, vel Gallica est originis, ut apud Cæsarem; vel Latina, ut Ennio.* 1.2.9

Ambascia, *pro legatione.* ibid.

Ambasciatoris, *vel* Ambassiatoris, *genuinum ἐτυμον.* ibid.

Ambaxus, *pro ambactus.* 1.2.10

Ambigenum, *hermaphroditus.* 3.1.368

Ambrosius. *Hujus Nominis alterum producit Ennodius.* 2.1.173

Ambrosius rubum *incommodè dixit pro* raja: & turdum marinum *pro* pastinaca. 1.28.1 1

Ambubaja, *vox Syr. Etsi aliter deos Turn.* 1.5.22

Amerbachius deceptus. 1.6.16

Amicabiliter, *amicè.* IV.31.797

Amiralius, *vide* Admiralius.

Amiras, Amireus.

Amnenses, *amnis accola* 3.1.368. (797

Amodo *pro* posthac, deinceps. 1.25.108.4.31

Amœnare, *delectatione afficere.* 4.1.678

Amolum *malè pro* amylum. 1.11.47

Amphibalum, *vel* amphibolum *potius, amictûs genus.* 1.1.168

Amphibolia *tutiùs dici, quàm* amphibologia. 1.11.46

Amphoram *malè dici pro* cantharo. 1.30.129

Etymon ejus. ibid.

Ampliorare, *amplius reddere.* 4.1 678

Amsterodamensium gymnasia. 2.16.112

Amund, *vel* amond, *quid signet.* 11.2.257

Ἀναβολὴ *quid sit.* 1.7.35

Analogium. 2.2.178

Anathema *malè, pro* anathema. 1.1.43

Anatomia *vitiosè dicitur pro* anatome. 1.12.50

Anciſtrũ, *instrumentum chirurgicũ.* 3.13.462

Anclabeo. 2.22.345

Anculus *originem unde ducat.* 821

Andecabeo *in LL. Longobardicis.* 2 : 2.345

Andegavere, *vel* andigavare, *quid notent; & origo verbi.* 2.32.344

Angaria; *unde* angariare. 1.5.24 & 3.11 438

Angariare, *adigere ad aliquod onus.* 4.1 678

Angelica *pro* spondylio. 1.28.112

Angelus Politianus promercale *hausit rectè posuitpro* venali. 1.33.158

Angilde, *simplex geldus.* 2.14.264

Anguſtia *animi, parum Latinè, pro* angore. 1. 32.137 & 142

Anguſtiare, *angorem animi adferre.* 4.1.673

Anguſtiosè, *difficulter.* 4.31.798

Anicrus *per T malè scribitur.* 2.1.168

Animalculum, *bestiola, vel homullus.* 3.1.368

Anitergium, *quo anus tergitur.* ibid.

Annihilare *non est Latinum.* 1.23.99

Annullare, *in nihilum redigere.* ibid.

Annonari, *annonam percipere.* 4.1.678

Anselmi Cantuariensis locus correctus. 11.25.357 *in margine.*

Antabatæ *malè cur pro* Andabatæ. 1 11.48

Antemurale, *propugnaculũ ante muros.* 3.1.368

Anterior, *prior.* ibid.

Antiboreum. 1.11.46

Antiochia *malè dicitur pro* Chalepo. 1.30.127

Antiphonariũ, *Antiphonarum codex.* 3.1.368

Antiphonatim, *contrariâ alternis voce respondendo* 4.31.798

Antonii Augustini hæsitationi occursum. 1.2.9

Antonomasticè, *per antonomasiam.* 4.31.798

Antruſtio, *vel* Antruscio, *tutelæ regiæ suffultus.* 2.18 317

Anxiari, *angore percelli.* 4.1.679

Anxur, *postea* Tarracina *dicta.* 1.7.29

Apalare, *cochlear, Unde* Apallarius, *cochlearius.* 3.1.69

Apiaster *malè dicitur pro* apiastra. 1.14.18

Apocrisiarius, *vel* Apocrisarius, *legatus Ecclesiæ,* 3.1.369.

Apogæum *Ptolomæo, quod barbari appellant* augem. 2.2.179
Apologare, *renuere.* 4.1.479
Aportare *redigere ad ἀπορίαν* ibid.
Apostatare, apostatizare, *à fide deficere* ibid.
Apostillus, *epistola dimissoria.* 3.1.369
Apotheca *quid Latinè propriè significet.* 1.32. 13. & 38
Apparentia, *species, quâ tale quid videtur, quale non est.* 3.1.370
Appendentiæ. 3.1.370
Appendicia, *quod aliunde dependet.* ibid.
Appersonare, *personaliter præficere.* 4.1.79
Appio *cur malè pro* Apio, *scribatur.* 1.10.43
Applare, *cochlear.* 3.1.49
Applenè, *plenè, perfectèque.* 4.31.797
Appodiare *podio munire.* 4.1.679
Appodiatus, *munitus.* 3.1.370
Appropriare, *proprium sibi fieri, adsciscere.* 1.23. 99.4.1.680
Appuleji consilium in rebus Latino carentibus vocabulo 1.7.38
Appuleius an usus mediatoris *voce* 1.18.76
Appulit *navis, malè pro* appulsa est. 1.14.115
Appunctamenta, *acta & conventa controversiæ.* 3.1.370
Aptitudo, *habilitas* 3.1.ibid.
Aquagium, *locus unde aqua agitur seu ducitur.* 3.1.ibid.
Apud; *pro* ad, *fœdè usurpatum.* 1.35.115
Aqua benedicta, *pro* sacra 1.33.144
Aquæ pullus *quid Alberto Magno.* 1.28 121
Aranscart, *auris abscissio* 2.11.237
Aratus *medium malè corripit poëtis Christianis.* 1.9.40
Arbusculosus, *arbusculis consitus.* 3.1.70
Arcerre ἴππους. 1.2.14
Archiater, *medicus principis, non princeps medicus.* 1.33.145
Archidux. 1.1.66
Archieporare, *corruptum ex* Archiepiscopare 4.1.680
Archigubernus, 1.16.16
Archipherecita, ibid.
Archipontifex *pontifex maximus.* 3.1.372
Archipræsul, *summus præsul.* ibid.
Archisterium, Arcisterium, Architerium, *monasterium.* ibid.
Arga *iners* 3.1.372
Argumentosus, *contentiosus.* 3.1.371
Aribannum, *mulcta pecuniaria, irrogata non proficiscenti ad expeditionem.* 2.21.338
Arimannus. 2.2.1-8
Aripennis, *vel* Aripennus, *certa agri mensura.* 3.1.372
Aristophani quæ aves barbaræ dicantur 1.13
Armilausa, *vel* Armilausia, *vestis armos contegens.* 3.1.373
Ἀρμιλλαύσιον. ibid.
Arquites. 1.10.131
Arrestare, *vadari.* 4.1.680
Arrestum, *placitum Curiæ: Vnde* arrestare, *decernere; vadari, &c.* 3.1.373
Arsus, *fingratus.* 3.1.ibid.
Arthemita *perperam cum spiritu scribi.* 1.9.9
Articula, *pro* articulus. 3.1.373
Articulus fidei *barbarè dicitur pro* capite ejusdem. 1.32.137
Artigraphus, *vox hybrida, pro* artis scriptore. 3.1.373
Artilleria, *machina bellica* 3.1.374
Artista, *artium liberalium doctor.* 3.1.374
Ascella *pro* axilla. 3.1.374
Asciburgi, oppidi German. antiquitas. 2.3.189
Ascysterium, *monasterium.* 3.1.71
Asecreta, *unde* protasecretis. 3.18.628
Asinare *asino vehi.* 4.1.681
Ἀσινὲς & Θυμιὰς, *quomodo differant.* 1.30.130
Assaillire, *assultare.* 4.1.677
Assasinorum *vox Turcica quid notet.* 2.2.178
Assecurare, *securum reddere.* 4.1.681
Assiduare, *assiduum in aliquo esse.* ibid.
Assignare *aliquem, pro delegare creditorem.* 1.41.55
Assisa, *vel* Assisia, *confessus.* 3.1.374
Assuefactio, *consuetudo.* 3.1.371
Assummare, *summam colligere.* 4.1.681
Ἀσσύριος quis Persis. 1.5.24
Astraba *quam antiqua sit: qua Græcis ἀστράβολα.*

17.23. *unde sic dicatur.* 2.17.299.
Astulæ, *assulæ.* 3.1.375
Astus, *dicit: ac non apertum id de* astum & astibus. 1.11.90
Asylus *perperam pro* asylum. 3.1.375
Attachiare, *apprehendere, & detinere, per publicos justitiæ administres.* 2.22.146
Attediari, *tædio affici.* 4.1.681
Attegiæ, *magalia, sive καλύβαι.* 1.4.18
Attitulare, *titulum indere.* 4.1.681
Atto *priscí Germani dixere pro* Pater. 1.1.7
Atturnati. 3.42.199
AV *in* O *sæpe abit.* 3.46.610
Avallare, *descendere.* 4.1.681
Auca, *pro* anſere, *sitne ab Arabibus, dubium, an Græcis.* 2.2.179 3.1.375
Auctionario, *auctio.* 3.1.365
Auctorizare *auctoritatem addere.* 4.1.681
Audibilis, *cadens sub auditum.* 3.1.375
Audientalis, *per quem aliquis ad Principis audientiam devenit.* 3.1.375
Averii, *equijugales.* 2.16.278
Aventer, *avidè* 4.31.798
Aves barbaræ, *quæ Aristophani dicantur.* 2.1.3
Aufa, *corruptum pro* Nausa. 2.14.265
Augmentabilis, *augmenti capax.* 3.1.376
Augmentator, *amplificator.* *ibid.*
Augmentare, *augere.* 4.1.682
Avilla *pro* Ovilla. 1.17.72
Avisamentum *pro sententia.* 3 1.376
Aurx, *vocabulum unde.* 1.5.23
Auri ἐτυμον. ibid.
Auriclabeones, *aliud quàm leges Longobardicæ* 2.22.345
Auricolare, *insusurrare auribus.* 4.1.682
Aurifrigia, *opus Phrygium aureis filis.* 3.1.376
Αὔριον, *unde dicatur.* 2.5.23
Aurora *unde deriventur,* *ibid.*
Ausonii *Popmæ lectio rejecta.* 1.2.10
Authenticè, *cum auctoritate.* 4.31.798
Aux, gis. *vox Arabica qui Latinis Græcisque vocetur.* 2.2.179
Axim. *unde* Axitiosi & Axites. 1.22.95
Axites *dii, &* axiosæ, *vel* axitiosæ *mulieres.* 3.2.10

B.

BAcanda. 2.3.180
Bacauda, *dicitur de agrestibus latronibus & variè scribitur.* 1.10.32.3.180
Baccalaureus *unde factum.* 1 19 77
Baculare, *baculo ferire.* 4.2.682
Bagauda, *latro.* 1.1.3
Baillivus, *prætor peregrinus.* 1.1.4.2.1 182
Βάϊον *quid notet.* 3.43.109
Balare, ballare, *saltare.* 4.2.682
Balbuca *pro* sero lactis: *item pro* presso lacte. 2.3.182
Balbuties, *hæsitantia lingua.* 3.2.176
Βάλλω & *differt à* κλύζω. 1.18.75
Baleares *insulæ quare sic dictæ.* 2.18.303
Balsamare, *balsamo condire.* 4.2.583
Balsasar, & Baltasar, *unde dictus.* 3.10.44
Baltheus, *unde nomen acceperit.* 1.6.27
Bancus *pro* scamno. 2.3.182
Bandum, *vexillum.* 2.3.182. 2.19.113
Baner, *heer unde factum.* 2.3.182
Banleugæ *vox unde conflata.* 2.3.182
Bannimentum, *mulcta pecuniaria.* 2.22.346
Bannire, *edicto convocare; ad militiam convocare; mulctare pecuniis, vel extremo exsilio* 1.1.4. 2.22.346
Bannum *pro* proscriptione: *unde* bannire. banniti, banditi, bannerati 1.1.5.2.3 183
Bannus *proscriptio* 1.1.4. bannire. ibid.
Baptismum *inepte, barbarè, pro* baptismus. 3.2 376
Baptista *Pius* capitulum *sine exemplo usurpat pro exiguo capitis tegmine.* 1.19.124
Baptizatorum *matricula.* 3.14.517
Barba Aaronis, *pro ære,* & barba Jovis *pro sedo majori.* 1.28.122
Barbara, *quæ extundi tenuissimus, tuso usurpantur.* 3.7.31
Barbararum *vocum tria genera.* 2.2.174
Barbari *de Romanis.* 1.5.25
Barbarum *propriè quid, & quæ vocabuli ejus origo.* 1.1.14. *Barbarissimi etiam secta nomen Epiphanio.* 1.1.1. *Grammatica barbaries definitio.* 3. *Non solum est in privis vocibus, sed etiam*

etiam conjunctis 3 *Barbarismus quotuplex* ibid.
Barbator *vel* barbitonsor, *tonsor.* 3.1.376
Barbecanum, *vel* Barbacana, *pro* munimento. 2.3.183
Barbitonsor. 3.2.362
Barbota, *navigii genus.* 3.2.377
Barca *navigii genus.* 2.3.83
Barcaniare, *cunctari & tergiversari.* 2.22.348
Bardariotæ, *unde dicti.* 2.10.228
Bardiaci *pro* bardaici *perperam.* 3.2.377
Bargum, *vel* Bargus, *ramus arboris.* 2 3.184
Baro *quid Romanis, & quid Germanis notet.* 2.3.184
Basîlius *pravè pro* Basilius. 1.11.49
Bassius, *custos populi.* 3.54.659
Bastagarius, *Bajulus.* 3.2.377
Batalare, *pugnare* 4.2.682
Batis *in Accusandi casu, non* batin, *sed* batidem *amat.* 1.21.86
Batis piscis B. Ambrosio parùm aptè rubus *dicitur.* 1.28.121
Battere, *percutere, unde* battitura, & battura 4.1.683
Battidere, *percutere.* 4.2.684
Bauca *vel* Bauga *sunt* armillæ. 2.3.184. *item Cyathus.* 2.13.245
Beatificare, *beatorum numero addere.* 4.2.684
Bedellus, *viator.* 2.1.185. *apparitor.* 3.2.378
Begîna, *virgo sanctimonialis.* 2.3 185
Βιμέντ. 1.26.112
Bembo *malè excidit vox* pluries. 1.25.107
Benedicere, *pro* laudare. 1.34.155
Benedicta aqua *pro* sacra. 1.33.144
Benefactor, *bene meritus.* 3.2.377
Beneficiare, *beneficium conferre.* 4.2.684
Benna, *vehiculi genus; unde* bennarius, & combennones. 1.1.10
Berna, *pro* steura *veteribus.* 2 17.298
Berrhœa, *hodie* Aleppo. 1.30.127
Bersabe, *pro* Bethsabe, *est error codicis vitiati.* 2.1.168
Bestialis, *bestiis conveniens.* 3.2.377
Biberes, *sc. phi vini.* 3.2.377
Bibitio, *potatio.* 3.2.377
Bibliam, *numero singulo rejectum.* 2.12.51
Biblia *cur numero plurativo de sacro volumine dicatur.* ibid.
Biblia *nunc dici pro universis sacris literis, nunc pro solis hagiographis.* ibid.
Bibliæ petrariæ. ibid.
Bibliothecarium *parum Latinè dici, qui melius* Bibliothecæ præfectus, *vel à* bibliotheca 2.17.70
Bibones, *muscæ.* 3.23.78
Bidellus, *apparitor, viator.* 2.3.189, 3.2.378
Bigamus *malè dici pro* digamus. 1.19.79
Βίγλη *corruptum ex* Vigilia. 3.47.618
Bilis, *terminans adjectivum, non semper indicat vocem sumi passivè.* 1.33.150
Biria, *sive* Biera, Beriave, *unde sic Germanis dicta potest.* 1.4.21
Birrus *pro* lacerna. 2.3.185
Bis-acutus, *bipennis, vel securis.* 3.20.378
Bistapia *pro binis stapedibus.* 1.7.34
Blactero, *pro* blatero. 2.22.92
Bladus, *vel* Bladum, *frumentum.* 2.3.186. & *unde.* 2.24.338
Blasphemare, *exsecrari.* 4.2.684
Blutare, *evacuare.* 2.22.348
Boatus, *mugitus.* 3.2.378
Bodinus, *bosellus.* ibid.
Bollandus laudatus. 2.27.368
Bombardæ τύμπανα. 1.7.32
Bombax, *pro* serico. 2.1.186
Bombizare, *bombitare.* 4.2.684
Bonaventura Vulcanius deceptus de anclabeone. 2.22.344
Bondagium. 3.1.364
Borœum *malè scribitur pro* Boreum. 1.11.46
Boscus, *sylva.* 2.3.185
Bostar, *bovile.* 3.2.378
Breve Edictum. 3.2.379
Βυκάνη. 2.26.118
Bougette *Gallicum unde.* 2.2.2
Bovinus, & bovillus, pro bubulus *rejecta.* 1.17.72
Bovinari, *convitiari.* 4.2.684
Braccæ *vox à Gallis. Unde Narbonenses Gallia nomen Braccata.* 12.10. *Usi braccis Narbonenses*

in Gallia, etiam in Batavia : imò & Germani ac Sarmata ibid.

Brachiale, *armilla utriusque brachii.* 3.7.8.426

Βρίζειν.

Brasbrat *ridiculè exponitur* lucubro. 2.22.348

Brasium, *pro* hordeo aquis macerato. *Vnde* Brasiare, *pro* cervisiam coquere. 2.1.186

Braxare, *cervisiam coquere.* ibid.

Vnde Braxatrix. 2.22.348

Breviarii *vox recentior, quàm* Summarii. 1.26.124

Breviarium *improbatur, pro liturgia libro.* 1.32.143

Briga, *lis* 2.24.353

Brisare, *vox corrupta, pro* rus ire. 1.8.38

Britannia *gemino N. exarandum, contra αναλογιαν* 2.1.170

Brocardica, *prima elementa.* 3.1.379

Brolium, *vel* Briolium, *virarium.* ibid.

Brunea, *vel* Bruniа, *lorica, vel galea.* 2.3.187

item. 2.9.220

Brunus, *fuscus.* 2.3.187

Brusire *corruptè, pro* rus ire. 1.8.38

Bruta *aliud esse, quàm rationis expertia,* 1.13.145

1. *Iunio, qui Tarquinium ejecit, unde Bruti cognomen* ibid.

Βρότος, *potus genus.* 1.4.20

Bua, *Latinum. Vnde* imbuere. 1.7.35

Bubalus, *malè pro* uro. 1.28.120

Bubillus, *pro* bubulus. 3.1.379

Buccellarius, & Bucellarius, *parasitus: item vasallus.* ibid.

Buccus, *caper.* 4.30.794

Budellus, *apparitor.* 2.3.195

Bulga *origine Gallicum est.* 1.2.18

Bunaiarius. 2.1.187

Bunduarius. ibid.

Bunnuaria, & Bannuaria. ibid.

Bunuarium, *quasi pro jugero.* ibid.

Burdare, *fustibus certare, more rustico.* 2.22.348

Burdo, *mulus.* 2.3.188

Burdonarii. 2.4.189

Burdones *unde* 34.397

Burga, *pro cloaca.* 2.3.188

Burgensis *plurimùm pro cive accipitur; interdum tamen ei opponitur.* 2.1.88

Burggravii *unde dicantur* ibid.

Burgum, *pro monumento:* 1.1.6. *unde* Burgani. 2.1.188. *dicuntur & de planstris vox Germanica.* ibid.

Burgundiones *unde nuncupati.* 2.1.189

Burguziones *iidem, ac Burgundiones; & omnium causa.* ibid.

Buricus, *pro equo.* 2.3.190

Bursa, *crumena.* 1.2.379. *Vnde sit, quod Karthaginis arx diceretur* Bursa. 1.1.6

Bursarius, *Episcopi bursam gerens.* 3.2.180

Busire *verbum è corruptis Nonii codd. natum.* 1.8.38

Busirim, *pro* Busiridem, *vitiosum.* 1.20.85

Buticularius, *Germ.* butteler, *quid sit & unde.* 2.3.190

Butis, *sive* Buttis. ibid.

Butto, *sive* Buto. ibid.

Buxtula, *pyxis è buxo* 3.2.380

Buxus *Virgilio, pro* turbine. 1.26.112

Byrsum, *corium.* 2.2.380

C.

CAbalcata. 2.17.289

Caballare, caballicare *caballo vehi unde*

Caballicata, *equitatus.* 4.3.683

Cacabata, *olla, quâ cibum coquimus.* 3.3.311

Cadaveri *unde nomen.* 3.42.596

Cadmia *quid sit.* 2.18.109

Cæcidi *malè scribitur pro* cecidi. 2.22.95

Cælestinus *Papæ nomen; at* Cælestius, *assecla Pelagii.* 1.9.39

Cæmentum *malè confusum cum* intrito; & *unde dictum.* 1.28.123

Cæsar Scaliger nostrate *pro* nostras *non refugit* 1.21.90

Cæsaris Scaligeri lapsus de nitedula. 1.28.122

Cæsar Scaliger usurpas orditus *pro* orsus. *Sed potiùs putandum excidisse.* 1.24.105

Calamaucum, *galerus.* 1.3.181

Calamentha, *vocabulum ex vitiatis codd.* 1.8.36

Calaris *vitiosè dicitur pro* Calaris 1.9.40

Caldarium, *idem quod* hypocaustum. 33.83

Calefactivum, *calorificum.* ibid.

Cale-

Calefactorium, *hypocaustum.* ibid.
Calepinus malè artes mechanicas *easdem censet ac* sellularias. 1.33.148
Ejus vitiosa lectio improbata in vocabulo abanec. 1.6.27. *Iterum in* calamentha. 1.8.36. *Nec non in* serabitis. Ibid. *Rursum in* mansi sterna 1.8.37 *Item in* melamitum. ibid. *Adhuc in* procerites. ibid. *Et in* valgustus *Etiam in* busire, brusire, & brusare, ibid *Item* mulius, 1.14.60. *In* defalcare 1.23.99. *Ac* deviarc. 100. *& in* mutuandi *verbo.* 1.44.157
Ejus item sententia rejecta, cum approbat privatè *pro* privatim. 1.25 105. *Ejus error in* cicindela 1.18.11. melampyros. 1.12.53
Caliditas *calor.* 3.1.382
Caliendro *unde hoc nomen.* 1.11.48
Caligæ *non sunt* tibialia. 1.29.126
Caligusa *unde dictus.* ibid.
Calumniosè *per calumniam.* 4.31.798
Calvariola, *vasenla.* 3.7.382
Camasus, *villosa vestis genus.* 2.8.224
Camba, *vetus vox Germanica, pro loco, ubi cera visina coquitur; unde* Cambarius. 2.4.91
Cambire, & campsare, *quid nosent.* 1.18.5
Cambium, *collybus. unde veniat, & quomodo pro eo dixerint antiqui.* 1.18.75.3.3.382
Cambortæ, *pro virgis superioribus, quibus colligatur sepimentum.* 2.4.192
Cambuca, *vel* camboca, *propolis.* 2.4.192
Cameli *vocabulum à Syris.* 1.5.2
Camera, *vulgò* cubiculum, *olim* fornix. 1.30.128
Cameraliter, *publico consilio, ac decreto.* 4.31.798
Camiare, *commutare.* 4.3.686
Caminatus, *quod habet caminum.* 3.1.383
Camisia, *pro eo quod* indusium *dicimus, e veterum* interulæ, *sive* subuculæ *respondet.* 2.4.92
Campagus, *calceamenti genus.* 3.13.456
Campanile, *&* Campanarium, *turris, ubi suspenditur campana.* 3.3.383
Campestria *unde.* 1.19.126
Campus, *certamen singulare.* 1.1.4
Camum, *genus potionis apud Barbaros, atq; ejus Utopiæ* 1.4.20.28
Cancellarius *primitus fuit, à secretis: deinde paullatim ea dignitas crevit.* 3.1.383
Cancellaria *cancellarii dignitas, & officium.* ibid.
Cancerare, *cancrum incutere.* 4.3.686
Cancerosus, *cancro morbo laborans.* 3.3.372
Candidatrices, *lotrices.* ibid.
Caniclinus *pro* camerario, *vel* cancellario. 2.4.93
Canonicari, *Canonicum fieri.* 4.3.686
Canonicè, *secundum canonas.* 4.31.799
Canonizare, *ἀναθεῦν* 1.23.99
Canonizari, *sanctorum in cœlii ordinibus adscribi.* 4.3.687
Cantreda *idem quod* Wapentachium. 2.94.216
Cantharus *quid propriè.* 1.30.129
Canthus *quid Martiali, & aliis.* 1.26.8
Canutus, *pro* canus. 3.3.372
Capa *vel* cappa, *tegmentum capitis.* ibid.
Caparo, caputium, *capitis tegmina.* 3.3.385
Capellus, *galerus.* 3.3.385
Capella, *malè pro* sacello. 2.12.138. & 143
Capillati *idem, ac* intonsi. ibid.
Capillatura, *capillitium* 3.3.385
Capister, *& plur.* Capistri, *improbantur.* 1.15.64
Capita fidei *dicendum pro* articulis fidei. 1.32.139. & 140
Capitale, *cervical.* 3.3.385
Capitaneus, *centurio.* 1.17.70.3.3.385. *quàm latè* Capitanei *vocabulum se extendat* 3.3.385
Capitiarius, *exactor tributi in capita impositi.* ibid.
Capitium *Varroni pectoris tegmen, non capitis ut malè vulgò usurpatur.* 1.29.124
Capitosè, *iracundè.* 4.31.799
Capitulare, *collectio capitul, sive canonu.* 3.1.386
Capitulum *promiscuè accipitur pro capitis tegumento.* 1.19.14
Cappa, *monachale capitis tegumentum.* 1.3.386
Caprifolium *pro* periclimeno. 1.28.122
Capsarius *qui vocatur.* 1.17.70
Capsus, *pars interior basilicæ, vel corporis humani.* 3.3.386.

Capti-

Captivare, *captivum detinere.* 4.3.687
Capulare, *vulnerare.* ibid.
Caput *aliud veteribus in scripturis aliud nunc vulgo.* 1.26.114
Caput *libri, perperam dici, pro sectione majori* 1.26.114
Caput, & capitulum, *pro canone, vel dogmate.* 1.27.140
Caputiari, *monachali caputio indui.* 4.3.688
Caragius *character magicus.* 3.3.386
Caraxare, *pingere.* 4.3.688
Caraxatura *vel* Charaxatura, *pictura, scriptura &c.* 3.3.387
Carbo aquaticus, *Alberto, pro* Catarracte 1.28.121
Cardinales *qui dicantur.* 4.11.724
Cardinare, *dignitate aliquâ Ecclesiastica augere.* 4.3.688
Carena, Carrena, *vel* Carina, *pœnitentia 40. dierum.* 3.3.387. *contractum ex* quadragena 3.40.586
Carentia, *inopia.* 3.3.387
Careta, *vel* Carecta, *vehiculum.* ibid.
Cariagium, *carri sarcina.* *ibid.*
Carire, *cariosum esse.* 4.3.688
Caristia, *caritas annona.* 3.3.387
Caritosè, *magno cum amore.* 4.11.799
Carmesinum *unde dicatur.* 2.9.224. *quomodo differat ab armesino.* *ibid.*
Carnis privium. Tempus quadragesimæ. 3.3.388
Caroli Paschasii de Maronis versu opinio improbata. 1.14.61
Carpa *vel* carpio, *propisce, qui veteribus* cyprinus. 2.4.193
Carrada, *vel* carrata, *onus carri.* 3.3.388
Carrago, *vallum militare, ex carris exstructum,* ibid.
Carriagium, *vel* cariagium, *sarcina carro imposita.* ibid.
Carricare, *carrum onerare.* 4.3.688
Carricatura, *servitium prabendi carrum ad vecturam.* 3.3.388
Carrochium, Carrucha, Caruca, *carrus crastensis, in quo erigebatur vexillum prætorium,* ibid.
Carropera, *carri opera, servitium ve* ibid.
Carthaginensis *arcis nomen Punicum: unde Graculorum commentum de sole emto, quod possent circumdare corio taurino.* 1.1.6
Cartularius, *qui imperatori est à codicillis.* 3.3.389. *Vide &* Chartularius.
Caruca, *aratrum: unde* Carucata, *quantum terra uni aratro sufficit; &* Carucagium, *tributum cuique aratro, sive terra ea subigenda, impositum.* ibid.
Carus, & Caritas, *sine h scribendum.* 2.1.171
Casale, *villa.* 3.3.390
Casatus, *sive* Cassatus, *qui Ecclesia beneficio villam obtinet. Germ.* Kyrchen-Meyer. ibid.
Cassare *improbatum, pro cassum reddere.* 1.23.99 4.3.688
Cassis, *tutela navis.* 1.1.6
Cassis *numero singulo inusitatum.* 1.14.59
Castaldus *idem, quod* Gastaldus. 2.8.217
Comite est minor. ibid.
Castellanus, *novè, pro* arcis præfecto. 1.27.118
Castellæ, *in navibus frumentum deferentibus.* 3.3.390
Casticia. 3.3.387
Castitia, *adificia villa, quam Ecclesia obtinet.* 3.3.390
Castrensiani, *ministri palatii.* 3.3.391
Castronix *carnes, eadem ac* vervecinæ. ibid.
Castularius, *præfectus arcæ publicæ.* ibid.
Casualis *male, pro fortuitum.* 1.17.70
Casualiter, *fortuito.* 1.25.107. 4.3.799
Casubula, *sacrum pallium, sive* Casula. 3.3.391
Casula. ibid.
Catabulum, *stabulum: unde* Catabularii, *stabulo præfecti.* 3.3.392
Catacopæ. 1.16.114
Cataneus, *ex* Capitaneus *factum.* 3.3.392
Catarrus *male, pro* Catharrus. 1.11.47
Cateiæ *vox est à Germanis; quibus usi; usi & Galli, atque Afri.* 1.3.15. *quid Persis notet.* ibid.
Catenare, *catenis vincire.* 4.3.689
Catomus, *genus supplicii, quo alienos in humeros sublati*

sublati caderentur virgis. 3.3.393
Catta, *felis.* 2.4.193
Cattare, *videre.* 4.3.689
Catus, *vel* Cattus, *vel* Catta, *pro fele.* 2.4.193 *item* Cattus, *vel* Gatta, *pro machina militari ibid.*
Catulli locus expensus. 1.21.86
Cavalcada, *equitatio.* 3.47.617
Cavalcata, *militaris equus.* 4.3.683
Cauculator, *seu* Caucolator, *pro prastigiatore.* 2.4.194
Caucus, Cauca, Caucum, *pro calice.* 2.4.194
Cavena, *monasterii locus, ubi codices, vel vestes, asservarentur: unde* Cavenaria, *qua posticiariis praesset.* 3.3.393
Cavernum, *caverna.* *ibid.*
Caupo *unde dictus.* 1.27.119
Cauſſa *num scribendum.* 1.13.56
Cauſſare, *efficere.* 4.3.689
Cauſſativum, *pro cauſſa efficiente.* 3.3.393
Cauteloſè, *cum cautelâ.* 4.31.799
Cauterizare, *cauterio inurere.* 4.3.690
Celia, *vox Hiſpanica,* l. 4.18. *quid ſit & unde dicatur.* 1.4.20
Cellarius, *vel* cellararius. *vel* Cellerarius, *praefectus cellæ; qua &* cellarium, *&* cellariolum *dicebatur.* 3.4.394
Cellulanus, *qui Græcis ſimiliter* κελλιώτης. ib.
Celeumæ, *pro* celeuſmatis. 3.57.670
Cenſaria. 3.4.395
Centeſies *rejectum.* 1.25.107
Centgravius. 2.9.233
Centonium, *pro cento.* 3.4.395
Centonizare, *centones ſarcire.* 4.3.690
Ceragium, *pretium emendis Eccleſiæ cereis.* 3.4.395
Ceraſus *oppidum, quemodo patrium caſum gignat* 1.20.82
Ceremonia *vitiosè pro* cerimonia. 1.13.57
Ceria *vox Hiſpanica, cujus origo notatur.* 1.4.20
Ceriola *corrupta vox pro* cervolus, *id eſt, hinnulus.* 3.4.395
Ceroferale, *candelabrum cereum geſtans.* 3.4.495
Ceroferarium, *ibid.*
Ceroferarius, *acoluthus,* *ibid.*
Cerritus, *pro furiis correpto.* 1.8.37
Certitudinaliter, *certò.* 4.31.799
Certitudo, *vox barbara.* 1.26.68
Cervicosè, *pertinaciter.* 4.31.799
Cervicoſus, *pervicax.* 3.4.396
Cerviſia *unde dicta.* 2.4.20
Cervolus, *hinnulus.* 3.4.396
Cervus volans *unigò, pro* Scarabæo *Lucanico* 1.28.121
Ceſpiticum *quid, & unde ſit.* 3.4.396
Ceſpito *videri ſequioribus demum temporibus introductum.* 1.23.97
Ceſſodium, Ceſſatio. 3.4.396
Chalami, *pro fiſtulis areis.* 3.4.397
Chalendra, *navii genus.* *ibid.*
Chalepo *dicitur urbs, qua olim* Berrhœa. 1.30.127
Chamus *pro capiſtro.* 3.4.397
Characterizare, *notam rei imprimere.* 4.3.690
Charaxare, *pingere, unde* charaxatura, *& alia ibid.*
Charaxatura *quid.* 3.4.397
Charitativè, *ex caritate.* 4.31.799
Chartularius *quàm variè ſumatur.* 3.4.397 *Adi &* cartularius: *item* 3.8.425. *verſ.* 3
Chelandium, *pro quo &* chelandrium, *navigii genus.* 3.4.397
Chet *finale in Hebraïs vocibus ſæpe à Græcis praeteritur.* 1.10.42
Χιλιάρχαι *idem quod* Drungarii. 2.5.199
Chirographizare, *chirographo cavere.* 4.3.691
Chirographus, *damnatum pro* chirographò. 1.12.53
Χιτωνίσκ@. 2.4.192
Choraules *malè vocatur is, qui eſt* Symphoniacus. 1.31.135
Chordapſus *unde dictus.* 1.11.48
Chorizare, *choreas ducere.* 4.3.691
Chriſmare, *oleo ſacro inungere:* chriſmarium, *olei ſacri receptaculum.* *ibid.*
Chronicam *ubi dicunt junieres, veteres uſos neutro plurali,* 1.12.51
Chryſoclavus, *auriclavus.* 3.4.398. 3.4.398
Cicendela *malè pro lucerna genere,* 1.28.121 3.5.398

Ciceres, *an* cicera, *dicendum.* 1,21.89
Ciceroniastri *reprehenduntur.* 1,7.29
Cicero correctus. 1,24.105, *in fragmento quodam emendatus.* 1,21.89. *an dixerit* hæreditare. 1,23.98. *an dicat* humiliare; *quod vir doctissimus putavit.* 1,23.99
Cicero an voce complicium *sit usus.* 3.6.411
Cicindela, *vide* cicendela.
Cicindilia, *vide* cicendela. 3,5.398
Cicuritas, *mansuetudo.* *ibid.*
Cimelia, *cur dicendum.* 2.1.170
Cincindela, *pro* cicindela. 1.13.55
Cinevverdunia, *quaternio.* 2.20.335
Cingula, *pro* cingulum. 3.5.399
Circada, *pecunia quæ debetur Ecclesiam visitanti.* 3.5.399
Circinare, *sarcinare.* 1.29.126
Circulariter, *in orbem.* 4.31.799
Circulatum, *rotundum.* 3.5.400
Ciftelium, *cista cancellata.* *ibid.*
Clameum, *vel* clamium, *actio clamosa in jus alium vocantis. ibid. rumor, clamorque est. ibid.*
Clamodici, *de quibus clamor in fœdus, ac facinorosus.* *ibid.*
Clamosè, *cum clamore.* 4.31.800
Clanculo, *clanculum.* *ibid.*
Clanguerunt, *ac fortasse etiam* clanxerunt, *videri barbara.* 1.24.102
Clathrus, *an* clathrum. *dici conveniat, incertum: ejusque ἔτυμον allatum.* 1.15 64
Claudiani an sit absentare. 1.23.99
Claudianus correctus. 1.23.100
Claudissimus. 1.21.91
Claufura, *inclusio monastica.* 3.5.400.
Clenodium. 2,4.194. *unde dictum.* *ibid.*
Cliothetrum, *sella genus.* 3,5.401
Cliens fiduciarius, *pro Vasallo.* 1.7.31
Cloca, *campana.* 1.1.4. 2.10.230
Clocarium, *campanile.* *ibid.*
Cloacare, *inquinare.* 4.3.691
Clocca, *campana.* 1,1.4
Clostra Romana, *Latii oppidum.* 3,5,401
Clunaculum, *unde.* 2,5.198
Cluor, *cluo: sive cluco.* 4,3.694
Clusæ, *angustiæ adituum.* 3,5.401
Clytemnestra *quomodo dicatur Horatio Tyndaridarum fortissima.* 1,20.84
Clypeus *perperam confunditur cum* scuto. 1.30.130
Coactè, *vi.* 4.31 800
Coadjuto, *adjuvo.* 4.4.692
Coæqualis, *barbarè pro* æqualis. 1.19.79
Coætaneus, *æqualis, ejusdem temporis.* 3.6.403
Coævus, *pro eodem.* *ibid.*
Coanxiari, *pariter animi diserutiari.* 4,4 692
Cochlearia, *junioribus, quæ olim Britannica.* 1.28.122
Colearius, *pro* præstigiatore. 2 4.194
Cocles, *unde.* 1.33.147
Cocula, *vestis genus.* 3.6.403
Cœli *an in prosa dicendum.* 1.21.88
Cœlitus *rejectum.* 1.25.108
Cœnadicum, *vel* Cœnaticum, *quadragesimalis piscium census.* 3 6 403
Cœnatus sum, *improbatum pro* cœnavi. 1.34.159
Cœnobita, *consors vitæ ejusmodi, qualem κοινόβιον dixere veteres.* 3.6.404
Coëssе, *unà esse.* 4 4 692
Cofia, *reticulum capitis.* 2.4 195
Cognitior, *notior.* 3.6.404
Cognoscibilis, *cognitionem habens.* *ibid.*
Cohû *pro cœlo priscis Latinis, & vocis origo.* 3.16
Coifa. 3.4.195
Coincido *an Latinum.* 1.23.97
Colendissimus, *inusitatum vocabulum.* 1.21.90
Colimpha, *vel potius* Colymba, *navicula urinatoria genus.* 3.6.404
Collateræale, *quod à latere constitutum.* *ibid.*
Collegiatum, *in collegium redactum.* *ibid.*
Collimare, *collineare.* 4.4 693
Colliftrigialis *pœna, quâ alicui laqueo collum stringitur.* 3.6.405
Colludiosum, *ubi actor cum reo colludit.* *ibid.*
Colludium. 3.6.405
Collybum. 3.18.76
Colobium, *tunica sine manicis.* 3.6.405

Colo-

Colonitium, *quod à colono persolvendum Domino.* 3,6.406
Colorus, *coloratus.* *ibid.*
Columella locus, olim corruptus, magnam etiam Gazam decepit. 1,8.37
Combennones, *eodem vecti benna vehiculo.* 1,2.10
Combinare, *connectere.* 4,4 693
Comedis *pro* comedas. 1,22.95
Comicia, *Comitatus.* 3,6.407
Comitatensis *fabrica.* *ibid.*
Comitatio, *comitatus.* *ibid.*
Comtes *cur sic dicti, qui vulgò* Gravii. 2,8.220
Comitia *sunt populi, non principum imperii.* 1,31. 136
Comitissa *nihilopus fingere, cùm* dominam Comitem *liceat dicere.* 1,16.66. 3,6.407
Comitiva, *comitatus via; item genus dignitatis.* 3,6.407
Commater, *susceptrix.* *ibid.*
Commendatorius, *commendaticius.* 3,6.408
Commensalis, *convictor.* *ibid.*
Commerciarius, *negotiator.* 3,6.406
Commercius, *negotiationis socius.* 3,6.408
Comminare, *immittere.* 4,4.693
Commiscular, *commiscere.* 4,13.739
Commissarius, *judex, vel rei inquisitor.* 3,6.408
Commodare pecuniam, *an sit Latinum.* 1,34.157
Commodioritas, *vox à Latinarum numero expuncta.* 2,6.408
Commonitorium. *commonitio.* *ibid.*
Communia, *fœdus commune in causa initum.* 3,6.409
Comodia, *vel* commodià, *loca viatoribus ad divertendum commoda.* *ibid.*
Compaginari, *conjungi.* 4,4 693
Comparativè *comparatè.* 4,31.800
Comparilia, *bona qua comparuerint.* 3,6.409
Compassio, *misericordia.* 3,6.410
Compater, *susceptor.* *ibid.*
Compatescere, *unà pati.* 4,4.693
Compati, *convenire, commoveri misericordiâ.* *ibid.*
Compatriare, *idem patriũ habere solũ.* 4,4.694
Compatriota, *conterraneus.* 1,19.793.6.411.
Compauperatus, *pauper factus.* *ibid.*
Compertus sum, *pro comperi.* 1,24.105
Competitor *pro* competitor, *vitiosũ.* 2,1.173
Complacentia, *quid quid complacitũ est.* 3,6.411
Complanus, *planus.* *ibid.*
Completorium, *complementum.* *ibid.*
Complexio, *pro* temperamento. 1,32.137. & 138
Complices, *facinoris socii.* 3,6.411
Compotista, *vel* computista, *bene numerandi gnarus.* 3,6.412
Comprandere, *unà prandere.* 4,4 694
Compresbyter. 4,20.760
Computus, *pro computatione.* 1,18.75
Concagatus, *vel* conchagatus, *pro concacatus.* 3,6.412
Concambire, *unde* concambium. 3,3.382
Concanonicus, *syncanonicus.* 3,6.412
Concathedrare, *sua dignitatis facere consortem.* 4,4.694
Concernere, *ad aliquid pertinere.* *ibid.*
Concionatores *parùm commodè usurpari de modestis, minimèque turbulentis verbi divini præconibus.* 1,27.118
Concivis, *pro* civis, *damnatur.* 1.19.79
Concordantia, *verborum index, seu rerum consensus.* 3,6.412
Condescendere, *aliena sententia adsentire.* 4, 4.694
Candiaconus. 4.20.760
Conditionaliter, *cum conditione.* 4,31.800
Condium, *mensura genus: nisi id* congium *potius.* 3,6.412
Condoleo, *pro* συμπάσχω. 1,34.155
Confabulatio, *colloquium.* 3,6.413
Confanones, *quid notent.* 2,7 205
Confiniales, *contermini.* 3,6.413
Confœderare, *fœdus jungere.* 4 4,695
Confœderatus *barb. pro* fœderatus. 1,19.79
Confortare, *firmare.* 4,4.695
Confrater, *collega.* 3,6.413
Confratria. 2,8 218
Confugium, *fuga.* 3,6.413
Confundi ἁπλῶς, *pro* pudefieri. 1.34.155
Congaudere, *unà gaudere.* 4.4.692
Congellus, *syncellus.* 3,6.413

Digitized by G

Congildones. 2.8.218
Conjugando nonnunquam peccatur. 1.22.92
Conludio, *colluſio.* 3.6.413
Conqueſtare, *induſtriâ ſuâ acquirere.* 4.4.695
Conochia. 2.4.196
Conradium, Conredium, Conrodium, *modus cibi in monaſterio alicui conceſſus.* 3.6.413
Conregnare, *unà regnare.* 4.4.693
Conregionalis, *qui ejuſdem regionis.* 3.6.414
Conſcholaris, *condiſcipulus.* *ibid.*
Conſcientioſus, *contra conſcientiam nil unquam acturus,* *ibid.*
Conſilior, *conſulto.* 4.4.693
Conſimul, *pro* conſimilis, *vet. fuit.* 1.13.55
Conſiſtorialiter, *decreto* Conſiſtorii. 4.31.800
Conſodalis, *pro* ſodalis *eſt, barbarum* 1.19.79
Conſoror, *quæ eodem munere ſungitur.* 3.6.413
Conſtabularius, Conſtabulus, *comes ſtabuli.* 3.6.414
Conſuetudinarium, *liber monaſterii conſuetudines continens.* 3.6.415
Conſuffraganeus. 3.52.639
Conſularius, *conſularis.* 3.6.415
Contectialis *uxor* 3.6.415
Contemporaneus, *æqualis, eorundem temporum.* *ibid.*
Contemptibiliter, *pro* Contẽptim. 4.31.800
Contenementum. *habitus geſtus.* 3.6.416
Contentare, *facere, ut quis ſit contentus præſentibus.* 4.4.696
Contentor, *barbarum, pro contentus aliquo ſum* 1.23.100
Contina, *templum.* 3.6.416
Continentia, *conſpectus operis, argumentum.* *ibid.*
Contoralis, *tori conſors.* *ibid.*
Contrada *vel* Contrata. 2.4.195
Contrapaſſum, *injuria compenſatio.* 3.6.416
Contrariò, *contrariè.* 4.31.800
Contrarior *rejectum, pro contrarius ſum, repugno.* 1.23.101
Contribulis *barbarè dici pro* tribulis. 1.19.79 3.6.416
Contsoverti, *controverſiam eſſe.* 4.4.696
Contubernaliter, *contubernalium more.* 4.31 800
Contumeliari, *contumeliâ vexare.* 4.4.696
Conventare, *convenire.* *ibid.*
Conventionare, *venire ad pactionem.* *ibid.*
Converſabilis. *Comis.* 3.6.416
Conucula, *idem, ac* colus. 2.4.196
Conviator, *comes.* 3.6.417
Convicinium. *vicinia.* *ibid.*
Coopertorium *tegmentum.* *ibid.*
Coordinare, *ordine locare.* 4.4.696
Copia, *malè pro exemplo.* 1.32.119
Copiates. *veſpillo.* 3.6.417
Corcuba, *funis nauticus.* 2.4.197
Cordialiter. *ex animo.* 4.31.800
Corippi eſt cymbius, *pro* cymbium. 1.12.53
Cornari, *cornu inflari.* 4.4.696
Correctè, *emendatè.* 4.31.800
Corredium. 2.4.196
Correſpondere, *reſpondere.* 4.4.696
Corrodium, *obſonium Principi dandum.* 2.4.196
Corytum, *pro* ſagitta *malè accipi.* 1.30.131
Coſſis *corruptè pro* Coſſus; *Unde* Coſſi *Romæ & Coſſutii.* 1.14.59
Cota, *vel* Cotta 2.4.196. *Unde* Cottarii, Cotmanni, Cotarelli. 2.4.194
Cotagium, *unde.* 2.4.193
Cotagiarium *quid notet.* *ibid.*
Cotiarius, *cote acuens.* 4.1.676
Covinarius, *vide* Covinus.
Covini, *genus Britannicæ currûs, falcatis rotis.* 1.3.15. *& unde vocis origo.* 16. *Non ſemper falciferi, at ſemper cameratî.* *ibid.*
Couſtuma, *conſuetudo.* 2.4.197
Coutor, *commercium habeo.* 4.4.696
Covum, *cœlum, & vocabuli origo.* 1.3.16
Cralis, *&* cralæna, *dominus, & domina.* 3.8.425
Crapulari, *crapulâ laborare.* 4.4.697
Craſſare, *craſſum reddere.* *ibid.*
Crature, *unguibus lacerare.* 2.22.348
Creatura, *res creata.* 3.7.417
Credentia, *aſſertio.* 3.7.418
Credentiarius. Credenzer. 3.7.418
Crementum, *pro incrementum.* *ibid.*

Crepa, *urna feralis.* ibid.
Crepuſculum matutinum, *malè dici pro* diluculo. 1.31.133. *Vocis ejus ἔτυμον.* ibid.
Crinoſus, *crinitus.* 3.7.418
Criſpinus, *unde denominetur.* 2,16.273
Criſſor, *pro criſſo, rejectum.* 1.22.94
Crotaliſtria *cur cicoma dicatur Publio Syro.* 4. 9.718
Crupes, *pro fune.* 2.4 197
Cruppa, *unde.* ibid.
Cruſelinum, *pro parvo vaſe fictili: & unde Belgæ* troes, *Galli* cruche, *acceperint.* ibid.
Cruſtelium, *ciſta clathris obducta.* 3.5.400
Cuba, *extima navis pars.* 3.7.418
Cubella, *linter, in quo paſta fiunt.* ibid.
Cubiculus, *pro cubiculum.* 3.7.419
Cubituum *pro* Cubitorum *vitioſè.* 1.20.84
Cuculla *pro* Cucullus, *vitioſum.* 1.14.58 3.7. 419
Cucumellum, *ſacri vaſis genus, à* Cucuma. ibid.
Cucurba, *nauticus funis.* 2.4.197
Cucurbitare, *ſtuprare.* 4.4.697
Cuſa, *veſtis villata.* 2.8.224
Cujum genus *cur in Marone fuerit à quodam reprehenſum.* 1.1.2
Culbicio. *ſtranguria.* 1.1.4
Culleus *perperam pro* culeus. 1.13.56
Cultellare *veſtem, incidere lineolis, ac quaſi punctis.* 4.4.697
Culcitra *corruptè pro* culcita. 1.13.56
Cumba, *lectica, cuneus.* 3.7.419
Cupa. 2.3.190
Cuphia. 2.4.194
Cupientia, *cupido.* 3.7.419
Cupla, *copula.* 1.1.6. & 3.7.419
Cuprum, *ex Cyprium.* 3.7.420
Curabile, *medicabile.* ibid.
Curbada. *carri ſervitium.* 3.3.388
Curcilla, *inſatiabilis edendi aviditas.* Wolfshunger. 3.7.420
Curcuba *quid ſignificet.* 2.4.197
Curialis *malè dicitur pro* aulico. 1 33.145
Curialiter, *more aulicorum.* 4.31.800
Curmen. 1.4.20
Curopalatus, *pro Curopalates* 3.7.420
Curtis, *Domus.* 3.7.420
Curtiſanus, *aulicus.* ibid.
Curuca, *grandis navis oneraria.* 3.3.388
Cuſio, Cuſo. *conſuo.* 4.4.698
Cuſus, *pro* coſſus. 1.14.59
Cuſtus *pro Coſt.* 2 4 198
Cuſtumarium. 2.4.197
Cuva, *cuppa.* 3.7.420
Cyclopædia, *pro encyclopedia.* 3 7.421
Cymbalum mundi *quis dictus.* 1.10.43
Cymbius, *pro* cymbium, *improbatur.* 1.12.53 *Quid eo nomine ſignetur.* ibid.
Cynomya, *malè pro* Cynomyia. 1.11.47
Cyprianus *dictus à malevolis* Coprianus. 4.11. 725
Cyprus *perperam pro* liguſtro. 1.28.121
Cyrilli gloſſa emendantur. 2.3 190
Cyſurgia *vitioſum videtur pro Chirurgia.* 3.7. 421

D.

DAcia, & Dania, *Radevvico, & aliis, confuſa.* 2.1.169
Daciæ, *vel* Datiæ, *tributum.* 3.8.421
Dadus, *pro* teſſera. 2.5.198
Dagua, *pro pugione.* 2.5.198
Dalmatica in colobii locum ſucceſſit. 3.6 405
Dalmaticatus, *pro dalmaticâ indutus.* 3.8.422
Damnietas. *Damnum.* 3.8.422
Damnificare, *damno afficere.* 4.5.698
Dapifer, *dapes deferens.* 3.8.422
Dapſilitas, *ciborum reliquiæ.* 3.8.322
Dardus, *pro jaculo.* 2.5.198
Dàrius *malè pronuntiatur pro* Darius. 1.11.49
Dauſqueii opinio improbata de etymo proprii nominis Gerardus. 1.10.44
Deafforeſtare, *de ſylva demtum in privatum uſum convertere.* 2.7.200. & 2.22.348
Debatum, *pro lite.* 11.5.199. *Inde* debatare. 2. 2.5.195
Debitare, *debitis gravare.* 4 5.699
Debriare, *inebriare,* ibid.
Decadarum, *pro* Decadum, *rejicitur.* 1.21.87
Decalicator, *calicem exhaurions,* 3.8.422

Decalvare, *calvum facere.* 4,5.699

Decani, *opificum aliorum ve hominum congregatio.* 3,8.422

Decanus, *in opificum familiis principem locum sustinens.* 3,8.422. *Unde* Decania, Decanica. 3,8.423

Decapitare, *securi caput resecari.* 4.5.699

Deceptio, *quo quis circumvenitur*; *item* Deceptorius, *fallax.* 3,8.423

Decervicare, *cervicem praecidere.* 4,5.699

Decimancula, *parva decima.* 3,8.423

Declinationum *vitiosa mistura.* 1.20.81

Decoloro sus, *decolor*, *vel decoloratus.* 3,8.423

Decongregare, *segregare.* 4,5.701

Decretista, *canonum intelligens.* 3,8.423

Decriminare, *criminis arguere.* 4,5.699

Dedim, *pro* Dederim. 1,22.95

Defalcare. 1.23.99

Defensa, *defensio.* 3,8.423

Deferculare, *ferculà auferre.* 4,5.700

Defioculus, *luscus.* 1,33.147

Deforis, *foris.* 4,31.800

Defortiare, & Diffortiare, *vi impedire.* 2,22. 348. *per vim adimere.* 4 5.700

Defructuare, *usumfructum adimere.* 4,29.791

Defrustare, *frustatim decerpere.* 4,5.700

Defurere, *multum furere.* ibid.

Defustari, *fustè percuti.* ibid.

Degeniare, *genio fraudare.* ibid.

Degradare, *de gradu dignitatis sua dejicere.* ibid.

Degregare, *segregare.* 4,5.701

Deguttare, *guttatim adspergere.* ibid.

Deifica, *à Deo facta.* 3.8.423

Deificare, *Deum facere.* 4,5.701

Deinceps *perperam usurpatur pro* deinde. 1, 35.163

Deividus, *Deum videns.* 3.8.424

Delatura, *pretium delatori statutum.* ibid.

Delatus, *de latere.* 4.31.800

Delectabiliter, *cum delectatione.* 4,31.800

Delforum *apud Batavos* τυμον. 1,10.44

Delphis, & Delfis, *differunt.* ibid.

Demagis *improbatum pro* minùs. 1,35.161

Demanium, *vel* domanium, *dominorum jus repossessio.* 3,8.424

Demeritum, *pro* peccato *perperam dici.* 1,33. 144

Demosthenes quomodo civis Pomponii Attici dicatur à Cicerone. 1.19.80

Demunire, *urbem minùs munitam reddere, quàm priùs erat.* 4,5.701

Denarata, *denariorum pretium.* 3,8.424

Dentex *idem ac* δύοδων, & *unde nomen.* 1,20. 82

Denariales, denariati, *vel* denariarii, *denarii ictu ex lege Salicâ manumissi.* 3,8.425

Decoro, Dedecoro. 4.5.701

Deorsum, *unde sit.* 1,25.107

Depalare, *nunc à* palis, *nunc à* palàm, *dicitur.* 4,5.701

Depalmare, *palmâ ferire.* 4.16.719

Depeculor *tertiam producit syllabam.* 1,22.92

Depersonare, *infringere dignitatem personæ* 4, 5.701

Depilare, *scripta aliorum compilare.* ibid.

De plebe esse, & plebejum esse, *plurimùm distant.* 1,33.150

Deplicare, *priùs complicata separare.* 4.5.702

Deprædari, *espoliare.* ibid.

Deputare, *pro* delegare. 1,34.156

Derisio, *ludibrium.* 3,8.425

Desagmare, *exonerare.* 4,5.702

Descidere, *decidere*: *abscindere.* ibid.

Desiderius Erasmus *cur sic fuerit dictus.* 1.10. 44

Desociare, *à sociis disjungere.* 4.5.702

Desolare, *pro* diruere: 1,34.156

Desolari, *vastare.* 4.5.702

Desolatio, *pro excidio, seu vastitate.* 3.8.425

Despautorius, vid. *Ioannes Ninivita.*

Despicere, & dispicere, *differunt.* 1.34.156

Despotus *barbarè dicitur pro* despota. 3.8.425

Destructio, *excidium. unde* destructor, *perditor.* ibid.

Desursum, *desuper.* 4.31.801

Deteriorare, *depravare.* 4.5.702

Detius, *pro tessera.* 2.5.108

Detractorium, *quo fama alicujus detrahitur.* 3.8.425

Deviare, *aberrare à viâ.* 1.23.100.4.5.702

Devotare, *devovere.* ibid.

Devotus, *pro* religiosus. 1.33.144.
Dextrare, *flatuere, uter à dextrâ : vel sinistrâ, sit iturus.* 4.5.702
Dextrarius, *equus bellicus, cujus oppositum* parafredus. 3.8.425
Dextrocherium, *armilla dextribrachii.* 3.1.359. & 3.8.426
Diable *piscis sic Parisiensibus dictus.* 1.28.120
Diaconalis, *pro* Diaconus. 3.9.426
Diacones *Ecclesiasticus pro* Diaconi. 1.20.82. & 3.57.671
Diætare, *diætam observare.* 4.6.703
Diagrapha, *acta publicanorum.* 3.9.426
Diamare, *deamare.* 4.6.703.
Diasostes, *socius, ac dux itineris.* 3.9.427
Diatim, *vel* dietim, *indies.* 1.25.108. & 4.31.801
Diatus, *diu nâ luce illustratus.* 3.9.427
Dictio *vulgo perperam sumitur pro* vocabulo, 1.31.132
Dictionarius, *vel* Dictionarium. 1.17.71
Dictyos interpres malè turdum marinum *dixit pro* pastinaca. 1.28.120.121
Didrachmo, *per didrachmas distribuo.* 4.6.703
Didus *fabula ad Carthaginem condendam loci tantum amentis, quantum posset tauri corio complecti.* 1.1.6
Dietim, *pro* quotidie. 1.25.10
Diescit, *dies oritur.* 4.6.704
Diffacere, *decus ac gratiam adimere.* ibid.
Diffamare, infamare. ibid.
Difficere, *perimere.* ibid.
Difficul, *pro* difficile, *veteres.* 1.13.55
Difficultare, *difficilius reddere.* 4.6.704
Diffidare, *fide indignum judicare.* ibid.
Diffiduciare, *nullam reponere fiduciam.* ibid.
Diffigurare, *formæ decus auferre.* 4.6.705
Diffortiare. 2.22.348
Diffundere, & defundere, *malè confunduntur.* 1.34.156 Diffusores *qui.* ibid.
Digeries, *digestio.* 3.9.427
Digladiabile, *cujus causâ gladiis rem gerí opera sit.* 3.9.427
Dignanter, *aquo animo.* 4.31.801
Dijaculare, *jaculari.* 4.6.705
Dilatatus, *multùm distans.* 3.9.427
Diminoro, *diminuo.* 4.6.705
Dindymus, *puta mons :* Dindyma, *puta ὄρη.* 1.21.90
Diœcesanus, *ad diœcesin pertinens.* 3.9.427
Dionysius *prævè dicitur pro* Dionyso. 1.9.39
Dionysii Gothofredi sententia excussa de Peculii *voce.* 1.2.13
Diptire, *tinctu inficere.* 2.22.348
Directaneus, *qui dirigitur vitâ monasticâ.* 3.9.427
Discapia, *aqua spatium terræ dividens.* 3.9.428
Discargare, *carrum exonerare.* 4.6.705
Disciplinare, *castigare.* ibid.
Disciplinatè, *disciplinæ convenienter.* 4.31.801
Disciplinatus, *disciplinæ bonæ conveniens.* 3.9.428
Disconfitura, *diffidentia.* ibid.
Discooperire, *tegere.* 4.6.705
Discopulare, *copulam detrahere.* ibid.
Discoquere, *coctiurâ digerere.* 4.6. ibid.
Discordantia, *discrepantia.* 3.9.428
Discorditer, *animo discordi.* 4.31.801
Discretus, *malè pro eo, qui cuncta prudenter discernat.* 1.33.145
Dismanare, *in jus vocare.* 2.22.349
Dismanuire, *vel* dimannire, *foris ejurare.* 2.24.354
Dismembrare, *membra dividere.* 4.6.705
Disparigare, *disparia sociare.* 4.6.706
Disparilitas, *varietas.* 3.9.428
Dispensare, *pro canone, aut legibus solvere.* 1.34.156
Disperquiro, *anquiro.* 4.6.706
Displacentia, *pro* Displicentia. 3.9.428
Disraro, *rarefacio.* 4.6.706
Disrationare, *contrarium ratione comprobare,* ibid.
Disrobare, *diripere, spoliare.* ibid.
Dissaicire, *vel* Dissaisire, *bonis deturbare: hinc* Dissaicina *privatio possessionis.* 2.25.357
Distemperare, *temperaturam dissolvere.* 4.6.706
Distillarius *rejectum.* 1.17.71
Disvestire, *vestibus exuere.* 4.6.706.

Diu, & dudum, *malè confundi.* 1.35.164
Divago, *divagor.* 4.6.707
Divellio, *divulsio.* 3.9.428
Diversificare, *variare.* 4.6.707
Diversimodè, *non uno modo.* 4.31.801
Divinator, *divinus, divinans.* 3.9.429
Divisibile, *dividuum.* ibid.
Divisim, *separatim.* 4.31.421
Divisio literarum quomodo, & cur observanda. 2.1.171
Diurnale, *diurnum.* 3.9.429
Divus, *pro* sanctus. 1.32.137. & 141
Doana, *quid notet, & unde petitum.* 2.5.199
Doarium, *antipherna.* 3.10.429
Dociliter, *intelligenter.* 4.31.802
Docillimus, *pro* valdè docilis, *malè à Valla probari.* 1.21.90
Doctrinatus, *edoctus.* 3.10.430
Dodarium, ἀντιφέρνη. 3.10.429
Doga, *pro* δοχὴ, *videtur aliud, quàm butta.* 3.10.430
Dogus, *pro* canali *sumitur.* 2.5.199
Dogus, *asser vasis.* 3.10.430
Dohanna, *idem quod* Doana. 2.5.199
Dolentia, *dolor.* 3.10.431
Dolorificus, *dolorem afferens.* ibid.
Doloroſus, *mœstus.* ibid.
Doma, *domus.* ibid.
Domantum, *vide* Demanium.
Domeſticatus, *nobile officium Palatinum.* 1.10.432
Domicellus, *junior dominus.* 2.6.197. & 3.10.432
Dominicalis, *linteum, quo ſumitur corpus Dominicum.* ibid.
Dominicalis, *dominicata terra; quæ alteri elocatur à domino loci: item* Dominicatus, *vel* Dominicatura, *dominium loci alteri elocati.* ibid.
Domnus, *pro* Dominus, *dicitur de iis, qui dignitate funguntur Eccleſiaſticâ.* 2.1.171. & 3.10.433
Donati locus de voce penum *expanſus.* 1.20.84
Dorcatius *Iſidoro memoratus.* 1.3.15
Dormitorium, *ubi monachi dormiunt.* 3.10.433
Dorſale, *vel* Doſſale, *pallium aulæum.* ibid.
Dotarium, Dotalitium. Φέρνη, *quam accipit ſponſus.* 3.10.429
Draconarii, *ſignum Draconis in militiâ geſtantes.* 3.10.433
Drappa, *vel* Drappus, *pro panno, unde.* 2.5.194
Drilopotæ, *vitreo bibentes Priapo.* 3.10.434
Dromundus, *ingentis navigii genus.* ibid.
Drudes & Drudi, *differunt à Vaſallis; & unde dicantur.* 2.5.200
Druncus, idem ac *drungus.* 2.5.199
Drungus, *pro* globo hominum; *unde* Drungarii: *& prioris vocis origo.* ibid.
Dubietas, *ambiguitas.* 3.10.434
Ducator, *Ductor, &*
Ducatus & Ducatio, *ductus.* 3.10.434
Duciculus, *circulus, quem victores vaſorum aſſeribus circumducunt.* ibid.
Duciſſa, *rejectum, ac prolatum* Domina dux 1.16.66. & 3.10.435
Dulciarii *qui vocentur.* 1.16.69
Dulcitas, *dulcedo.* 3.22.507
Dulcorare, *edulcare.* 4.6.707
Duplex, *pro* verſipelli. 4.25.776
Dura, *vel* pia mater, *novè junioribus membrana cerebri cuſtos.* 1.27.115
Duracinus *unde factum.* 1.7.72
Durcones, *navigii genus, unde forſan dicatur.* 2.5.200
Durpilus, *vel* Durpilum, *pro limine.* 2.5.200

E.

EAthelingus *quid notet; & quam variè ea vox ſcribatur.* 2.6.201
Eboratus, *eburneus.* 3.11.435
Ebullare *non dicendum, ſed* ebullire. 1.22.95
Eccleſiæ *vox Eccleſiaſticis ſcriptoribus perperam corripit ſecundam.* 2.1.173
Echoicus *verſus, in quo ſoni fit repercuſſio.* 3.11.435
Eclipſatus, *deficiens.* 3.11.436
Econtra, *barbarum, unde natum.* 1.25.108
Edim, *pro* edam. 1.22.95
Edulitas, *fames ex edulium caritate.* 3.11.436
Effectivus, *idoneus ad efficiendum.* ibid.

Effectivè / Effectualiter *efficienter.* 4.32.802

Efflorare, *carpere flores.* 4.7.708

Effocare, *strangulare.* ibid.

Efforcialiter, efforciatè, *vi.* 4.32.802

Efformare, *effingere.* 4.7.708

Efforciare, *munire.* ibid.

Egenorum nomina matriculæ sive catalogo inscribebantur. 3.24.518

Ἐκκλησίας *quis.* 1.5.22

Elaterare, *ad latus abire.* 4.7.708

Elcana *rectius, quàm* Elchana. 2.3.[illegible]

Electreus, *electrinus.* 3.[illegible]36

Electuarium, *illinctus.* ibid.

Elephantiasis *differt à* lepra. 1.32.137. & 138

Elephantiosus, *elephantia obnoxius.* 3.11.436

Elephantus, vel canis, non sunt bruta animalia. 1.33.145

Elisabet *quid designet.* 1.10.43

Elisæi prophetæ nomen unde. ibid.

Ἑλληνισμὸς *secta nomen.* 1.1.3

Elogicus, *elogium continens.* 3.116.41

Elongare, *longè amovere.* 4.7.708

Elops, & acipenser, *diversi sunt pisces.* 1.28.121

Elucesco *rejectum.* 1.23.97

Elucidare, *lucem afferre.* 4.7.708

Embolus *Vitruvio quid.* 3.15.469

Embrimium, *vel* Embrymium, *lectulus somni capiendi caussâ.* 3.11.436

Emenda, *mulcta, quâ satisfit actori.* 3.11.437

Ementum, *excogitatio.* 3.11.438

Ἐμεῖα *unde vocetur.* 1 6 27

Emicatim, *subitò se adtollendo.* 4.32.802

Emigranea, *hemicrania.* 3.11.438

Emollida *perperam Livii lib.* 34. *legi, pro* mollia 1.19.78

Emsim, *pro* emerim, *Plautinum videri.* 1.23 96

Emtito, *pro* emsito, *rejectum.* ibid.

Emunitas, *immunitas.* 3.11.438

Endivia, *intybus sativus.* 3.47.614

Enerviter, *enervium instar.* 4.32.803

Engaria, *coactio, vel necessitas, quâ quis ad parendum compellitur.* 3.11.438

Ennodius Ticinensis in modulis negligentior. 2.1.173

Enormatè, *convenienter norma.* 4.32.803

Eorla, & *contractè* Erle, *sumuntur pro viro honorato, ac particularim pro consule, id est, Comite, vel Duce.* 2.6.201

Epirrhedium *quid, & unde dictum.* 1.2.13

Episcopaliter, *more Episcopi.* 4.32.803

Episcopare, *episcopum facere.* 4.7.708

Episcoporum *genus triplex.* 3.9.427

Epistola, *pro* epistula, *magis aptum Umbrorum auribus, quàm Romanis.* 1.13.57

Epistolarium, *codex epistolarium, quæ in Ecclesia leguntur.* 3.11.439

Epitoma, *tu, pro* epitome, *es, vitiosum.* 1.20.82

Epulare, *epulari.* 4.7.708

Equaritia, *grex equarum.* 3.11.439

Equaritia *pro equis, quibus utimur in itinere.* ibid.

Erasmo sagittam, & jaculum, *confudit.* 1.23.98

Erasmus de testudine falsus. 1.28 120

Erasmus de buricâ deceptus. 2.3.190

Erasmi, vel alterius, de pataso error. 1.29.125

Erasmi lapsus, glomi *pro* glomeres *dicentis.* 1.20.83

Eremita, *pro solitario.* 3.11.439

Erimannus, *clicns.* 2.2.178

Erratus, *pro* error, *vel* erratum. 3.11.439

Erythra *rex videtur Esavus.* 1.30.132

Escambium, *pro* Excambium, *h.e. permutatione.* 3.11.439

Escarletum *unda.* 2.6.201

Esdras *an rectè scribatur.* 1.10.43

Eschipare, eskipare, *adornare, armareque navim.* 2.23.349

Escium, & Esciatum, iscium. 1.7.35

Eskilus *Londensis.* 2,1.169

Esophorium, *vestis interior.* 2.4.192. & 3.11.439

Essedum, *vehiculi genus veteribus Gallis, & Britannis* 1.2.11

Essendo, *si fuero.* 4.7.708

Essendus, *futurus.* 4.30.796

Essonia, *impedimentum.* 2.17.301

Esterlingus, *vel* Sterlingus, *unde sit.* 2.5.202

Esther melius scribitur, quàm Hester. 2.1.168

Estoverium, *vel* estuarium, *quid significet, & unde derivetur.* 2.6.202

Etiam, *non nisi toto post Ciceronem seculo, pro affirmandi particula fuit usurpatum.* 1.35.160

Eva *cur scribatur, cum Hebræi pramittant Spiritum.* 1.10.41.42

Evacuatorium, *quo quis fatetur sibi satisfactum.* 3.11.440

Evaginare, *gladium stringere,* 1.22.99

Evinditale, *quo quid evidens fit.* 3.11.440

Eulogiosè, *cum maledicentiâ.* 4.32,803

Euphemia, *malè secundam corripit Sidonio,* 2.1.173

Exactè, *accuratè.* 1.25.107. & 4.32.803

Exactionare, exactare, *exigere,* 4.7.708

Exadoniare, *idoneum reddere.* 4.7.709

Exagellium, *pro trutina.* 3.11.440

Exardeo *rejectum.* 1.32.97

Excanonizari, *deleri è Canonicorum numero.* 4.3.687

Excerebror, *cerebrum amitto.* 4.7.709

Excessivè, *supra modum.* 4.32.803

Excondicere, *purgare se.* 4.7.709

Excopiare, *exscribere.* ibid.

Exemplare, *describere ad exemplum alterius.* ibid.

Exemplificare, *exemplis comprobare.* ibid.

Exenium, *pro dono hospitali.* 3.11.440

Exentricare, *viscera eximere.* 4.7.709

Exfestucare, *honorem adimere.* 4.7.709

Exhonorare, *honorem adimere.* 4.7.710

Exidoneare. 2.17.710

Exiliare, *in exilium conjicere.* 4.7.710

Existerit, *pro* exstiterit. 4.30.794

Exlegare, *exlegem reddere,* 4.11.718

Exmerare, *merum præstare.* 4.7.710

Exoccupari, *labore levari.* ibid.

Exoccupatus, *qui se occupationibus exoneravit,* 3.11.441

Exoniare, *fonticam afferre causam, cur non stiteris te judicio.* 4.7.710

Ἐξορκίζειν & Exorcistæ. 1.6.26

Exordinatum, *ubi ordo conturbatus.* 3.11.441

Expalmatus, *palmâ manûs percussus.* ibid.

Expedientius *pro utilius.* 4.32.804

Experimentatum, *experientiâ comperium,* ibid

Expertissimum, *de pharmaco;* experientissimum *dici de medico, non contrà.* 1.13.146

Explantare, *radicitus evellere.* 4.7.710

Expositor, *qui expendit pecuniam.* 3.11.441

Expost, *postea.* 4.32.804

Expressare, *expressim dicere.* 4.7.711

Expudoratus, *impudens.* 3.11.441

Exsalsescere, *salsuginem deperdere,* 4.7.711

Exscaritus, *societate exemtus.* 2.25.357

Exspes, *obliquis caret.* 1.21.90

Exsufflare, *spiritu suo diffiare,* 4.7.711

[illegible]les, *pro extis.* 3.11.441

Extemporaneus, *rejectum pro* extemporalis. 1.19.78

Exterminium, *extra terminos ejectio.* 3.11.441

Extractum, *malè pro* excerpto. 1.33.146

Extraordinariè, *extra ordinem.* 4.32.804

Extrinsecus *barbarum, pro* externus. 1.18.77

Exulari, *exsulem esse.* 4.7.711.

Exulaticius, *pro ejecto in exilium.* 3.11.442

Evva, *pro lege.* 2.6.205

Ezechiel *malè pro* Jezechiel. 2.1.168

F.

FAbarius, *cantor fabis vesci solitus.* 3.12.443

Fabiana, *vel* fabana, *cibus è fabis.* ibid.

Fab. Quinctil. emendatus, 1.18.74

Fabulare, *fabulari,* 4.18.712

Fabulo, *fabulator.* 3.12.413

Facella, *fax exigua.* ibid.

Facetosus, *pro* Facetus, *malè approbatum à Nizolio.* 1.17.73

Facialis, *linteum tergenda faciei.* 3.12.443

Facilimus *corruptè scribitur pro* Facillimus. 1.13.55

Faciliter, *facilè.* 4.32.804

Facitergium, & Facitergulum, *sudarium.* 3.12.444

Factivus *efficiendi vi praditus.* ibid.

Facul *notat superlativum* facillimus. 1.13.55

Facularii, *faculâ prælucentes.* 3.12.445

Faderfium, *vel* Fadelfium, *vox Longobardica unde?* 2.7.204

Faja, *glans.* 2.7.204 & 2.11.239

Faida, *vox Germanorum, hinc* faidosi 9.2.7.204

Fai-

Faidici *corruptum ex* Fatidici. 3.12.445
Falcattæ, *vel potius* Falcastrum, *ferramentum referens falcem.* *ibid.*
Falciferi *quinam dicti?* 1.3.15
Falconista, *vel* Falconarius, *accipitrarius* 3.12.445
Falda, *pro* stabulo, *unde* Faldeo, Faldistorium *& alia.* 2.7.205
Fallehen
Fallire *falli, decipi.* 4.8.712
Falsare *falso affimulare.* *ibid.*
Falsator, *falsarius.* 3.12.446
Falsificare, *falsum comprobare, vel reddere.* 4.8.712
Famatur, *famâ vulgatur.* *ibid.*
Famen *unde, & quid?* 3.12.446
Famesco, *famem patior.* 4.8.713
Famigero *famâ celebro.* *ibid.*
Familiarescere. *familiarem reddi.* *ibid.*
Fano, *tum pro sudario, vel mappula; tum etiam pro veste sacerdotum, vel diaconorum; tum pro instrumento chirurgico sumitur.* 2.7.205
Fara, *stirps, sive progenies.* 2.7.206
Farile, *ubi far reconditur.* 3.12.446
Farleganus, *scortator, sive adulter.* 2.7.206
Farsura, *pro* Fartura. 3.12.446
Fascare, *fascis ligare.* 4.8.713
Fasciolum, *pro fascia* Exigua. 3.12.446
Fauces, *radices montis.* 2.7.207
Favorabiliter, *cum favore.* 4.32.804
Fecialis, *vitiosum, pro* Fetialis. 1.13.57
Feida, *pro inimicitia.* 2.7.204
Felix Nolanus *cur Felix in Pincis nuncupatus.* 2.15.168
Fellicitus, *felle suffusus.* 3.12.446
Feloniæ *significatio, ac origo.* 2.7.207
Feltrum, *sive* Filtrum, *unde.* *ibid.*
Femellarius, *mulierosus.* 3.12.446
Femen *malè pro* Femur. 1.15.63
Feno, *mappula.*
Feoffare, *in fœdum inducere.* 2.23.349
Feriari, *ferias agitari.* 4.8.713
Ferii, *pro* percussi, *non esse in usu.* 1.24.103
Ferita, *ictus.* 3.12.446
Ferabitis *fera vitia.* 1.8.36
Ferociter, *pro* fœvè, *malè vulgo dicit.* 1.35.162
Ferox, *malè pro* fœvo, *aut* crudeli. 1.33.146
Fervura, *fervor.* 3.12.447
Festare, Festivare, *festum celebrare.* 4.8.733
Festi de lancea etymon rejectum. 1.3.16
Festinantia, *festinatio.* 3.12.447
Feudum *tutò usurpari.* 1.7.32.
Fiala, *chelys.* 2.7.213
Fibramen, *fibra.* 3.12.447
Fibula *quid vocetur.* 2.13.263
Fibulatorium, *amiculum.* 3.12.447
Fictitius, *commentitius.* *ibid.*
Fiducialiter, *cum fiducia.* 4.32.804
Fiendus, *faciendus, futurus.* 4.30.795
Figuraliter, *figurato sermone.* 4.32.804
Filare, *fila rhombo circumvolvere.* 4.8.713
Filiaster, *privignus.* 3.12.447
Filiastra, *privigna.* *ibid.*
Filius ante patrem *herba vulgo, quæ Latinis* tussilago. 1.28.122
Filtrum *lana conflatilis.* 2.7.208
Filialiter, *denique.* 4.32.804
Fiola, *ampulla vitrea.* 3.12.447
Firmaculum, *firmamentum.* 3.12.447
Firmatorium, *quo quid firmatur.* 3.12.448
Firmatura, *firmamentum.* *ibid.*
Firmitas. 3.12.448
Firstful, *culminis columna, opponitur τῷ* Winchilful 2.20.339
Fiscalinus, *fiscalis, atronus.* 3.12.448
Fistulari, *fistulâ canere.* 4.8.713
Frixè *acriter.* 4.32.804
Flaber, *fabulosus, ventosus.* 3.12.448
Flabellus, *flabellum.* *ibid.*
Flabarius, *subulcus.* *ibid.*
Flamonium, *flaminium, sive Flaminis bonus.* 3.12.449
Flasco, *lagena.* 2.7.208
Flaxo *idem, quod* Flasco. *ibid.*
Flocus, *cucullus Monachorum.* *Unde diminut. flocellus.* *ibid.*
Florenus, *nummus aureus.* 3.12.449
Florier, *pro* florebit. 4.30.794
Focis, *canalis.* 2.6.209
Focul. *Locus ubi extruitur focus.* 3.12.449

Foculare, *locus foci.* 3.12.449
Foderum, *sive* Fodrum, *pabulum seu alimentum.* 2.6.209
Fodratura *à* foderare; *unde &* foderatus. 2.6.210
Folleralis, *minutum nummi genus.* 3.12.449
Follescere, *stultescere.* 4.8.714
Follex, *saccus scorteus.* 3.12.449
Follicare, *follis instar tumere.* 4.8.713
Folonitia, *vanitas.* 3.12.450
Fontaliter, *tanquam à fonte.* 4.32.804
Foralis, *forensis.* 3.12.450
Foraminatus, *perforatus.* ibid.
Forasticum, *foris contingens.* ibid.
Foraticus, *tributum persolvendum foris.* ibid.
Forbannum, *proscriptio. Hinc*
Forbannire, *in exilium pellere. Et*
Forbannitus, *relegatus.* 2.6.210. & 2.23.350
Forbatutus, *qui prior alterum percussit.* 2.6.210
Forconsiliare, forsconsiliare, *malè consulere.* 4.8.714
Fordanno *unde compositum.* 2.7.211
Foresta, Forestis, & Forestum, *sylva.* 2.7.211
Forestagium, *jus sylvæ.* ibid.
Forestarius, *præfectus sylvæ.* ibid.
Forfactum, *sive* Forefactum, *vel* Forisfactum, *vel* Forefactura, *grave delictum.* 3.12.450
Forisfacere, forifacere, forefacere. *crimen committere.* 4.8.714
Forjudicare, *vitâ, aut bonis, multare.* 4.8.715
Formaria, *virgo formandis cœnobii moribus præfecta.* 3.12.451
Formaticum, *caseus.* ibid.
Formella, *vas, quo caseus figuratur.* ibid.
Fornata, *coctura panis in furno.* 3.12.452
Fornicare. 1.23.98
Fornicari, *pro* scortari, *non videri Latinum.* ibid.
Forpex *rejectum pro* forfex. 1.13.57
Forrari, *pabulatum ire.* 2.23.350
Fortalitium, *vel* Forteletum, *propugnaculum.* 3.12.452
Fortia *variè accipitur.* ibid.
Fortis *locus, malè pro munito.* 1.33.146
Fortiter *munitus, pro* validè, *improbatum.* 1.35.162
Fortunium, *certamen, ubi Fortuna magis dominari videtur, quàm virtus.* 3.12.452
Fossorium, *ligo.* ibid
Fotrum, *capsa scyphorum.* 2.6.211
Fragascere, *odorem fragrantem spirare.* 4.8.715
Fragus, *poples.* 3.12.452
Framea, *hasta genus apud Germanos.* 1.3.14
Franciæ *vocabulum probum.* 1.7.29
Frea. *quid significet.* 2.7.213
Fredum, *mulcta, Principi quæ debetur.* 2.6.211
Frenus, & Frenum, *in recto non invenitur, etsi posterius videatur tutius.* 1.15.64
Freta, *idem quod* Freda. 2.6.212
Frem *Germanicum, vel* Fraim, *unde* Framia. 1.3.14
Frigefactivum, *refrigerans, quod vim habet frigoris,* 3.12.453
Frigoreticus, *vel* Frigoriticus, *febricitans.* ibid.
Friscinga, *porcus adultus.* 2.7.212
Frisgunga, *porcus adultus,* ibid.
Fritium dentium, *dentifricium.* 3.12.453
Frixorium, *sartago.* ibid.
Frocca, *vel* Froccus, *monachalis vestis.* 2.6.213. & 2.16.266
Frocus, *cucullus monachorum.* 2.7.208
Froccus. 2.7.211
Feoffare, *in feodum inducere.* 2.23.350
Frontaria, *regionis limites.* 3.12.453
Fructificare, *fructum ferre.* 4.8.715
Fuco, *impostor.* 3.12.453
Fugaciter, *fugiendo.* 4.32.804
Fugela, *fuga.* 3.12.453
Fugitivarius, *fugitivos insequens.* 3.12.454
Fugitiosus, *exul, profugus.* ibid.
Fulciatorium, *scipio.* ibid.
Fulfrea, *vel* Fulfreal, *vox composita.* 2.7.213
Fulgetrido, *fulgor.* 3.12.454
Fulgitrua, *fulgetra.* ibid.
Fultrare, *fulcire.* 4.8.715

Fulina, *culina.* 3.12.454
Fulinarius, *coquus.* *ibid.*
Fundibula, *funda.* *ibid.*
Fundibularius, *qui funda utitur.* *ibid.*
Fundalus *gobius fluviatilis.* 3.12.455
Furabula, *nox furibus idonea.* *ibid.*
Furavi *pro furatus sum.* 4.30.794
Furfurio, *avis genus, quod furfure alitur.* *ibid.*
Furfuraculum, *terebra.* *ibid.*
Furniare, *panes coquere in furno.* 4.8.715
Furrare, *vestem pelle, vel alio, suffulcire.* *Inde* Furruria. *ejusmodi duplicatio vestis.* 2.23.350
Fusim, *fundendo.* 4.32.804
Fusionaticum, *percolatum.* 3.12.455
Fustamum, *vel* Fustanum. 2.6.214
Fustare, *fuste excipere.* 4.8.715

G.

G *Carebant prisci Romani, sed pro ea* C *scribebant.* 1.5.22. & 2.1.196
Gabarus, *insipidus, loco tuli ejus.* 2.8.215
Gabella, *vel* Gabellum, *vectigal.* *ibid.*
Gæsa, *vide* Gesa.
Gafrum, *crustulum. Unde* Gafrarium. 2.8.216
Gagio, *salicetum.* 2.10.237
Gajo *contractum ex* Ganeo. *ibid.*
Gajus *cur pronunciatum, cùm tamen* Cajus *scriberetur.* 2.1.168
Galea *veteribus dicitur militare capitis tegmen: junioribus etiam* navis longa: *& quomodo differat à triremi.* 1.1.5. Galea *juniorum alter* Galeida: *& à quo primùm reperta. ibid.* Galeæ *unde nomen.* *ibid.*
Galeja, *navis longa.* *ibid.*
Gallis originem sui debentia vocabula Romana. 1.28. *& seqq.*
Galeare galere, *galeam imponere.* 4.9.716
Galeorti Martii opinio de asbrabis, sive flagris, refellitur. 1.7.42
Galerita, *alauda.* 1.2.9
Galerium, *galerus, capitis tegumentum.* 3.13.456
Gallapare, galapare, *equum urgere ad cursum exsultantem.* 4.9.716
Galliardum, *agile.* 2.8.216
Gallinam aquaticam *male dici pro* fulica. 1.28.120
Gamba, *tibia commissura cum pede.* 3.11.456
Gameliæ *virgines quæ sint.* 1.5.22
Gamelus *prius fuit* Camelus. 1.5.22
Gammadium *vestis patriarchalis, & Episcopalis.* 3.13.456
Gandeia, *genus navigii.* 2.8.215. *differt à galeja.*
Ganeo, *sylva densa.* 2.10.237
Gangamela, *pagus Persiæ: ac ejus tumor.* 1.5.22
Gannatura, *quando quis alteri obgannit, cùmque ludos facit.* 3.13.457
Garantia, *color ruber, ac coccineus.* 3.54.660
Garantus *causa patrocinium suscipiens: indeque*
Garantizare, *patrocinio suo alterum tueri.* 2.20.335 & 2.23.350
Gardianus, *custos.* 2.8.213
Garcio, *puer.* 1.1.4
Garda roba, *custodia vestium.* 2.10.233
Gardingus. 2.8.216
Garenna, *vivarium.* 2.10.334
Gargana *non invenitur pro montis nomine.* 1.21.89
Gargarare, *superbè se jactare.* 4.9.716
Garterium, *periscelis.* 2.8.216
Garrulare, *garrire.* 4.9.716
Gasachius, *adversarius.* 2.8.216
Gasindium, *familia.* 1.2.12
Gasindus, *vel* Gasindius, *servus domesticus.* 2.8.216
Gastaldus, *vel* Gastaldius. 2.8.217
Gastrum, *vas ventri cosum.* 3.13.457
Gaudebundus, *gaudio affectus.* *ibid.*
Gauderiter, *cum Gaudio.* 4.32.805
Gaudimonium, *gaudium.* 3.13.457
Gaudialis, *latus.* *ibid.*
Gavescere, gavisare, *gaudere.* 4.9.717
Gaviserius, *latus.* 3.13.457
Gausapis, *pro* Gausape, *vel* Gausapa. 1.12.53
Gaza *à Persis est.* 1.5.23
Gazetum *nobile Vini Genus.* 3.13.458
Gelda, *pecunia.* 2.8.218
Geldonia, *vel* gildonia. *ibid.*
Geldus, *vel* Geltus, *pecunia.* *ibid.*
Gemelliones, *urceoli formâ gemelli.* 3.13.458

Genare, *gignere.* 4.9.713
Generalitas, *universitas.* 3.13.458
Generamen, *germen.* ibid.
Generatorium, *generandi facultas.* ibid.
Genizeri *quid Turcis notent.* 2.10.236
Gentilitus, *gentium more.* 4.32.805
Genuorum, *pro* genuum, 3.57.672
Geographare, *terrarum orbem describere.* 4.9.717
Georgio Merulæ perperam trochum, *&* turbinem, *idem videri.* 1.26.111
Gerardi *vocabulum quid significet.* 1.10.44
Germanis veteribus homicidia etiam mulctâ pecuniâ æstimabantur. 3.20.336
Germani antiqui videntur non alieni fuisse à sententiâ Democriti, & Epicuri, de atomis. 2.6.202
Germanorum lingua priſca habuit communia multa cum Romana; & unde id ſit. In præfat. ad Lect. *Pluráque, Germanica & Romana communia, collapſo imperio Romano.* 1.1.7
Germanis veteribus mos explorare partum amne Rheno. 1.9.40
Germaſcere, *ſeu* germinaſcere, *germen producere.* 4.9.717
Germen *unde.* 2.24.352
Gerpivi, *abdicavi.* 2.23.350
Gerſom, *&* Gerſon, *malè confunduntur.* 1.10.43
Gertrudis *unde dicta.* 2.5.200
Geſa, *ſeu* Græſa, *eſt Gallicum.* 1.2.2. *quum & Hiſpanis tribuitur.* 1.3.17. *Inde* Κελταὶ Γαισάτοι, & Γεσάτος. 1.2.12
Geſindium, *familia.* ibid.
Geſſa, *vide* Geſa,
Geſta, *fax.* 2.8.218
Gibberem, *pro* gibbum, *vitiosè dici.* 1.20.83
Gibberis, *malè pro* gibbi. 3.57.671
Gilda, *vel* Gildonia, *tribunitium collegium.* 2.8.218
Gingiber *germinato errore effertur.* 1.12.52
Girgillus, *rhombus.* 2.8.219
Gladius falcatus, *pro* ſcimitarra. 1.7.30
Glebare, *glebam efficere.* 4.9.717
Glis, *&* ſciurus, *confunduntur vulgò.* 1. 28.120
quæ glis *dictus veteribus.* 121
Glocca, *campana.* 2.10.237
Glomi, *&* Glomos, *barbarè pro* Glomeres. 1. 1.20.83
Glomi, *pro* glomeris. 3.57.671
Glorifico *parum Latinum, pro* glorià afficio. 1.23.101
Gloſare, *interpretari.* 4.9.717
Gloſſarum ſcriptores aliquot recenſentur. 1.6.27
Godgildus, *quod offertur Diis.* 2.8.218
Gonſalo, *vexillum; unde* Gonſalonarius. 2.8. 214
Goropius Becanus de herotigii *voce deceptus.* 2 9. 230.231
Governare, *gubernare.* 4.9.717
Gracillimus *improbatum.* 1.21.90
Graduale, *quod, lectâ Epiſtolâ, canitur, dum diaconus gradus ambonis aſcendit ad canendum Evangelium.* 3.13.459
Gradualia *quæ ſint.* 3.42.599
Graduatus, *honoris gradum conſecutus.* 3.13.459
Græca cur plurima inſint linguæ Romanæ. Præfat. ad Lectorem, *&*, 1.1.7
Græcolonus *vox nihili apud Luitprandum, pro* Græcoſonus. 2.8.219
Græcoſonus, *Græcè ſciens.* 3.13.459
Grafio, graphio, *Comes, præfectus.* 2.8.220
Grafius, *pro* graphium. 3.3.393
Granatarius, *frumenti præfectus.* 3.13.459
Grandebalæ, *pili ſubalares.* 2.8.221
Granditer, *admodum.* 4.32.505
Grangia, *horreum.* 2.8.222
Granchia, *idem* ibidem
Granica, *idem.* 2.18.320 & 3.3.459
Grani, *capilli ſparſi.* 2.8.222
Grano, *muſtax.* 2.8.221
Gratanter, *lubenter.* 4.32.805
Gratare, *gratificari.* 4.9.717
Gratiosè *barbarum, pro* jucundè. 1.35.162
Gratitudinis *vocem eſſe barbaram.* 1.16.68
Gratioſus, *malè pro* feſtivo, & eleganti. 1.31. 146
Gravio, *vel* Gravius, *judex.* 2.8.220
Gregorizare, *vigilare.* 4.9.718
Greſſibile, *gradium.* 3.13.459

Gretzerus culpatus; quòd etiam in doctos ac modestos acerbior fuit, quàm par erat. 2.2.176
Griseus, *color, cinereus.* 2.8.423
Grossè, *crassè ac vili veste.* 4.32.805
Grossescere, *crassum reddi.* 4.9.718
Grossibilis *non est Latinum.* 3.13.459
Grossitudo, *crassities, magnitudo.* ibid.
Grossus *corruptum pro* crassus. 1.13.58
Grummare, *cumulare.* 4.9.718
Grutillare, *somnum instar crotali edere.* ibid.
Gryphum, *vitiosè pro* Gryphus. 1.12.52
Gualdum, *nemus.* 2.8.423
Guardia, & Guardium, *vel* Wardia, *custo dia: unde* Guardianus. ibid.
Guasta, *vastatio, depopulatio.* 3.13.460
Guerra, *bellum.* 2.8.223
Gufum, & Gofum, *vestis vilis, eaque villosa.* 2.8.224
Guilhelmo Cantero plus candoris optatum. 1.8.36
Guillardus, *vel* galliardus, *hilaris, agilis.* 2.8.216
Guiphare, *vel* Guifare, *signum apponere.* 2.20.319
Gulositas, *gula intemperantia.* 3.13.460
Gumba, *idem quod* Cumba. 3.7.19
Gurdus, *insulsus, insipidus.* 2.8.424
Guntsanones, *vox fortassè ex corrupta Acuini lectione nata.* 2.8.224
Gurges *quid.* 2.24.353
Gurmi, *genus potionis, Græcè* κῦρμι *dictum* 1.4.20
Gurpire, *jacere.* 2.23.350
Guttare, *stillare.* 4.9.718
Gutteria, *guttoris vitium.* 3.13.460
Gutturnositas, *vitium guttoris.* ibid.
Gutturosus, *vel* Gutturnosus, *qui guttoris vitio laborat.* 3.13.461
Guva, *cucurbita,* ibid.
Gvvadium, *pignus.* 2.20.329

H.

HAbenare, *habenis regere.* 4.10.718
Habentia, *opes, divitiæ.* 3.14.463
Habilitatio, *quo quis ad aliquid habilis fit.* ibid.
Hadrianus Iunius malè mantile, & mappam *confudit.* 1.30.129
Hadrianus Iunius in Alodiorum *etymo deceptus,* 1.2.117
Hæreditare *non esse Tullianum, pro* hæreditatem adire, 1.23.98. & 4.10.718
Haga, *septum,* 2.9.226
Halsberga, *vel* Halsperga, *colli armatura.* 2.9.226. *unde confictum,*
Hallux, *allex.* 3.1.367
Hamallus, *ad judicium vocatus.* 2.9.228. & 2.12.249. *hinc* Hamallare, *vocare in jus.* ibid.
Hamare, *affectare.* 4.1.676
Hambergellus, Habergellus, *vel* Haubergellus, *lorica hamis conserta.* 2.9.228
Hannibal cur vocetur luscus dux. 1.33.147
Hapsis *utrùm, an* absis, *dicendum.* 2.2.179
Haribannum. 2.9.229
Harnascha, *thorax, ferreus,* 2.9.228
Harniscara, Harmiscara, Hascara, & Harmscara, *thorax ferreus.* 2.9.228
Harpa, *instrumentum musicum à lyra veterum enatum.* 2.9.229, & 2.23.338
Harpare, *harpâ canere.* 2.23.351
Hastiludiare, *hastâ velitari,* 4.10.719
Have *unde derivetur.* 1.10.42
Haven *Germanica vox, pro* cælo. 1.3.16
Hebdomada, *pro* Hebdomas, *adversus H. Stephanum defenditur.* 1.33.153
Hebdomadarius, *ad quem vices devenere totâ coquendi hebdomadâ in monasterio,* 3.14.463
Hecataus Abderita, Alexandri σύγχρονος. 1.4.198
Helias *improbatur pro* Elias. 2.1.168
Hellanici Κτίσεις. 1.4.20
H. Stephano Βόμβυκα & τροχὸς, turbinem, & trochum, *malè idemputari.* 1.26.110
Helmum, *galea,* 1.1.4
Helmus, *galea.* 2.9.229
Heptaticus, *libri quinque Mosis, Iudicum liber, item Iosua.* 3.14.463
Hera, *eadem ac Hybla.* 1.23.98
Heraldus, *fecialis.* 2.9.229
Herbidare, *herbam producere.* 4.10.719
Herebannum, *vel* Heribannum. 2.9.229. & 2.22.347

Here-

Heremia, *solitudo.* 3.14.463
Herestrata, *via publica.* 2.9.230
Heribannum, *vide* Herebannum.
Heribergium, *diversorium publicum.* 2.9.230
Heristallus, *locus, ubi castra metantur.* *ibid.*
Hermanni ἔτυμον. 2.9.229
Herminium, *vestis è pelle mustela Alpina.* 2.9.231
Hérotochius, *dux exercitûs.* *ibid*
Herpeta, *herpes.* 3.14.464
Hervius, *portûs nomen.* 2.9.229
Hesychius Illustris, *non* Illustrius. 3.6.416
Heva *cur dicamus pro* Eva, *non est caussa sat gravis.* 1.10.42
Heuses. 2.9.233
Ἑξάμιτον. 2.17.283
Hiatio, *hiatus.* 3.14.464
Hida, *vel* Hyda, *casa cum agello alendæ uni familiæ sufficiente.* 2.9.232
Hieronymi *loco corrupto Grammatici decepti in* sotularis *voce.* 1.8.37
Hierusalem *pro* Jerusalem. 2.1.168
Hilarius, *Cucestrensis Episcopus, ob barbarismum risu exceptus.* 1.24.102
Hiopa, *hirtus.* 3.14.466
Hirtius *rectum, non* Hircius. 2.1.168
Hispanus *gladius Romanis tributus etiam ante tempora Annibalica.* 1.7.31
Historialiter, *secundum historiam.* 4.32 805
Historiare, *historiam condere.* 4.10.719
Historiographus, *historicus.* 3.14.464
Hiusare, *signum rei venalis apponere.* 2.23.352
Hoba, *villa, aut prædium.* 2.9.232
Holoverum, *purpureus.* 3.1.373
Holovitreum, *vas ex mero vitro.* 3.14.464
Homagium, *clientela.* *ibid.*
Homicidia, *non vitâ, sed pecuniâ æstimabantur apud Germanos veteres.* 2.20.236
Hominatus, & **Hominiscum**, *pro genere clientelæ.* 3.14.365
Hominium, *clientela genus.* *ibid.*
Homophagia, *esus crudorum olerum.* *ibid.*
Honorificare, *ad honorem evehere.* 4.10.719
Horæ, *pro precibus horariis.* 1.32.143
Hortamentum, *adhortatio.* 3.14.465
Hortare, *hortari* 4.10.719
Hortesius, *pro* Hortensius, *rejectum.* 1.20.83
Hortulanus, *olitor.* 3.14.466
Hosa, *vel* Hossa, *caliga.* 2.9.233. & 2.18.318
Hospes, *malè pro* caupone. 1.27.119
Hospitale, *malè pro* Xenodochio. 1.33.147
Hostagium, & **Ostagium**, *obsidis conditio.* 3.14.466
Hostitare, *hostiam cædere.* 4.10.719
Hranne, *vel* Rhanne, *colostrum.* 2.9.233
Humerale, *vestis caput humerosque tegens* 3.14.466
Humidare, *humidum reddere.* 4.10.719
Humiliare, *pro* dimittere se, *rejectum*, 1.23.99 4.10.719.
Humilificare, *pro* demittere se, *Tertulliani est* *ibid.*
Humilitas *est vitium, non virtus.* 1.31.136
Hundredum *quid significet.* 2.9.233
Hurditius, *vel* hurditium, *crates, quas obducunt urbium muris.* 2.9.234
Hustinus, *suprema curia.* *ibid.*
Huz, *pro* foras. *vox Ebræa.* 2.27.360
Hyopa, *vid.* Hiopa.
Hymnista, *mulier canens hymnum.* 3.14.466
qui facit hymnos. 4.10.691
Hymnizare, *hymnum canere.* 4.10.719
Hyopa, *pro* Hirto. 3.14.466
Hypocisma, *hypocystis* 3.14.467
Hypocaustum. 2.17.299
Hustingus, hustingia, *vel* hustingum, *suprema alicujus diœcesios curia.* 2.9.234

I.

Iacentiva, *humi strata.* 3.15.448
Iacobi Usserij, Armacani Archiepiscopi, laus 1.10.45
Jactivus, *vel* jectivus, *foro dejectus.* *ibid.*
Jactuosus *improbatum pro* jactabundus. *Item* jactuosè, *pro* jactanter. 1.17.73
Jaculi, & sagittæ *discrimen.* 1.30.131
Jamdudum, & **Jampridem**, *majus signant spatium, quàm* dudum, & pridem. 1.35.164
Jamundlingus, *qui se, suaque, aliena commissa potestati.* 2.10.235. & 2.12.258
Janctari, *jactare.* 4.11.721

Janta-

Jantaculare, *idem.* ibid.
Iani Parrhasii lectio in Claudiano rejecta. 1.23.100
Janizarus, *vox Turcica* janitorem *notans.* 2.10.235
Jassefutum, *navigii genus.* 2.4.195.
Icona, *imago.* 3.15.468
Identias, ταυτότης. ibid.
Idolatrare, *idola colere.* 4.11.721
Idoneare, *insontem comprobare.* ibid.
Idoneitas, *vel* aptitudo, *id per quod aliquis est idoneus, vel aptus.* 3.15.468
Jectigare, *motu tremulo agitare.* 4.11.721
Jectiscere, *foro dejicere, ut vadimonii desertorem* ibid
Jenizarus, *janitor.* 2.10.235
Ἰησοῦλοι. 1.6.26
Jesaias *melius quam Esaias.* 2.1.168
Ignire, *accendere.* 4.11.721
Ignobiliter, *ignobili more.* 4.33.806
Ignominiosè, *cum infamiâ.* ibid.
Ignoranter, *inscienter.* ibid.
Ignorus, *ignotus.* 3.15.469
Ilia *quare sic vocentur.* 1.11.48
Iliaca passio, *malè pro* ileo. 1.11.48
Ilaldiones, *ministri regii.* 2.10.236
Illecebrare, *illicere.* 4.11.721
Illegitimus, *legi repugnans.* 3.15.469
Illiberis *sine liberis.* ibid.
Illibertare, *libertatem adimere.* 4.11.722
Illicentiatus, *cui quid illicitum, non datâ prius licentiâ.* 3.15.469
Illuster, *illustris.* ibid.
IM *terminatio subjunctivorum tempore præsenti.*
Imbladare, *seminare.* 2.3.186. & 2.24.352
Imbonitas, *improbitas.* 3.15.460
Imbricare, *imbricibus tegere.* 4.11.722
Imbrigare, *liti involvere.* 2.24.353
Imbulus, *porticus ad inambulandum.* 3.15.469.
Imitas, *ima pars.* ibid.
Immaculatus, *incorruptus.* 3.15.470
Immatriculatio, *nominis in indiculo inscriptio.* 2.10.236
Immantare, *inaugurare.* 4.11.722
Immediatus, *proximus.* 3.15.470
Immingo, *obsoletum.* 1.22.94
Immoriger, *non obediens* 3.15.470
Immurare, *muris includere.* 4.11.722
Impalare, *in palum impingere.* ibid.
Impejotare, *corrumpere.* ibid.
Imperdibile, *quod amitti nequit.* 3.15.470
Imperfectè, *opere imperfecto.* 4.33.806
Imperialiter, *Cæsareo, vel Regio more* 4.33.806
Imperpetuum *pro* In perpetuum. 4.33.806
Impetuositas, *impetus.* 3.15.470
Implacitare, *in jus vocare.* 4.11.722
Implagare, *plagis implicare.* 4.11.723
Implanare, *decipere.* ibid.
Importantia, *momentum rei.* 3.15.470
Imposturare, *imponere fallere.* 4.11.723
Impotus, *alteri insertus arbori.* 2.10.236
Imprecatio, *exsecratio.* 3.15.470
Imprisius, alicujus partibus auctoratus. 2.10.263
Imprisonare, *in carcerem mittere.* 2.15.269
Imprisonatus, *conjectus in carcerem.* 2.10.236
Imprægnare, *verbum decu'patum.* 1.23.101
Imprælentiarum, *in præsentia: unde corruptum videatur.* 1.25.108. & 4.33.806
Impretiabile, *omne pretium excedens.* 3.15.470
Imprisii, *alteri precio auctorati.* 2.10.236
Improperium, *convitium, seu maledictum.* 3.15.470
Improsperare, *infeliciter cedere.* 4.11.723
Impuber, *impubes, vel impubis.* 3.15.470
Impudoratus, *impudens.* 3.15.470
Impudoratè, *impudenter.* 4.33.806
Imputribilis, *non obnoxius putredini.* 3.15.471
Inadvertentia, *error ex eo, quòd quis parum attenderet, quid diceret, aut faceret.* 3.16.471
Inadibilis, *inaccessus.* ibid.
Inanimare *pro* Animare. 4.11.723
Inanimate, *in anima.* ibid.
Inantea, *deinceps.* 4.33.807
Inaudientia, *inobedientia.* 3.16.472.
Inaustrare, *corruptum ex* illustrare. 4.11.723
Inauxiliari, *auxilio carere.* 4.11.723
Inbeneficiare, *beneficium conferre.* ibid.

Inbreviare, *in actapublica referre.* *ibid.*
Incapitare. 4.11.724
Incarcerare, *in carcerem compingere.* *ibid.*
Incardinare, *dignitate aliquâ Ecclesiasticâ augere.* 4.3 688. & 4.11.724
Incastellare, *castello munire.* 4.11.724
Incautela, *negligentia in cavendo sibi.* 3.16.472
Incendiosum, *causticum, corrodens.* 3.16.472
Incertitudo *barbarum, & quomodo pro eo dicendum.* 1.16.68
Incharaxare; *scripturam adulterare.* 4.3.690
Inchartare, *Chartæ committere.* 4.11.725
Incibare, *pro* Cibare. 4.11.725
Incidentaliter, *obiter.* 1.25.107. 4.16.472. 4.33 808
Inclamatus, *jussu judicis publico edicto citatus.* 3.16.473
Inclaustrum, *monasterii ambitus.* *ibid.*
Incolatus, *habitatio in quapiam civitate.* *ibid.*
Incomitiare, *litigare in foro.* 4.11.727
Incomma, *militaria statura mensura.* 3.16.473
Inconcare, *ingurgitare.* 2.24.353
Inconsideratio, *inconsiderantia.* 3.16.473
Inconsolabiliter, *nulla admittendo solatia.* 4.33.808
Incopriare, *pro* fædare. 4 11.725
Incorporatus, *qui adsumsit corpus humanum.* 3.16.473
Incorrigibilis, *cujus corrigendi spes nulla superest.* *ibid.*
Incortinare. 4.11.725
Incrementare, *pro incrementum dare.* 4.11.725
Incrocare, *incurvare.* 2.24.353
Incurabilis, *insanabilis.* 3.16 473
Indebitare, *gravare debitis.* 4.5.699
Ierusalem *rectiùs scribitur, quàm* Hierusalem. 2 1.168.
Inarimes *vox imprudenter ficta à Marone.* 1.9.39.40
Inceffabiliter, incessanter, *indefinenter.* 4.33.808
Incisa *pro* verficulis, *ut vocant.* 1.26.114
Inculpare, *culpa arguere.* 4.11.725
Indebitè *immeritò.* 4.33.808
Indeptari, *adipisci.* 4.11.725
Indetribile, *quod non deteritur.* 3.16.474
Indevotio, *neglectus divini cultus.* *ibid.*
Indevotus, *sacri cultus negligens.* *ibid.*
Indigestio *cruditas.* 3.16.474
Indigitare *malè sumi pro* nominare: *unde ea vox sit, & quid* Indigitamenta. 1.24.156
Indilatè, *continuò.* 4.33 808
Indisciplinatus, & indisciplinosus, *non componens morem secundum legem vivendi.* 3.9.428 & 3.16.474
Indisciplinatè, *adversus disciplinam.* 4.33.808
Inditor, *à quo nomen inditur.* 3.16.477
Indocibilis, *indocilis.* 3.16.474
Indolentia ἀνάλγησία. 3 10.431
Indominicatum, *à domino prædio sibi reservatum.* 3.16.475
Indubium, *non dubitandum.* *ibid.*
Induciare, *facere inducias.* 4.11.726
Inductorium, *quod inducitur vel illinitur.* 3.16.475
Indulcorare, *edulcare.* 4.11.726
Indulgëtia, *pro* venia papali. 1.32.138. & 143
Indusiare, *induere.* 4.11.726.
Indusiatus, *indusiô amictu numeri ecclesiastico initiatus.* 3.16.475
Ineloquens, *minimè facundus.* 3.16.475
Inenodabiliter, *de eo, cujus nodus dissolvi nequit.* 4.33.808
Inervare, *enervare.* 4.11.726
Infacetus *pravè pro* Inficetus. 1.13.58
Infantilis *malè pronunciatur cum acuta in secunda.* 1.13.58
Infederabiliter, *nullâ fœderis spe.* 4.33.809
Infelicare *pro* infelicitare, *librariorum culpa adscribendum.* 1.22.94
Infelicitate, *vide infelicare.*
Inferendale, *tributum quod infertur.* 3.16.475
Infernus *malè, pro* inferis. 1.33.144.
Infertor, *qui epulas infert.* 3.16.475.
Infestucare, *investire.* 4.7.709
Infideliter, *malâ fide.* 4.33.809
Infiduciare, *pignori dare.* 4.11.726
Infinities, *infinitè.* 4.33.809
Infirmarius, *medicus.* 3.16.475
Infirmarium, *vel* Infirmaria, *is monasterii locus, ubi ægris medicinæ fiunt.* *ibid.*
Infirmiter, *infirmè.* 4.33.809

Infiscare *fisco addicere.* 4.11.726
Inflativus, *inflationem habens.* 3.16.476
Inflativus, *inflationem habens.* 3.16.476
Inflorare, *admiscere, quæ florum instar exornent.* 4.11.726
Influctuare, *in aliquo fluctuare.* 4.6.727
Influxus, *vis de cœlo influens.* 3.16.477
Inforare, *in foro litigare.* 4.11.727
Infortiare, *munire.* ibid.
Infortificare, *munire.* ibid.
Infœderabile, *quod sine bona pace semper erit.* 3.16.477
Infrangibile, *firmum, solidumque.* ibid.
Infrascribere, *subscribere.* 4.11.727
Infrigidare, *refrigerare.* 4.11.727
Infrontatè, *perfrictâ fronte.* 4.33.809
Infurcare, *suspendere.* 4.11.727
Infusidarium, *cibus liquidus.* 3.16.477
Ingenuile mansum, *villa, quam dominus, censu sibi retento, honestioribus conditionibus colono concessit.* ibid.
Ingiramus, suppositititarum Antiquitatum Hetruscarum editor. 1.27.118.
Ingluvies, & Inluvies, *vulgò confunduntur.* 1.31.136. *Etymon vocabuli utriusque.* ibid.
Ingraminare, *gramen producere.* 4.11.727
Ingranare, *grana in horreum reponere.* 4.11.727
Ingratitudinis, *vocabulum esse barbarū.* 11.6.68
Ingrossare, *crassescere.* 4.11.727
Ingrusia, *ficus veneno infecta.* 3.16.477
Ingurgitatio, *haustus, non sensim, sed universè.* 3.16.478
Inhabilitare, *inhabilem pronunciare.* 4.11.727
Inhonorare, *inhonestare.* 4.11.728
Inhospitaliter, *inhospitalium more.* 4.33.809
Inhumanicare, *inhumanè facere.* 4.11.728
Injuriare, *injuriam inferre.* 4.11.728
Injustitium, *quando Iurisdictio viget.* 3.16.478
Inlagare, *exlegem restituere patrocinio legis.* 4.11.728
Inludium. 3.6.405
Innobilitatus, *non factus nobilis.* 3.16.478
In mundo esse, *quid Plauto dicatur.* 2.6.274
Innodatus, *vinctus.* 3.6.478
Innox, *innocens.* ibid.
Inobedientia, *non obedientis culpa.* ibid.
Inoppidatus, *nullum habens oppidum.* ibid.
Inordinatio, *ordinis permutatio.* ibid.
Inordinaliter, inordinatè, *incompositè.* 4.33.809
Inormis, *pro* enormis. 4.11.726
Inquam, *rejectum pro*, illud volui dicere. 1.34.157
Insalutatus, *non salutatus.* 3.16.478
In sanè benè, *durè sociari à Lipsio.* 1.35.162
Insellare, *pro equum ornare* 4.11.728
Insensatus, *sensu destitutus.* 3.16.478. 3.48.622
Insensitivus, *sensu carens, vel destitutus.* 3.16.479
Insensibilitas, *stupor.* ibid.
Insignare, *signare.* 4.11.728
Insigniis, *pro* Insignibus, *barbarum est* 1.20.84
Insignium, *insigne.* 3.16.479
Insolare, *Soli exponere, ut siccetur.* 4.25.777
Insolitè, *insolenter.* 4.33.810
Installare, *stationem assignare.* 4.11.728
Installare, *in alterius locum inaugurare.* 2.24. 253. & 4.11.728
Installatio *quid notet.* 2.10.236
Instinctus, ui, um *improbatum.* 1.21.90
Instipare, *constipare, atque ingerere* 4.11.728
Institoris, *ac* magistri, *discrimen.* 1.30.128
Insufficienter, *nimis parcè.* 4.33.810
Insufflare, *flatu indere.* 4.11.728
Intarta, *adversarius; unde*
Intartizare, *adversus supremam potestatem insurgere.* 4.11.728
Integraliter, *integrè, plenè.* 4.33.810
Intellectualiter, *ratione intellectus.* 4.33.810
Intelligibile, *quod cadit sub intelligentiam.* 3.16.479
Intemporaliter, *circa temporis mensuram.* 4.33.810
Intercapedinare, *intercedere.* 4.11.729
Intercapedilitis, *vox nihili.* 3.16.479.
Intercharaxare, *aliquid inserere.* 4.3.690
Interdius, *sub diurnus.* 3.16.479
Interessendus, *interfuturus.* 4.30.796
Interfeminium, *natura muliebris.* 1.15.63
Interlocutoria, *interlocutio.* 3.6.479
Interludium, *ludus, jocusque intermistus.* ibid

Internectare, *occidere.* 4.11.729
Internicies, *pro* internecio. 3.16.480
Internus *non dici, licet rectum sit* externus. 3.16.479
Interprendere, Interprindere, *intermedio tempore pendere.* 4.11.729
Interprisa, *insultus militaris in castra.* 2.10.237
Interscapulum, Interscapilium, *locus interscapulas.* 3.47.613
Interſignium, *quo quid intermoscas.* 3.16.480
Intertexere, *intexere.* 4.11.729
Intertiari, *apud aliquem deponi.* 4.11.729
Intertiata *apud sequestrum depoſita.* 3.16.480
Interula, *subucula,* *ibid.*
Intimare, *in intima insinuare, indicium facere.* 4.11.729
Intimior, *amicior, vel familiarior.* 3.16.481
Intitulare, *titulo ornare, inscribere.* 1.23.99. & 4.11.730. & 4.28.785
Intoxicare, *dare venenum.* 4.11.730
Intramuraneus, *intra muros constitutus.* 3.16.481
Intransgreſſibilis, *quem transgredi non liceat* *ibid.*
Intrinſecus, *barbarum pro* internus. 1.18.77
Intro, *pro* intus, *& contrà, videri jam Lucilii aetate dictum ab imperitis.* 1.35.164
Intronizare, *vel* intronizare, ἐνθρονίζειν, 4.11.730
Invadiare, *vadio supponere.* 4.11.731
Invaneſcere, *vaneſcere.* *ibid.*
Invectare, *portare.* *ibid.*
Invectivaliter, *acriter invehendo.* 4.33.810
Inventarium, *bonorum index.* 3.16.481
Inverecundia, *impudentia.* *ibid.*
Inveſtimentum, *barb. pro* veſtimentum. 1.19.78
Inveſtire, *probum.* *ibid.*
Inveſtitura, *confirmatio infeudi.* 3.16.481
Invinius, *abſtemius.* 3.16.48
Inviolabiliter, *inviolatè.* 4.33.810
Inviolandus, *ſacroſanctus.* 3.16.482
Inviſibile, *non adſpectabile.* *ibid.*
Invitatorium, certus monaſterii locus. *ibid.*
Invvadiare, *vvadio ſupponere.* 4.11.731
Isach. Camerarii patronimum. 1.18.75
Ioannes Sambucus culpatus. 3.26.113
Ioannes Murmelius defenſus. 1.7.34.
Ioannes Ninivita, ſeu Diſpauterius, caſtigatur. 1.6.26
Ioannes Aurati ſententia de indigitādi. 1.34.156
Jobagio, *agricola.* 2.10.237
Jocalia, monilia, aliaque id genus preciosa, luxui inſervientia. 3.17.483
Jocaliter, *jocosè.* 4.33.810
Jocare, *jocari.* 4.11.731
Joculari, *jocari.* *ibid.*
Jociſta, & Joculator, *cui ſtudium alios jocis oblectare.* *ibid.*
Jochus, & Juchus, *jugerum.* 3.17.484
Jod *unitio rejectum in* Eſaiam, & Ezechielem. 2.1.168
Jorde *pro ſimplici, unde ſit.* 2.8.225. *in margine*
Ioſephus Scaliger quercinus *non refugit, pro* quercicus, *vel* quernus: *ſed ſine veterum exemplo.* 1.17.72
Joſum, *vel* Juſum, *deorſum,* 2.27.361
Ioviani Pontani in peponi *vocabulo error.* 1.22.54
Jovinianum *Caſarem malè dici pro* Joviano. 1.9.39
Irratiōabiliter, *more rationis expertiū* 4.33.810
Irreconciliabilis, *inexpiabilis.* 3.17.484
Irregularitas, *commiſſum contra regulam vivendi.* 3.17.484
Irremediabiliter, *ſic, ut mederi nequeas.* 4.33.810
Irremiſſibilis, *cui nunquam condonabitur.* 3.17.484
Irremiſſibiliter, *nullâ ſpe venia.* 4.33.810
Irreparabiliter, *irreparabili jacturâ.* 4.33.811
Irrevocabiliter, *irrevocabili conditione.* *ibid*
Irriſorium, *quod ad irridendum fit.* 3.17.484
Irritare, *ſecundâ brevi, barbarum.* 1.23.100.
Secundâ longâ unde factum. *ibid.*
Irrotulare, *inſcribere in rotulam.* 4.11.732
Iſicii ἴτυμον. 1.7.35
Iſidori genuina lectio indicata. 1.3.15
Iſidori de Scalæ *vocabulo opinio rejecta.* 1.1.4
Iſidori locus multifariam emendatus. 3.13.461

Ifficius, *salmo.* 2.21.340
Ita *non est adverbium affirmantis quippiam.* 1.35.160
Itaque *variat significatu pro diverso accentu.* 2.1.172
Itinerale, *itineri inserviens.* 3.17.484
Itinerare, itinerari, *iter facere.* 4.11.432
Iubagio, *agricola.* 2.10.237
Iucundor, *oblector.* 4.11.732
Judicator *pro Judice.* 3.17.484
Iugum *quid Astrologis notet.* 2.2.179
Iulianus, patricius Constantinopolitanus. 1.25.170
Iulii Cæsaris genus. 1.27.117
Iunioratus, *dignitas quædam Ecclesiastica* 3.17.484
Jurejurandis, *pro* jusjurandis, *repudiatur.* 1.21.87
Juridicina, *juris dictio* 3.17.484
Jurista, *jurisperitus.* ibid.
Jussorium, *jussum.* ibid.
Justitiare, *judicare.* 4.11.732
Justitiariatus, & justitiaria, *munus ac dignitas judicis.* ibid.
Justitiarius, *judex.* 3.17.484
Iustus Lipsius an Latinè dicat, insanè bene. 1.35.162
Iustus Lipsius in syllabarum modulis negligentior. 2.1.173
Juvarunt, *pro* juverunt, *non proba moneta videtur.* 1.24.102
Juventare, *juvenum more agere.* 4.11.732
Juxta, *pro* secundùm, *vulgi pravâ consuetudine dicitur.* 1.35.165

K.

K *In Græcè conversi.* 2.10.238
Kaij. *pro Cancellis.* 3.18.486
Kaneo, *vel* Kanejo, *salicetum.* 2.10.237
Καυκλεῖον. 2.4.193
Kanne *Belgicum unde sit.* 1.30.129
Καπήλιον *unde ἔτυμον.* 1.27.119
Κάπηλον *unde.* *ibid.*
Κάπλα, *alurus.* 2.4.193
Καῦκα, *patera.* 2.4.194
Καυκάλιον. Κάυκιον. *ibid.*
Κάζιοθαι, & ξυρεῖσθαι, *distinguuntur,* 1.32.143
Kentvvicum, *emporium Belgicum, unde dictum.* 2.20.337
Κεφάλαιον *quid veteres in Scripturis vocarint.* 1.26.114
Kilianus lapsus, cum tribucetum, & bibliam petrariam, *pro eodem habet.* 2.18.315
Klocca, *campana.* 2.10.237
Κλυσὴρ *aliud ac* βάλανος. 1.18.75
Κλώζειν, *gallinarum.* 2.10.238
Κόρμαι. 1.4.20
Κρότωνες. 1.8.37
Κυνορέξαι. 1.8.37

L.

LAbarum, *vel* Laborum, *vexillum militare.* 3.18.486
Laberii versus numeris redditi, 2.8.224
Labilis memoria, *debilis, infirma.* 3. 18.487
Labina, *inferius labrum.* ibid.
Laboratio, *labor.* ibid.
Laboragium, & Laboratio, *labor.* 3.18.487
Labratum, *à labris; ut* osculum *labore,* ibid.
Lacebra, *pro* illecebra, *nisi corruptum ex* latebra. ibid.
Lacernus, *pro* lacerna. 3.3.393
Lacessire, *lacessere.* 4.12.733
Lachrymabiliter, *cum lacrymis.* 4.34.811
Lactarii *qui sint.* 1.16.69
Lactena, & Laja, *color albus, lucis sive splendoris expers.* 3.18.487
Lacticinium, *male dici pro opere lactario.* 1.16.69. & 3.18.488
Lactineus, *lactei coloris.* ibid.
Lactoro, *germinis genus lactei abundans succo.* ibid.
Lada, *purgatio criminis.* 2.11.239
Læcator, *leno, ac quandoque etiam gulosus.* 2.11.241. 3.18.488
Laërtius emendatus, 1.1.3
Lætatio, *lætitia.* 3.18.489

Laga, *lex : inde* Lagamannus, *qui lege non est intestabilis.* 2.11.239. Utlagus, *proscriptus.* 2. 19.325

Laicale, *quod laici est.* 3.18.489

Laicaliter, *more laicorum.* 4.34.811

Laiscus, *quercus.* 2.11.239

Laisus, *sinus.* *ibid.*

Laisovverpire, *in sinum jactare.* *ibid.* & 3.24. 354

Lambinus perperam collegit, ex eo quod Gracis Ὀρτήσιος *scribitur, Latinis etiam* Hortesius *dicendum.* 1.20.83

Lampada, *pro* lampas 1.33.153

Lampare, *pro* lucere. 1.23.96. & 4.12.733

Lampium, *pulpitum.* 3.18.489

Λαμπηδὼς *unde dicta.* 1.28.122

Lampsacus *melius scribitur, quàm* Lamsacus. 1.9.40

Lamurio, *claudus.* 2.11.239

Lanare, *lanâ vestiri.* 4.12.733

Lancea, *ab Hispanis est : cujus tamen usus etiam Germanis fuit.* 1.3.16

Lanceari, *lanceâ vulnerari.* 4.12.733

Lanceum, *longissimum teli genus.* 2.11.240

Lancia *nomen est diversarum urbium.* 1.3.16

Lancinare *idem ac* lacerare; *unde* lancinator, *carnifex.* 4.12.733

Landa, *terra, ditio : inde* Landgravius, 2.8.220. *item* Landboc. 2.11.240

Landea, *vel* Landia, *fossa genus in regione palustri.* 2.11.240

Landevva, *unde compositum sit.* 2.6.203

Landica, *natura muliebris.* 2.11.240

Langus, *scortator, vel cinadus.* 3.18.489

Lanio, *lanius.* 3.18.490

Lanterna, *qui scribunt, errant ab* ἐντύμῳ. 2.1. 171

Lapidicina, *pro* Lapicidina, *& unde.* 1.13.56

Lapsanum, *olus agreste.* 3.14.465

Larda, *in plurativo, pro* pernis. 3.57.672

Larderarius, *penoris praefectus.* 3.18.490

Lascia, *quidpiam in opere lanario.* 2.11.240

Lascivitas, *lascivia.* 3.18.490

Lassatinus, *conductitius ad aliquem interimendum.* 2.11.240

Lassi, *qui &* Lazzi, *quibus conditio servilis.* *ibid.*

Lateraliter, *à latere.* 4.32.811

Laterna *sine N, adstruitur* ἐντύμῳ. 2.1.171

Laturarius, *tabellarius.* 3.18.490

Lavandula, *vel* Lavendula, *novum vocabulum unde sit.* *ibid.*

Lavasti, *& lavarunt, obsolevisse.* 1.24.102

Lavatorium, *pro* lavatrina. 3.18.490

Laudamentum, *arbitrium, judicium.* 3.18.491

Laudana, *ornamentum aureum, & argenteum, in templo pendens ante altare.* *ibid.*

Laudimium, *conventum, promissumque.* *ibid.*

Laudis, *testudo.* 2.11.241

Laudum, *sententia arbitri.* 3.18.491

Lavina, *lapsus.* *ibid.*

Launechilt, *certum genus comprobandi factam donationem.* 2.11.241

Λαυρεῶτοις, lauratis, *reddendum* labratis. 3.18. 492

Lauratum, *cerei vultus Imperatoris laureati.* *ibid.*

Laurentius Surius Carthusianus in quo sit non sat benè meritus de antiquitatis amantibus. 2.27. 361

Laurentius Valla usurpat id genus loquendi, quod damnat in aliis. 1.32.139

Laurentii Vallae de civis *vocabulo error.* 1.19. 80

Lausare, *laudare.* 4.12.733

Lautis, *vel* Laura, *testudo.* 2.11.241

Lautor, lotor, lutor, *qui lavat.* 3.18..492

Lautumia, *ex* λαοτομία. 1.13.56

Laxativum, *quod corporis meatus aperit.* 3.18. 492

Lazzi *iidem, ac* Lassi. 2.11.241

Lecator, Leccator, *gulosus.* 2.11.241

Lectionarium, *liber, qui legitur in Liturgia.* 3. 19.493

Lectorium, & Legium, *pluteus Ecclesiae.* *ibid.*

Lectualia, *ad cubile pertinentia.* *ibid.*

Ledo, & Ledona, *menstruum aestûs marini decrementum.* 2.11.241

Lega, *vide* Leuca.

Legalitas *à Legalis,* 3.19.493

Legaliter, *secundum legem.* 4.34.811
Legatia, *legatio,* 3.19.493
Legergeldum, *vel* Legervvita, *mulcta pro illegitimo concubitu persolvenda.* 2.11.242
Leirvvita, *mulcta genus,* *ibid.*
Leodes *pro populo.* 2.11.242
Leodicum *esse dicendum, pro* Leodium, *ostenditur.* 1.10.44 & 2.11.242
Lepra *male, pro* Elephantiasi. 1.32.138
Leripipium, *vide* Liripipium.
Letania, *vel* Litania, *preces Ecclesiæ supplices.* 3.19.494
Levativum, *quod levamentum præstat.* *ibid.*
Leuca, *vel* Leuga, *certa via mensura: ac vox unde.* 2.11.244.245. & 3.19.494
Leudes, 1. *populus.* 2. *cliens fiduciarius.* 2.11.242.
Leudis, *mulcta propter homicidium,* *ibid.*
Leudesamium, *servitium, ad quod vasallus obligatur.* 2.11.244
Leudum, *feudum,* *ibid.*
Leuga, *vide* Leuca.
Levidensa, *pannum vile.* 3.19.495
Levigabilitas, *morbi levamentum.* *ibid.*
Levitio, *vide* Levitonarium.
Leviton *quid, & unde dicatur.* *ibid.*
Levitonarium, *colobium sine manicis.* 3.19.495
Leuva *unde petitum.* 2.11.244
Libatorium, *locus, ubi libatur.* 3.20.496
Libellaris, *faculus libellos continens.* *ibid.*
Libellarius, *libellus continens actionem in reum,* *ibid.*
Libellaticus, *libello dato Christum abnegans.* *ibid.*
Libellenses, *libellis scribendis præfectus.* 3.20.497
Libertare, *libertate donare,* 4.12.734
Libertaticum, *vel* Libertinium, *quicquid libertus patrono tenetur dare.* 3.20.497
Licentiatè, *dare licentiam abeundi.* 4.12.734
Licere, *implicare, ut in laicio fit.* *ibid.*
Liceſſit, *pro* licuerit. 1.23.97
Liciatorium, *textorum jugum.* 3.20.497
Licini, *lucerna,* 3.5.398
Licitè, *honestè, justis de causis.* 4.34.811
Lida, *vel* Lita, *qua sponte se addixit servituti.* 2.11.244
Liddus, *vel* Lidus, *qui ingenuitatem suam pretio mancipavit.* 2.11.245
Lido, & Lidona, 2.11.241
Lidere, *allidere,* 4.12.734
Lidiscarti, *membri fissura.* 2.11.245
Lidvvagi, Lidwater. 2.11.246
Liga, *conspiratio plurium adversus quempiam,* 3.20.497
Ligia, *fidelitas, quam vasallus juras Domino.* *ibid.*
Ligantia, *obligatio.* 3.20.498
Ligatura, *obligatio.* 3.20.499
Ligiantia, *Principis cum Ligiis colligatio.* *ibid.*
Ligii, *Domino sic obligati, ut eum obstricti sint tueri adversus quemlibet.* 3.20.478
Lignamen, *lignorum strues.* 3.20.499
Ligures fallaces, & mendaces. 2.20.331
Linea, *male pro* versiculus. 1.26.113
Lineariter, *ad lineam.* 4.34.811
Linguagium, *lingua ab aliorum populorum lingua diversa.* 3.20.499
Linguatus, *facundus,* *ibid.*
Liquiditas, *liquor.* *ibid.*
Liripipium, *epomis.* 2.11.246
Lista, *fimbria, margo,* 2.11.246. & 3.20.499
Lisura, *panni limbus.* *ibid.*
Literatim, *per literas,* 4.34.811
Litigor, *litigo,* 4.12.734
Litimonium. 2.11.245
Liturare, *lituram facere,* 4.12.734
Litus, *vel* Lito, *ingenuitatem suam precio mancipans.* 2.11.245
Liviana epitomes scriptor junior est, quàm multi arbitrantur. 1.25.110
Livorare, *lividum facere.* 4.12.734
Livorosum, *quod ex plagis, vel aliunde, livorem contraxit.* 3.20.500
Lixare, *in aqua coquere.* 4.12.735
Lixio, *qui aquam in exercitu partitur.* 3.20.500
Lobium, *cœnaculum.* 3.11.247
Locatitius, *alteri locatus à domino.* 3.21.500
Locularus, *loculo reconditus.* 3.21.500
Locutorium, *locus, quò se recipiunt conversa, ut inter se colloquantur.* *ibid.*
Logicare, *ratiocinari,* 4.12.735

Lom-

Lombarda, *eadem ac* bombarda, *& unde nomen* arcuibulio. 3.21.501
Londenſis *aliud, ac* Londinenſis. 2.1.169
Longare, *longius reddere.* 4.12.735
Longitas. 3.22.507
Longiturnus, & Longiturnitas, *longo durans tempore.* 3.21.501
Longobardi unde nuncupati. 2.17.284
Longobardia nomen tutò uſurpari. 1.7.29
Loquacitare, *loquacitate uti.* 4.12.735
Luca, *pratum; unde* Luczani. 2.11.247
Lucar, *pecunia, qua redibat è lucis.* 3.45.603
Lucernaris, *ad lucernam pertinens.* 3.21.502
Lucernarii *hora, quâ veſperi accenduntur lucerna.* ibid.
Lucernatus, *lucernam habens.* 3.21.501
Lucificare, *luce illuſtrare.* 4.12.735
Ludor, *qui diu in ludo verſatus gladiatorio.* 3.21.502
Ludovicus Carbo de albedinis *vocabulo improbatur.* 1.16.67
Ludicris *rejectum in recto: nec tutò ſatis* ludicer, *vel* ludicrus *dici.* 1.14.60
Lugubrium, *res lugubris.* 3.21.502
Lumbar, *vel* Lumbare, *cingulum.* 3.21.502
Lupax, *raptor.* 3.21.502
Luricarius, *qui loricas parat.* 3.21.502
Luricula, *quod lorica inſtar tutatur.* ibid.
Luſcus, *pro* ſtrabone. *vitiosè dicitur.* 1.33.147
Luxuries. & intemperantia, *malè confunduntur.* 1.31.136. Luxuries *unde dicta.* ibid.

M.

MAcaria, *genus tympani.* 3.22.503
Machærarius, *lanius.* 3.22.504
Maceſtratos *cur ſcripſerint Romani veteres, pro* Magiſtratus. 1.5.22
Mabor, *macies.* 3.22.504
Macrobius an indigitare, *pro* indicare, *uſurpet.* 1.34.156
Macrobio impropriè ſolſtitium brumale *dici, quod purè locutis* ἀπλῶς bruma, 1.31.135
Macrena, *porticus oblonga.* 3.22.404
Maculatura, *charta.* 3.22.504
Madiam *malè, pro* Madian. 1.10.44
Madius, *Majus.* 3.22.504
Mæcenas *ſcribendum, non* Mecænas 2.1.168
Maforium, & maſorte, *tegumentum muliebris capitis.* 3.22.504
Magalia, *Pœnorum vox.* 1.4.18
Magiſteria, *magiſtri apud Conſtantinopolitanos dignitas.* 3.21.505
Magiſtranus, *vel* Magiſterianus, *qui eam ſuſtinet dignitatem.* ibid.
Magiſtrare, *obire munus magiſtri.* 4.13.736
Magnalia, *magna, ac miranda.* 3.22.506
Magnanimiter, *magno animo.* 4.34.812
Magnitas, *magnitudo.* 3.21.505
Μαγνάνιον. 2.12.247
Magulus, *homo ſpurcus, qui capiti illudit.* ibid.
Major civitatis, *pro* prætore. 1.27.118
Major meus, *jecta noſtra princeps.* ibid.
Major monaſterii *qui dictus.* 1.6.16
Majoratus, *dignitas Majoris, præcipuè in Regno Franciæ.* 3.22.506
Majoriſſa, *cœnobii præfecta.* ibid.
Majuma, *feſtum Kalendarum Maji.* ibid.
Malandria, *morbus tuſſientis jumenti.* ibid.
Malaxare *pro mollire.* 4.13.736
Maldrum, *menſura quadam frumentaria.* 2.12.248
Maleſactor, *malè meritus.* 3.22.506
Malina, *menſtruum mariæ incrementum.* 2.11.248
Maliloquus, *maledicus.* 3.22.507. & 2.12.248
Malitas, *pravitas.* ibid.
Maltera, Maltra, Maldra, Malter. 2.12.248
Mallare, *in jus vocare.* 2.24.354
Mallus, *conventus: hinc* Mallobergium. 2.12.248
Mamburgus, Mamburmus, Mamburnus, *tutor: unde* Mamburnire, *tueri.* 2.12.256
Mammare, *mammam præbere.* 4.13.736
Mana, *mater.* 3.23.507
Mancare, *mutilare.* 4.11.736
Manciparii, *venalitii.* 3.23.507
Manclavium, *ſive* Maniclavium, *quaſi manualis clava.* ibid.
Mancuſa, *nummus, qui aliter* marca. 3.23.508

Manda-

Mandalia, *minuta portiones.* 2,12.248.& *seq.*
Mandalus, *passulus.* 3.23.508
Mandatarius, *qui mandata defert curia, ibid.*
Mandatela, *mandatum, ibid.*
Mandeburdis, Mandeburgium, *tutela.* 2.12.256
Mandrogerontes, *senes fabulorum ministerium subeuntes.* 3.23.508
Mandum, *vide* Mantus.
Maneria, *habitatio cum certâ agri portione.* 3.23.509
Maneries, *modus, sive via, ac ratio aliquid agendi. ibid.*
Manga, mango, mangonella, & mangatella, *machina muros diruens.* 2.12.249.& 3.23.509
Manganum, *vel* Mangana, *vel* Mangatella, *machina bellica genus simile catapultæ.* 3.23.510
Mangonellum, *vel* Mangonella, *vide* Manganum.
Maniaticus, *furiosus.* 3.23.511
Manicare, *manè exire.* 4.13.736
Manicatæ, *unde.* 3.6.406
Manipulus fœni, *particula summa alligatus, priscis Romanis erat pro signo militari.* 2.3.182
Mannibus, *pro* Mannis. 3.57.671
Mannire, *in jus vocare; unde* mannitus, mannita, mannina; *item* dismannire. 2.24.354. *ex* monere *corruptum.* 4.13.737
Manopera, *manuum opera: unde* Manoperarii. 3.3.389.23.511
Mansellum, *sacelli locus, ubi religiosi remanerent.* 3.23.511
Mansionile, *habitatio villici.* 3.23.513
Mansionarius, *villicus, quique gubernat possessiones alienas.* 3.23.511
Mansionaticum, *impensa in excipiendo clientè regio.* 3.23.512
Mansisterna, *vocabulum è vitiatis codd. natum, pro* nasisterna. 1.8.37
Mansuarius, *cui datus ager colendus, addito augurio ad inhabitandum.* 3.23.513
Mantea, *mantelum. ibid.*
Mantile, & mappa, *quantopere differant.* 1.30.129. *Prioris usus.* *ibid.*
Mantus, *vestis virginalis.* 3.23.514
Manubiare, *manubias facere.* 4.13.738
Manuleatæ, *unde.* 3.6.406
Manutenementum, *patrocinium.* 3.6.416
Manutus, *magnas manus habens.* 3.23.514
Mapalium *vox à Pœnis.* 1.4.18
Mappa *à Pœnis est; nec obstat, quòd ejus usus in circo demum Neronis temporibus esse cœperit,* 1.4.18. *Differt à* mantili. 1.30.129
Massale, *quod massam constituit.* 4.34.812
Massaliter, *in communi.* 4.34.812
Mar, mare, marach, *equus.* 2.12.251
Marahis, *equorum præfectus.* 2.12.253
Marca, *vel* Marcha, *mensura nummaria.* 2.12.249. *Item limes imperii: unde.* 2.12.250
Marchio, Marchisus, Marcgravius. 2.12.249. *seq. Murelli Donati, & aliorum lapsus de* Cericolis, & Vercolis. 3.4.395
Marchandisa, *mercimonium.* 2.12.251
Marchio, *quid signet. ibid.*
Marchisii, *aliter* Marchiones. ibid.
Marcia *gens.* 2.1.168
Mareschalcus, & Mareschallus, *magister equitum.* 2.22.251.& 2.18.281
Mareschallia, *dignitas, seu munus mareschalli.* 2.12.252
Marestalla, *equile: hinc*
Maristallus, *equitum præfectus, ibid.*
Margellus, *vel* margellium, *limbus vestis purpureus.* 3.24.515
Marhais, *equorum præfectus. vide* Marrahis.
Marinarii, *qui funè vincti immerguntur mari, sed mox extrahuntur.* 3.24.515
Marinellus, *socius nauticus, ibid.*
Maritagium, *matrimonium. ibid.*
Marmorem, *pro* marmor. 3.57.672
Marmotinus, *aureus denarius.* 2.12.253
Marpahis, *sternens equum. ibid.*
Matritio, *dolor ac querela de damno accepto.* 3.24.516
Martialis vetus lectio defensa. 1.10.44
Martialis locus excussus. 1.20.83
Martiaticum, *stipendium militare.* 3.24.516

Martiobarbulus, *teli genus, puta plumbata.* ibid.

Martyriale, *quicquid ad martyrem pertinet.* 3.24.517

Martyrizare, *obire martyrio,* 4.13.738

Masca, *malefica, strix,* 2.12.253

Mascauda, *vel* Mascauta, *vas vinarium.* ibid.

Mastica, *quod ore mandimus.* 3.23.516

Masticare, *manducare,* 4.13.738

Mastruca *à Sardis est.* 1.3.17

Masturbare *unde.* 1.30.130

Mater, *seu* materis, *teli genus à Gallis, & conjectura de ejus vocabuli origine.* 1.2.12

Materna lingua, *malè pro* vernacula. 1.33.148

Matricula, *nominum indiculus.* 3.24.517

Matricularii, & matricarii, *quorum nomina matriculæ inscripta.* ibid.

Matrimonialiter jungi, *matrimonio jungi.* 4.34.812

Matrimoniare, *in matrimonium ducere,* 4.13.738

Matrina, *noverca.* 3.24.519

Matronæum, *gynæceum.* ibid.

Matulatum, *vel* matellatum, *pro* matula, *vel* matella. 3.52.647

Matum, *vel* Madum, *madidum, sive humidum,* 3.24.519

Maturitas, *Dici Aurora.* 3.24.519

Mavorte, mavortis, masortis, mavorte, mavortium. 3.22.504

Maxima, *malè pro* regula, *&c.* 1.32.137

Maximitas, *magnitudo.* 3.24.520

Mechanicæ *artes, malè pro* sellulariis. 1.33.148

Medallia, *numismata, vetustatis gratiâ asservata.* 3.25.520

Mediare, *pro* intermedium esse, *barbarum est.* 1.18.76

Mediator *quomodo Latinè magis exprimatur.* 1.18.76

Medicinaliter, *manu medicâ,* 4.34.812

Medieter, *mediocriter.* ibid.

Medo, & Medus, *aqua mulsa.* 2.12.254

Megadomesticus, *fungens magni Domestici dignitate.* 3.25.520

Mela deceptus in voce Gaza, 1.5.23

Melamirum, *corruptè, pro* Melanuro. 1.8.37

Melampyrus, *pro* Melampyrum, *rejectum.* 1.12.53

Μελιτοφάγος. 1.14.59

Μελιτόφυλλον. ibid.

Melo, & Meles, *quid, & unde sit.* 3.25.520

Melodima, *canticum.* 3.25.521

Melseta *convenit vixis atrocibus.* 2.11.255

Membrare, *articulare.* 4.13.739

Memino, *à memini.* 4.30.794

Menantes, *qui famosos sparguntlibellos,* 3.25.521

Μέναυλα, *pro* lancea. 1.3.16.17

Meno *unde promânet.* 4.30.794

Mensa rotunda, & Torneamentum, *differunt.* 2.18.311

Mensale, *mensa.* 3.25.521

Mensurare, *metiri.* 4.13.739

Mensuratum, *quod quis dimensus,* 3.25.522

Mensurinus, *mensuruus.* ibid.

Mentaliter, *mentis cogitatione,* 4.34.813

Mercada, *mercatus.* 3.25.522

Mercandizare, *mercari.* 4.13.739

Merceria, *merx, mercimonium,* 3.25.522

Merchatus, *mercatus, nundinæ.* ibid.

Merciamentum, *vel* Amerciamentum, *levior mulctæ pecuniariæ, qua & misericordia.* ibid.

Merciatoria *navis, qua mercantium defert merces.* ibid.

Mercurius, *Germanis dictus* Irmen. 2.20.340

Meretricatio, *scortatio,* 3.25.523

Mergravius. 2.8.221

Mergula, *mergus,* 3.25.523

Meridies singulos, *rusticè dici, pro* quemlibet meridiem. 1.21.87

Meridionalis *malè, pro* Meridianus, *vel* Meridialis. 1.17.70

Mersor, *urinator,* 3.25.523

Merulentus, *pro Albistemio.* 3.25.523

Mervvorphin, *dejicere quempiam de equo.* 2.12.251

Mesopicatum, *mediâ sui parte oblitum pice,* 3.25.523

Messi-

Messivus, *messorius.* ibid.
Mesuagium, *domus.* ibid.
Metacismus, *crebra iteratio literæ M, eadem in versu, vel periodo.* 3.25.524
Metallus, *pro* Metallum. 3.3.393
Methium, *sponsalitia donatio.* 2.12.255
Metitus, *pro* Mensus, *reprehenditur.* 1.24.105
Metseptimus, *septimus ipse.* 3.25.524
Mœursius rectiùs esse idem turbinem, *&* trochum, *putavit.* 1.26.3
Μύστιξ quomodo Latinè possimus reddere. 1.27.115
Michaëlis *obliquus, pro* Michaëlidis. 3.57.672
Michalatus, *nummus, in quo effigies Angeli Michaëlis.* 3.26.524
Milito, *miles,* ibid.
Milleforme, *quod millenûm est generum, seu formarum,* ibid.
Milliarensis, *nummus argenteus,* ibid.
Milvius, *corruptum, pro* milvus, *vel* miluus. 1.13.55
Milvius, parasitus Horatii ævo. 1.14.60
Minabiliter, *minaciter.* 4.34.813
Minare, *facere cuniculos: unde* minitores. 2.12.246: *item propellere.* 4.13.739
Minera, *vena terræ metallica.* 2.12.255. *unde* Mineralia.
Minerval, *pro διδάκτρῳ malè sumitur.* 1.33.148
Mingo, *pro* mejo, *obsoletum.* 1.22.92. & 4.13.739
Ministerialis, *ministrator, vel ministratrix.* 3.26.524
Minuare, *minuere.* 4.13.739.
Minutæ, *malè pro* primis perscriptionibus 1.33.148
Minutare, *minuta diffindere.* 4.13.739
Miraculosus, *portentosus,* 3.26.525
Mirificentia, *admiratio,* ibid.
Misculare, *miscere,* 4.13.739
Misericorditer, *secundùm misericordiam.* 4.34.813
Misfacere, *malefacere,* 2.24.355
Μισόδουλος *qui vocatur Gretis,* 2.11.237
Misprisere, *improbare,* 2.24.355
Missarium, *quod mittitur victori scenico.* 3.26.526
Missaticum, *regio tractusque, cui præerat missus à principe.* ibid.
Missorium, *quod à principe aliis dono mittitur,* ibid.
Mithridatis *nomen unde.* 1.10.43
Mititas, *lenitas, lenitudo.* 3.26.527
Mitratus, *sacerdotali ornatus infulâ.* ibid.
Mitrella, *mitella,* ibid.
Modela, *modius.* 3.27.528
Modernus *barbarum, pro eo,* qui nostro vivat tempore. 1.18.76. & 3.27.528
Modicè, *pro* parum, *rejectum.* 1.35.162
Modificare, *modum constituere.* 4.13.740
Modicum *malè sumitur pro* exiguo: *uti &* modicè *pro* parum. 1.33.148
Mœchor, *non* mæchor. 1.22.91
Mœnium, *mœnia.* 3.27.528
Mœro, Mœstifico, *mœrorem adfero.* 4.13.740
Moginellus, *mangana minoris molis.* 3.27.529
Molendinarium, *molendinum,* 3.27.530
Molendinarius, *molitor.* ibid.
Molendinum, *domus, ubi molitur,* 3.27.529
Molestare, *molestiam adferre,* 4.13.740
Molinus, *mola,* 3.27.530
Mollificare, *mollire.* 4.13.740
Molluscа *nux unde sic dicta.* 1.17.72
Molossus, *canis pecuarius,* 3.28.534
Momentaliter, *momento.* 4.34.813
Momentaneus, *momento temporis durans.* 3.27.530
Momentare, *expendere.* 4.13.740
Monachare, *monachum facere.* 4.13.740
Monachilis, *monachicus,* 3.27.530
Monachiliter, *monachi more.* 4.34.813
Monetalis, *monetarius,* 3.27.531
Monetarius, *qui monetam cudit.* 3.27.530. & 3.27.531
Monetatio, *cusio monetalis,* ibid.
Moneti, *vel* monetati, *nummi signati.* ibid.

Monialis *unde corruptum*, 1.6.26.2.3.185.27.531
Monocosmum, *vehiculi genus*. 3.27.531
Monoculare, *oculorum altero privare*, 4.13.740
Monoculus, *luscus, vox hybrida*, 1.19.79. & 3.27.532
Monogramma, *vocabulum continuo literarum ductu scriptum*. 3.27.532
Monstruosus *vitiosè, pro* monstrosus. 1.13.56. & 3.27.532
Montuosus *corruptè, pro* montosus. 1.13.56
Moralitas, *morum conditio*. 3.27.532
Moralizare, *moribus accomodare*. 4.13.740
Morantia, *mora*. 3.27.532
Morbificatus *pro aegrotus*. 1.27.532
Mordrum, *mors violenta*. Mordare, *occidere*. 2.12.255.247
Morgengeba, *vel* Morganagiba, *donatio propter nuptias, diversa à dote*. 2.12.256
Morosus, *benè moratus*. 3.27.532
Morsellus, *buccella*. *ibid.*
Morticinium, *mortale corpus*. *ibid.*
Mortificare, *morti addicere*. 4.13.745
Mortualia, *Mortuorum vigilia*. 3.26.527
Mos, *palus*. 2.12.257
Mosaicum, *pro* Musaicum, *quod &* Musivum; *unde* Musivarii. 1.11.48
Mosillus, *mos minutus*. 3.27.533
Motacilla *differt à* trochilo. 1.28.120
Movita, *motus*. 3.27.533
Muccatus, *nares*. 3.28.534
Muccinium, *linteolum, quo muccus excipitur*. *ibid.*
Muffula, *chirotheca hiberna, differt à* vvanto. 1.4. & 2.12.257
Mulcebris, *mulcens, sive oblandiens*. 3.28.534
Mulius *malè pro* mulio. 1.14.60
Mulsitanter, *leniter*. 4.34.813
Multicolorius, *multicolor*. 3.28.534
Multiforatilis, *multiforis*. *ibid.*
Multissimus, *plurimus*. *ibid.*
Multoties, *sapius*. 1.25.109. & 4.34.813
Mumia *quid notet; & unde nominetur*. 2.12.257
Mundialis, *mundanus*. 3.28.534
Mundialiter, *munditer*. 4.34.813
Mundium, *potestas tutelaris. Unde* Mundius, amund. mundialis, mundeburdis, mundeburdium, mundualdus. *&c.* 2.12.257
Munibilis, *vel* Monobeles, *machina bellica*. 3.28.535
Muranula, *torquis aurea*. *ibid.*
Muragium, *pecunia ad muros urbis instaurandos*. 3.28.536
Murator, *murorum structor*. *ibid.*
Murdrator, *homicida*. 2.12.256
Murdrum, *mors violenta*. Murdare, & mordridare, *occidere*. 2.12.255. *seq.*
Murilegus, *felis*. 3.28.536
Muriones, *moriones*. 3.28.536
Murmurosus, *murmur edere solitus*. 3.28.537
Murrare, *murmurare*. 4.13.741
Murtiplo, *flas cordis*. 2.12.259
Mus major *Latinis, qui vulgò* Rattus. 1.28.120
Muscidus, *mucidus*. 3.28.537
Musculæ, *conchæ margaritiferæ*. *ibid.*
Museum *scribi oportet, pro* Musæum. 2.1.170
Musilæum, *Mausoleum*. 3.28.537
Musio, Musius, *felis*. 2.12.259
Musivarii *vox variè corrupta in Iulio Firmico, & cod. Iustinian.* 1.11.48
Musivum *opus*. *ibid.*
Mussare *quid, & unde*. 4.34.813
Mussitanter, *susurrando*. 4.34.813
Mussula, *musculus*. 3.28.537
Mussum, *fermentum*. 2.12.259
Muta, *latibulum avium*. 2.12.259. *sumitur pro* tintinabulo.
Mutoninus, *ovillus*. *ibid.*
Mutuare *non pro* mutuò dare, *sed pro* mutuò sumere, *à veteribus accipiebatur*. 1.34.157
Mutuo & vicissim confunduntur. 1.55.163
Myagrus *malè pro* myiagrus. 1.11.47
Myxum, *ellychnium*. 3.28.537

N.

Nasè mutatur in L. 1.6.27
Nemultis vocabulis inserta. 2.3.182

Nanse S. à Græcis in Latinis vocabulis, mittitur.
Vnde Ὀρτήσι & ἀκκιτήσι. 1.20.83
Nanse S. vel Z. non admittitur à Græcis. 2.3.189
Nablizare, *nabliis canere.* 4.14.741
Nabuchodonosori *nomen unde.* 1.10.44
Nachus, *pannus ruber.* 3.29.538
Nadera, *natrix.* *ibid*
Nagare, *vacillare.* 4.14.741
Narbona, *pro* Narbon. 1.33.153
Nardificare, *odorem nardi referre.* 4.14.741
Nario, *subsannator.* 3.29.538
Narire, *naso suspendere.* 4.14.741
Narnia *urbs antè dicta* Nequinum *fuit.* 1.7.29
Nasiternæ Ἐτυμον. 1.8.37
Nastad, *juramentum per cor, sive vitam.* 2.13.260
Naturare, *creare, vel sequi naturam.* 4.14.742
Naufragare, naufragari. *navem frangere.* *ibid*
Naufragosus, *naufragus.* 3.19.539
Naufus, *vel* Naufo. *fandapila.* 2.13.260
Naviarchus, *gubernator.* 3.19.539
Navicella. 3.29.539
Navis longa *vulgò dicitur* Galéa, *atque ejus inventor Iason Argonauta.* 2.1.5
Navitare, Nautitare, *bona deportare in naves.* 4.14.724
Nebo, *numen Assyrium.* 1.10.43
Nebucadnezar *unde nominetur.* 1.10.44
Nebulare & Nebulari. 4.14.742
Nebulator, *nebulo.* 3.19.539
Necere, *negligere.* 4.14.742
Necessitare, *necessitatem imponere.* *ibid.*
Necessuosus, *pauper.* 3.29.539
Nectus *simplex non legi.* 1.24.104
Nedfratres, *sive* Nedfri, S. Johanesfeur. 2.13.260
Nedfyrs, *idem.* *ibid.*
Nemus, *nemo.* 3.29.539
Neotericus *novè dici.* 1.18.77
Nepos, *pro* fratris, *vel* sororis filio, *dici barbarè.* 1.27.116
Nepta, *neptis.* 3.29.539
Neptis, *pro* fratris, *vel* sororis filiâ, *non dici Latinè.* 1.27.116
Nequinum *postea* Narnia *dicebatur.* 1.7.29
Nervare, *vires nervis dare.* 4.14.742
Netorium, *fusus.* 3.29.539
Neufrasis, *capitis dolor.* 2.13.261
Neutralis, *neutrius partis studiosus.* 1.33.149
Neutralitas, *quâ animus à partium est studio alienus.* 3.29.539
Nibita, *aqua ex nivibus facta.* *ibid.*
Niceteria τῶν τρεχεδίπνων. 1.29.126
Nicolaus Lyra, ut vidit Ebraum ISCHA *malè vertit* viraginem; *ita à veteribus* vira *pro eo dictum, non vidit.* 1.27.116
Nicolaus Sudorius culpatus, quòd in eleganti carmine non refugerit vocem Concivis, *pro civis.* 1.19.79
Nigredo, *vox barbara: & quomodo pro eo dicendum.* 1.16.66
Nigromantia, *pro* Necromantia. 1.11.48
Nihilare, *redigere in nihilum.* 4.14.742
Nihileitas, *quâ quid nihili res habetur.* 3.29.539
Nimietas, *excessus.* *ibid.*
Nitedula *quid propriè.* 1.28.122
Nivarus, *splendidus.* 3.29.540
Niungeltum, *novemplex valor.* 2.14.264
Nixa, *prunus Damascena.* 3.29.540.
Nizolius perperam, ut Ciceronianum, agnoscit facetosus. 1.17.73
Noach, *vel* Noë, *non* Noachus, *dicendum.* 1.10.42
Noare, *nugari.* 2.24.355
Nobilis, *nummus aureus.* 3.12.449
Nocax, *vel potius* Noxax, *obnoxius crimini,* 3.29.541
Nocitus sum, *pro* læsus sum. 4.30.795
Nocticula, *(nisi potius* Noctilucа *scribendum) significat* Hecaten, *quæ eadem ac Luna.* 3.29.540
Nocturnale, *nocturnum.* 3.9.429
Nodfyrs, S. Joannis feur. 2.13.260.
Noffus, *capulus.* *ibid.*
Noluntas, *actus voluntatis, quâ quid nolumus, & aversamur.* 3.29.541
Non, *pro* ne, *jam Quintiliani ætate in usu cœpit esse; sed ab eo damnatum.* 1.35.161
Nonies, *pro* Novies. 1.25.107

Nonius Marcellus dejactuosi voce deceptus. 1.17.73
Nonii Marcelli lapsus de voce capitii. 1.29.124
Nonnanus & Nonnana *pro* Nonnus & Nonna. 2.13.262
Nonnus & Nonna, *voces Ægyptia: & quid propriè in denotetur.* 1.6.26. & 2.13.263
Norax, *peccator.* 3.29.541
Noſtrate, *pro noſtras, in Cæſare Scaligero improbatum.* 1.21.90
Notabiliter *pro valdè.* 4.34.814
Notnum fri, *violentia.* 2.13.263
Notoriè, *apertè.* 4.34.814
Notorietas, *notitia evidens.* 3.29.541
Novecuplum, *novuplum.* *ibid.*
Novercari, *novercalia agere.* 4.14.742
Novigildus, *novemplex multa.* 2.13.236. & 2.14.264
Noxa, & noxia, *malè confundi* 1.32.137. & 139
Noxare, *noxa dare.* 4.14.742
Nubor, *uxorem duco.* *ibid.*
Nullare, nullificare, *nullum facere.* 4.14.743
Nullatenus *rejectum, pro* neutiquam. 1.25.109. & 4.34.814
Nullibi improbatum, pro nuſquam. 4.34.814
Nullubi *num dicendum pro* nullibi. 1.25.109
Nulliter, *inutiliter.* 4.34.814
Nult, *non vult.* 4.30.793
Nuncium *in recto, perperam dici pro* re nuntiatâ. 1.14.60.61.62
Nuſca, *fibula.* 2.13.263

O.

O *In* U *convertere gaudebant Umbri.* 1.13.57
Obauditio, *obedientia.* 3.30.542
Obelare, *expungere.* 4.15.743
Oberos, *villa ruptura.* 2.14.264
Obeſare, *obeſum reddere.* 4.15.743
Objectio *non legitur apud claſſicos.* 1.34.158
Objectivum, *quod contra adverſarii ſententiam dicitur.* 3.30.542
Objicere *an dicatur pro* occurrere ſententiæ alienæ. 1.34.158
Obmallare, *in judicio reſpondere.* 2.25.356
Obnoxatio, *ſcriptum, quo quis ſe alteri obſtringit, præcipuè pater liberis.* 3.30.543
Obnoxiare, *obligare.* 4.15.743
Obs *in multis compoſitis locum habet pro* ob. 1.24.104
Obſcario, *carearis cuſtos.* 2.14.264
Obſoleta *non multùm præſtant barbaris.* 3.22.92
Obſoletare, *obſoletum reddere.* 4.15.743
Obſtaurare, *obſtaculo eſſe.* 4.15.744
Obſtendo *tandem abiit in* oſtendo, 1.24.104
Obtenebrare, *tenebras affundere.* 4.15.744
Obtenſum, *pro* obtentum, *rejicitur.* 1.24.104
Obtrudo, & obſtrudo, *differunt.* 1.24.104
Obviatio, *occurſus.* 3.30.543
Occaſionale, *datâ occaſione ſuſceptum.* *ibid.*
Occepſo, *occepero.* 1.23.97.
Octenus, *octonus.* 3.30.543
Octimber, *octobor.* *ibid.*
Octodecim *pro* Duodeviginti. 3.30.543
Octogild, *vel* octogilt, *octuplex multa.* 2.14.264
Octuaginta, octuageſimus, octuagenarius, *malè per* UA *pro* O. 1.13.56
Oculariter, *oculorum viſu.* 4.35.815
Oculare *pro viſum reſtituere.* 9.15.744
Oculus ferus, *pro* anagallidis *genere.* 1.28.122
Odibilis, *odio dignus.* 3.30.543
Odio, *odio habeo.* 4.15.744. & 4.30.793
Odoramentarius, *unguentarius.* 3.30.543
Offa, *vitioſum pro* Noſſa. 2.14.265
Offatim, *ad modum, qui alicui offam objicimus.* 4.35.815
Offertio, *oblatio.* 3.30.543
Offertorium, *quando in Miſſa ſit oblatio Dominici corporis.* *ibid.*
Officialis, *de officiis hominis tractans: item Miniſter Magiſtratûs.* 3.30.544
Officina *unde dicta: eſtque aliud à* taberna. 1.30.128
Officium, *quaſi* efficium. 1.28.75
Olea *gallicum quid ſit.* 4.14.265
Oleatum, *oleo litum.* 3.30.544
Olentia, *odor.* *ibid.*
Olica, *olivetum.* *ibid.*
Olitanus, *pro Antiquo.* 3.30.544
Omnipotentiſſimus. 1.21.91

Omophagia veterum Christianorum. 3.14.465
Omnimodus non dicendum 3.30.545
Onustatus, oneratus. 3.30.545
Operior, malè scribitur pro opperior. 1.22.91
Opinosissimus, corruptè pro opinosissimus. 1.13.54
Oporinus malè penultimâ correctâ efferri. 1.9.40
Oportuebat, pro oportebat, digno risu excipitur. 1.24.102
Oppilago unde dicatur. 3.7.420
Oppositio malè pro intercessione. 1.32.137
Opprobriare, exprobrare. 4.15.744
Opus, ὄπως, qui gignendi & vocandi casus formet. 1.20.82
Oramen, oratio. 3.30.545
Orarium, linteolum ad os detergendum. 3.30.545
Oratorium, locus orationis. 3.30.546
Orcistra pro Orgestra. 3.30.546
Ordaleum, purgatio per ferrum candens, vel aquam. 2.14.265
Ordinale, codex, in quo ordo Missæ. 3.30.546
Orditus, pro orsus vel barbarum est, vel obsoletum. 1.24.106
Organare, organizare, organo canere. 4.15.744
Orscardi, auris abscissio. 2.11.245
Osculo, osculor. 4.15.744
Ossamenta, ossa. 3.30.546
Ossare, ossa facere. 4.15.744
Ostendo unde conflatum. 2.1.172
Osterfalt, orientalis soli, seu maris sinus 2.14.265
Ostreum, & ostrea, differunt. 1.28.121
Ostfridi Monachi atas 1.2.9
Otiositas, otium. 3.30.547
Otus, & Otis, vulgo confunduntur. 1.28.120
Ovicare, ovi albumen admiscere. 4.15.744

P.

Π in B facilè mutatur. 2.3.189
P inter m, & t, expungendum, e. g. in emtio. sumtus, &c. 1.13.56
Paagium, transitus, via. 3.33.555
Pacificè, tranquillè. 4.35.815.
Pactare, pactiones facere. 4.16.745
Padua, pro Patavio, rejectum. 1.7.30
Παδύα, ex Παδύετα, unde & Paduæ. 1.7.30
Pædagium, malè, pro pædagogium. 1.11.47
Pagania, ritus paganici. 3.31.547
Paganicius, occultus. ibid.
Pagare, persolvere. 4.16.745
Pagellare, pagellarum more conjungere. ibid.
Pagenses, quicunque ejusdem sunt diœcesios, sive territorii. 3.31.547
Palabra Hispanis unde. 1.7.31
Palangare, palangis onus transvehere. 4.16.745
Palergia, parerga. 3.31.548
Palfredus, vel Palefredus, equi genus. 2.15.266. & 3.31.548
Pallicium, vallum à pallis. 3.31.549
Palliditas, pallor, ibid.
Pallingus vitiosè scriptum videtur apud Luitprandum. 2.15.266
Palma, pro buxo, ex usu vulgi. 1.28.122
Palmari, palmâ manûs percuti. 4.16.745
Palpo, palpator. 3.31.549
Pamæum, pameneum. ibid.
Pancerea, lorica hamis conserta. 2.15.266
Pandoxare, à caupone emere. 4.16.746
Pangitare, pangere. ibid.
Panifex, vel Panificus, pistor. 3.31.549
Papa, Germ. Pappe, Latinum est; unde Pappare. 1.7.24
Papaver unde dicatur. ibid.
Πάπας, & Πάππας, usi Latinis Pappas, & Papa. ibid.
Papiæ nomen unde. 1.7.35
Papillæ quare sic dictæ. 1.7.34
Παππάζειν, i. e. patrem appellare, differt à pappare. ibid.
Pappare, de pueris edentibus, 1.7.35. Aliud ab eo est παππάζειν.
Parabolare, loqui. 4.16.746
Paracellarius, qui reliquias Pontificalis mensæ largitur pauperibus. 3.32.550
Paracharactæ, qui nummos falsos cudunt. ibid.
Paracharagmus, falsa nummi imago. ibid.
Paracletus, scribendi, non paraclytus. 1.11.49
Parada, navis tegumentum ad arcendum æstum, ac frigus. 3.32.550

Paraſre-

Digitized by

Parasredus *differs à* dextrario. 3.8 425
Paragium, *paritatu observatio in bonorum successione.* 3.32.551 & 4.16.746
Paralogizare, *falso argumento decipere.* 4.16. 746
Paramentum, *hospitium.* 3.32.551
Parapallii *usus in theatro.* *ibid.*
Parasanga *vox Persica.* 1.5.24. *unde sit.* *ibid.*
Parasangara, & Paraschangarus, *quid sit.* 1.5.24
Παράσημον *in proraisni tutela in puppi.* 1.6.1
Parastitia, *postica fores.* 3.32.551
Parata *quomodo à* manfionatico *differat.* 3.23.512
Paratura, *additamenta, quibus vestis fit ornatior.* 3.32.551.
Parazonium, *zona gladius.* 2.16.274
Parcus, *septum* 2.15.267
Parentela, *cognatio.* 3.32.551
Parentivum, *quod tangit parentes, eorumve liberos.* 3.32.552
Pariare, & parificare, *parem, sive æqualem facere.* 4 16.746
Paribile, *cui paretur.* 3 32.552
Paricula, *epistola par, sive ejusdem exempli,* *ibid.*
Parida *vitiosè pro* Paridem. 1.21.86
Pariformiter, *similiter.* 4.35.815
Parisius, *pro* Parisiorum, Parisiis, *vel* Parisios. 3.57.673
Parlamentum, *curia suprema, unde dictum; uti & Gall.* Parler. 1.7.31. & 3.32.552
Parochi, *qui veteribus dicti sint.* 1.11.46
Parochia, & Parochium, Paræcia. 1.11.46 & 3.32.553
Partialis *barbarè, pro* cupido, *ac* partium studiis abrepro. 1.17.70
Partica, *corium, unde ortum.* 2.15.267.
Particularis, *singularis.* 3.32.553
Particulariter *barbarum videri.* 1.35.161
Particularizare, *particulatim referre.* 4.16.747
Particulatim, *pro* speciatim, *rejectum.* 1.35.161
Parvaredus, *paravaredus.* 3 32.553
Parvisium, *gymnasium parvulorum,* *ibid.*
Πάσχα pro πάσχα. 1.6.28
Pascha *unde dictum.* 1.6.28. *quotuplex, & cur Christiani diem Resurrectionis ita vocitarint,* *ibid.*
Pascuale, *ad pascua pertinens.* 3.33.554
Pascuarium, *census pro pascuis.* *ibid.*
Pasculum, *pascua.* *ibid.*
Pasnagium, *glandium pro Porcis pastico.* 3.33.554
Passagium, *iter, transitus.* 3.33.555. *item pro tempore verno navigationi idoneo.* *ibid.*
Passibilitas, *natura perpessioni subjecta.* *ibid.*
Passigium, *iter.* 3.33.555
Passionalia, & Sanctualia, *passiones Sanctorum.* 3.33.556
Passiones, *affectus.* *ibid.*
Passivitas, *quâ quid obtinet passim.* *ibid.*
Passivum, *passim obtinens.* *ibid.*
Pastellaticum, *quod datur ad obtinendam sacram dignitatem.* 3.33.556
Pastellus, *pastillus.* *ibid.*
Pastophorium, *locus templi, ubi à sacrificio comederent.* 3.33.557
Pastorium, *præsebo stabuli.* *ibid.*
Pasturagium, *pastus, sive pabulum,* *ibid.*
Pasuagium, *vide* Passagium.
Patibilis *qualitas, an pro* afficiente *rectè sumatur.* 1.33.150
Patres, *pro* Senatoribus, *solùm dici in plurativo* 1.15.63
Patricii *Romæ, alii majorum, alii minorum gentium,* 1.33.150. *Quidam iis de plebe, etsi non plebei.* *ibid.*
Patrinus, *offerens, susceptor.* 3.33 557
Patriota, *vel* compatriota *popularis.* 3.33.558
Patronatus, *patroni conditio.* 3.33.559
Patronymica *in* Des *non formantur à nominibus Latinis: vel saltem non habent locum in oratione solutâ.* 1.16.65
Pavefacere, *pavorem adferre.* 4.16.747
Paulli Diaconi lapsus de sermone prætextato. 1.33.151
Paullus Manutius refellitur de voce hebdomadę 1.33.153
Paullus Thebæus auctor Monasteriorum. 3.6.404

Pausa-

Pausana, *induciæ.* 3.33.559
Paxamatium, *panis minutus sex unciarum.* *ibid.*
Paxillare, *vineam pedare,* 4.16.747
Peccamen, *peccatum.* 3.34.560
Peccantia, *peccandi actus.* *ibid.*
Pecúium, *pro* pecuum, *malè scribitur.* 1.21.57
Pectinium, *linteum, in quod depectimus capitis sordes.* 3.34.560
Peculari, *peculatum facere,* 4.16.747
Peculium, *quâ mente à Gallis esse dicat Vlpianus, contra mentem recentiorum Iurisconsulti ostentum.* 12. 3
Pecuscula, *pecora minora.* 3.34.561
Pedagium, *quod exigitur pro transitu pedestri.* *ibid.*
Pedaticum. *ibid.*
V. Pedatura. Pedamentum. *ibid.*
Pedecura, *pedamentum.* *ibid.*
Pedellus, *apparitor.* 3.2.378
Pedibulum, *sonus pedum in itione vel cursu.* 3.34.561
Pedo, *pedes,* 3.34.562
Pelliceum, *vestis è pelle.* *ibid.*
Pendutus, *suspensus.* *ibid.*
Pedi, *pro* penoris, *vel* penus, *rejicitur.* 1.20.84
Penum *an dicendum sit in secunda declinatione* *ibid.*
Pensam, *pensum.* 3.14.562
Pensionarius, *Reipubl. à pensionibus.* *ibid.*
Penteris *corruptè, pro* pentaëteris. 1.11.47
Pepercitum, *pro* parcitum. 4.30.795
Peponus *improbatum, pro* pepon, *vel* pepo. 1.12.54
Percataprat, *valde rudet,* 4.16.748
Percatapsere, *valde divellere.* *ibid.*
Perculsit, *pro* perculit, *frustra defendi auctoritate Terentii,* 1.24.103
Percussura, *percussio.* 3.34.563
Perdonatio, *condonatio.* *ibid.*
Perdorare, *condonare.* 4.16.147
Peregrina vocabula à Romanis donata civitate. 1.2 8
Peregrinare, *peregrinari.* 4.16.748
Peregrinorum canones secundùm quos recipi vel rejici debeant. 1.7.29
Perendinare, *die uno vel altero, vel diutius apud aliquem divertere.* 4.16.748
Perfectionaliter, *perfectè.* 4.25.815
Perficetus *corruptè, pro* perfacetus. 1.13.58
Pergamum, *vel* Pergamus, *Phrygiæ majoris civitas, pravè sumitur pro* Pergamis, *arce, vel urbe, Trojanâ.* 1.30 127
Perigeum *Ptolemæo, quod vulgò* oppositum augis, 2.2.179
Perla, *vide* perula.
Permingo *obsoletum, nec usurpandum.* 1.22.93
Pernicialiter, *perniciosè.* 4.35 815
Perpendiculariter, *ad perpendiculum* 4.3.816
Perpetualiter. *perpetuò.* *ibid.*
Perruqua, *galericulus.* 11.15 267
Persicamala *unde nomen habeant,* 1.17.72
Persii locus expensus. 1.22.95
Persona, *pro* individuo rationali. 1.32 137
Personarum acceptio, *vitium non facientis discrimen personarum.* 1 32.137. & 141
Personaliter, *per sese.* 4.35.816
Personatus, *dignitates quædam Ecclesiasticæ.* 3.34.563
Pertinentiæ, *res aliquò pertinentes.* *ibid.*
Perverum. *ibid.* Pessimitas. *ibid.*
Perula, *margarita.* 2.15.268
Perulus, *unio seu margarita.* *ibid.*
Pestifferus, *pestifer.* 3.14.563
Petaminarii, *qui funes se per aëra jaculantur, ib.*
Petasus *non est calceamenti genus; sed id, quod vulgò dicitur* Pileus. 1.29.115
Petibile, *quod honestè petas.* 3.34.563
Petoritum, *sive* petorritum, *vehiculi genus, à Græco fonte arcessitum.* 1, 2.13
Petraria, *machina bellica,* 3.34.564
Peuce *confusa cum* laringe. 1.28.122
Pexivi, *pro* pexi, *vel* pexui, *barbarè.* 1.24.103
Phacolis, *perna.* 3.34.564
Phalanx, *vox Macedon.* 1.5 24
Phalaris *Kiranida* fulica. 1.28.121
Phaleramentum, *ornamentum.* 3.14.564
Φωῶ & πάσχω, *differunt quandoque.* 1.6.28
Φίλαυτοι *quid significet* LXX *interpretibus,* 2.13.263
Philosophaster, *minutus philosopho* 3 34.564
Phlebotomare, *venam incidere.* 4.16.748
Phlegmaticus, *pituitâ abundans.* 3.34.564
Phrisum, *Phrygium.* *ibid.*
Physiognomus, *physiognomon.* *ibid.*

Pica *novè, pro* malacia gravidarum. 1.12. 137 & 138
Pictantia, *lautius ferculū*, 2.15.259.3.30. 565
Pilare, *pilâ ludere*. 4.16.748
Pilarium, *columna*. 3.35.565
Pileus *quid fuerit Romanis*; *& unde confectus*. 1.29.125
Pillula, *catapotium*. 3.35.565
Pinca, *fubula*. 2.15.268
Pinnaculum *rejectum, pro* pinna. 1.16.69
πίσος *Græcis, pro* zytho, *seu cervisia*. 1.4.21
Pensinochium, *pistrinum*. 3.35.566
Piraticum, *potus ex piris expressus*. *ibid.*
Piria, *potus è piris. Vnde &* piratium. 1.4.21
Piftrillum *perperam, pro* piftrilla. 1.14.58
Pitaciolus, *schedula, litera*. 3.35.566
Pitantia, *ferculum in monasteriis, pietatis ergo solitum deferri*. 3.35.565
Pitaucia, *vel* Pitancia, *ciborum delicia*. 2.15.268
Pittacium *quid notet; & unde dicatur*. 1.33.148
Placibile, *quod placuum*. 3.35.566
Placitare, *litigare*. 4.16.748
Placitum, *locus, ubi causas agunt*. 3.35.566
Placor, *tranquillitas mentis*. 3.35.566
Plagare, *percutere*. 4.16.749
Plagiare, *plagium committere*. *ibid.*
Planciades *unde natum*. 1.16.65
Plancta, *casula*. 3.35.567
Plaria, *planaria*. 3.35.568
Plasmare, *idoneâ fingere corporis constitutione*. 4.16.750
Platearii, *qui exigunt tributum plateis impositum*. 3.35.567
Plateaticum *tributum, quod platearum ratione exigitur*. *ibid.*
Platoniæ, *lamina alicui operi inserta instar emblematis*. *ibid.*
Plausibiliter, *cum applausu* 4.35.816
Plautus an nepotem *dixerit pro* fratris filio. 1. 27. 11^a. *item* ridiculosus. 1.17.22.
emsim *pro emerim*. 1.26.96
Plebanus, *qui Sacramenta administrat in Ecclesiâ cathedrali*. 1.17.70. & 35.568
Plebeius. & de plebe, *male vulgò conjunguntur*. 1.33.150
Plebescere, *vulgo innotescere*. 4.16.750
Plecta, *plexa*. 3.35.568
Plegius, *vas, sive fidejussor*. Plegium, *vadimonium, quod etiam* Plegagium, & Plegiagium. 2.25.356
Pleuresis, *pleuritis*. 3.35.568
Ploamrati *unde compositum*. 2.15.268
Ploum, *aratrum birotæ*. *ibid.*
Plumacium, *opus, ad plumarum modum, acupictum* 3.35.568
Pluries *pro* sæpius, *rejectum*. 1.25.107
Pluslaib, *ictus, qui vulnus facit, vel livorem*. 2.15.269
Pluvicinare, *sapepluere*. 4.16.750
Pœnare, *pœnâ afficere*. 4.17.751
Pœnitendum, *cujus pœnitudine duci convenias*. 3.36.196
Pœnitenter, *pœnitendo modo*. 4.35.816
Pœnitet *barbarè, pro* pœnitentiam agit. 1.34.158
Pœnitetur, *pœnitudo subit*. 4.20.793
Poëtare, *confingere* 4.17.751
Poëtis *in recto improbatiū, pro* poëtria. 1.12.50
Poire, *facere*. 4.17.751
Poledrus, *pullus equinus*. 3. 11. 420. & 3.36.569
Polimire, *induere polymito*. 4.17.751
Polipticum, *polyptychium*. 3.36.570
Polisis, *structura*. *ibid.*
Pollincco, *pro* pollingo, *improbatur*. 1 22 94
Pollitriduare, *pollinario cribro incernere*. 4.17.751
Pollux emendatus. 1.2.12
Polycandelus, *in quo multæ candelæ*. 3.36.570
Pomatium, & piratium, *potûs genera*. 1.4.21
Pompa, *festus*. 3.36.570
Pompaliter, pompabiliter, *quomodo fieri in pompis solet*. 4.35.816
Pompare, *ornare*. 4.17.751
Pompeie, *pro* Pompei, *vocandi casu, rejectum*. 1.21.86
Pompolentus, *pompa ac festis plenus*. 3.36.570
Pompositas, *ostentatio pompa similis*. *ibid.*
Ponderositas, *gravitas*. *ibid.*
Pondo *unde*. 2 11.47
Pontare, *pontem facere*. 4.17.751
Pontaticum, *quod pro transitu pontis persolvitur*. 3.36.571
Pontificare, *pontificem esse*. 4.17.751

Populosus, *populo abundans.* 3.36.571
Porcaritius, *porcorum custos.* *ibid.*
Porcaster, *porcorum imitator, vel etiam porcus.* *ibid.*
Portanea *testa portatilis* 3.36.571
Portarium, *quod per portam eunti persolvendum.* *ibid.*
Portarius, *janitor.* 3.36.571
Portunarius, *cui portorium persolvitur.* *ibid.*
Positale, *positivum.* *ibid.*
Posseteus *pro quantum* potero. 4.35.816
Possibilitas, *vis.* 3.36.572
Possidui, *pro* possedi. 4.30.794
Postæ, *vectigalia.* 3.35.572
Postella, *pars posterior sellæ.* 3.36.571
Postena, *tergum.* *ibid.*
Posticiarii, *qui fuerint.* 3.3.393
Posticium, *posterior monasterii pars.* 3.36.573
Postilla, *commentarius, vel annotationes* *ibid.*
Postillare, *explicare* 4.17.752
Postergare, *à tergo relinquere.* *ibid.*
Potare *improbatum, pro* potum præbere. 1.34.159.
Potentare, *potentiâ suâ opprimere.* 4.17.752
Potentatus, *potestas, dominatio.* 3.36.573
Potentiâ esse, *Legistarum vulgaris locutio; pro quo antiquiores,* virtute esse, *vel* esse posse, 1.31.133
Potentialiter, *de eo, quod esse potest.* 4.35.816
Potestaria, *vicaria potestas.* 3.36.574
Potionare, *aliud, quàm* potare. 1.34.159
Potus ex hordeo quàm variis gentibus fuerit in usu, diversæque ejus appellationes. 1.4.19.20 21
Potus *malè de* potione, *seu* pharmaco 1.32.137. & 138
Practicare, *usu esse receptum* 4.7.752
Practicus bonus *pro* gnaro usûs forensis 1.33.151
Præconiare, præconare, præconizare, *annunciare.* 4.17.752
Præconizari, *præconis voce in jus vocari.* *ibid.*
Præbaltheatus *cinctus, ac munitus* 3.37.574
Præbendam, *pro* præbenda. *ibid.*
Præbendari. 4.7.752
Præbendaria, *domus, ubi degunt qui præbendis fruuntur.* *ibid.*
Præbendarius, *qui percipit præbenda,* 3.37. 575
Præceptalis, *dans mandata.* *ibid.*
Præcipitaria, *machina bellica, quibus muros everterent.* *ibid.*
Præcluis, *clarus, sive illustris.* *ibid.*
Præconiare, *prædicere* 4.17.752
Præcordialiter, *ex intimo sensu.* 4.35.816.
Prædarius *corruptum ex* prædendarius. 3.37.575
Præfectiani, *apparitores præfecti Urbis.* *ibid.*
Prægnans *ex quibus compositum.* 1.23.101
Prægnum, *prægnans.* 3.37.576
Præinstitutus, *qui ab alio prius instituitur.* *ibid.*
Prælatus malè, *pro* Antistite. 1.33.144
Præmiare, *præmium dare.* 4.17.752
Præmonitorium, *quo quis alium præmonet.* 3.37.576
Prænosticare. *præsentire.* 4.17.752
Præodorari, *odorari* *ibid.*
Præparamentum, *præparatio.* 3.37.576
Præpositatus, & præpositura, *dignitas Ecclesiastica.* *ibid.*
Præposterare, *præposterè agere.* 4.17.753
Præputiare, *circumcidere.* *ibid.*
Præputii ἐτυμον. 2.11.240
Præsagare, *præsagire.* 4.17.753
Præsens Subjunctivus antiquitus etiam exiit in Im. 1.22.99
Præsentales, *duces, qui aliter* Præsentes: *sive milites, qui subsunt Præsenti.* 3.37.577
Præsentare, *offerre.* 1.23.100
Præsentialiter, *in præsenti.* 4.35.817
Πρεσβυτερος, & πρεσβυτάλιος. 3.37.577
Præsidalis, *Præsidis vicefungens.* *ibid.*
Præsidatus, *præsidis potestas.* *ibid.*
Præsidens, *pro* præside. 1.33.151
Præsidentia. 3.37.577
Præstaria, & precaria, *quomodo differant.* *ibid.*
Præstatio. 3.17.578
Præstolor, *mediam corripit.* 1.22.92
Præstus, *paratus.* 3.37.578
Præsulare, *præsulem esse.* 4.17.753
Præsumere sibi, *rejectum pro* arrogare. 1.34.159
Præsumtuosus, *arrogans.* 3.37.578

Prætaxari, *aliè memorari.* 4.17.753
Prætensum, *pro* prætentum *improbatur.* 1.24.104
Prætentura, *propugnaculum.* 3.37.578
Prætextatus sermo *malè accipitur, pro* honesto, castoque 1.33.11
Prætitulare, *titulo ornare.* 4.28.785
Pransus sum *rejectum, pro* prandi. 1.34.159
Pravare, *corrumpere.* 4.17.753
Pravicordius, *vel* pravicors, *homo animi mali, pravique.* 3.37.578
Precatoria, *vel* precaturia, *precaria.* 3.38.579
Presbyterari, *presbyterum esse.* 4.17.753
Primicerius, *qui in dignitate variis tributâ primum tenet locum.* 3.38.579
Primiscriniarius, *primus è scriniorum præfectis.* *ibid.*
Primitiare, *exordiri.* 4.17.753
Primivirgius, *primus virgatorum.* 3.38.580
Primò, secundò, tertiò, *pro* primò, deinde, præterea, *malè usurpari.* 1.35.163
Primordialis, *ad primordia pertinēs.* 3.38.580
Primordialiter, *in primordiis.* 4.35.817
Principaliter, *imprimis.* 1.25.107
Principari, *principatum tenere.* 4.17.754
Principiare, *creare.* 4.17.755
Principiari, *in principiis doctrinæ cujuspiam institui.* 4.17.754
Prindere, *pro* prendere, *sic* prisum, *pro* prensum, *unde* prisona. 2.15.269
Prioralia, *ad Priorem monasterii pertinentia.* 3.38.580
Prioratus, *cœnobiarchæ dignitas.* *ibid.*
Priorissa, *præfecta sacrarum virginū.* 3.38.591
Prioritas, *quâ quid prius est.* *ibid.*
Prisere, *prensare, vi occupare.* 2.25.156. & 4.17.754
Prisona, *carcer.* 4.17.758
Inde Prisones, *vel* prisiones, *captivi.* 2.15.269
Prisonerius, *collusionis alterum in carcerem.* 2.15.269
Privatè, *improbatum, pro* privatim. 1.25.106
Privativus, *privans.* 3.38.591
Privilegiare, *privilegium dare.* 1.23.109 & 4.17.755
Privilegiatus, *perperam pro* privilegiarius. 3.17.718
Probamentum, *probatio.* 3.38.581
Procamiare, *commutare.* 1.686. & 4.17.755
Proceritus, *corruptè ex codd. vitiosis.* 1.8.37
Proceriter, *procerius.* 4.35.817
Processio, *longus procedentium in supplicatione ordo.* 1.18.581
Processionaliter, *in morem sacrorum processuum.* 4.35.817
Processivè, *quasi gradibus quibusdam.* *ibid.*
Processus criminalis *barbarus.* 1.32.137
Procolpus, *ictus.* 2.15.270
Procuratia, *pecunia, quam exigit procurator suâ curâ* *procurator Ecclesiæ.* 3.38.581
Prodigaliter, *prodigè.* 4.35.817
Proditionaliter, proditoriè, *proditorum more.* *ibid. & seq.*
Proficuè, *utiliter.* 4.35.818
Proficui, *profui.* 4.17.755
Proficuum, *utile.* 3.38.581
Prograxe, *indicâsse.* 2.10.238
Prohastium, *suburbium.* 3.38.582
Prolificare, *prolem gignere.* 4.17.755
Prolificus, *pro* fœcundus, *ignotum veteribus.* 2.19.79
Prolitare, *à lito.* 4.17.755
Promercale, *pro* venale, 1.33.158
Prominare, *propellere.* 4.15.719
Promtanimitas, *vel* promtitudo, *animi alacritas in exequendo.* 3.38.582
Pronosticare, *prædicere.* 4.17.755
Propalare, *divulgare.* 4.17.755
Pro paucis diebus *commodare, perperam, pro* in *vel* ad paucos dies. 1.35.165
Prophetissa, *qua rectius* prophetis *vocatur.* 1.12.50
Propina, *oblatio gratuita.* 2.15.270
Proportionaliter, *procujusq; ejibus.* 4.35.818
Propos, *præpotens.* 3.38.582
Propria hominum nomina à Deo vero, falsove numine, imposita. 2.10.45
Propriare, *proprium facere.* 4.17.755
Propriorum ἰδιοσυγκρισία pro linguis, ac dialectis, variat. 1.10.41
Proprindere, *prius invadere aliquid* 4.17.756
Proprisæ *res, quas involavit aliquis.* *ibid.*
Proprisere, *invadere* *ibid.*
Prorsus *unde veniat.* 1.25.107
Prorsum *rejectum, pro* prorsus, 1.35.164

Prosarius, *prosâ exaratus.* 3.30.582
Prosodia sapiuscule à vulgo neglecta. 1.22.91
Prosonomos quis 3.11.546
Prosper, antiquitatum Hethruscarum auctor suppositicius. 1.7.29
Protectio, *defensio, ac tutela.* 3.38.583
Protoparens, *primus parens.* *ibid.*
Protonotarius, *primus notariorum.* *ibid.*
Protoscriniarius *primus exprafectis scriniorum.* 3.38.582
Protosecretarius *primus à secretis.* 3.38.583
Protospatharius, *princeps spathariorum, sive satellitum, qui principis spatham, sive ensem, gestabat.* 3.38.583. & 50.631
Protostrator, *primus stratorum.* 3.38.883
Provisio. 3.3.883
Prugire, *in Venerem prurire.* 4.7.756
Psallentium, *cantus* 3.9.584
Pseudoforis. Pseudoforum, *falsa foris.* *ib.*
Pseudoliquidum, *media inter siccum & liquidum, natura* *ibid.*
Pseudomagister, *falsa imbuens doctrina.* *ibid.*
Ψαφισμός. 1.18.75
Pubida, *vel* pubita, *pubor.* 3.39.584
Pulepruft, *vulnus ex ictu.* 2.15.270
Puleslach *tumor ex ictu.* *ibid.*
Pulveraticum, pulveratica, *donativus genus.* 3.9.584
Pulverizare, *in pulverem redigere.* 4.17.756
Pulvis *in Genitivo, pro* pulveris, *improbatur.* 1.21.86
Punctare, & punctuare, *punctis distinguere* 4.17.756
Puritas, *munditia.* 3.30.585
Purprisum, *vi occupatum.* 4.17.755
Purus, *pro* merus, *non dicuntur purè.* 1.33.151
Pusillanimiter, *animo timido, fractoque.* 4.35.818
Pusillanimus, *qui mentis humilis, & abjecta.* 3.39.585
Putaina *Italis unde.* 2.11.240
Pyritegium, *tempus ignis cinericibus contegendi.* 3.39.585
Pythonissa *unde dicatur.* 2.6.26

Q. *Eadem litera, ac* C. 2.16.271
Quadragesimale. 3.40.586
Quadrangulare, *quadrangulum reddere.* 4.18.757
Quadrigare, *vehi quadrigis.* *ibid.*
Quadripartior, quadripertior, *divido in partes quatuor.* *ibid.*
Quadrivium, *quatuor disciplina Mathematica.* 2.26.112
Quæpia, *quapiam.* 3.40.586
Quæstionarii, *quæstores.* *ibid.*
Quæstionari, *quæstiones adferre.* 4.18.757
Qualis *liber malè, pro* quis *liber.* 1.33.151
Quantitas syllabarum neglecta in Græcis. 1.11.49. *In Latinis.* 1.11.58
Quantitativè, *secundum magnitud* 4.35.818
Quantocius, *quàm primùm.* *ibid.*
Quarelli, *vel* Quærelli, *majores sagittæ.* 2.16.271
Quarentena, *libertas vidua* XL *diebus remanendi in ædibus mariti post ejus excessum.* 3.1.387. & 3.40.586
Quartari, *deligere quartum quodque, vel dispescere in quatuor partes.* 4.18.757
Quarterium, *mensura frumentaria quadrans.* 3.40.587
Quaternare, *quaterna jungere.* 4.18.757
Quartenarius, *laborans febri quartanâ* 3.40.587
Quaternatum *feudum.* *ibid.*
Quaternio, *numerus* IV *militum.* *ibid.*
Quaternizare, *dividere in quatuor partes.* 4.18.757
Quercinus *improbatur pro* quernus, *vel* querneus, *vel* quercicus. 1.17.72
Querelare, querelari, *querelas effundere.*
Quereloſus, & queruloſus, *querulus.* 3.40.588
Querimoniari, *conqueri.* 4.18.758.
Querola, *avis genus.* 3.40.588
Querquetulanæ viræ *unde dictæ.* 1.27.216
Quietantia, *vel* Quitantia, *apocha.* 3.40.588
Quinctiliani locus, præeunte Calderino, correctus. 1.4.35
Quinquagesimus decimus, *sexagesimus.* 3.40.589
Quinternio, *quinque foliis consertum.* *ibid.*
Quinternizare, *canere certo instrumento musico.* 4.18.758
Quinternum, *fortasse* [illegible]*cellaria, ut vocant, locus.* 3.40.589
Quiris, *pro* R[illegible]*anus, in recto non invenitur.* 1.15.68

Quitare, *fateri sibi à debitore satisfactū.* 4.18.758
Quodlibetum, *de quo in utramque partem disputatur.* 3.40.589
Quoniam, & Quia, *pro* quòd *usurpatur falsò.* 1.35.165
Quota, *pro* parte. *barbarum est.* 1.3.151

R.

R. *Levi fatuè satis credidit Evam etiam fuisse matrem τῶν ἁπάντων.* 1.10.42
Rabidicimba, *cymba velox.* 3.41.590
Rabiola, *quadam ciborum delicia.* 2.16.271
Rabulare, *garrire instar rabularum forensium.* 4.19.759
Rachanæ, rachanellæ, *vestis à panno crasso, ac vili.* 3.41.590
Racimburgi, *vel* Rachimburgi, *judices, Comiti adjudicandum adsidentes.* 2.16.271 *ac ibidem in margine:*
Radere *differt à* tondere. 1.32.143
Radificare, *radices agere.* 4.19.759
Ragus *unde.* 2.16.275
Rancere, *rancidum esse.* 4.15.719
Rapinari, *rapere.* *ibid.*
Rapportare, *referre.* *ibid.*
Rarere, *rarescere.* *ibid.*
Rasare, *radere.* 4.19.760
Rasta, *certa itineris mensura.* 2.16.272
Ratem *pro* navi *dicere, fas est poëtæ; in prosa non item.* 1.30.131
Rationabiliter, *probabili ratione.* 4.35.818
Ratificare, *ratum facere.* 4.19.759
Ratificatio, *ratihabitio.* 3.41.590
Ratihabitio, *quâ quid ratum habetur.* *ibid.*
Rattus *malè statuitur* mus araneus, glis, *aut* sorex. 1.28.120
Rauba, *vel* Raupa, *vestis.* 2.16.272
Raubare, *prædari, rapere: ac unde origo.* 2.1.6 & 2.25.356
Ravit, *vecordiæ laborat.* 4.19.760
Rauseus, *fœnisecius* 2.16.273
Reagere, *resistere. agĕre. Unde* reactio. 4.20.760
Realiter, *vere.* 4.35.818
Reatus *malè ponitur pro* crimine. 1.32.1.7 & 139
Rebaptizare, *iterum baptizare.* 4.20.760
Rebellium, *rebellio.* 3.41.591
Rebellissare, *in obloquendo rebelles imitari.* 4.20.760
Rebrachiatorium, *monachorum ἀναλόγιον.* 3.41.591
Reburſus *crispus.* reburſio *crispatio* 2.1.273
Recapitulare, *summa rerum capita adferre.* 4.20.761
Recellula, *mundus muliebris.* 3.41.591
Recensare, *recensere.* 4.20.761
Recenter, *recens.* 1.25.108
Receptores, & Receptatores, *pro* tribunis ærariis. 1.27.118
Recidivare, *recidivam pati.* 4.20.761
Recidivatus, *quo quid post casum renascitur, atque instauratur.* 3.41.591
Reciduare, *sæpius recidere.* 4.20.761
Reclinarium, *ubi quis se reclinat ad somnium capiendum.* 3.41.592
Recolamentum, *quo quid revocatur in memoriam.* *ibid.*
Recommendo, *pro* commendo, *barbarum.* 1.23.97. & 4.20.761
Recompensare, *compensare.* 4.20.761
Recordium, recordum, *recordatio* 3.41.592
Recorporare, *reparare aliquam partem corporis malè affecti.* 4.20.761
Recreamen, *recreatio.* 3.41.592
Recredere, *reddere.* 4.20.761
Rectoria, *regimen.* 3.41.592
Redargutio, *refutatio.* *ibid.*
Redebere, *obstringi ad reddendum* 4.20.761
Redentitare, *reclamare.* *ibid.*
Redequitare, *equo, unde veneris, redire.* 4.20.762
Redinserare, *iterum inserere.* *ibid.*
Redivi, *pro* ricinis, *corruptè usurpatum* 1.8.37
Redoccare, *denuo comminuere.* 4.20.762
Redoperire, *aperire.* *ibid.*
Reduplicare, *conduplicare.* *ibid.*
Reduncare, *curvare.* *ibid.*
Refectorium, *ubi à monachis refectio fit cibo.* 3.41.592. *Unde*
Refectorarius. 3.41.593
Referendarius, *magister libellorum supplicum.* *ibid.*
Referro, *verbum nihili, ab errore librarii.* 4.20.762
Reffare, *evellere.* 2.5.356

Refibulare, *fibulam laxare.* 4.20.762
Refuga, *refugiens.* 3 41.594
Refusorius, *qui aliquid refundit.* *ibid.*
Regalia, a, *pro* regale, *vel* regis proprium. *ibid.*
Regalitas, *eminentia in jure regali.* *ibid.*
Regimentum, & regimonum, *regimen.* *ibid.*
Regimen an Régimen? 2.1.173
Regionarii, *diaconi urbis Romanæ, præter basilicanos.* *ibid.*
Regardator, regardus, *observator.* 2.16.273
Regens *collegii*, *pro* moderatore. 1.33.151
Regesta, *index* 1.18 74
Regionaliter, *regionatim.* 4 35.818
Regiſtrare, *regerere.* 4.20.762
Regiſtrum, *pro* regeſtum. 1 18 74
Hinc regiſtrare, *referre in codices publicos.* 3.41.595
Regius *vates*, *pro* Rege vate 1.33.151
Regnicolæ, *qui in regno vivunt.* 3.41.595
Regnificare, *regem facere.* 4.20.762
Regratiare, *gratias agere.* 4.20.763
Regula *malè*, *pro* verſus. 1 26.113
Regula de vocabulis peregrinis, vel recipiendis, vel fugiendis. 1.7.29
Regulariter, *ſecundùm normam præſcriptam* 4.35 818
Rehabere, *pro* recuperare. 4.20.763
Reincipere, *ordiri.* 4.21.763
Reintrare, *iterum intrare.* 4.21 764
Reipus, *vel* Reippus, *precium, quod vidua datur connubii cauſâ.* 2.16.274
Rejuveneſco, *recipio faciem ac vires juvenis.* 4.21.764
Relevium, *honorarium patrono datum à novo vaſallo.* 3.42 596
Religioſitas, *pietas erga Deum.* *ibid.*
Relucidare, *illuminare.* 4.21.764
Remandare, *iteratò mandare.* *ibid.*
Remediari, *mederi.* *ibid.*
Remeliorare, *reſtituere priſtinæ integritati.* *ibid.*
Remendare, *corrigere.* *ibid.*
Reminiſco *pro* reminiſcor. 1.22.94
Remonere, *commonere.* 4 21.765
Ren, *renes.* 3.42 496
Renegare, *abnuere.* 4.21.765
Renovellare, *renovare.* *ibid.*
Repaginare, *denuò componere artus & membra.* 4.21.765
Repatriare, *in patriam reverti.* *ibid.*
Repauſare, *pauſam facere.* *ibid.*
Repertura, *certum in aliquo loco privilegium.* 3.42.596
Repetentia, *recordatio.* 3.10.431
Replegiare, *repoſcere bona mobilia.* 2.25.356
Repluit, *abundat.* 4.21.765
Replum, *corruptum ex* peplum. 3.42.596
Repoſco, *qui repoſcit aliquid.* *ibid.*
Repræſalia, repreſalia, & repreſſalia, *pro* clarigatione, *vel* pignoratione. *ibid.*
Reprehenſibiliter, *prævè.* 4.35.818
Repreſſivum, *quod vim alicujus cohibet.* 3.42.597
Repropitiatus, *reconciliatus.* 3.42.598
Repſudit *fortè corruptum ex* recidivat. 4.21.766
Repulſio, *repulſa.* 3.42.598
Requæſta *libellus ſupplex.* *ibid.*
Rerumpublicarum *forma vitioſa cur in Politicis explicentur.* 1.1.2
Reſaicire, *dignitatem ſtabilire.* 2.25.357
Reſcella, *recula.* 3.42.598
Reſcuſſio, *rei abreptæ repetitio per arma.* *ibid.*
Reſiſtibilis. *ibid.*
Reſolidare, *vulnerare.* 4.21.766
Reſonantia, *ſonitus.* 3.42.598
Reſpectivè, *comparatè.* 4.35.819
Reſponſales, *quorum munus eſt aliis reſpondere.* 3.42.598
Reſponſoria, *quibus chorus in ſacro officio canens reſpondet.* 3.42.599
Reſſortum, *juriſdictio.* *ibid.*
Reſtare, *ſiſtere.* 4.21.766
Reſtaurare, *inſtaurare.* *ibid.*
Retari, *irretiri.* 4.21.767
Retenementum, *retentio.* 3.42 599
Retriora, *poſteriora.* *ibid.*
Revadiare, revvadiare, *vadem ſe conſtituere.* 4.21.767
Reverendiſſimus *veteribus ignotum.* 1.21.90
Reverſare, *denuò circumagere.* 4.21.767

Reversus sum, *pro* reverti, *rejecti.* 1.24.105
Revestiri, *pristino honori restitui* 4.21.767
Revestitus, *sua in Ecclesia dignitati restitutus.* 3.42.600
Revisio, *recognitio rei judicatæ.* *ibid.*
Revitare, *corruptum* è rebitere. 4.21.768
Reunire, *dennò conjungere.* *ibid.*
Revolutio, *conversio.* 3.42.600
Rhanne, *colostrum.* 2.9.233
Rhedæ *vocabulum à Gallis.* 1.2.13
Rhedo, *ea qua ad muliebrè ornatum facium.* 2.16.274
Rheno *quid. & unde dicatur.* 1.2.14
Rhenus, *melius cum spiritu.* 1.9.41
Vocabuli ratio. *ibid*
Rheti. & Reti. *seu* Ræti, *promiscuè scribitur.* 1.9.41
Rheuma *fluentum.* 3.43.600
Rheumatidiare, rheumatizare, *fluxione laborare.* 4.22.768
Ῥομφαῖα. *framia.* 1.3.14
Rhythmizare, *rhythmicorum more scribere.* 4.2.768
Ribaldus, *nebulo.* 2.16.274
Ridjcularis, *ridiculus.* 3.43.600
Ridiculosus, *pro* ridiculus. 1.17.73
Riga, *genus vectigalis.* 2.16.274
Rigorosus, *rigidus.* 3.43.600
Ringo, *deculpatum, pro* ringor. 1.21.94
Ripaticum, *quod publicè persolvitur à Trajiciente in ripam alteram.* 3.43.600
Rivera, *rivus.* *ibid.*
Roalia, *genus lintei pretiosi.* 2.16.274
Roba, *vestis pretiosior.* 2.6.201, & 2.16.275
Robare, *depredari.* 2.25.356
Roberia, *raptus.* 2.16.275
Robustè, *nervosè.* 4.35.819
Robustitas, *robur.* 3.43.609
Rocha, *rupes.* 2.16.275
Rochetum, *tunica.* *ibid.*
Rocus, rochus, *vel* roccus, *tunica: unde* rochetum. 2.16.275 & 2.18.318
Rodaticum, *vectigalis genus ex vino divendito.* 2.16.276
Roga, *stipendium, donativum.* 3.43.601
Rogatarius, *qui aliquid poscit.* *ibid.*
Roma cur sine spiritu scribatur. 1.9.41
Romani Græcis barbari *dicebantur.* 1.5.25
Romanizare, *savire tormentis.* 4.12.768
Romscot *quid. & quantum fuerit.* 2.16.277
Rosa B. Mariæ, *pro* amomo, *vel* aspalatho. 1.28.121
Rosculèntus, & rorulentus, *roscidus.* 3.43.602
Rota *Martiali, pro* trocho. 1.26.110
Rotaticum, *vide* Rodaticum.
Rotta, Ruta, *vel* Rutta, *globus hominum.* 2.16.277
Rotulus, *catalogus.* 3.43.602
Rotundellum, *circulus.* *ibid.*
Ῥοῦχος. *ἐσωτίον ἐσωκαμῖσον.* 2.16.275
Rubedo. *rubor.* 2.43.602
Rubeus, *rubens.* *ibid.*
Rubiginare, *rubiginem contrahere* 4.22.768
Rubricare, rubificare, *rubefacere.* *ibid.*
Rubus, *pro* raja, *perperam dictum à B. Ambrosio* 1.28.121
Rucus, ῥοῦχος. 2.16.275
Rudire, *erudire.* 4.22.769
Ruma *gula. Atque hinc*
Rumigare *ruminare.* 4.22.769
Rumbula, *anus decrepita, ac rugosa.* 2.16.278
Rumigerare, *divulgare.* 4.22.769
Rumpia *idem, ac* framea. 1.3.14
Runcinus, *cantherius.* 2.16.278
Ruoda, *mulcta* cxx. *solidorum.* 2.16.278
Ruptarius, *eques.* 2.16.279
Rusare, *corruptum* è rugare. 4.22.769
Russetus, *russus.* 3.43.602
Rusticus *sermo sic idem prorsus, ac* barbarus. 1.2.2

S.

Sate ponunt Itali initio, *pro* ex. 2.17.296
Sabaja, *vox Illyrica, unde.* 1.4.19.20
Sabajarius, *quare sit dictus Valens Imperator.* 1.4.20
Sabanum, *linteum.* 2.17.280
Sabbatizare, *septimo die requiescere.* 4.22.769
Sablo, *sabulum* 3.44.603
Sacciperium *pera, ubi fundâ jaciendâ continentur lapides.* *ibid.*
Sacellarius, *sacra pecunia custos.* 3.44.603
Sacerdotes, *proverè dici nequeunt virgines, quæ Deo sacratæ.* 2.6.27
Sachus, *calculus.* 2.17.281
Sacire, *possidendum dare.* 4.23.769
Sacrilegare, *sacrilegium admittere.* 4.2.770

Sacrista, *sacrorum custos.* 3.44.604
Sacristia, *sacrarium.* *ibid.*
Sacrivus, *consecratus.* *ibid.*
Sacrocola, *sacrorum minister.* 3.44.605
Sagellum, *vestis genus.* *ibid.*
Sagibaro, *Index à Comite proximus* 2.17.281
Sagimen, *sagina, arvina.* 3.44.605
Sagiminare, *in arvina, seu sebo, coquere.* 4.23.770
Sagio, *carnifex.* 2.17.281
Sagitta *aliud, ac* jaculum. 1.30.131
Sagittare, *rejectum pro* sagittâ petere, *vel eam torquere.* 1.23.98. & 4.23.770
Sagmare, *onus imponere jumento.* 4.23.771
Sagmarius, *sarcinas gestans.* 3.44.605
Sagus, *pro* sagum. 3.3.393
Saicina, *vide* Sacire.
Saicire, *vel* Saifire, *vel*
Saisaire, *invadere, qua alter possidet; vel tradere alteri, ut possideat: unde* Saicina, *vel* Seisina. 2.25.357. & 4.23.769
Saiga, *certum pretium.* 2.17.281
Sajo, *carnifex.* 2.17.281
Sala, *atrium* 1.1.4. *unde*
Salizuchen, *in rem furtivam inquirere domi alienæ.* 2.17.282
Saladinus, *Imperator Turcicus.* 2.17.300
Salomonis figillum, *pro* polygonato. 1.28.122
Salattarius *corruptè legitur apud Isidorum, pro* sparharius. 3.45.606. & 3.50.631
Saliator *perperam, pro* saliissator. 3.45.606
Salitudo, *fermenti species.* *ibid.*
Salmaticus *corruptum à* salinaticus. 3.45.607
Salpicta *dicendum, an* salpista, *dubitatur.* *ibid.*
Salpix, *tuba, corruptum à* σάλπιγξ. *ibid.*
Salsarium, *salinum.* *ibid.*
Salsicium *unde conflatum.* 1.7.35
Saltarius, *saltuarius.* 3.45.607
Saltem, *pro* solùm, *Latinum non est.* 1.35.161
Salticus, *ad saltum pertinens* 3.45.608
Saltuaticum, *vectigal à saltu,* *ibid.*
Salvagardia, *tutela.* 2.17.282
Salvamentum, *salus.* 3.45.608
Salvaticus, *sylvaticus.* *ibid.*
Salvificare, salutificare, *salvare.* 4.23.771
Salutaticum, *vectigal genus.* 3.45.608
Salvus conductus, *pro* fide publicâ interposita. 1.33.154
Sambucinæ, *pro* Sambucicinæ. 1.11.46
Sameria, *corruptum ex* sagmaria, 3.46.609
Samiare, *acuere.* 4.23.771
Samiarius, *cote acuens,* 4.1.676
Samitum, *vel* Sammittium, *genus holoserici.* 2.17.282
Sanctificio *veteribus ignotum.* 1.23.101
Sanctimonialis, *virgo Deidicata,* 3.46.609
Sanctimonium, *sanctimonia,* *ibid.*
Sanctire, *sancire,* 4.23.772
Sanguinabilis, *sanguinarius.* 3.46.609
Sanguinitæ, *sanguine conjuncti.* 3.46.610
Sanguines, *pro* sanguis, 3.57.672
Sannare, *subsannare.* 4.23.772
Sapidum, *quod boni saporis.* 3.46.610
Sapo, *smegma.* 1.2.11
Sardi sunt Phœnicum coloni, 1.3.17
Sarjantus, *vel* Sarzantus. 2.17.294
Sariola, *intybus sativus.* 3.47.614
Sarissa, *quid, & quibus in usu fuerit.* 1.5.24.
Sarsurium, *quo quid sartum, tectúmque, præstatur.* 3.46.610
Sationalia, *agri, qui observantur.* *ibid.*
Satrapa, *vox Persica.* 1.5.22
Sauma *corruptum ex* sagma, *sarcina, unde* Saumarius, *jumentum sarcinarium.* 3.46.610
Saxa, *vel* Saxus, *brevis gladiolus,* 2.17.283
Saxisci, *patinæ genus,* 3.46.611
Scabinus, *judex.* 2.17.284
Scabrositas, *asperæ, spinosique cratis.* 3.48.612
Scacatio, *raptus.* 2.17.284
Scaccarius, *pro* saccarius, *qui sacra est pecunia custos,* 3.44.602
Scachum, *sive* Schachum, *raptus.* 2.17.284
Scacus, Scaccus, Schaccus, *latro; item ludi genus.* *ibid.*
Scala, *pro diversa vocabuli origine, aliter atque aliter sumitur.* 1.1.4
dicitur id instrumentum, cui insistunt equitantium pedes. 1.7.33
Scalarium, *gradus scalarum formâ,* 3.47.612

Scalcus, *minister.* 2.17.285
Scalpitare, *crebrò scalpere.* 4.24.772
Scambiator, *trapezita.* 3.47.612
Scamillum, & scamellum, *scabellum.* 3.47.613
Scamera, & Scamaris, *explorator.* 2.17.285
Scana, *umbraculum ex densatæ arborum.* 3.47.613
Scandalosum, *quod est offensioni.* *ibid.*
Scandilia, *scalarum gradus.* *ibid.*
Scapellare, *scalpello cædere.* 4.24.772
Scapilium, *vide* Scapulare.
Scapulare, *monachale scapularium tegumentum.* 3.47.613
Scara, ἰσχάρα: *item, turba.* 2.17.286, & 3.47.614
Scaramanga, *vel* scaramangis, *vestis genus.* 2.17.286
Scarire, *constituere: unde* scaritus. 2.25.357
Scarletum, coccus. 2.17.287
Sciri *aliquid bifariam,* confusè, *vel* distinctè. 1.1.2
Scarificare, *scalpello cutim aperire.* 4.24.773
Scaritta, *vide* Scara.
Scarpinare, *fodere.* *ibid.*
Scartanea, *lorum.* 2.17.287
Scastlegi, *vel* scatlegi, *depositio armorum.* 2.17.287
Scaturi *secundam habet correctam.* 1.22.92
Sceffilum, & sceffila, *mensura genus.* 2.17.288
Scella, *vel* scilla, *tintinnabulum.* 1.1.4.2.17.287
Scematio, *corporis deformitas amantium.* 2.17.288
Scenofacere, *tabernaculà facere.* 4.24.773
Sceptoriæ, *cisternæ.* 3.47.615
Sceptrigerans, *sceptriger, rex.* ibid.
Sceptrinum, *quod pro sceptro est.* *ibid.*
Sceurum, & Scebrum, *horreum.* 2.17.290
Scheffilum, *aridorum mensura.* 2.17.288
Schematio, *vide* Scematio.
Schematizare, *figuratè loqui.* 4.24.773
Schiaticus morbus *perperam, pro* Ischiadicus. 1.11.47
Scholaris, *pro* scholasticus, *rejectum.* 1.12.53.
alius in militia, alius in literarum culturâ: un. de Scholaritas. 3.47.615
Scholasteria, *schola præfecturæ.* 3.47.616
Schotér, שוטר, *quis Salomoni.* 1.5.22
Schiatica, *ischias.* 1.1.6.1.2.47
Scibile, *quod sciri potest.* 3.47.616
Scilia, *videtur vox nihili, ex* scrinia *corrupta.* *ibid.*
Scilla, *tintinnabulum.* 2.47.288
Scimitarta, *Turcis dicitur, quod Latinis* gladius falcatus. 1.7.31
Scindulæ, *corruptum ex* scandulæ. 3.47.616
Sclavus, *mancipium.* 2.17.288
Sclopetus *unde dictus.* 1.7.32
Sclusa, *cataracta.* 3.47.616
Scobare, *fodere.* 4.24.773
Sconna, *sponsus, corruptum ex* sculna. 3.47.617
Scopar, *minus horreum.* 2.17.290
Scopare, scopere, *scopis verrere.* 4.24.773
Scoph, *horreum non septum parietibus.* 2.17.290
Scordiscus, *scortum*: scordiscale, *ephippium*: scordiscarius, *ephippiorum confector.* 3.47.617
Scorticatus, *ad vivam cutim rasus.* *ibid.*
Scotallum, *taberna cervisiaria.* 2.17.288
Scotus *vitiosè in priori corripitur.* 1.10.45
Scrama, *pugio.* 2.17.283. *unde*
Scramasaxa, scramasaxi, *culter domesticus.* *ibid.*
Screona, & screuna, *certa pars ima domûs.* 2.17.289
Scribo, *scriba.* 3.47.617
Scribsi *improbatur, pro* scripsi. 1.22.91
Scrinlarius, *qui curat scrinium Principis.* 3.47.617
S. *Scripturam cur* Βιβλία *potiùs, quàm* Βιβλίον *vocemus.* 1.12.51
Scrobulla, *talaris vestis mulieris.* 2.17.289
Scrutinare, *scrutari.* 4.24.774
Scrutinium, *scrutatio.* 2.47.617
Scudicia, *quando terra circa arboris caudicem effoditur.* *ibid.*
Sculca, *vigilia, excubia.* 2.17.289. & 3.47.617
Sculdasius, *debitorum exactor.* 2.17.289

Scul-

Sculpitare, *sæpius sculpere.* 4.24.772
Sculteſius. *vide* Sculdaſius. 2.17.289
Scupha, *cucurbitula.* 3.47.619
Scuria, *horreum.* 1.1.4. & 2.17.290
Scurra, *pro* vili nebulone, *minùs probè dici.* 1.27.119
Scutagium, *ſervitium militare debitum Regi.* 3.47.619
Scuterium, *peditus ſcutum gerentes.* *ibid.*
Scutum *aliud eſt, quàm* clypeus. 1.30.130
Sebaſtianus Caſtalio, curioſus vocum Latinarum. 1.24.103
Sebaſtianus Foxus, vulgi more, nepotis *voce abuſus.* 1.27.116
Seceſſus *juvioribus, pro* latrina. 1.30.129
Secretarium, *locus certus in judiciis, ac templis.* 3.48.620
Secretarius, ſecretalis, *à ſecretis.* *ibid.*
Secretè, *ſecretò.* 4.35.819
Secta quatuor principales Epiphanio. 11.3
Seculatus, *in omne ſeculum dicatus.* 3.48.621
Secundicerius, *qui ſecundum obtinet locum in aliquo collegio.* *ibid.*
Secundo Kalend. *pro* poſtridie Kal. 1.33.152
Securatio, *cautio.* 3.48.621
Securè, *ſine curâ.* 4.35.819
Securiare, *ſecurum præſtare.* 4.25.775
Sediculum, *ſedile.* 3.48.621
Seditionarius, *ſeditioſus.* *ibid.*
Segregus, *ſegregatus.* *ibid.*
Selbmundia, *per quam aliquis ſui eſt juris.* 1.1.4
Selda, *rerum venalium taberna.* 2.17.291
Selini *patrio caſu perperam, pro* Selinuntis. 1.20.82
Sellare, *ephippium equo inſternere: hominem aliquâ dignitate ornare.* 4.25.775
Sellarius, *equus.* 3.48.621
Seminiverbius, *nugator verboſus.* 3.48.622
Semotè agere, *pro* ſemotum. 4.35.819
Seneſcallus, & ſeniſcalcus, *quid notent.* 2.17.291
Senſatus, *ſenſu pollens.* 3.48.622
Senſualitas, *facultas ſentiendi.* *ibid.*
Senſualiter. 4.25.819
Sententialiter, *ſententiâ judicum.* *ibid.*
Sententiare, *ſententiam ferre.* 4.25.775
Sentinella, *excubia.* 3.48.622
Sentinoſa *navis, cujus ſentina crebrò exhauriendа.* *ibid.*
Sentitare, *paullatim intelligere.* 4.25.775
Sentitus ſum, *pro* ſenſit me. 4.30.795
Seorſim *non dicendum, ſed* ſeorſum, *comprobatur vett. libris, & ἀναλογίᾳ.* 1.25.106
Septimana, *pro* hebdomas, *Latinum non eſt, etſi paſſim obtineat.* 1.33.152
Septimanatim, *unaquâque hebdomade.* 4.35.819
Septuennis *rectum, pro* ſeptennis. 1.13.56
Sequacitas, *qua quis dictantem aſſequitur in ſcribendo.* 3.48.622
Sequenteriana, *vacca, qua optimam bonitate proximè conſequitur.* *ibid.*
Sequentiæ, *jubilationes, proſa.* 3.48.623
Sequeſtratim, *ſeparatim.* 4.35.819
Sequipedes, *pediſequi.* 3.48.623
Seratus, *occluſus.* *ibid.*
Serganteria, *clientela.* 2.17.294
Sergeantus, *militaris dignitas.* *ibid.*
Seriatim, *ſecundum ſeriem.* 4.35.819
Serietas, *ſeria cogitatio.* 3.48.623
Serioſus, *ſerius.* *ibid.*
Seriphæ *qui ſint Arabibus.* 2.17.294
Sermentatus, *juratus.* 3.48.624
Sermuſculus, *ſermunculus.* *ibid.*
Serrare, *ſerrâ diſſecare.* 4.25.775
Serviculus, *faſciculus.* 3.48.624
Servitium *per T ſcribendum.* 2.1.170
Servitor, *miniſter.* *ibid.*
Servius deceptus de ἐτύμῳ Gazæ, *urbis in Paleſtinâ.* 1.5.23
Servius defenſus. 1.20.84
Servius emendatus. 1.21.88
Seſtertium, *pro* mille nummis ſeſtertiis. 1.33.135
Setaciare, *cribro ſubcernere.* 4.25.775
Setare, *penicillo à ſetis mundare.* *ibid.*
Sextariatici, *quicogitur dare ſextarios.* 3.48.624
Sibili *in plurativo non invenitur.* 1.21.89
Sigele, *ſecali.* 3.49.625

Sigillare, *obsignare.* 4.25.775
Signire, *signare.* 4.25.776
Signatum, *signum.* 3.52.647
Signetum, *annulus signatorius.* 3.49.625
Sigonij opinio de Tulliano fragmento improbata. 1.21.88
Silentiarius, *à secretis.* 3.49.625
Simia *quantopere à simacibus abhorreat* 1.28.120
Simonizare, *precio acquirere munus aliquod Ecclesiasticum.* 4.25.776
Simplificari, *magis magisque abhorrere à moribus subdolis.* 4.25.776
Simultare, *simultatem exercere.* 4.25.776
Sinaida, *arborum incisio; item via.* 2.17.295
Sinape *perperam dici, pro* sinapi. 1.12.52
Singiberi, *vel* singiberis, *antiqui dixere.* 1.12.52
Singilatim, *singulatim.* 4.35.819
Singiliones, *vestes singulæ.* 3.49.625
Singulare, *singulatim constituere, vel memorare.* 4.25.776
Sini, *pro* sivi. 4.30.794
Sinjugare, sinjugiare, *conjugare.* 4.25.776
Sinodochia, *Xenodochia.* 3.49.625
Sinistris, *corruptum videtur à* siniſtris. 3.49.626
Sinus *aliud à* gremio. 1.27.115
Sio, *mejo, dicitur de pueris.* 2.25.358
Sirenarum, *pro* Sirenum. 3.57.671
Siriaticus, *Syrius.* 3.49.626
Sisera *pravè, pro* siseres. 1.21.89
Siſtartia, *sacculus, vel ciſtella, quâ panis, cibusve defertur.* 3.49.626
Siſurna, *tegmen è pelle evillâ.* 3.49.627
Site, *pro* siti. 3.57.672
Sitonicum, *horreum civitatis.* 3.49.627
Situari, *situm esse.* 4.25.776
Situatus, *situs.* 3.49.627
Sixtus Senensis modulis in syllabis negligens. 2.1.173
Skella, *tintinnabulum.* 2.17.288
Σκυφία, *reticulum colligendis crinibus.* 2.4.195
Σκυθισμὸς *Epiphanio secta nomen, & quando duraverit.* 1.1.
Slesvvici ἔτυμον. 1.20.337
Smelido, *gracilis.* 2.17.295
Smelo, *à German.* smal. ibid.
Smigma, *smegma.* 3.49.627
Smilaria, *medicum instrumentum.* 3.13.462
Snaida, *vel* Sneida, *quid notet.* 2.17.294
Sobriefacio, *sobrium facio.* 4.25.777
Socius, *pro* sodali. 1.33.154.
Sodales *qui sint.* ibid.
Soga, *funis.* 2.17.295.
Solare, *ad solum siccare.* 4.25.777.
Solatiari, *consolari.* ibid.
Solatiosus, *consolatorius.* 3.49.627.
Soldalnus, *miles, cujus operâ uterentur in quopiam carceri includendo.* ibid.
Soldatus, *miles.* 3.49.628
Solennizare, *solemni ritu festum celebrare.* 4.25.777
Solidarius, & solitarius, *miles.* 3.49.628
Solœcismus *non adeò latè patet, ut dicatur de quovis errore in vocibus conjunctis.* 1.1.3.
Solſatis, *reus eo nomine, quòd non stiterit se judicio ante occasum Solis.* 3.49.628
Solſtitium brumale *perperam, quod* ἀντιλῶς bruma. 1.31.134
Solviſare, *notis musicis canere.* 4.25.777
Somata, *corpora.* 3.49.628
Somneitas, *somnus bonus.* ibid.
Somnolentus *rejicitur, pro* somniculoſus. 1.17.73
Soniaca, *obsonia.* 3.49.629
Sonoritas, *sonor canorus.* ibid.
Sophi *apud Persas unde nomen acceperint.* 2.18.319
Sophiſticare, *Sophistas imitari.* 4.25.777
Sophiſticos *elenchos cur tradiderit Aristoteles.* 1.1.2
Sopitivum, *soporiferum.* 3.49.629
Sorbona quando fuerit instituta. 1.33.150
Sordidatus, *sordidus.* 1.33.151.
Sordities, *sordes.* 3.49.629
Sorex, *quod animantis genus.* 1.28.120
Sororiſſare *sorori fieri similem.* 4.25.777
Sororitas, *vinculum inter eas, quæ consanguineæ*

gnudent sororum nomine. 3.49.629
Sors *perperam, pro* sors. 1.32.137
Sors per virgulta. 2.18.307
Sortiariæ, sortilegæ, *veneficæ Satanicæ* 3.49.629
Sosanium, *lorica.* 3.49.629
Sotular, *pro* socco, *vox nihili.* 1.8.37
Sotularis, *genus calceamenti.* 3.49.631. & 3.51.637
Spadare, *castrare: item pro eodem.* 4.26.778
Spadonare. *ibid.* (631
Spagyr⁹, *chymista; ars* spagirica *chymia.* 3.50.
Spalagus, *talpa,* *ibid.*
Spalterium, *psalterium,* *ibid.*
Spanga, *tignum.* 2.17.296
Spanilcus, *Hispanicus.* 3.50.631
Spanna, *vel* spannum, *spithama.* 2.17.296
Spargitare, *sæpius spargere.* 4.26.778
Sparvarius, *accipiter, fringillarius.* 2.17.296
Spatharius, *armiger.* 3.45.583. & 3.50.631
Spathomele, *instrumentum medicii.* 3.13.445
Spatio, *vagatio.* 3.50.631
Spatulæ, *delicia.* *ibid.*
Spatulari, spatzen. *delicias agere.* 4.26.778
Spermatizare, *semen emittere.* 4.26.778
Spervarius, *accipitur fringillarius.* 11.17.296
Spatharius, *armiger.* 3.45.583. & 3.50.631
Spathomele, *instrumentum medicii.* 3.13.443
Spatio, *vagatio.* 3.50.631
Spatulæ, *delicia.* *ibid.*
Spatulari, spatzen. *delicias agere.* 4.26.778
Spermatizare, *semen emittere.* 4.26.778
Spervarius, *accipiter fringillarius.* 2.17.295
Spia, *vel* Spio, *explorator.* 2.17.285
Spicarium, *horreum.* 3.50.632
Spondaicum *malè, pro* spondiacum. 1.11.47
Sponsalitiæ, *votromissio matrimonii.* 3.50.632
Sponsare, *despondere.* 4.26.778
Spontaneus, *voluntarius.* 3.50.632
Sportulare, *sportulam accipere.* 4.26.778
Spurcalla, *spurcitia.* 3.50.632
Sputaculum, *sputum.* *ibid.*
Squilla, *tintinnabulum.* 1.1.4.
Sqinantia, *synancha.* 1.1.6
Srafa, *vel* stava, *baculus.* 2.17.298
Stagni ἔτυμον. 4.26.779
Stallum, *locus unius in choro.* 2.17.269
Stancare, *sistere.* 4.26.778
Standardus, *vexillum statarium.* 3.50.633
Standifer, *vexillariorum primus.* 3.50.633
Stangaria sepes, *ea, quæ ex lumbis conjungeret.* 2.17.297
Stannare, *stanno illinere.* 4.26.779
Stannum *perperam, quod olim* plumbum candidum. 1.28.123
Stantardus, *vexillum Regium.* 2.17.297. *Vide* & Standardus.
Stapeda, stapes, *vel* stapia, *unde denominetur.* 1.7.33
Staplus, *confessus, judicium.* 2.17.298
Statunculus, *statua minuta.* 3.50.633
Staupus, *corona.* *ibid.*
Stauracinæ *vestes, quibus intexta est figura* σταυρός. ibid.
Stephanus *ejus Primam producit Ennodius.* 2.1.173.
Stera, *uterus, matrix.* *ibid.*
Stercorizare, *stercorare.* 4.16.779
Sterlingus, *pro* denario; & *unde id vocabuli sit* 2.6.202
Sternutatio, *sternutamentum.* 3.50.633
Steura, *tributum.* 2.17.298
Stica, *vestis Episcopalis, quæ Græcis* στιχάριον. 3.50.633
Stirpare, *stirpitus evellere.* 4.26.776
Stlata, *navigii genus, unde dicatur.* 3.55.606
Stlorpus, *à sono fictum.* 1.7.31
Stolizar, *qui loco Regis præest judicio.* 2.17.289
Strabus, *strabo.* 3.50.630
Stragulare, *stragulum texere.* 4.26.779
Strapedes *rejectum.* 1.7.33.
Strategema, *vel* stratagema, *in secunda habet* E. 2.1.170
Stratilectilia, *stragulæ lecti.* 3.50.364
Stratores *qui dicantur.* 1.7.34. & 2.12.253
Strenare, *strenam mittere.* 4.26.779
Στρόβιλος, pro turbine. 1.26.111
Στρόμβος, pro turbine. 1.26.111
Στρῦμβα, vel potiùs στρῦμπα pro turbine. 1.26.111
Strepa, *stapeda.* 2.17.298
Strepus, *pro* stropus, *vel* stroppus. 3.50.634

Strigæ, *striges.* ibid.
Strio, *histrio.* ibid.
Strophosus, *versutus.* ibid.
Stroppus, struppus, *corona.* 3.50.633
Strumentum, *instrumentum.* 3.50.635
Strundius, *vel* struntus, *stercus.* 2.17.299
Stuba, *vel* stufa, *hypocaustum.* 2.17.299
Studiosus *novè, pro* bono, & probo. 1.33.134
Stulticinia, *quæ stulti canunt.* 3.50.635
Stuba *unde.* 1.7.32
Stupa *hypocaustum.* 2.17.299
Stupa, στυππίον. 4.26.779
Stupidare, *crebrò stupere.* ibid.
Stuppare, *obturare.* ibid.
Sturio, *hycca, sive silurus.* 2.17.300
Suadenter, *ad persuadendum aptè.* 4.35.819
Subadjuva, *adjutoris adjutor.* 3.51.636
Subalternare, *nunc superiorem, nunc inferiorem esse.* 4.26.779
Subalternus, *sub altero constitutus, secundarius.* 3.51.636
Subannulatus, *qui in suos recidit annulos.* ibid.
Subaudire, *aliud non expressum intelligere.* 4.26.779
Subauscultare, *in aliqua voce intelligere.* ibid.
Subcollector, *publicus minister in pecuniâ colligendâ.* 3.51.637
Subditissimus, *rejicitur, pro* subjectissimus. 1.21.90
Subex pedaneus, *pro* stapia. 1.7.34
Subhastare, *hasta subjicere.* 4.26.779
Subintelligere, *in aliquo intelligere.* ibid.
Subitanè, *subitò.* 4.35.819
Subitare, *subitò provenire.* 4.26.779
Subjugatus, *subditus jugo.* 3.51.637
Subleftæ picturæ *unde dictæ.* 2.11.246
Subligar, *aut* Subligaculum, *perperam pro* braccis *dicitur.* 1.29.126
Submansor, *qui manet sub jeâdem uris dictione.* 3.51.637
Submergium, *submersio.* ibid.
Subnervare, *nervos succidere.* 4.26.780
Subregulus, *regulus alteri subjectus.* 3.51.637
Subsequivus, *subsequens.* ibid.
Substantificare, *substantiam creare.* 4.26.780
Subtal, *pro* subtel, *vitiosum.* 1.14.58
Subtalaris, *pedum tegmen.* 3.51.637
Subtiliari, *attenuari.* 4.26.780
Subventio, *auxilium.* 3.51.638
Subulare, *subulâ perforare.* 4.26.780
Successivè, *progressu temporis.* 4.35.819
Succinctim, *breviter.* ibid.
Succinctoria, *campestria.* 3.51.638
Succulcare, *conculcare.* 4.26.780
Succursus, *suppetia.* 3.51.638
Sudarii, *quibus Venere lassis sudor undique dimanat.* ibid.
Sudorare, *sudare.* 4.26.780
Suetonius an nepotem *pro* sororis filio *dixerit.* 1.27.117
Sufferentia, *tolerantia.* 3.51.638
Sufferrare, *ferreas jumento soleas subdere.* 4.26.780
Sufficientia, *quod satis est.* 3.51.639
Suffitorium, *thymiaterium.* ibid.
Suffraganeus, *episcopi vicarius.* ibid.
Suffragines *unde dicantur.* 4.26.780
Suffraginare, *flectere genua.* ibid.
Suffumigium, *suffumigatio.* 3.51.639
Suillinum, *suillum.* ibid.
Suldasius, *prator.* 1.1.4.
Vide superius Sculdasius.
Sultanus, *imperator Turcicus.* 2.17.300
Summa, *pro* sauma. *Unde* summarius. 3.46.610
Summa *Thomæ melius* summarium *vocaretur* 1.26.114
Summare, *summatim enarrare. Unde* Summator *Papa dictus.* 4.26.780
Summarietas, *summa perfectio.* 3.51.639
Summarius *an Ciceroni usurpatum.* 3.51.640
Summitas, *fastigium.* ibid.
Summœrius, *si Latinum, notare, degentem sub muris.* ibid.
Sumtorium, *cochlear.* 3.51.640
Sunnis, *impedimentum.* 2.17.300
Superaltare, *altare exiguum magno superimpositum.* 3.51.640
Supercapitare, *præcellere.* 4.26.781
Superciliosus, *fastu tumens.* 3.51.640

Super-

Superforaneum, *supervacuum.* ibid.
Superhumerale, *ephod.* 3.51.641
Superimplere, *accumulare,* 4.26.781
Superintendens, *episcopus* ibid.
Superioritas, *excellentia.* ibid.
Supermedicus, *præpositus medicus,* ibid.
Superpellicium, *habitus sacerdotalis.* ibid.
Superpositio, *jejunium.* 3.50.375
Superscriptio, *inscriptio.* 3.51.641
Superstationarius, *stationariorum præfectus* 3.51.641
Superstitio *malè accipitur pro* falso quovis Dei cultu. 1.32.137 & 139
Superstitiosi *veteribus erant, qui nobis* scrupulosi. ibid.
Superventio, *superventus.* 3.51.641
Supervidere, *attentè inspicere.* 4.26.781
Suppalliare, bemänteln. ibid.
Suppellectilia *ap. Veterum neminem reperiuntur.* 1.21.90
Suppedaneum, *scabellum,* 3.51.642
Suppodiare, *inniti.* 4.26.781
Suppositorium, *pro turundo.* 1.18.75
Surcarium, *vestimenti genus.* 2.17.301
Surculi στυμον. 2.16.273
Surdare, *surdum facere.* 4.26.781
Surgotum, *panni genus,* 2.17.301
Surisicula, *hydria.* 3.51.642
Sursum *unde sit.* 1.25.107
Susceptor, susceptrix. 3.33.558
Suspensorium, *camini locus, ubi suspenduntur perna.* 3.51.642
Suspensus ab officio, *pro* summotus, *vel* abstinere jussus. 1.33.154
Sustentaculum, *quo quid sustinetur.* 3.51.642
Susurrium, *susurrus.* ibid.
Susurro, *qui occultè obtrectat.* 3.51.643
Sutelare, *suere.* 4.26.781
Sutriballus *sutor.* 3.51.643
Svurum, *juramentum.* 2.17.301
Sybaritis, *Sybaritana.* 1.12.50
Syllogizare, *ratiocinari.* 4.26.781
Symbolum, & symbolam, *malè confundi.* 1.32.137. & 140
Symphonizare, *symphoniâ canere.* 4.26.781
Syncellita, *eâdem degens cellâ.* 3.51.643
Syndicatus, *munus Syndici.* ibid.
Syndicus, *qui petit stipem.* 3.24.562
Synodontes. & Synagrides, *malè confunduntur.* 1.28.121
Synodum *pro* Synodontem, *vitiosum,* 1.20.82

T

Taberna *quomodo differat ab* officina. 1.30. 128. *Unde dicatur.* 2.21.341
Tablista *qui in tabula ludit.* 3.52.644
Tabulare, *tabulis construere.* 4.27.782
Taburcinum, *tympanum.* 2.18.303
Tacha, *pro* agri limite, *unde sit.* 2.18.310
Taciturio, *tacere statuo.* 4.27.782
Tedeare, *tedium capere.* ibid.
Taillia, *exactionis genus.* 2.18.303
Talia, *tessera.* ibid.
Taillia, *exactionis genus; pro quo* & Tallagium ibid
Tanganum, *adjuratio.* 2.25.358. *Unde Verbum*
Tangano, *adjuro.* ibid.
Tangibilis, *sub tactum cadens.* 3.52.644
Taratantarizare, *tubâ clangere* 4.27.782.
Tardatio, *tarditas.* 3.52.644
Tarditare, *tardiorem esse.* 4.27.783
Tarenus, *nummi genus.* 2.18.305
Targia, *vel* Targeia *clypei genus.* 2.18.305
Tarracina *antea dicta* Anxur. 1.7.29
Tascha, *mus supinus.* 2.18.305
Tasselli, *nodi glandium formâ, amictui additi ad ornatum.* 2.18.306
Tassus *vel* Tassum, *acervus, vel strues,* 2.18.306
Tassale, : *quid hoc notet, vide.* 2.18.305
Taudragil, *humor profluens è nervis lassis.* 2.18.306
Tauroboliare, *Deum matri facere sacrificium taurorum.* 4.27.783
Taxellus, *taxillus.* ibid.
Technicè *vulgò dicitur vox sumi, quæ posita non pro re significatâ, sed pro se ipsa.* 1.31.133

Tecuria *vel* Tecuaria. *tegmen.* 2.18 307
Tegulare, *tegulis sternere,* 4.27.783
Telare, *differre.* *ibid.*
Telemasca, *vel* Talamasca, *larvatorum discursus.* 2.18.307
Telonium, *ædes publicani.* 3.52.645
Temperius, & Temporius, *dici potest.* 2.1.170
Tempestatio, *tempestas rerum adversarum.* 3.52.645
Templum, & ædis sacra, *non sunt idem.* 1.30.128
Temporalitas, *diversa temporis conditio.* 3.52.645
Temporaliter, *ad tempus.* 4.35.810
Temporatim, *variâ anni tempestate.* *ibid.*
Temporivus, *tempore suo provenions.* 3.52.645
Tenda, *tentorium.* *ibid.*
Tenebrare, *tenebras inducere.* 4.27.783
Tenementum, *possessio.* 3.6.416 & 3.52.646
Tenetura, *status rei,* *ibid.*
Teni, *virgulta.* 2.18.307
Tenorare, *in symphoniâ canere eo cantu, qui* tenor *dicitur.* 4.27.783
Tenseria, *contentio.* 2.18.308
Tensitare, *crebrò tendere.* 4.27.783
Tenuiarius, *cujus opera in re tenui desudat.* 3.52.646
Tenuta, *solum, quod quis tenet.* *ibid.*
Teolonium, *vectigal.* 3.53.651
Tepidare, *tepefacere.* 4.27.783
Tepeditas, *tepor.* 3.52.647
Terminatus, *terminus,* *ibid.*
Terrarius, *terrestris.* *ibid*
Terraticum, *quod domino persolvitur, quia terra ejus incolatur.* 3.52.647
Terrefacere, *terrorem adferre,* 4.27.783
Verrula, *exigua ditio.* 3.52.647
Terrulentus, *terrenus,* *ibid.*
Tertussus, *porcellus hara propria,* 2,18.308
Tescela, *latrocinium,* 2.18.309
Tescuare, 4,27.783
Tesserare, *tesseris ludere,* *ibid.*
Tesseribus, *pro* tesseris. 3,57.670
Testeja, *raptus, aut latrocinium,* 2,18.308
Testimonialis, *diaconus episcopi concionantis custos* 3.52.647
Testimoniare, *testari* 4.27.784
Testudo, & cochlea opercularis, *male confunduntur,* 1.28,120
Tethinga, *vel* tethringa, *quid significet,* 2.18.309
Tetrasyrticum, *quod quadruplicem interpretationem admittit.* 3.52 647
Tetravela, *quadruplicia vela.* *ibid.*
Texaga, texaca, *vel* tecsaga, *tectum* 2,18.309
Texitare, *frequenter texere.* 4.27.784
Textus *novè, pro* verba scriptoris 1 26.113
Thabur, *tympanum.* 2.18.303
Theada, *populus: unde* Theodericus. *pro quo per ä per scribitur Thcodoricus* 1.1.3. & 2.18.309
Theatrapus, *seu potius,* Theopropus, *bibliothecarius sedis Apostolicæ.* 3.52.486
Theclatura, *signum arbori incisum, ad signandam viam.* 2,18.309
Thelodives, *qui dives esse adlaborat,* 3.52 648
Thelohumilis, *affectans humilitatem* 3.52.648
Theopropium, *locus, ubi promulgantur Cæsarum edicta.* *ibid.*
Thelosapiens, *sectator sapientiæ.* *ibid.*
Thema vocabuli interdum est vitiosum, etsi derivata sint proba. 1.22.92
Thenia, *corruptè, pro* antena. 3.52.649
Theode, *Germanicum vetus, pro* populo, 1.10.44
Theodorici *vocabulum esse à Gothis, non Græcis* 1.1.3
Theodoricus *malè scribitur, pro* Theodericus, 1.1.3, 1.10.44
Theodori Gaza lapsus in redivi *voce, pro* ricino 1.8.37. *Item in voce* solstitii. 1.31.133
Theologare, *de divinis disserere,* 4.27.784
Theorare, *contemplari,* *ibid.*
Thesaurarii *vox, pro* quæstore, *rejecta.* 1.17.70. & 3.52.649
Thesaurizare, *thesaurum congerere.* 4 27.784
Θησαυρὸς *ac ejus* ἔτυμον. 1.5,23
Thycinynus *corruptè, pro* hiacynthinus. 3.52.649
Thinx, *manumissio. Inde* Thingare, *manumittere.* 2.18.309
Thiubda, *furtum.* 2.18.310

Thlipsi,

Thlipsis, *oppressio.* 3.52.649
Thoma Demsteri error. 1.10.45
Tholoneum, *vectigal.* 3.53.651
Thoracæ, thoracides, thoracletæ, *thoraces.* 3.52.649
Thurificare, *thura incendere.* 4.27.784
Thuscia, *pro* Etruria, *improbatum*; *etsi rectum sit* Thuscus, *pro* Etruscus, 1.7.30
Tiaratus, *tiarâ velatus,* 3.52.65
Tibicè, *typicè.* 4.35.820
Tigellum, *tigillum.* 3.52.650
Tilonis *nomen unde factum.* 3.5.399
Tina, tinia, *vicinum vocabulo* tonnæ. 2.18.310
Tingitare, *sæpius tingere.* 4.28.785
Tinnipare, *tinnitare, tintinnare.* 4.28.785
Tintinnabulus, *tintinnabulum.* 3.52.650
Tiro, *unde dicatur. Indèque*
Tirocinari, *tirocinium ponere.* 4.28.785
Titulare, *titulo ornare,* *ibid.*
Titulares *qui dicti.* 3.51.650
Titulatus, *ingens gemma.* *ibid.*
Tiuphadi, *vide* Tyuphadi.
Tmemata, & tmematia. 1.26.114
Tocua, tocha, *vel* tochua, *calculus.* 2.18.310
Tolo, tollo, *tolleno.* 3.53.651
Toloneum, *vectigal.* *ibid.*
Toloneus, *vectigal.* 1.1.4
Toltum, *vectigal.* 4.53.651
Tomice *rejicitur, pro* tomix, *vel* thomix. 1.12.51
Tonginus, *Iudex à Comite proximus.* 2.18.319
Tonitruare. *tonare,* 4.28.786
Tonna, *vel* tunna, *vas*: *ut* tonnella, *vel* tonella; *imò &* tonellus, *vasculum.* 2.18.310
Tonsorare, *tondere.* 4.28.786
Tonsura, *differt à* rasurâ. 1.32.138. & 143.4. 5.699
Tormentare, *excruciare.* 4.28.786
Torneamenta, *vel* tornamenta, *ludicra pugna equestres,* 2.18.311. *Differunt à mensis rotundis.* *ibid.*
Tornetæ, *nundinæ, in quibus armati decertant.* 2.18.311
Torrentii de acino *error.* 1.28.122
Tortura, *tormentum.* 3.53.651
Totaliter, *penitus.* 1.25.107. & 4.35.820
Toxicare, *veneno inficere.* 4.28.786
Trabucchi, *ejusdem notæ, ac* tribuceta. 2.18.312
Tracones, *meatus subterranei.* 3.53.651
Tractoria, *libellus dari solitus peregrinaturis.* 4. 53.652
Tractulare, *tractare, versare,* 4.28.786
Traducare, *traducere.* *ibid.*
Traducere, *pro* vertere aliam in linguam, *non dici Latinè.* 1.34.159
Tragimata, *tragemata.* 4.53.652
Tragulus, *vestis Monachorum.* 2.18.311
Trajectionis error in quibusdam vocabulis. 11.3 5c.
Trâna, *evellio, qua fit trachâ.* 2.18.311
Tranix, *palmes.* 2.18.312
Transalpinare, *Alpes transcendere.* 4.28.716
Transeunter, *obiter.* 4.35.820
Transfranciare, *per Franciam ire,* 4.28.786
Transgulare, *per gulam trajicere.* 4.28.787
Transglutire, *gulâ absumere.* 4.28.787
Translatare, *transferre,* 4.28.787
Transmutatio, *immutatio.* 3.53.653
Transparere, *pellucere.* 4.28.787
Transpassare, *transfire.* *ibid.*
Trapezus, *quomodo genitivum, & vocativum, formet.* 1.20.82
Trappa, *decipulum avium.* 2.18.312
Trebaciter, tribaiter, *vafrè.* 4.35.820
Trebuchetta, *machina bellica, saxa ejaculans ingentia, ad muros diruendos.* 2.18.312
Trebuculus, & trubuculus, *machina bellica.* 2.18.314
Trechedipna *collo gestabantur*; *eoque non sunt calceamenti genus.* 1.29.126
Tredecim, *tres, ac decem.* 4.53.653
Trefa, trefaas, trefalui, *quid Vngaris.* 2.18.316
Tremaclum, *genus piscatorii retis.* 2.18.313
Tremissis, *triens aureus.* 4.53.653
Tremulare, *tremare.* 4.28.787
Trepalium, *locus equulei.* 4.53.653
Trepanum, *quo Chirurgi perforant cranium.* *ibid.*
Trepedica, *medicamenti genus,* *ibid.*
Tresbellio, *vel* Trespellius, *thaurus*

trium tintinnabulorum. 2.18.313
Treſſis, *tres aſſes.* 4.53.653
Treuga, & treugis, *pax, inducia.* 1.1.4. & 2.18. 313
Trevia, & trevis, *inducia.* *ibid.*
Triangulare, *triangulare reddere.* 4.28.787
Tribattere, *ter, ſæpius ve ferire.* 4 2.684. & 4. 28.787
Tribuceta, *idem quod* trebuchetta. 2.18.312. *diverſum aliquid eſt à* petraria biblia. 313
Tribulare, *rejectum, pro* affligere. 1.34 159
Tribunculus, *machina bellica.* 2.18.314
Trichorum, *trinos habens ſinus.* 3.53 654
Tricinum, *funiculus è pilis.* *ibid.*
Triclinium, *quare ſic dictum.* 1.19.79
Trigildum, triungeldum, *triplex compoſitio.* 2 14.265. & 2.18.314
Triginta-octo *non tam dixero, quàm* duodequadraginta. 3.53 654
Trimiſium, *tremiſſis.* *ibid.*
Trimma, *ramentum.* 3.53.655
Tripedare, *triplici pedum ictu procurrere.* 4 28. 787
Tripetia, *tripodes.* 3.53.655
Tripum, *pro* tripodem, *tulpandum.* 1.21.87
Triremis *aliud à* navi longâ *noſtrâ vel illâ veterum* μονήρες: *& quis primus longam hanc invenerit, quis item* triremim. 1.1.5
Triquadra, *tripartitum.* 3.53.655
Triſorium, *locus pecuniæ ſacræ vel publicæ.* *ibid.*
Triſta, *immunitas incolentium ſylvas.* 2.18.314
Triſyrticum, *quod trifariam poteſt intelligi.* 3.53. 655
Trivialis ſchola *unde ſic dicatur.* 1.26.112
Trivium, *pro* tribus artibus circa λόγον verſantibus. *ibid.*
Triuta, *vel* treuda, *binnulus.* 2.18.314
Trochilus *non eſt idem ac* motacilla. 1.28.120
Trochus *perperam ſumitur pro* turbine. 1.26. 110
Trogala, *tolleno.* 3.53.655
Trogulus. trochulus, *veſtis rudis.* 2.18.315 *cucullus monachorum.* 3.53 655
Troparia, *libri qui Eccleſiaſticas pro ut continent.* 3 55.656
Troppum, *grex.* 2.18.315
Tropus *etiam in multis vocibus eſſe ſolet.* 1.31.132
Trotingus. *paranymphus.* 2.18.315
Truca, *cadaveris capſa.* 2.18.*ibid.*
Truſa, truffa, *vel* trupha, *joci, dolique planorum.* 1.1.4. & 2.18.316
Truſare, & truffare, *deludere facere.* 1.1.4
Trummetum, *tympanum.* 2.18.315
Trumpa, *tuba.* 2.18.316
Truncare, *obtruncare.* 4.28.787
Trupha, *vide* truſa.
Truphare, *vide* truffare.
Truſio, *detrudendi actus.* 3.53.656
Trutanus, *impoſtor.* 2.18.317
Truſte, *Regis, poſt fidem ei datam, tutela.* 2.18. 317
Tubicinare, *tubâ canere.* 4.28.787
Tubruci, *tibiarum, & bracearum tegimentum.* 2.18.318
Tucus, *cuculus.* 2.18.318
Tudo, *vett. dixere: unde* Tudito *frequentativum i stem* Tudes, & Tuditani. 1.24.104
Tufa, *vexillum regium.* 2.18.319
Tulipa, *flos è Turciâ in Belgium allatus.* 2.18 319
Tulipantum *Turcicum capitis velamentum. Differt à Perſico.* 2.18.319
Tultus, *latus, ſublatus.* 4 30.755
Tumba, *ſepulcrum.* 3.53.656
Tunginus, *judex inferior Comite.* 2.18.319
Tunicatim, *ad modum ejus quo tunica continet interiora.* 4 35.821
Tunicatum *genera duo.* 3.6.406
Tunicum, *hortus.* 1.1.4
Tuninum, *hortus.* 2.18.320
Tunſi, *pro* contudi, *rejectum.* 1.24.103
Tuphæ, *galearum criſtæ.* 2.18 320
Turbaria, *locus, ubi effodiuntur cæſpites uſtiles.* 2.18.320
Turbidare, turbicare, turbulentare, *turbare.* 4 28.787
Turbo *differt à* trocho. 1.26.111
Turdus marinus, *pro* paſtinaca. 1.28. 121
Turgor, *tumor.* 3.53 656

Turri-

Turriculum, *turris minuta, ac particulatim, qua ciborum dicitur.* ibid.
Turnebi de ambubaia *opinio improbata.* 1.5.22
Turturilla, *lupanar, vel scortillum.* 3.53.657
Turundus *unde dictus.* 1.18.75
Tutaculum, *tutela.* 3.53.657
Tutia *non tam est lapis Lydius, quàm cadmia fornicaria.* 2.18.321
Tutudi *parùm probum videri.* 1.24.103
Tyanæus, *Tyanensis.* 3.53.657
Tyndariden, & Tyndaridem, *malè confunnai.* 1.20.81
Tyrannizare, *tyrannidem exercere.* 4.28.787
Tyro *ejus Prior à Veteribus est proscita,* 2.1.173
Tyuphadi, *Tungini.* 2.18.321
Tzangæ, *calceamentum barbaricum.* 2.18.322
Τζόγις, *unde.* 2.17.295

V.

V *Consona olim, ut nunc* W, *efferebatur: hodie verò, ut* F *fractum.* 2.19.123
Vacantia, *vacatio* 3.54.658
Vacauda, & vacanda, *latro agrestis.* 2.3.180
Vaccaritia, *grex vaccarum minimùm duodecim* 3.54.658
Vacinarius, *qui coria concinnat.* ibid.
Vadium, *pignus.* ibid.
Vaginare, *efficere vaginas.* 4.29.788
Valedicere, *dicere vale, valere jubere.* ibid.
Valefacere, *idem.* ibid.
Valens Imperator cur dictus Sabajarius. 1.4.19
Valantis Pimponii sententia rejecta de indigitandi *verbo.* 1.34.157
Valerius Maximus non est illorum lemmatum autor, qua sub ejus nomine prodierunt. 16.68
Valgire, valgiare, *labra ad osculum conformare.* 4.29.788
Valguftus, *ex corrupto Isidori loco natum.* 1.8.38
Valturius deceptus. 1.5.24
Valvasor, *in, cui coërcendi jus fuit.* 2.19.316
Vandum, *vexillum.* ibid.
Vanè, *vanitèr.* 4.36.821
Vanga, *ligo.* 2.19.326.
Vanitare, *vanis rebus vacare.* 4.29.789
Vanizare, *vanè se efferre.* ibid.
Vanna, *locus piscationis.* 2.30.327
Vantare, *vanè ostentare.* 4.29.789
Varandia, *custodia, sylva.* 2.20.232
Varandizare, *custodire.* ibid.
Varantia, *color ruber, ac coccineus.* 3.54.660
Vargus, *extuljus.* 2.19.327
Variantia, *varietas.* 3.10.431
Varronis error. 1.2.13. *Locus illustratus.* 1.7.34
Vasallus, & vassallus. *cliens fiduciarius.* 1.7.31. & 2.19.327. & 3.54.659
Vasui, *vasalli.* 3.54.659
Vassus, *fidejussor; item cliens.* ibid.
Vastellum, *solium non portatile.* 2.19.327
Vastrapes. *feminalia.* 2.19.328
Vaticinium, *vaticinatio.* 3.54.660
Ubertare, *abundare.* 4.29.789
Ubi *rejicitur, pro* quo, *vel* quorsum. 1.35.163.
An sic locuti sint Appuleji ævo. ibid.
Vecorditer, *animo vecordi.* 4.36.822
Vegetativum, *vegetans.* 3.54.660
Vehiculus, *equus.* ibid.
Vel, *pro* five, *perperam usurpatur.* 1.35.165
Velitares, *hasta inter jacula.* 1.30.131
Venenosus, *venenatus.* 3.54.660
Veneranter, *cum veneratione.* 4.36.821
Venetiam, & Venetias, *malè confundi.* 1.9.40
Ventidius è mulione Consul, & vetus in eum epigramma. 1.14.60
Ventositas, *ventus, & ostentatio.* 3.54.660
Venus secundum antiquam gentium religionem, & mas est, & femina. 3.29.541
Verantia, *color ruber; ac coccineus.* 3.54.660
Verbalia nomina, qua non videntur fori esse Romani. 1.18.74
Verbigerare, Verbocinari, Verbosari, } *verba facere,* 4.29.789

Verbitare *corruptum ex* verberitare. ibid.
Vercola, *vox vitiosè scripta, pro* vetula. 3.4.395
Veredus *equus cursor.* 3.54.660
Verificare, *parùm Latinum, pro* probare. 1.23.101
Veriloquus, *veridicus.* 3.54.660
Vernices, *gummi juniperi, quo illuminantur colores.* 2.19.328
Versaliter, versabiliter, versatiliter, *inconstanter.* 4.36.822
Versibilitas, *caduca, ac fluxa omnium conditio,* 3.54.660
Versiculi in Scripturis, quomodo rectiùs dici possint 1.26.114
Vesperem, *pro* vesperum, *vel* vesperam *rejectum.* 1.20.84
Vestitio, *inauguratio.* 3.54.661
Vestitura, *possessio.* ibid.
Vestura, *precium, quod ex plantis ad dominum redit.* ibid.
Vetula *sequioribus seculis dixere, pro vitula.* 3.4.396
Viare, *iter facere.* 4.29.790
Vibrina, *vestis è pilis fibri.* 3.55.661
Vicedomius, *domini vicarius.* 3.55.662
Vici, *in dandi casu, rejicitur.* 1.21.90
Vicinari, *vicinum esse.* 4.29.790
Vicinetum, *jus se defansitandi vicinorum legibus.* 3.55.662
Viciſſim *rejectum, pro* mutuò. 1.35.193
Victare, *victitare.* 4.29.790
Victimare, *immolare.* ibid.
Victoriosè, *manu victrici.* 4.36.822
Victualia, *victui necessaria.* 3.55.662
Vidubium, Viduvium, *vidua conditio.* 3.55.663
Vigilax, *vigilans.* ibid.
Vilefacere, vilificare, *vilem putare.* 4.29.790
Villanus, *degens in villa.* 3.55.663
Villare, *pagus.* ibid.
Villenagium, *servitus à villico obita.* ibid.
Vinagium, *vectigal ob vecturam vini.* ibid.
Vinculare, *vinculo constringere.* 4.29.790
Vinculatus, *vinctus.* 3.55.664
Vinna, *piscationis locus.* 2.19.327
Viræ querquetulanæ, *Dryades, sive Hamadryades.* 1.6.27
Virago *malè, pro vira.* 1.27.116
Virgilii error in vocabulo Inarimes. 1.9.40
Virginare, *more virginum vivere.* 4.29.790
Virgines maximæ, *vel sacræ.* 1.6.26
Virtuosè, *honestè, fortiter.* 4.36.822
Virtuosus, *virtutis cultor.* 2.55.664
Virtutigena, *genuina virtutis proles.* ibid.
Viru, *pro* Viro, *à recto* virus. 3.57.672
Virunculus *cur non dicatur, sed* homullus. 1.16.65
Viscare, *viscо implicare.* 4.29.790
Visceraliter, *penitissimè.* 4.36.822
Visnetum, *vicinia.* 3.55.664
Vitus Amerbachius culpatus. 2.9.228
Vivificare, *vitam dare.* 4.29.790
Vlpiani locus de caino. 1.4.20
Ultimatè, *proximè.* 4.36.822
Ultimatim, *denique.* ibid.
Ulvetum *rejicitur.* 3.56.665
Umbrorum est O in V convertere. 1.13.57
Unanimare, *unius esse animi.* 4.29.791
Unanimiter, *unâ mente.* 4.36.822
Undeolus, *urceolus.* 3.56.665
Ungehbodentig, *privilegium, quo quis eximitur aliena potestati vocandi in jus.* 2.19.323
Unguentare, *ungere.* 4.19.791
Ungula caballina, *pro* tussilago. 1.28.122
Unicolorare, *rem facere unicolorem.* 4.29.791
Unicors, *concors.* 3.56.665
Unigamus, *qui unicas contraxit nuptias.* ibid.
Unigenitus, *filius unicus.* ibid.
Unio *malè, quatenus nomen, ac sumitur pro* concordia: *malè item, quatenus verbum, ac ponitur pro* conjungo. 1.31.137
Universaliter, *universè* 4.36.472
Unus *magè, pro* quispiam. 1.33.154
Vocabula Latina, qua debentur Gallis, 1.2.8. *& seqq. Germanis* 1.3.14. *Hispanis, & Britannis.* p.15.16. *Sardis,* p.17. *Asiis, ut Pœnis.* 1.4.17. &c. *Ægyptiis.* 18. *Illyriis,* 19. *Syris* 1.5.21. *Persis* 1.5.22. *Macedonibus* 1.5.14.
Vocificare *parùm probum, pro* notificare. 1.23.101
Volax, *volucris, velox.* 3.56.665

Volle-

Vollehen, *vel* Fallehen. 3.36.665
Volucrare, *coire.* 4.19.791
Voluptuarius, *pro* Voluptarius. 1.13.56
Vomitium, *vomitus.* 3.56.665
Voracitas, *edacitas.* ibid.
Vortare, *vertere.* 4.29.791
Votificare, *votafacere.* 4.29.791
Votivè, *ex voto.* 4.36.822
Votoriè, *voventium more.* ibid.
Urinale, *matella.* 3.56.665
Urpheda, *cautio de non vindicando.* 2.19.32
Vrsinus Velius culpatus *super* ridiculosi *vocabulo* 1.17.73
Vitella, *principalis iudicii sententia.* 2.19.323
Usariæ. Useriæ, *vel* Usseriæ *naves, quas belli causâ in orae mittebant peregrinas.* 2.19.324
Vsserius, vide Iacobus Vsserius.
Usualiter, *usitatè.* 4.36.822
Usufructuare *usumfructum legare.* 4.29.791
Usurare, *dare senori pecuniam.* ibid.
Utensilitas, *usus.* 3.51.665
Utique *pro diverso accentu variat significatione.* 2.1.172
Utitari, *sæpe uti.* 4.29.791
Utlagari, *proscribi:* &
Utlagus, *proscriptus.* 2.19.325
Uvere, uvidare. 4.19.791
Vulgulosus, *qui in vulgo eminet.* 3.56.666
Vulterra *malè dicitur pro* Volaterra. 1.7.30
Uxorare, *uxorem dare.* 4.29.791
Uxoratus, *uxorem habens.* 1.17.71

W.

WActa, *vigilia.* 2.20.329
Wadiare, *pignore certare.* 4.29.791
Vide & VVadium.
VVadium, *pignus.* 2.20.329. & 3.56.666
VValafridi Strabonis iudicium, quamobrem Lingua Germanica tot insint Latina, & Graca. 1.1.7
VValapautz, *immutatio vultus, aut habitûs, in fure, vel latrone, ne agnoscatur.* 2.20.330
VValavvori, *o, namenti dejectus de capite Virginis.* ibid.
VValhæ *nomen unde datum.* 2.20.331
VVancluga, *fraus, ac mendacium, non stantia connubio promissa.* 2.20.331
VVannagium, *habitatione.* 2.20.331
VVantus, *chirotheca, quam non æstate minus, quàm hieme, gestamus.* 2.12.257. & 2.20.332
VVapentagium, *vel* VVapentachium, *portio terra, in qua centum fidejussores vivebant.* 2.9.253. & 2.20.332
VVaranda, *obligatio ad tuendum: unde* VVarandare, & VVarandatio. 2.20.333
VVaranio, *equus militaris; vel is, qui septo inclusus pascitur, ac servatur.* 2.20.332
VVarantizare, *obstringere se ad alterum auctoritate suâ tuendum.* 2.26.359
VVarantum, *vel* VVarandum, *quid sit.* ibid.
VVarada, *custodia.* 2.20.333
VVardea *vel* VVardia, *præsidium militare.* ibid.
VVarengangi, *qui è longinquis terris venerunt in ditionem alterius.* ibid.
*VV*arrena *custodia animantium.* 2.20.334
VVarenda, VVarenda, *obligatio tutela.* ibid.
VVarentem *dicere obligatum ad alterum auctoritate suâ defensitandum.* 2.20.334
*VV*argus, *extorris.* 2.20.335
*VV*arnitus, *rebus necessariis instructus.* ibid.
*VV*ehading, *conventio de singulari certamine.* ibid.
*VV*eotomon, *vide VV*idimo.
*VV*erdunia, *precii æstimatio.* ibid
VVere, *κατ' ἀποκοπὴν pro* VVeregelt. 2.20.336
*VV*ergeldum, *precium, quo vir occisus æstimatur* 2.8.218
*VV*erigeldus, *precium quod compositione jurisdicialiper solvetur.* 2.20.336
*VV*erpire, *VV*irpire, *jacere.* 2.23.350 & 2.26.360
*VV*erra, *dissidium, bellum,* 2.20.336
hinc
*VV*errire, *arma inferre, bellum movere.* 2.16.360

VVicus, *refugium. Item locus: inde* VViegrevius, *loci præfectus, &* VViccii, *Angliæ populus.* 2.20.337.
VViderboran, *donatus libertate.* 2.20.339
VVidimo, *vel* Vittomon, *vel* VVeotomondos. *ibid.*
Wienagium, *vectigal è vini vectura.* 3.55.790
VVisa, *signum rei venali appositum.* 2.20.339
VVisare, *signum apponere.* *ibid.*
VVilh. *Equus mediocris.* 2.20.337
VVinagium. *vide* vinagium,
VVinchilsul, *columna angularis.* 2.20.339
VViregildus, &, VVirgildus: *quid significet, & unde sit.*
VVitiscalcus, *minister publicus, per quem exiguntur multa.* 2.20.340

X.

Ξάμιτ &. *pro* ἑξάμιτος. 2.17.283
Xenodochiarius, *xenodochii præfectus.* 3.56.667
Xerophagia *veterum Christianorum.* 3.14.465
Xirophagus, *arido victu contentus.* 3.56.667

Y.

YConomus, *œconomus.* *ibid.*
Υποκάμισον, *indusium.* 2.4.192
Yficius, *psalmo, vel, secundum alios, lucius.* 2.21.340
Yvernagium, *frumentum hybernum.* 3.56.668

Z.

Z *sonuit olim ut D S.*
Zaba, *lorica. Unde* Zabaria, & zaberna. 2.21.341
Zabulus, *diabolus.* 3.56.668
Zabyra *mendosè; rectè* Zabaria, *vel potius* Zaberna, *plutei librarii.* 2.21.341
Zacones, *dimeni.* 3.56.668
Zancæ, Zanchæ, *vel* Zangæ, *barbarici calceamenti genus.* 2.18.322. & 3.56.668
Zapinea, *sapinea; abiegna, pinea.* 3.56.669
Zasu, *pro* Jesu, *cur scripserint olim.* 2.1.168
Zech, *Bohemis fraterna clericorum, laicorumque sodalitas.* 2.21.342
Zelare, Zelari, *vehementer amare.* 4.29.792
Zelorypare, *nullum in amoris partem admittere.* *ibid.*
Zeta, *diæta.* 3.56.669
Zima, *pro* Zyma, *sive* fermento. *ibid.*
Zingiber *vitiosè, pro* Zingiberi, *vel* Zingiberis 1.12.52.
Zizania, *in recto singulari perperam usurpatur.* 1.12.50
Zometum *vestis stragula.* 3.56.669
Zythum, *vox Ægyptiaca originis.* 1.4.19

FINIS.

A01 1464131

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google